ANTONI SUCQUET È SOCIETATE IESU VIA VITAE AETERNAE...

Antoine Sucquet, Boetius Bolswert, ...


Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
31
8 E
27
FONDO EBOLENSE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



יהוה
ANTONI
SVCQVET
È SOCIETATE IESV
VIA VITÆ
ÆTERNÆ
Iconibus illuſtrata
per Boëtium à
Bolswert.
ANTVERPIÆ,
Apud Hieronymum et
Ioan Bapt. Verduſſen.
A°. M.DC.LXV.
Cum Gratia et Priuilegio.

TECA IN ROMA

Digitized by Google

D. O. M.

REGI REGVM,

ET

REGINÆ CÆLORVM

B. VIRGINI MATRI

MARIÆ.

CLementiſſime Deus, tua ſunt omnia, cæli & terra, & quidquid cæli ambitu continetur; & ſi quid offerimus tibi, tuum, quod à benigniſſimâ manu tuâ accepimus, reddimus; vt ad ſuum principium, ex quo fluxerunt omnia, reuertantur. Ideoque hoc opus, non meum, ſed tuum, quàm humillimè offero: VIAM hanc VITAE tibi, qui es VIA, VERITAS, & VITA NOSTRA; nec non B^MAE^ MATRI TVAE: ac rogo, vt cum eâ ad iſtam, & omnes, qui eam legerint & iniuerint, benignè reſpicere digneris, vt in te, qui VERA VIA es, ambulent, & in VERITATE permaneant; & ad te, qui ſalus es, & VITA NOSTRA AETERNA, perueniant; atque ita eò, vnde omnia, reuertantur. Amen.

Facultas R. P. Præpoſiti Prouincialis Prouinciæ Flandro-Belgicæ.

L*Ibrum* VIA VITAE ÆTERNAE *inſcriptum*, *&* *à* R. P. *Antonio Sucquet Societatis noſtra confectum*, *atque à deſtinatis arbitris lectum & approbatum*, *ego Florentius de Montmorency Societatis* IESU *per Flandro-Belgicam Prouincialis*, *ex auctoritate admodum* R. P. N. *Generalis Mutij Vitelleſci in lucem prodire permitto*; *& concedo facultatem typis eum mandandi. In cuius rei fidem haſce manu meâ ſubſcriptas, & ſigillo officij mei munitas dedi. Bruxellæ* 7. *Septembris, Anno* 1624.

Florentius de Montmorency.

APPROBATIO.

L*Iber hic inſcriptus* VIA VITAE ÆTERNAE, *Auctore* R. *Patre Antonio Sucquet, Societatis* IESU *Theologo, & ab eodem iam recognitus, eſt doctus, & nil niſi deuotionem ſpirat, ac ſimul ad orationem inſtigat, vt etiam doctiores viam meditationum facillimè per hunc inueniant. Quare omni ſtudio admittendum puto, vt typis mandetur, quo in plurium hominum manus perueniat. Quod teſtor* 1. *Maij. Anno* 1624.

Egbertus Spitholdius S. T. L. Canonicus & Plebanus Antuerpienſis.

PRÆ-

Benigne Lector, accipe hanc Viam vitæ æternæ, quam tibi vt filio offert Dominus Iesvs vita noſtra per me indigniſſimum ſeruum ſuum; omnia enim opera noſtra in nobis operatus eſt. Illum autem aſſiduè rogo, ac rogabo, & multi mecum, quos in hac negotiatione (vt ſic loquar) habeo ſocios, & apud Deum Oratores, vt me, & te, & omnes qui viã hanc legent, gratiâ ſuâ præuenire dignetur is, qui eſt fons omnis gratiæ, & bonitas infinita Chriſtus Iesvs. Tu viciſſim idipſum pro me, ac te, & illis, qui pro te orant, roga. Orationem ad hoc habes initio libri præparatam, p. 3. Deinde inter legendum, Deum quaſi loquentem audi; etenim iuxta S. Auguſtinum, nobis infinita illa maieſtas loquitur, dum ſacra legimus. Paratum verò habe cor, vt monentẽ audias, ſequaris Deum præeuntem; ipſe enim Via, Veritas, & Vita. Et agitur, agitur, mi frater, agitur, attende, & appende obſecro, de æternitate, æternitate tuâ, & mea. Vt verò inoffenſo pede hanc Viam per gratiam Domini noſtri Iesv Christi decurras, ſi quis pro humanâ fragilitate irrepſerint errores, & in calcem libri reiecti ſint (etſi verè magnâ charitate & diligentiâ plures intenderint correctioni) corrige eos, rogo, initio, ne aliàs inter legendum remoram experiare, & moleſtiam. Nunc quid in nouiſſimâ hac editione præſtitum, Dei, & B. Virginis auxilio habe. Certè quæ poſt primam editionem

Iſaiæ 26.

Oratio pro Lectore.

Orandum pro Auctore, &c.

Quomodo legendum, & audiendus Deus.

NOTA. *Lector, Primò errata corrigenda.*

Quid in hac editione præſtitum. Diuiſio operis. Exercitia diuiſa. Omnia habent applicationẽ ad Communionem. Meditationes auctæ.

hactenus cognoui deſiderari,conatus ſũ, quoad licuit,perficere,vel adiicere. Quæ inquis,illa? 1. Effectum vt opus hoc,ſi quis ita cupiat,diuidi queat in partes duas. 2. Exercitia ſingula ſunt in complura diſtributa,ne cui longiora videri poſſint. 3. Ea omnia ad communionẽ quotidianã ſeu ſpiritualem, ſeu ſacramentalẽ ſunt accõmodata. 4. Meditationes ſubinde auctæ. 5. Cũ harũ puncta quælibet meditationẽ contineant,iis ſubnexui exercitia varia communia, idq; Sanctorũ exemplo. Hinc verò colligere potes meditationes nullo die facilè defuturas.

NOTA. diligenter. Exercitia communia ſunt in 1, & 2 parte.

Obſerua,rogo,illa exercitia, quę quaſi pręcipua & communia omni meditationi ſunt , in prima & ſecunda parte haberi;in prima in initio,in ſecunda in fine libri 3. ne ſi quis duabus partibus compingi librum vellet , in alterutra hęc requireret. Nota verò ſolum citari numerum paginę primæ partis , neque numerum adiectum illi ſemifolio, quod in fine ponitur.

NOTA.

Quare cum citationẽ videris paginæ in prima parte folio primo ſignato poſitæ, (v.g. Hęccine vera &c. vt ſup. p. 7. Hęccine firma fide, p. 8.) memor eſto eadem in fine ſecundę partis reperiri, & quidẽ auctiora, idq; folio vltimo ſine nota alphabeti, ſine numero. Imò commodo tuo curaui, vt in exemptitio folio ea excuderentur, vt commodior tibi eorum foret vſus in omni meditatione: neque ſolùm in hoc opere, ſed & in omni lectione cuiuſuis pij libri, vt experientia ipſa monſtrabit. 6. Acceſſere deinde puncta de IESV CHRISTI amantiſſimi Domini noſtri

NOTA. ſedulò vſũ horum exercitiorũ. Vita Chriſti IESV addita.

vitâ.

vitâ. Hæc habes lib. 3. c. 3. vt autem Euangelium cuique diei juxta Eccleſiæ ritum aſſignatum reperias, vide Indicem Concionatorum: Primus enim numerus paginam indicat, vbi puncta ex textu Euangelij diei, de quo agitur, inuenias. 7. Vt verò hæc puncta condirentur, præter illa breuia exercitia communia, de quibus l. 1. c. 1. p. 5. & ſeqq. habes complura de affectibus pro omni meditatione commodis l. 2. c. 51. & ſeqq. Horum autem vbi & quis vſus poſt ſingula puncta in vita Chriſti l. 3. c. 3. indicatur. 8. Diarium etiam auctum eſt. V. c. 20. l. 3. 9. Pro ſingulis itē ſtatibus breuis norma vivendi data eſt, & meditatio cuique propria quotidie, aut certè crebrò vſurpanda. Vide l. 3. c. 21. 22. 23. 24. Capite 25. diſces, vt perſeuerare debeas in vocatione tuâ. 10. Documenta habes aliquot rariora Sanctorum, eaq́; in calce libri p. 1115. ſimul poſita. 11. Initio verò poſt præfationem habebis praxim, ſeu vſum libri, quem, rogo, conſidera, & boni conſule. 12. Indicem quadruplicem qui requirebatur. Primum Capitum; Secundum Materiarum pro meditatione; Tertium Rerum; Quartum Concionatorum; quibus nouæ notæ marginales ſubſeruiunt. Primus, qui Capitum, eſt vt mox videas, quid hoc opere toto contineatur. Secundus tibi eadem capita diſtribuit, vt aſſignet commodam materiam quotidianæ meditationi, cui etiam Quartus eſt accommodus, ſcilicet Concionatorū. Etenim (Nota ſedulò) hunc non ſolùm eſſe in vſum concionatorū, ſed tuū, ſed cuiuſuis: nam quod Con-

Tractatus de Affectibus.

Diarium auctum.

Norma viuendi pro quolibet ſtatu.

Documenta Sanctorum.

Praxis libri.

Index quadruplex. Et quis eorum vſus.

NOTA ſedulò de Indice Cōcionatorū.

Concionatori vſui erit volenti de Euangelio Dominici, aut feſti alijs dicere, id tibi, & omnibus de eodem volenti meditari. Ad hoc habes de vita Chriſti vniuerſâ Dominicis omnibus, ac feſtis, & alijs diebus puncta ex ipſis Euangelij verbis concinnata, & diſtributa cap. 3. lib. 3. Igitur tu Concionator, vel Lector, ſi de Euangelio Dominicæ alicuius aut feſti dicere, vel accommodatè meditari volueris, primò inſpice Concionatorum indicem. Hic tibi querenti quod ſit Euangelium, monſtrabit: vnde iſtud, ſeu puncta petere debeas. Primus enim numerus illud notat, reliqui materias accommodatas. Nunc rogo humillime te IESU CHRISTE, dulciſſime Redemptor mi, qui ades hîc, & es nobis Via, Veritas, & Vita, vt eum, qui hæc legit, & me infinitâ miſericordiâ tuâ ad te ita ducas, vt vitam aliquando habeamus, & abundantiùs in te æternùm habeamus, & amemus ęternùm te ô omne bonum, omne bonum.

NOTA. bene, quatenus vſus Indicis Concionatorum.

Oratio pro Lectore.

Te verò, ô Lector, rogo, vt ſi quid hîc legas quod placeat, non mihi tribuas miſero peccatori, & inutili ſeruo Domini mei, id eſt, non tribuas calamo ſcriptionem, ſed ſcriptori; non lumen laternæ, ſed luci; non picturam penicillo, ſed pictori; aut donum parum fideli diſpenſatori, ſed Deo largitori omnia tribue, à quo omne bonum, & donum emanat. Illi ſoli honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Omnia Deo tribuenda.

PRAXIS LIBRI.

TRiplex eſt, vt à viâ mortis ad viam vitæ redeas: 2. vt in eâdem proficias. 3. vt in eâ te perficias.

Si ergo, ô Lector, eheu! in peccato es, & viuens mortuus es, quod abſit, rogo te per IESVM, & ſalutem tuam, caue vel ad momentum remanere in illo ſtatu infeliciſſimo, & eſſe hoſtis Dei, ſub poteſtate diaboli, reus æternæ damnationis; ſed cùm poſſis gratiâ Dei mox reſurge, & ad hoc vtere l.1.cap.4.5.6.7. *Conuerſio vt curanda.*

Si verò tentaris, id eſt, non mortuus, ſed æger animo es, ægreque virtutem exercere, aut vitium poſſis vitare, generalia remedia pete ex lib. 2. cap. 38.& ſeqq. vbi reperies aduerſus omnia morborum genera, & pro omni virtute acquirenda media 12. Item in cap. 51. & ſeqq. de Affectibus, & l. 3, cap. 17. de Pace. Propria autem ſuis locis inuenies. *Remedia morborum animi vnde petenda & tentationum.*

Si de aliquo dubitas & deliberas, lege l.2.c.1.2. *Quid in dubio faciendum.*

Si acedia ſurrepat, vtere ſtimulis, l. 2. cap. 11. 12. & ſeqq.

Quòd ſi iam ſanus es, Diſce operari Dei gratiâ, eique cooperari & perficere opera tuâ; ad hoc enim viuis. & vide c.5.l.2.l.3.c.20. *Operum directio.*

Vt in aduerſis tegerere debeas, vide lib. 2.cap.6.7.& l. 3. cap.17. *Quomodo in aduerſis;*

Quomodo in proſperis, l.2.c.20.23.44. *Quomodo in proſperis te geras.*

Omni tempore & loco. Deum vt finem tibi propone, & lux intentionis bonæ in tenebris huius vitæ noſtræ præcedat te, de quâ l. 3.c.11. Idque vt omnes cogitationes, verba, & opera ad eius gloriam dirigas. Quò enim potiùs? Dic precor. *Quid omni tempore. Intentio recta.*

Quotidie verò, 1. manè meditare exemplo SS. & magnorum, etiam Principum, vt Caroli V. &c. Meditationis materiam aptam diei, liber hic Dei gratiâ dabit. *Quid quotidie faciendum. Meditandum manè.*

† 5 Vide

Sacrum audiendū. Vide Indicem materiarum pro meditatione cuiuſque diei,& Indicem etiam Concionatorum, qui communis etiam eſt meditantibus.2. Sacrum audi, de quo l.3.cap.quod 9.ſequitur per errorem non notato, cui etiam ſubſeruiet exercitium meditationi ſubjectum, vti & Spirituali, vel Sacramentali Communioni, de quâ breuiter in capp.ſingulis,& fusè l.3.cap.6.8.9. 3. Examen ſemel, ſaltem veſperi facito, de quo l. 2. cap. 4. 4. Lectione piâ animum excita, de quâ l. 2. cap. 33. 5.Opus aliquod manuale exerce, de quo l.3.cap.20. in Diario.

Vel ſtude,de quo l.2.cap.31.

6.Collige te crebrò & maximè horis ſingulis, de quo l.3.cap.20.in Diario.

In his,& reliquis per diem vt te gerere debeas,Diarium breue te inſtruet l.1.c.13.p.151.& Diarium longius,l.3. c.20.& varij tractatus eadem tibi fusè explicabunt.

Quid hebdomadatim faciendum. *Quot hebdomadis*,Dominica Confeſſio inſtituenda.vide l.1.c.7.

Et ſacra ſynaxis adeunda,vide l.3.cap.6. 8. 9. Meditationes accomodę diebus per hebdomadam infrà aſſignantur,*in Indice materiarum*.Sabbato verò recollectionem inſtitue,vt ſignificatur l.3.c.5.

Quid in Quadrageſima. In Paſch. *In Quadrageſima* habes myſteria, & maximè quæ de Paſſione, l. 3. c. 10. Similiter & in Paſchate, eiuſque tempore, l. 3. c. 3. cui etiam ſubſeruiunt Meditationes de virtutibus Theologalibus,l.2.cap.37. Et intentione purâ l.3 c.11.

Quid feſto die agendū. Si feſtum inciderit B. Virg.vel alicuius Sancti, vitam illius lege,& exercitiis illis communibus inter legendum vtere, vel ex vitâ illius tria collige puncta. 1. Quomodo à Domino electus ſit & vocatus, & in purgatiuâ ſe exercens cum timore & tremore operatus ſit ſalutem ſuam, atque æternitatem apprehenderit,pœnitentiam egerit, & mundum contempſerit, & imitare, 2.Quibus virtutibus aliis moralibus tibi præluxerit,

Quomodo Sāctorum vita ſit imitanda.

luxerit,& cur tu id non poſſis, vel nolis à te percunctare, eaſque exercere ſtatue: & animæ potentias ac ſenſus quinque conforma illius potentiis & ſenſibus; iuuerit ad hoc velut præſentem eum intueri, 3. Vide quantâ fide & ſpe, & charitate in vitâ, & morte Deo ſe conjunxerit, & eum honorârit: Quomodo viciſſim illum Deus honoret, & illarum actibus virtutum ad Sancti honorem te Domino coniunge, eique & Sancto gratulare. Huç pertinet Meditatio de B. V. l. 3.c.19. Et de imitatione SS. l. 2. c. 44. De feruore eorum, lib. 2. cap. 14.

Quolibet menſe ſaltem vnum diem tibi tribue, & te propiùs inſpice, & finem ac progreſſum tuum, vti inſtrueris, l.3.c.5.& 20. *Quid menſibus ſingulis agendũ.*

Quotannis, 1. die anni æternitatem cogita, & numera annos & dies tuos præteritos & reliquos, Deoque conſecra, & ſaltem ex anno toto tibi tempus aliquod ſume pro curandâ ſalute tuâ, vel domi tuæ ſolitudinem quærendo, vel in domo Religiosâ. Porrò pro ſeceſſu & ſui renouatione accuratiore, lege de Solitudine, l. 2. c. 30. & per aliquot dies manè & veſperi rumina vnam ex illis octoconſiderationibus, l. 1. cap. 4. Deinde præpara confeſſionem generalem, & Colloquio, ibidem, cap.5.p.52. poſito te excita. Denique ſi vno tantùm die tibi vacare poſſis, eumdem ſic diſtribue. Meditare, Primò mane de fine hominis; Secundò, de morte. Tertiò, de judicio; Quartò, de æternitate. reliquo verò tempore vitæ tuæ actiones recognoſce, & confeſſionem inſtitue iuxta lib. 1. cap. 6. & propoſita ſcribe, vt ibidem p. 77. *Quid quotannis.*

Quòd ſi triduum cum Chriſto latere placebit; eâdem præparatione præmiſſa, primò meditare de fine; deinde reliquas decurre meditationes poſitas, l.2.c.39. & ſeqq. pro meditationis affectu excitando, ſucciſiuis horis exercitium quadruplex, lib.2. cap. 3.4. 5. 6. pertracta.

Quòd

Quòd ſi tibi non licet aliò abire, ſaltem domi quolibet ſemeſtri in feſto omnium SS. & Paſchæ quaſi ad mortem te para hoc pacto: Per dies aliquot renoua mentem meditationibus in modo meditandi propoſitis, lib.2.cap.39.

Ac deinde iuxta id, quod l. 1.c.6.p.77.traditur, de te tuiſque rebus diſpone.

Quid refugis? Nónne vitæ tempus ad hoc vnum tibi datum, vt ſalutem cures tuam? & dicere potes Deo, aut animæ tuæ, Non vacat? Dicere quidem potes, ſed non credet Deus, neque vllus qui te Chriſtianum nouit, neque tu, ſi te noris.

NOTA, NOTA Quid die & hora mortis.

Quid denique faciendum tibi ſit die illo, qui de omnibus iudicabit, à quo pendet æternitas, & horâ illâ quam alia non ſequetur, vide l.3.c.26. & Vale in Chriſto IESV, eique viue, & morere.

Index

Liber I.

Caput 1. de fine hominis, p. 3.
Exercitia quædam omni meditationi communia, p. 5. 6. & ſeqq.
Eadem habentur in fine lib. 3. vltimo ſemifolio non ſignato.
Cap. 2. de fide, p. 18.
Cap. 3. de ſtatu vitæ deligendo, p. 30.
Cap. 4. de maturâ conuerſione, p. 43.
Conſiderationes 8. pro eadem, p. 50.
C. 5. de pœnitentia & contritione, p. 52
Cap. 6. de confeſſione, p. 62.
Examen pro confeſſione generali, p. 67
Cap. 7. De frequenti Confeſſione, p. 80.
Cap. 8. de confeſſario, p. 89.
Cap. 9. de ſatisfactione, ac primò de ieiunio, pag. 96.
Cap. 10. De Eleemoſyna, p. 104.
Cap. 11. de oratione, p. 115.
Cap. 12. de lectione horarum, p. 133.
Cap. 13. Regula ad perfectionem, p. 145
Diarium breue, p. 151.

Liber II.

Caput 1. De modo deliberandi, p. 158.
De notis ſpirituum, p. 160.
C. 2. deliberatio de perfectionis ſtudio, (p. 168
Cap. 3. De gratiarum actione, p. 179.
Cap. 4. de examine generali & particulari, p. 186.
Meditatio pro vitio extirpando, p. 199.
Meditatio pro virtute acquirēda. p200
C. 5. de conſideratione agendorū. p. 203.
C. 6. de conſideratione malorum, p. 214
C. 7. de patiētia in proprijs malis. p. 223
Cap. 8. de contemnendis hominum iudicijs, p 231.
Cap. 9. de peccato veniali, p. 243.
Cap. 10. de tentationibus, p. 248.
C. 11. de Acediæ mortificatione, p. 262.
C. 12. de ſtimulo ex breuitate vitę. 270
Cap. 13. de periculis vitæ, p. 276.
Cap. 14. de feruore SS. p. 280.
C. 15. de charitate erga Eccleſiā, p. 286.
Cap. 16. de charitate erga animas in purgatorio, p. 292.
Cap. 17. de zelo animarum. p. 297
Cap. 18. de mortificatione, p. 302.
Cap. 19. de paſſionibus edomandis, p. (311.
De odio ſui, p. 318.
De curioſitate, p. 321.
C. 20. de mediocritate tenendâ, p. 326.
Cap. 21. de ſuperbiâ, p. 335.
Meditatio de humilitate, p. 338.
Cap. 22. de obedientiâ, p. 349.
Cap. 23. de moderanda cupiditate bonorum, p. 358
De Auaritia, p. 368.
De paupertate, p. 371.
De bonorum vſu, p. 378.
De bonorum diſpenſatione, p. 383.
Cap. 24. de delectationum appetitu moderando, p. 390.
De caſtitate, p. 398.
Cap. 25 de modeſtia, p. 404.
De conuerſatione cū proximo, p. 408
C. 26. de temporis habēda ratione, p. 414
Cap. 27. de monitore eligendo, p. 419.
Cap. 28. de amicorum delectu, p. 428.
Caput. 29. de familiæ delectu, pag. 438.
Caput. 30. de ſolitudinis bono, p. 446.
Caput. 31. de ſtudijs, p. 458.
Caput. 32. de officio eius qui alium docet, & concionatur, p. 467.
Caput. 33. de lectione pia, p. 477.
Caput. 34. de perſeuerantia, p. 486.

SECVNDA PARS.

Cap. 35. de meditādi methodo. p. 498
C. 36. de Natiuitate Christi, p. [illegible]
Cap. 37. de modo meditandi per fidem ſpem, & charitatem, p. 523.
Meditatio de verbis illis: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, p. 532.
Cap. 38. de confidentia in Deo, p. 550.

Caput

Capit 39. de ponderatione virtutis, & vitij, p. 559.
C. 40. de prudentia filiorũ ſæculi, p. 568
Cap. 41. de morte, p. 577.
Cap. 42. de extremo iudicio, p. 584.
Cap. 43. de æternitate, p. 593.
Cap. 44. de imitatione SS. p. 602.
C. 45. de pace animę per virtute. p. 611
Cap. 46. de gaudio ex virtute, p. 620.
Cap. 47. de imitatione Chriſti, p. 629.
Cap. 48. de beneficijs Dei, p. 638.
Cap. 49. de perfectionibus Dei, p. 647.
Cap. 50. de petitione, p. 656.
Cap. 51. de affectibus in genere, p. 660.
Cap. 52. de affectu fidei, p. 663.
Cap. 53. de affectu admirationis. p. 668.
Cap. 54. de affectu compaſſionis, p. 672
Cap. 55. de affectu contritionis, p. 678.
Cap. 56. de affectu ſpei, p. 684.
Cap. 57. de affectu imitationis, p. 689.
C. 58. de affectu gratitudinis, p. 694.
Cap. 59. de affectu gaudij, p. 701.
Cap. 60. de affectu amoris, p. 708.
Cap. 61. de exercitijs præcipuarum virtutũ, charitatis proximi, reſignationis, humilitatis, contemptus rerum humanarũ, paupertatis, obedientiæ, caſtitatis, patientiæ, abſtinentiæ, feruoris Sanctorum. p. 715. & ſeqq.
Cap. 62. Exercitium poſt meditationem, p. 726.

Liber III.

Cap. 1. de perfectione, p. 745.
Cap. 2. de imitatione Chriſti, p. 751.
Regula ad perfectionem, p. 761.
Cap. 3. de vita Chriſti meditationes XCI. p. 764. Quę cuique diei iuxta ritum Eccleſiæ aſſignetur, & quomodo eamdẽ facilè inuenias, docebit te Index Concionatorũ.
Cap. 4. de deſiderio perfectionis, p. 790.
Cap. 5. de renouatione ſui, p. 795.
Cap. 6. de Communione. p. 805.
Cap. 7. de officio Sacerdotis, & præparatione ad Sacrum, p. 816
Cap. 8. Ante Communionem meditatio, p. 824.
Cap. 9. de Communione, p. 854.
Cap de modo audiendi ſacrum, p. 864.
Hoc caput numero ſuo notari non potuit, quia ſerius error deprehenſus.
Cap. 10. de Paſſione Chriſti, pag. 876.
Cap. 11. de pura intentione, p. 898.
Cap. 12. de præſentia Dei, p 914.
Cap. 13. de amore Dei, p. 925.
Cap. 14. de charitate proximi, p. 937.
C. 15. de dilectione inimicorum, p. 946
Cap. 16. de contemplatione, p. 958.
Cap. 17. de pace animi, p. 978.
Exercitium pro confidentia in Deo excitanda in ſcrupulis & aduerſis, p. 1011. & ſeqq.
Conſolatio animæ afflictæ, p. 1015.
Cap. 18 de notis ſalutis, p. 1016.
Cap. 19. de imitatione B. V. p. 1024.
Cudou. Bloſij Roſarium, p. 1035.
Cap. 20. Diarium, p. 1042.
Recollectio menſtrua, p. 1061.
Cap. 21. de ſtatu matrimonij, p. 1063.
Cap. 22. de ſtatu viduitatis, p. 1071.
Cap. 23 de ſtatu cœlibatus, p. 1076.
Cap. 24. de ſtatu Religioſi, p. 1082.
Cap. 25. meditat. de Perſeuerantia in propria vocatione, p. 1087.
Cap. 26. de præparatione ad mortem, p. 1016.
C. 27. de vita æterna, p. 1106.
Documenta pro Reſignatione perfecta, & perfectione, p. 1115. Alia è D. Vincentio, p. 1123. Alia ex D. Bernardo, p. 1126. Alia ex D. Thomâ, p. 1128. Epilogus ad B. V. Exercitia quædam omni meditationi communia, quæ etiam pleraque habes, lib. 1. c. 1.

INDEX

Quo quiſque vti poteſt, vt aptè Meditationem die quolibet ſibi ſumat.

Pro via purgatiua.

Diebus Lunæ.

DE fine hominis, p.10.
De ponderatione virtutis & vitij, p.559.
De vitio in genere, p.199.
De peccato veniali, p.243.
De periculis vitæ huius, p.276.
De breuitate vitæ, p.270.
De morte, p.577.
De purgatorio, p.292.
De extremo iudicio, p.584.
De æternitate, p.593.
De matura conuerſione, p.54.
Conſiderationes 8. pro eadẽ, p.50.
De pœnitentiâ & contritione, p. 52.678.
De frequenti confeſſione, p.80.
De ſatisfactione ac jeiunio, p. 97.
De abſtinentiâ, p.724.
De eleemoſynâ, p.104.
De tentationibus, p.248.
De acediâ, p.262.265.
De curioſitate, p.321.323.
De ſuperbiâ, p 335.
De auaritiâ, p.368.
De contemnendis hominum iudiciis, p.231.
De Pater noſter, p.761.
De notis ſalutis, p.1016.

Pro via illuminatiua.

Diebus Martis, Mercurij & Iouis.

De ſtudio perfectionis, p.168.
Huc pertinent Documenta, l. 3. p. 1115.3 & ſeqq. ex. Sanctorum ſcriptis collecta.
Regula ad perfectionem, p.145.
De prudentiâ filiorũ ſæculi, p.568.
De ſtatu vitæ eligendo, p.30.
De ſtatu matrimonij, p.1063.
De ſtatu viduitatis, p.1071.
De ſtatu cœlibatus, p.1076.
De ſtatu Religioſi, p.1082.
De examine generali, p.186.
De conſideratione agendorũ, p.203
De modo deliberandi, p.158.
De notis ſpirituum, p.160.
De feruore Sanctorum, p 280.725
De charitate erga Eccleſiam, p.286
De zelo animarum, p. 297.
De mortificatione, p.306.
De paſſionibus domãdis, p.313.315
De odio ſui, p.318.319.320.
De conſideratione malorum, p. 215.216.
De patientiâ in propriis malis, p. 223.723.
De mediocritate tenendâ, p.327.
De humilitate, p.338.341.717.
De contemptu rerum humanarũ, p. 718.
De diffidentiâ ſui, p.550.
De virtute in genere, p.200.
De obedientiâ, p.349.352.721.
De moderanda cupiditate bonorum, p.358.
De paupertate, p.70. 371.
De eleemoſyna, p.104.
De bonorũ diſpoſitione, p.383.385.
De bonorum vſu, p.378.
De delectationum appetitu moderando, p.390.
De caſtitate, p.396.398.722.
De modeſtia, p.404.
De conuerſatione, p.408.
De temporis habenda ratione, p. 414.

De monitore eligendo, p.419.
De amicorum delectu, p.428.
De ſolitudinis bono, p.446.
De perſeuerantiâ, p.486.488.490.
De lectione piâ, p.477.
De Meditatione, p.498. 500.
De petitione, p.656.
Exercitium poſt Meditationem, p. 726.
De oratione, p.121.
De lectione horarum, p.133.
De imitatione Chriſti, p.629.
De Chriſto Duce ſequẽdo, p.751.
De vitâ Chriſti medit.xcj.p.765.
Quomodo, inquis, iis vtar? Reſpondeo: Aut ordine, quo poſitæ ſunt, eas meditabere, aut vnamquamque eo die quo Eccleſia Euangelium ex quo deſumptæ ſunt, legit, & ad hoc tibi magno vſui erit Index Concionatorum.
De Natiuitate Chriſti, p.517.
De imitationis affectu, p.689.
De imitatione SS. p.602.
De gaudio ex virtute, p.620.
De pace animæ per virtutem, pag. 611.
De ſtudiis, p.458.460.
De confeſſario, p.89.
De concionatore, & eo qui alium docet, p.467.
De Fide, p.18.663.
De Spe, p.684.
De modo meditandi per fidem, ſpem & charitatem, p.513.

Pro Viâ vnitiuâ.

Die Veneris.

De Paſſione Domini, p.876.

Die Dominica.

De perfectione, p.745.
De vitâ æternâ, p.1106.
De Communione, p.805.842.854.
De modo audiendi Sacrum, p.865.
De præparatione ad Sacrum, p.816
De perfectionibus diuinis, p. 647.
De intentione pura, p.898.
De præſentiâ Dei, p.914.
De amore Dei, p.925.
De amore proximi, p.715.937.
De zelo animarum, p.297.
De dilectione inimicorum, p. 946.
De conformitate voluntatis noſtræ cum diuina, p.978.
Exercitium pro confidentiâ in Deo excitanda in ſcrupulis & aduerſis, p.1011.
Conſolatio animæ afflictæ, p.1015.
De Reſignatione, p.716.
De Admiratione, p.668.
De Compaſſione, p.672.
De gratitudine, p.694.
De beneficiis Dei, p.638.
De Gaudio, p.701.
De Amore, p.708.

Die Sabbati.

De renouatione ſui, p.795.
Recollectio, p.801.
De imitatione B.V. p.1024.

LIBER PRIMUS,

VIA

INCIPIENTIUM.

PRIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Conſidera, ô homo, finem tuum & vias tuas.

A COnſidera coram Deo, quo fine *B* creatus ſis, duplicemque eſſe terminum, C felicem, & *D* infelicẽ: ad hunc devoluitur *E* mundus: qui in fumum abit, triplicique ardet concupiſcentiâ: & vt *F* mare naufragum ſyrtibus ac ſcopulis plenum ſemper agitatur. Ad illum ſiue cæleſtem gloriam, triplex ducit *G* via: quâ ſignificatur triplex vitæ ſtatus; Religioſus, per directam: Eccleſiaſticus, per obliquam: ſæcularis, per ſinuoſam multùm ac ambagioſam. Quia ſcilicet minùs ad perfectionem ex naturâ ſuâ accommodus eſt, etiamſi perſæpè qui in eo ſunt, alijs in perfectiore ſtatu viuentibus virtute multùm antecedant. Per triplicem illá ſimiliter viam, purgatiua ſeu Incipientium, illuminatiua ſeu Proficientium, vnitiua ſeu Perfectorum via ac vita deſignatur. Imò etiam in quolibet ſtatu, gradu, actione moneris, viam ſeu agendi viuendique modum eſſe triplicem. Vide an in omnibus rectiſſimam teneas, *H* Deumque ſemper ob oculos habe, & oraturus in omni loco accede ad Deum, vel vt *I* reus de peccatis ingemiſcens, vel vt pauper & inops à virtutibus, aut velut ſponſa flagrans amore (Quæ perſonæ triplicem viam ſpiritualem exprimunt.) & dic: Appropinquet deprecatio mea in conſpectu tuo, Domine, iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.

Pſal. 118.

ORATIO

ORATIO
quâ lector gratiam petit legendi & lecta faciendi.

DIxisti, *Domine* Iesv, *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum, & omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Igitur te humillimè rogo, Deus meus trahe me, doce me dum hæc lego, iuſtificationes tuas; quiſquis enim* loquatur quaſi ſermones tuos accipio, *nemo enim dicere poteſt* Dominus Iesvs, *niſi in Spiritu Sancto. Veni igitur S. Spiritus, doleo enim vehementer quòd non amauerim ſic mei amantem: veni, loquere mihi, quia audit ſeruus tuus; ſi ſurdus eſt, fac audire, & mutum loqui magnalia tua, alioſque ad te trahere, vt doctrina hæc, ſi eam cùm facere poſsim negligam, non ſit mihi in improperium. Scio enim non caſu; ſed hæc mihi deſtinatò à te velut per Epiſtolam mitti ex infinito amore, & ſuaui prouidentiâ tuâ, rogoque, vt baiulo retribuas in bonum. Et vt ſicut gratiâ tuâ inuitantem volo ſequi hodie, & amantem non deſerere, ſic tu non me deſeras, ſalus & ſpes mea in æternum, Amen.*

Ioan. 6. — 1. Petr. 4. — Contritio.

CAPVT PRIMVM.

Conſideratio de fine hominis, & auxilia ad orationem ritè faciendam.

QVEMADMODVM nauta ante omnia, quem petat portum ſibi ſtatuit, viator terminum quò tendat; ita etiam nihil magis neceſſarium eſt in viâ & vitâ mortalitatis noſtræ, quàm finem creationis, nauigationis (vt ita loquar) atque huius peregrinationis noſtræ diligẽtiſſimè cõſiderare; vt hoc pacto cætera omnia, quę in vitâ agẽda ſunt, eò dirigãtur. Aliàs enim aut ſæpè recedimus à viâ & termino, aut ſaltẽ per

Finis conſideratio neceſſaria.

Sap.5. ambages imus, viaſq; ambulamus difficiles & laborioſas. Deus bone, quantus hic error in omni hominum vitâ! quotus enim quiſque, dum primùm ratione vti incipit *D.Thom. 1.2.q.89. art.6.* (quod oportere hominem facere S. Thomas ait) tendere ab exilio ad patriam, cogitationeſque, ſtudia, verba & actiones eò dirigere ſatagit? Ferè quiuis fines vaniſſimos *Fines varij.* honorum voluptatumque ſibi præſtituit, curſumque, eheu! miſeri quô dirigant, aut dirigere debeant, ignorânt: cumque vocati ſint ad magnos honores in cæleſti Hieroſolyma die ſtatuto capeſſendos, errabundi, & ludibundi, longè à Ieruſalem in Iericho proficiſcuntur. Nulla certè res magis luctuoſa, nulla magis digna lachrymis, tanto fine creatum hominem adeò ſui & Dei immemorem viuere, vt de fine minima cura ſit ac ſollicitudo. *Finis noſter Deus & cælum.* Ne ergo communi vulgi errore abripiaris, rogo te quicumque hæc legis, in finem tuum conſideres, vt oculis priùs in terram, vnde ortum habes; deinde in cælum, cuius regnum vt aliquando poſſideres, à Deo factus es & creatus, attollas, lacrymoſos, inquam, ad Deum oculos peregrinus & aduena, in terrâ deſertâ, loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis.

Quod in Meditatione omni Dei præſentia attendenda. Ante omnia memento in omni Meditatione, Oratione, & conſideratione Deum tibi eſſe præſentiſſimum; cui proinde caue velut abſenti loqui irreuerenter, & indeuotè; ideoque orationem præparatoriam præmittere non erit abs re, vt operationes tuæ ſincerè ad Dei gloriam dirigantur, & gratiam ad bene meditandum Dominus largiri dignetur: quæ oratio ſit vel mentalis, vel vocalis. v.g. *Veni creator Spiritus*; vel, *Miſerere*, aut aliqua alia, quâ te excitari ſentias.

ORA-

ORATIO PRÆPARATORIA,

cuiuis Orationi longiori, vel Meditationi communis.

POTENTISSIME *Deus, coram quo omnia ſunt quaſi non ſint, dirigatur vel nunc ſaltem quæſo hæc exulis, & prodigi filij tui oratio, & omnis operatio ſicut incenſum in conſpectu tuo ad gloriam magni nominis tui. Tu enim cælum & terram creaſti pro me, & conſeruas longanimiter, aliàs interitura; vt tandem aliquando ô Conditor meus, & omne bonum, cognoſcam, & diligam Te. Et quî fieri poteſt, vt Te diligentem me ab æterno non amem? Nonne Tu Pater amantiſsime, innumeris beneficijs me filium prodigum affeciſti: & ego te, eheu! iniurijs? Tu mihi te filiumque tuum dediſti, vt me redimeret in ſanguine ſuo. O Rex regum, & Domine dominantium, qui vbique es, & contemplaris in omni loco bonos & malos, & ſcrutaris cor & renes; ecce fide viuâ & fiduciâ magnâ (dixiſti enim: Quidquid petieritis, fiet vobis) accedo ad thronum gloriæ tuæ, vt reus ad iudicem, filius pauper & prodigus ad patrem, & quâ poſſum charitate ad te quem diligit anima mea: vt vni tibi placeam, & vitam ſeriò corrigam, maximè defectum illum * N. vt offeram tibi ſacrificium laudis ex toto corde meo, & cum omni deſiderio omnis creaturæ, quæ fuit, eſt, eritque, & eſſe poteſt, etiamſi infiniti mundi potentiâ tuâ crearentur: idque in vnione amoris & meritorum Chriſti* IESV, *& B. Virginis & Sanctorum omnium. O Sanctiſsima Trinitas, deſidero te laudare pro omnibus qui te ignorant & blaſphemant vel in terris, vel in inferno. Benedico te igitur cum Sanctis tuis, & gratias ago pro omnibus donis humanitati Chriſti* IESV, *B. Virgini, ac Sanctis omnibus, & mihi conceſsis: & præcipuè pro amore tuo erga me ſeruum tuum. Reſtituo etiam me tibi vt fonti omnium, totumque trado, vt de me diſponas in tempore, & in æternitate: animam & potentias eius tibi dico, ô Sanctiſsima Trinitas, vt te ijs cum curiâ tuâ, & omni creaturâ tuâ ex toto corde laudem.*

Præſentia Dei.

Actus ſpei.

Emendatio vitæ.

* ſcilicet quem examine particulari perſequeris.

Vnio

Laus Dei.

Gratiarũ actio.

Da quæſo, gratiam, vt humiliter, attentè, & feruenter id faciam, tot beneficijs obſtrictus tibi Deo meo. Sine te enim quid ſum? quid poſſum? aut quid cupiam extrà te? Nihil mihi eſt in cælo, & à te nihil volui ſuper terram: ſed in te ſum, viuo, & morior. Atque vtinam! vtinam nunquam vel momento recedam à te, ne elongeris à me!

Hæc vel ſimilis mente attentâ recitari poteſt, quæ *Oratio præparatoria* in decurſu ſemper vocabitur. Aliam habes ſimilem infrà cap. 9. de Oratione.

Imaginatio loci vtilis.

NOTA 2. Vt animus auocetur ab alijs rebus, quoties orandum, aut meditandum, perutile eſſe fingere, ac imaginari locum orationi accommodum, ſiue in cælo, ſiue in terrâ. v.g. deſertum aliquod, aut religioſum locum. Rem quoque meditandam, ſi corporea, finge coram te geri: ſi autem ſpiritualis, humano aliquo modo repræſentari. Hoc *Primum præludium*, vel, *compoſitionem loci* vocabimus.

NOTA 3. rogandum Deum, vt concedat id quod præſenti Oratione ac meditatione proponitur ac intenditur: idque *Præludium ſecundùm* dicetur.

Poſt hæc ingredere in conſpectum Domini, & quieto animo ac corpore ſic ſingula conſidera; quemadmodum facit auarus; qui omnia ad ſuam vtilitatem, quoad poteſt, trahit aut rapit.

Cùm verò minus exercitatis hic labor meus deſudet; en tibi ſubſidia inter legendum, ſeu meditandum, vti confido in Domino, non prorſus inutilia. His ſic vtere. Poſtquam legeris, aut conſideraueris punctum aliquod meditationis, animum oculoſque attolle ad Deum, ac Dominum noſtrum præſentiſſimum, & pijs affectibus inſiſte; fidemque velut intermortuam ſuſcita. Id verò poteris, primò Orationem, quæ meditationem ſequitur, legendo poſt lectionem alicuius puncti, eamque vel totam aut per partes repetendo, (nam idcirco omnes diuiſæ ſunt, ne cui longiores ſint aut videantur niſi volenti)

lenti) aut aliquam harum orationum ſenſim & attentè voluendo, & appendendo verba ſingula: vel Iaculatorias iterando, quarum aliquas, accommodatas viæ triplici ſeu ſtatui Incipientium, Proficientium, & Perfectorum, hîc habes. Poſſunt enim illæ in omni meditatione vſui eſſe. Poſt lectionem, ſeu meditationem tibi eſſe poterit vſui hæc quæ infrà ſubiungetur Oratio.

Exercitium fidei & virtutum aliarum in Oratione.

HÆCCINE *vera ſunt? Hæccine viuâ fide credo? & quaſi crederem, ſic viuo, cogito, loquor, & operor coram te? & in te ſpero, ô Spes vnica, & te amo, ô infinita bonitas, hîc mihi præſentiſſima? Credo, Domine, adiuua incredulitatem meam, ſpero in te ſolo, & ſcio, non confundar & te ſolum quæro. Extra te enim vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et ſicut amore tui ſuper omnia doleo, quòd offenderim te, ita toto corde amo te ſuper omnia. Et an aliquid N. vltrà me ſeparare poterit à te? ô* JESV, *ô vita, ô amabiliſſima charitas! ô omne bonum* Deus meus, Deus *cordis mei & omnia!*

Actus fidei. Spei. Amoris. Actus Contritionis. Abnegatio ſui.

Aliud Exercitium in Oratione.

CREDO *tibi, ô æterna veritas, quæ mihi iudicia tua aperire dignata es; credo, ô Maieſtas infinita, te hîc, & in corde meo, & vbique eſſe per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: in te ergo ego & omnia, vt in mari ſpongia, & tu in omnibus & nobis es omnia, & circa nos omnia, velut lumen, aër, nebula, ignis, & in me omnia, & in omnibus operaris propter me, & in corde meo velut throno & templo tuo requieſcis; quare in te ſolo cõfido, & ſpero deſiderata obtinere* N. *quia toties, ô veritas, dare per filium tuũ poſtulata promiſiſti, ideoq́; & omnia tibi cõmitto, ac diligo te ex toto corde meo, &*

Actus fidei. Præſentia Dei. Reſignatio. Actus charitatis.

omnes propter te, & deſidero pro innumeris beneficijs N. &
Oblatio ſui. *vitæ myſterijs N. & peccatis meis quæ deteſtor, & quia dignißimus es, offerre tibi omni affectu poßibili hoc Sacrificium cordis mei & bonæ voluntatis N. vltimum fortè coram curiâ tuâ, & cum eâ, & pro omni creaturâ tuâ. Da mihi, benignißime* IESV*, à te vocato adhoc gratiam, & ſuſcipe in vnione omnium meritorum tuorum me, & omnia mea, & hoc propoſitum meum N. Amen.*

Aſpirationes ſecundùm tres vias, quibus inter legendum vel meditandum anima excitari poteſt.

Secundùm viam purgatiuam.

HÆCCINE *firmâ fide credo, & hoc à me poſtulat bonitas tuâ? certè ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, Deus*
Pſal. 37. *viuifica me, & deduc in ſemitam mandatorum tuorum.*

O Pater amantißime, peccaui in cælum, & coram te, iam
Lucæ 15. *non ſum dignus vocari filius tuus, ſed fac me, benignißime*
Pſal. 118. IESV, *ſicut vnum ex mercenarijs tuis. Et quæ merces mea? tu es, bone* IESV, *& verè magna nimis.*

Pſal. 5. *Ampliùs laua me, bone* IESV, *ab hac N. iniquitate meâ, & à peccato meo munda me, qui ſic dilexiſti me, & lauiſti me in ſanguine tuo.*

Iſaiæ 55. *Sana me, Domine, & ſanabor, ſaluum me fac, ô* IESV, *& ſaluus ero, & dũ inueniri potes, quæram te in toto corde meo.*

Pſal. 29. *Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptio-*
Pſal. 70. *nem? igitur ne elongeris à me, Deus meus, in auxilium meum reſpice.*

Pſal. 26. *Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus.*

Secundùm viam illuminatiuam.

Pſal. 118. *O via vitæ, ô lux mea, quis mihi tribuat vt ambulem dum te habeo, & ſic N. curram in viam mandatorum tuorum? vt comprehendam te ſicut comprehenſus ſum.*

O omne bonum, quando ſatiabis me *gratiâ & charitate tuâ,*

tuâ, & cognoſcam quòd tu ſis mihi omnia, quodque extra te ſumus & vmbra & vanitas, & nihil ſint omnia?

O ſapientia æterna, quando credam tibi ſic loquenti ad me, Matth. 8.
vt ſequar te quocumque ieris, *lux mea, & illuminatio* Pſal. 26.
mea, & ſalus mea?

O Domine, qui nihil ſum, & nihilo peius, quid mihi eſt in Pſal. 72.
cælo, & à te quid volui ſuper terram? tu enim pars hæreditatis Pſal. 15.
meæ, & calicis mei, vtinam reſtituas hæreditatem meam mihi.

Magiſter bone, doce me facere voluntatem tuam, quia Pſal. 142.
Deus meus es tu, & in manibus tuis ſortes meæ, *mors &* Pſal. 30.
vita mea ſempiterna.

Secundùm viam vnitiuam.

O Charitas Deus meus, quis mihi tribuat, vt amem te vnum, & nihil extra te?

O Spes mea, & requies mea, quando ſuſtolles me ſuper Iſai. 58.
altitudinem terræ, *& requieſcet cor meum in te? & guſtabo* Pſal. 33.
& videbo quàm ſuauis ſis diligentibus te?

O dulcis hoſpes animæ, ô theſaure abſcondite, *quando te* Matth. 13
ſuſcipiam? quando te inueniam?

O Iesv, ſi deliciæ tuæ ſint eſſe cum *filijs hominum, ob-* Prov. 8.
ſecro te, ſint etiam tua eſſe mecum. Paratum enim cor meum, Pſal. 56.
paratum cor meum; tu ſcis.

Patribus meis conglutinatus es, Domine; fac, obſecro, me Deut. 10.
vnum tecum, ſicut tu & Pater vnum eſtis; & ſufficit mihi.

Oratio poſt orationem longiorem.

Domine *Deus meus, qui cuſtodis pactum & miſericor-*
diã ſeruis tuis: gratias tibi ago; quia dignatus es audire Gratiarũ
deprecationem meam: exaudi, quæſo, eam propter gloriam actio.
nominis tui, & da mihi gratiam (ſine quâ nihil poſſumus) vt Diffidentia ſui.
voluntatem tuam, quã cognoui, & defectus meos N. de quibus Contri-
vehementer doleo, emendare, ac pia deſideria iſta N. perficere tio.
poſsim, vt magnificetur nomen tuum vſque in ſempiternum. Propoſi-
Suſcipe illa, obſecro, & opera mea in vnione meritorum filij torum
tui, & omnium Sanctorum tuorum: diſpone de me viliſsimâ iteratio.
creaturâ tuâ ſecundùm beneplacitum tuum. Reſigno me, & Oblatio ſui.

proijcio totum in te, omniaque accepto, à paternâ manu tuâ, ac toto corde te diligere, & tibi ſeruire deſidero, Amen.

Nota, quoties N. ponitur, indicari, ſecundùm ſubiectam materiam opportunum ibi eſſe, aut beneficia Dei aut vitæ Chriſti myſteria, aut defectus tuos, aut pia deſideria, aut illa quibus indebitè adhæres, conſiderare.

Oratio pro executione bonorum deſideriorum.

Conſideratio exempli Chriſti Quàm facile Deum ſequi. 1. Ioan. 5. Gratiâ Deî vtendum. Pſal. 64. Scire & non facere inutile eſt. Philip. 2.

DIGNATVS *es, amantiſsime Magiſter* CHRISTE JESV, *in ſudore vultus tui, exemplo & ſanguine tuo ſignare doctrinam iſtam N. ſis benedictus in æternum. Dignatus es has Praxes faciles* (mandata enim tua grauia non ſunt) *mihi proponere, vt ſequar tua tuorumque veſtigia. Itaque cùm poſsim per te, propter te volo vt placeam tibi dolens de omnibus peccatis meis. Sis benedictus in æternum.* Viſitaſti terram, & inebriaſti eam imbre & rore *gratiæ tuæ, da obſecro incrementum ſemini ſancto tuo, vt ſis à me benedictus toto affectu in æternum. Si enim hæc, ſciente me, gratia tua in me vacua ſit, quid erit, quod moriens, quod in iudicio, tibi & charitati, & immenſæ bonitati tuæ vel ad tot exempla reſpondeam? Da igitur* velle & perficere, *& amare te, amantiſsime* JESV, *& viuere tibi ô vita noſtra in æternum, in æternum. Amen, Amen.*

De his opportuniore loco infrà agemus fuſiùs, cùm de præparatione ad Orationem, & fine illius; & rurſus, cùm de Meditatione. nunc obiter dixiſſe ſufficiat.

MEDITATIO.

De fine ob quem homo creatus eſt.

ORATIO PRAEPARATORIA, vt ſuprà.

PRAELVDIVM I. ſeu COMPOSITIO LOCI: Conſtitue te coram Deo, & finge velut in deſerto vaſtiſſimo ſedere, ac ſpectare omnes homines ab orbe condito ex ſinu magnæ matris in vitæ huius proſcenium prodire, & tranſire per portam mortis, quaſi poſt ſiparium, in diuerſiſſima regna, infeliciſſimam aut feliciſſi-

ciſſimam æternitatem, vti in libri fronte videre licet. Aſpice Deum ac Sanctos te hortantes, vt aliorum periculo cautior ſis,

PRAELVDIVM II. Suppliciter roga Deum, vt dignetur tibi viam oſtendere, quâ ambules, & concedere, vt tot miſerorum infelici ſpectato exitu, feliciorem vitam & terminum poſſis ſortiri.

PVNCTVM I. Conſidera Primò nihili abyſſum, priuſquam mundus creatus eſſet: vbi & quid tunc fuerit rerum hæc machina, Reges, ac Principes, homines omnes, & quæcumque mundi ambitu continentur, vbi pleraque, vbi tu poſt breue tempus futurus ſis in omnem æternitatem: & ſubſiſte. Præterit enim figura huius mundi, & tranſeunt omnia tamquam vmbra. Diligenter igitur aduerte vanitatem omnium rerum, vt in illâ nihili abyſſo manifeſtè vides; nihilque te cæteraque omnia fuiſſe, potuiſſe, aut ſciuiſſe, omniaque accepiſſe à conditore tuo; & humilia te ſub potenti manu eius, neque vmquam niſi in eo glorieris. Quis enim te diſcernit? quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti; quid gloriaris, quaſi non acceperis?

Hominis ortus & finis. *1. Cor. 7.* *Mundi vanitas.* *1. Pet. 5.* *1. Cor. 4.*

Hic ſi libet vtere Oratione infrà poſitâ pag. 15. quæ incipit: Omnipotens ſempiterne; *vel parte eius, vel vnâ duarum ſuprà poſitarum, vel Iaculatorijs ibidem poſitis.*

Hoc autem ſæpè tibi indicari videbis, & ad eas te remitti, quando initium earum puncto alicui ſubijcietur.

Prima incipit: Hæccine vera ſunt, *&c. Altera:* Credo tibi: *&c. pag. 7.*

Conſidera Secundò, te ipſum ex illo chao ſeu nihilo velut recèns diuinâ manu prodijſſe, & ab eâ ſtatutum in ampliſſimo mundi theatro, & quaſi vaſtiſſimo deſerto: & vide qualem formauerit Deus de limo terræ, vt inſpirauerit ſpiritum vitæ, atque ad imaginem ſuam formauerit, cùm animam dederit intellectualem, ſpiritualem, vbique totam, omnia mouentem, immortalem, vnam, & tribus potentijs ornatam: corpus verò ſenſibus & numeris omnibus abſolutum. Et mox agnoſce,

Omnia à Deo accepimus. *Anima præſtantia.*

Bernard. ſerm.2.de Nat. Domini.

ſce, ô homo, dignitatem tuam, agnoſce dignitatem conditionis humanæ. Eſt tibi cum mundo corpus: ſic enim decet eum, qui conſtitutus eſt ſuper vniuerſam huius creaturæ corpoream molem, aliquâ ei ſimilari ex parte: ſed etiam eſt tibi ſublimius aliquid, nec omnino comparandus es cæteris creaturis. *Hæccine vera*, &c. *f*. 7.

Finis creationis.

Tertiò conſidera Deum tibi præſentem vti Adamo recèns creato, & ſuppliciter pete, quorſum te creauerit: & audi dicentem, quòd omnia fecerit propter ſemetipſum & gloriam ſuam, & vt eum in hâc vitâ laudares, eique ſeruires, ſicut facit omnis creatura, ac tandem perpetuam in cælo felicitatem obtineres: & tu creatura, plaſma, figmentum, ſeruus ac filius eius deſpicere eum, & in contumeliam eius viuere audebis? Aſpice monſtrantem tibi cælum, cui ciuis, ſi voles, adſcriptus es; deſpice ante te inferni barathrum, in quo, ſi ſecùs feceris, perpetuò cruciandus ſis. Et vide, precor, anima Chriſtiana, quanta tibi impoſita ſit rectè viuendi neceſſitas inter æterna ſupplicia & præmia conſtitutæ. *Credo tibi, ô æterna veritas, &c.* vt ſuprà pag. 7.

Studioſè ad finem tendere oportet.

PVNCTVM II. Finge Primò te in illo vaſtiſſimo mundi deſerto verſari, & vide quàm alta ſit patria, quàm arduus aſcenſus; & meritò ſuſpira, ac cogita, quam viam tenere debeas, cùm agatur de omni æternitate. O quantâ ſolicitudine, curâ ac vigiliâ perpetuâ ad hoc incumbere debes! moueant te creata omnia, quæ ad finem ſuum magno impetu tendunt. Ecce, quomodo ad locum naturalem elementa properent; quomodo ad ſua oblectamenta & finem ſuum animalia ferantur.. Attendite filios ſæculi omnes cogitationes potentiaſque animæ convertere, vt vanum ſibi finem honoris aut voluptatis conſequantur. Age verò, quoties tu de fine tuo cogitas? de viâ ac ſemitâ ad eũ? Aſpira vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ*, &c.

Nobilitas finis.

Conſidera Secundò, quàm ſit nobilis finis tuus, ſeruire Deo; quam vtile tibi adhærere illi, & vnum ſpiritum eſſe cum eo, & æternâ frui felicitate: nihil

hil certè præter hoc vnum tibi vtile; ſed vnicum & ſolum bonum hîc tuum eſt, tendere ad illum finem creationis tuæ; eoque beatior es, quò propinquiùs accedis. Ea enim conditio eſt finis cuiuſque rei, vt eiuſdem ſit perfectio & beatitudo. Abſit igitur, vt aliud bonum quæras: bonum tuum quære, ô anima. eſt enim bonum aliud alteri; quære bonum tuum: nemo bonus niſi ſummus Deus; quid ergo tibi deeſt, cui ſummum bonum eſt? Sunt & inferiora bona, quæ alijs & alijs bona ſunt. Pecori quid bonum eſt, niſi implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, geſtire, viuere, ſanum eſſe, generare? tale tu bonum quæris? cohæres CHRISTI quid gaudes, quia ſocius es pecorum? erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium. *Omnipotens*, &c. vt infrà pag. 15. vel *Credo*, vt ſuprà pag. 7.

Beatitudo hominis eſt finem attingere. Aug. in Pſal. 102.

Conſidera Tertiò, quæ præſidia tibi ad viam data à Deo ſint, nempe creaturæ omnes, quas immenſâ liberalitate creator tuus & ad vſum & oblectationẽ plurimas dedit. Quot, Deus bone! artes ac ſcientias? quàm præclara Sacramenta ſubſidiaque ſpiritualia (quæ verè & propriè media ſunt) eaque plurima etiam largitus eſt? ſuntque hæc omnia velut viæ & auxilia ad viam longiſſimæ & feliciſſimæ æternitatis. Quocirca gratias age immenſas tam munifico largitori.

Media ad finem.

Attende verò, niſi inſipientiſſimus ſis, his omnibus non aliter vtendum, neque amanda ea, aut quærenda, niſi in quantum tibi auxilio eſſe poſſunt ad finem, id eſt, omne bonum tuum conſequendum, optimaque tibi media eligenda eſſe, id eſt viam tutiſſimam. Túne enim, ſi in patriam eundum eſt, deteriorem viam eligas? ſi ſanitas curanda, periculoſiorem adhibeas medicinam? ſi nauigandum, magis carioſum & quaſſatum quàm firmum eligas nauigium? Veſtem, equum, currum, domum, optima eligis; & viam vnde pendet æternitas (proh dementiam!) eliges periculoſiorem? Ah vtinam homines ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent!

Quomodo vtendum medijs.

Optima via eligenda, id eſt media.

Deut. 32.

derent !

derent! Conſidera hîc quas inclinationes erga honores, opes, & voluptates, &c. ſentias; & vide ne affectu in diſcrimen æternæ vitæ & viæ rapiare. *Haccine vera ſunt*, vt ſuprà f.7.

Affectus oportet moderari.

PVNCTVM III. Conſidera coram Deo te ignarum eſſe viæ quà ad ſalutem peruenire poſſis. vnde Jeremias Domino aiebat: *Scio Domine; quia non eſt hominis via eius: nec viri eſt vt ambulet, & dirigat greſſus ſuos.* Et Sapiens: *A Domino diriguntur greſſus viri:* quis autem hominum intelligere poteſt viam ſuam? Et quot eheu! ſunt viæ, quæ videntur homini rectæ, quarum tamen nouiſſima ducant ad mortem? Vide quàm incertæ ſint omnes humanæ prouidentiæ. O quoties ſtatus, aut occupatio eligitur, proſperoque, vt ita dicam, ſoluitur vento, & in ſyrtes miſeriarum, atque charybdes æternæ ſalutis, tempeſtate coortâ ferimur, quia viam rectam non delegimus! Cogita igitur, quotieſcumque munus, aut vitæ ſtatus, aut negotium ſuſcipiendum eſt, quaſi propoſitas tibi ægro plurimas medicinas, variaque pocula, quorum vnum atque alterum letale ſit, hoc caſu tunc temerè eligeres? Tibi ſortes oblatas, atque in ijs non vnam mortis eſſe ſempiternæ. Iſtáſne tu iacere temerarius auderes? Finge denique te ſtare velut in multiuio periculoſo admodùm, & in vaſtâ ſolitudine. Quid tum ageres miſer in tenebris poſitus, & viarum ignarus? Túne ſciens deteriorem eligeres? Quid dico? An vllam eligere auderes, & ducem præſentem reſpueres? An in vnam partem omnium ignarus propendere poſſes? Túne cæcus viam eligeres? Nónne potiùs diligentiſſimè ducem quæreres, & ſuppliciter illius arbitrio duci te flagitares? Igitur in his omnibns indifferens eſto, id eſt, neque ad vnam, neque ad alteram partem inclinatus, ſed ſuppliciter roga Deum, vt vias tuas dirigat, & dic cum Propheta Dauid: *Legem pone mihi Domine in viâ tuâ, & dirige me in ſemitam rectam propter inimicos meos.*

Hier. 10. Indifferentia neceſſaria.

Incertæ viæ noſtræ. Prov. 16.

Simile.

Deus rogandus vt viam monſtret.

Pſal. 26.

EXER-

EXERCITIVM.

OMNIPOTENS *ſempiterne* Deus*, qui vniuerſa hæc creaſti de nihilo potenti manu tuâ, & me formaſti ad imaginem & ſimilitudinem tuam; concede, obſecro, vt numquam obliuiſcar tui. Adhæreat potiùs lingua mea faucibus meis, & obliuioni detur dextera mea, quàm ego à te factus, & ob hoc ſolùm, vt laudẽ & amem te, aliquando obliuiſcar tui, & ſic eleuetur cor meum, vt obliuiſcar originis meæ. O ſpes mea vnica* Deus meus*, ne ſinas obſecro vt veniat mihi pes ſuperbiæ, vbi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem.* Finis creationis.

Et verò quomodo eleuari cor hominis poterit, qui de nihilo eſt, & in nihilum quolibet momento rediturus; niſi tu ſupponeres manum tuam? Niſi elementa cæteraque ad vitam neceſſaria conſeruares infinitâ bonitate ac beneficentiâ tuâ? Quid autem retribuam tibi Deus meus *pro his omnibus quæ retribuiſti mihi? Ab æterno enim, & ante mundi conſtitutionem dilexiſti me: Vbi tunc eram qui nihil eram? in te eram, & non eram: quod enim factum eſt, in te vita erat, & ego eram tibi cognitus, mihi verò ignotus, quia aliquando futurus eram benignitate tuâ. Et vbi ero,* Deus meus*, poſt dies paucos & malos peregrinationis meæ, quando qui iam ſum nõ ero, qui verè ſum temporis ſpolium, & vapor, & fumus? Ero ero in æternitate, ſed in quâ? ſpero equidem in miſericordiâ tuâ quòd deducet me in terram viuentium dextera tua, quodq́ in multiuio vitæ huius eris mihi via, & in morte mihi optatiſſima vita.* Pſal. 55. Actus humilitatis. Gratiarũ actio. Pſal. 115. Pſal. 38. Vbi quæſo homo breui futurus es?

Tantùm hoc vnum à me poſtulat bonitas tua, vt finem meum gloriam tuam & ſalutem meam ſemper ob oculos habeam: niſi enim hoc fecero, æterna ſupplicia mihi comminatus es; & ſi fecero, præmia quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, promittere dignatus. Eia, creator mi, operi manuum tuarum porrige dexteram, vt perpetuò cogitem de te, & loquar de te, ô vnicum bonum meum: & ſic operer vt veniam ad te deſiderium collium æternorum. Vias tuas rectas, & abſque vllâ iniquitate demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me; vt numquam declinem à mandatis tuis, quæ dilexi ſuper aurum, & topazion. Proponitur tibi mors & vita, vtrũ eligis? 1. Cor. 2. Iob. 14. Pſal. 24. Pſal. 118.

Propoſitum Deo ſeruiendi. *Ecce coram te, & curiâ tuâ ambulare per gratiam tuam propono, & in viâ immaculatâ vt tibi ſeruiam omnibus diebus vitæ meæ. Ex nunc ſiue comedã, ſiue bibam, ſiue quid aliud*
Intentio pura. *agam, omnia ad gloriam tuam Domine* IESV CHRISTE
1. Cor. 10. *faciam, tuamque vnius ſpectabo voluntatẽ, qui vllâ in re quid*
Prov. 16. *eligam ignoro. Ecce enim via non rarò videtur homini recta, & nouiſſima, eheu! ducunt ad mortem, mortem ſempiternam. Neſcit omnino homo finem ſuum, neſcit viam, introitum, & exitum ſuum. Ideò rogo te, Domine, intimo cordis affectu, vt dirigere me digneris in viam bonam, quâ ſcis me peruenturũ*
Reſignatio. *ad finem optatum, & portum peregrinationis huius. Fac ſemper de me ſanctiſsimum beneplacitum tuum; Tibi enim Domine mi, & Deus meus, reuelaui cauſam meam, me millies tibi conſecraui, & iterum, iterumque me totum in æternum conſecro, & deuoueo. Vtinam toties, & eo affectu poſſem, quo debeo, & deſidero; maximè dum video quòd teipſum dederis mihi, & in mortem precioſam animam tuam, & in cibum*
Præparatio ad Communionem. *etiam hodie corpus & ſanguinem tuum. Ecce hodie paratus es facere voluntatem noſtram, & omni momento deſcendere in manus ſacerdotis; & me pigebit parêre tibi? imò potiùs viuam tibi, & cibus meus erit facere omnes voluntates tuas, & diligere te ex toto corde meo. Amen.*

Praxis de fine ſibi præſtituendo.

POST meditationem hanc ſtatue Primò tendere ad finem creationis tuæ, & coram Deo ſæpè hoc propoſitum renoua; & ex te percunctare, Ad quid creatus ſum? Quid intendo his ſtudijs, cogitationibus, occupationibus meis? Quò pergo? Illuc enim tendis, ad quod tua fertur in-
Intentio recta. tentio. Imò talis es qualis illa; ſi diuina, diuinus; ſi profana, profanus; ſi perfecta, perfectus.

Secundò cogitã, quæ viæ ad illũ ducant, & decerne tibi
Qui paſſus in viâ vitæ. commodam ac vtilem ad eumdem conſequẽdum. Paſſus in hiſce vijs ſunt cogitationes, verba, & actus noſtri. Quare, vt viator, ſępè interroga teipsũ & alios, ne à rectâ viâ deuies, magniſque ambagibus & dolore in eam redeundũ tibi ſit.

Error mortalium. Tertia praxis eſſe poteſt, cùm vbique ob oculos incurrant, videre obliqua hominum ſtudia, & intentiones, & errores: cùm omnes propè quæ ſua ſunt, quærant, & non quæ IESV CHRISTI.

Quarta

Quarta praxis,& optima eſt, ſtatim in viã redire,ſi peccato aliquo deuiaueris,contritionẽ eliciendo: ad quod habes deliberationem infrà poſitam de maturâ conuerſione. Conuerſionem autem in eo poſitam eſſe ſcias, vt verè primò quis conteratur, ſecundò confiteatur, tertiò vitam in melius iuſtituat: quæ tria quomodò facienda ſint,in proximè ſequentibus capitibus explicabitur. *Pœnitentia reducit in viam.*

Quinta eſt ex conſpectu omnium creaturarum aſſurgere in gratitudinem,cùm propter te omnes ſint creatæ. *Eleuatio mentis è creatis.*

Sexta. Aliquando in ambulando, aut in ſolitudine cogitare animæ immortalitatem, & quid poſt hanc vitam, & vbi actura ſit. *Animæ dignitatem attende.*

Septima. Ex corporum omnium corruptione,quæ vbiq; in oculos incurrit,& multorum præſtantia animæ nobilitatẽ agnoſcere, & eius ſpiritualitatem. Quemadmodũ enim res iſtæ ſenſibiles ſunt,& materiales; ita ſunt aliæ inſenſibiles,& ſpirituales, quæ illis magno interuallo dignitate, potentiâ,&c.præſtant: vt in Angelis,& dæmonibus patet.

Octaua praxis eſt,manè actiones in Deum dirigere;deinde aliquoties per diem aut ſaltem veſperi progreſſum ad finem examinare:non enim progredi,regredi eſt. *Manè vitã ordina.*

Nona. Et quia neſcit homo viam ſuam,vtile etiã ab alijs explorare quid de viâ & vitâ tuâ ſentiant. *Monitorẽ quære.*

Oratio pro executione, quæ incipit *Dignatus es*, &c. pag.10.

IACVLATORIÆ.

ad affectum excitatum in Meditatione per diem fouendum.

Educ me Domine in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Pſal. 118.

Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Pſal 24.

Legem pone mihi, Domine, viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. Pſal. 118.

Greſſus meos dirige ſecundùm eloquiũ tuum, & non dominetur mei omnis iniuſtitia. Pſal. 118.

Notam fac mihi viam in quâ ambulem, quia ad te leuaui animam meam. Pſal. 141.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Pſal. 16.

Vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in viâ æternâ. Pſal. 138.

CAPVT II.

Deliberatio de primo ac præcipuo ad finem medio, Fide.

HOMO. O Sol iuſtitiæ, tune in tenebris luces mihi lux vera? Tune ſplendes mihi, & imples intima cordis mei? Equidem te video, & gratias tibi ex intimo corde ago, quia dediſti mihi in luce fidei veræ ambulare. ſed, eheu! vereor ne tenebræ me comprehendant. Quot, Deus bone, fallaciæ! quot deuia! Millenæ hæreſes quot non tenebras offundunt mortalitati noſtræ! O lux vera illuminans omnem hominem quomodò euadere hactenus potui? Quomodò mei non penè moti ſunt pedes? Porrige Pater miſericordiarum filio tuo paruulo dexteram, vt in luce fidei Catholicæ viuam, & in te moriar, & propter te; finem enim vitæ oſtendiſti mihi.

Fides lux eſt.

CHRISTVS. Ecce finem tuum iam cognoſcis, proſpicis portuum: quid ſupereſt, niſi vt quæras ad eum mediũ & viam? nulla autem verè magis neceſſaria, quàm fides. Sine fide enim (ait meus Apoſtolus) impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Imò, fides æquè eſt neceſſaria, ac ei, qui in hoc mundo viuit, ad viuendum reſpiratio. Vides, quo ſtudio orthodoxiæ adhærere, & in eâ ſe confirmare oporteat; eandem verò quærere, ſi fortè quis errauerit, quàm ſit omninò neceſſarium? *Credo tibi*, &c pag. 7.

Heb. 11.

Clemens Lib. 2. Strom.

HOMO. Domine, deduc me in iuſtitiâ tuâ: propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam: non enim eſt alius, qui dirigere poſſit greſſus noſtros in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia noſtra, in tot hæreſum & ſectarum numero. Equidem quis non hæreat aut erret, velut in multiuio, nocte horridâ, viæque ignarus viator? quis non moueret penè pedes ſuos, niſi tu,

Pſalm. 5.

Vna eſt fides hæreſes plurimæ.

ſi tu; lux vera illuminans omnem hominem, illuceſce- *Ioan.1.*
res in cordibus noſtris? non enim eſt volentis, aut cur- *Rom.9.*
rentis, ſed tui, Deus, miſerentis: neque enim caro, aut *Matth.16*
ſanguis reuelare poſſunt viam tuam, ſed tu ſolus, qui *1.Tim. 6.*
habitas lucem inacceſſibilem; à quo velut patre lumi- *Fides donum Dei.*
num, omne datum optimum, & omne donum perfe- *Iac.1.*
ctum deſcendit: quique omnes ad agnitionem verita-
tis vis venire; ideò non reliquiſti nos ſine teſtimonio,
ſed viam certam, & legem, veluti faciem, in mundo hoc
lucere voluiſti, quâ omnes, ſicut filij Iſraël per deſer-
tum, ſi quidem vellent, deduci poſſent in terram ſan-
ctam, & terram viuentium. Alienum eſſet à bonitate *Deus viam oſtendit. & Eccleſia.*
tuâ, & crudele, ſi ad viam ignotam vocares, neque quam
ſequeremur, oſtenderes. Clamat id ratio, & ſanguis
tuus pro nobis effuſus: dictat enim ratio veritatem eſſe
vnam, vt tu, Deus meus, vnus es, & Chriſtus vnus, vna
Eccleſia, velut arca, extra quam non ſit ſalus. eheu! quàm
triſte videre diluuium errorum, quo mergitur totus fe-
rè orbis terrarum; quo ſcinditur veſtis tua inconſuti-
lis, & inane redditur pretium ſacratiſſimum mortis tuæ,
Domine IESV!

CHRISTVS. Reſpice, & vide quanta fecerim animæ
tuæ, qui te inter tot errantes feci veritatem intueri, &
viam bonam. *Benedictus es*, vt infrà pag. 24.

HOMO. Quid retribuam tibi pro hâc dignatione tuâ? *Gratiæ pro Fide.*
numquam certè condignas agere gratias potero, voca- *1.Pet.2.*
tus in admirabile lumen tuum.

CHRISTVS. Ego equidem neminem perire volo, &
oſtendo omnibus viam bonam, & Eccleſiam, velut Pha- *Eccleſia vt*
rum in naufrago mari, velut columnam & firmamentum *Pharus.*
veritatis.

HOMO. Vnde igitur, Domine IESV, tot diſſenſiones,
ſectæ, ſchiſmata, & hæreſum periculoſæ charybdes vltrò
quæruntur?

CHRISTVS. Fili, nónne & lex mea perſpicua ac
lumine naturali nota eſt? nónne jugum meum ſuaue?

Vnde hereſis nata. attamen multi malitiâ ſuâ ita excæcantur, vt ratio naturalis planè obfuſcetur, & mandata mea grauia & importabilia exiſtiment, arguant ſapientiam & bonitatem meam, quaſi ego damnationis eorum cupidus iuberem, quæ ſeruari non poſſunt: perinde, ac volare ſine alis, ſine pedibus ſtare. Scrutari omnia volunt, neque quidquam credere ſe, priuſquam intelligant, profitentur. *Stultè hæreticus renuit credere.* Quaſi verò Trinitatis myſterium capiat quiſquam, aut vlla naturæ arcana perfectè comprehendere poſſit. Sic & ridiculè credere ſe Scripturæ ab Eccleſiâ traditæ profitentur, ſenſum verò illius reſpuunt ab eâ intelligere: atque ita, quos ſpiritus non viuificat, littera occidit. *2. Cor. 3,* Sunt, qui nihil horum penſi habent, & quauis in religione ſalutem ſibi promittunt. *Vna eſt fides neceſſaria ad ſalutem.* Quod ſi ita foret, quorſum Euangelium annuntiaſſem vobis, & quæ hauſeram è Patris ſinu, enarraſſem? Quorſum hæreſes iuſſu meo damnatæ fuiſſent? Martyres pro fide meâ Catholicâ occubuiſſent? Apoſtoli, vt Euangelium prædicarent vniuerſo mundo, miſſi fuiſſent? Quod eſſet inter Iudæos, Turcas, Chriſtianos diſcrimen? Cur mandaſſet Apoſtolus meus ex me, hæreticum deuitari poſt ſecundam correptionem, quòd ſubuerſus ſit qui huiuſmodi eſt, & proprio iudicio condemnatus? *Tit. 3.* *Benedictus es,* &c. vt infrà, pag. 42.

Pſal. 85. *Gratiarũ actio pro Fide.* HOMO. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum, quia miſericordia tua magna eſt ſuper me, & eruiſti animam meam ex inferno inferiori: *Pſal. 55.* eripuiſti animam meam à morte, & pedes meos à lapſu: *Pſal. 72.* tenuiſti manum dexteram meam, in voluntate tuâ deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me: gloria enim magna ſequi te, Domine; & ſanctam legem tuam, legem immaculatam, conuertentem animas: *Pſal 18.* iudicium tuum verum, illuminans paruulos.

CHRISTVS. Planè immaculata, & ſancta eſt lex mea, & hæc tibi nota ſit catholicæ veritatis. Nónne enim

enim hæretici caſtitatem, quam ego commendaui, impoſſibilem aiunt? vota verò & abſtinentiam, impia eſſe clamant: me peccati auctorem volunt, & libertati ac nequitiæ ſuæ velamen prætexunt. Quorſum verò leges, pœnæ ac præmia, ſi peccatum vitare homo non poteſt? *Fidei vera nota.*

HOMO. Hæc luce clariora eſſe vidi, dum poſuiſti animam meam ad vitam, & non dediſti in commotionem pedes meos. Sed & illud me plurimùm confirmat, certumque in tantâ rerum incertitudine reddit, quòd Catholicos ſaluari poſſe etiam hæretici profiteantur. Quæ ergo dementia eſſet, cum Catholicis non ſtare, quos etiam aduerſarij ſaluos eſſe decernunt? Cui enim non ſuaderem tutiorem in tanto diſcrimine viam eligere? illa autem eſt, quam probat vtraque pars, etiamſi ſibi aduerſariæ. Sic nemo dubitat utriuſque medici judicio medicinam probatam tutiùs accipi, quàm alterius opinione damnatam. *Pſal. 65.* *Dementia eſt Catholicum non eſſe.*

O quantas in horâ mortis anguſtias patiuntur, tot (eheu!) jactati erroribus, quot ferè capita reperiuntur! non eſt, vbi pedem firment, ſed dubii viuunt eiuſmodi, dubiique moriuntur: & qui auſi ſunt, dum viuunt, arguere te, quòd viam certam non monſtraveris, certò in æternæ damnationis barathrum ſeſe præcipitant. O quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt plorem interfectos populi mei! Quid excuſabunt miſeri? Quid dicent, cùm ad te Deus meus iudicem ſuum venerint? non enim habebit te Deum patrem, qui Eccleſiam, dum viueret, noluerit habere matrem. Quid aliud audiet quàm laudari abs te opera bona; quòd boni eſurienti tibi dederint manducare, & ſitienti potum præbuerint, & ob hoc æternis à te præmiis honorari; qui verò ſecùs fecerint, ſempiternis ſupplicijs addici? *Hæccine vera*, &c. vt ſup. pag. 7. *Actus zeli.* *Ierem. 9.* *Hæretico nulla excuſatio.*

CHRISTVS. Quid reſpondebunt mihi, quod apoſtatis nullis miraculis claris, ſed criminibus, ſpurcitiâque notis adhæſerint, & tantâ antiquitate & miraculis roboratam

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Hæreticorũ fundamentum. boratam Eccleſiam deſeruerint; hoc ſolo argumento, quod Scripturam ac Patres dicerent ipſi ſeſe meliùs explicare, ſuoque id ſenſu. Aduerte, an vllum aliud, vt ad ſe homines trahant, hæretici adferre poſſint argumentũ.

Crux hæreticos damnabit. Quid dicent, cùm ſignum crucis meæ fulgebit in cælo, qui omnem carnis afflictionem abhorruerunt, & exemplum meum ſpreuerunt? laboranti in vineâ meâ promiſi præmium, & villico reddenti fructum in tempore: an verò, cùm omnia illi opera peccata eſſe dicant, peccatis ego præmium ſtatui, aut ea fructus appellaui? tunc erubeſcent coram orbe terrarum, qui dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: & quæcunque non intellexerunt, blaſphemârunt; nihil certi habuerunt, niſi quod illi judicârunt.

Præmium non debetur hæretico.

O Æternitas! HOMO. Et ſi quidem de æternitate omni non ageretur, minùs affligeret me perditio eorum. Sed ô æternitas, æternitas! quàm grauis illos manet æternitas! Miſerere, Domine, miſerere, quia tempus miſerendi, quia venit tempus. *Benedictus es Domine,* &c. vt infr. p. 24.

Pſal. 101.

Nuſquam Sancti niſi in Eccleſiâ. CHRISTVS. Mihi proprium eſt miſereri ſemper & parcere: ſed cùm horter, moneam, clamem in plateis, nemo interrogat de viis antiquis. Si enim id facerent, ecce, quot Monachorum ſanctorum agmina illis lucem adferrent? quot Epiſcoporum lumine caliginem diſſiparent? quos Miſſam feciſſe, & ritu Catholico vixiſſe teſtatur omnis antiquitas, & templa loquuntur, & anathemata clamant. Quot enim olim ego hodieque ad Matris meæ honorem miracula edidi? quot Sanctos iiſdem illuſtraui? at ſicut Iudæi me in principe dæmoniorum eiicere dæmonia dicebant: ita hæretici cæci præſtigias & mendacia vocant, quæ totus orbis teſtatiſſima nouit & probat.

Miracula in Eccleſiâ.

Luc. 11.

Quales reformatores quærat IESVS. Quid ſibi volunt iſti Reformatores: ego innocens, impollutus, agnus ſine maculâ (cuius oculi reſpicere ad malum non poſſunt) mittam, vt Eccleſiam reforment, apoſtatas, & homines ventri ac deliciis deditos?

tos? & quomodo prædicant ſi non mittantur? hinc fit vt inexcuſabiles ſint, qui hæc nôrunt, magiſtri eorum; qui populum meum errare faciunt, vt ducant eos velut oves errantes,& occidant,& mactent, donec in infernum perueniant,vbi mors depaſcet eos. *Pſal.48.*

HOMO. O patiens & longanimis ſuper malitiâ hominum! miſerere ſaltem populi innumeri, & turbarum, quæ ſunt ſicut oves ſine paſtore. Vide vt infernus dilatârit os ſuum; aſpice, Domine, & ne memineris iniquitatum noſtrarum,citò anticipent nos miſericordiæ tuæ. Tu enim paſtor es,tu dux noſter, legifer noſter. Da illis guſtare ſemel pacem, quam multam dediſti diligentibus te, & venient & adorabunt te, Domine, & confitebuntur nomini tuo. *Credo tibi*,&c.pag.7. *Iſa.5.*

CHRISTVS. Pax non eſt niſi in humili corde: quæ verò humilitas eſſe poteſt in eo,qui audet grandi ſupercilio Scripturam meam cenſere, vellere, truncare; Patres verò falſis erroribus aſpergere, aut eos ſtupiditatis & inſcitiæ inſimulare? Nónne veritas vna eſt? nónne vbi diuiſio, ibi diſſenſio? quot verò illic capita,tot ſunt ſententiæ; cùm quiuis ſpiritum ſuum audeat appellare auctorem. Nihil enim diſcriminis eſt inter ſectas illas, vt dixi; nihil adferre poſſunt, niſi, Noſtra hæc explicatio germana eſt, noſtra melior. Quis hoc confirmat? ſpiritus, ſibi ſcilicet contrarius. Et verò nónne veritas vna eſt, & falſitas multiplex? Quis ignorat in omnem partem Scripturam & Patres torqueri malitiâ hominum poſſe, vti & leges? Quare niſi iudices & arbitri eſſent, non forent illæ pacis auxilia, ſed diſſidiorum fomenta: ideoque ego arbitrum Eccleſiam ſtatui, columnam & firmamentum veritatis, quam ſi quis non audiret, eſſe ſicut Ethnicus & publicanus. Egone & Apoſtoli mei ſic probauimus veritatem doctrinæ, dicentes: Spiritus meus hanc vobis doctrinam vt ſaniorem proponit? Quis enim ſua commenta ſic venditare nequit? Ego verò dixi: Niſi opera feciſſem in eis,quæ

Pacem non habet niſi humilis.

Vnicum argumentum hæreticorũ

Arbiter neceſſarius, & iudex. *1.Tim.3.* *Matth.18.*

Ioan.15.

Nota Eccleſiæ miracula. nemo alius fecit, peccatum non haberent. Atque hoc ſigillum doctrinæ meæ non mihi ſoli ſeruaui, ſed libens diſcipulis meis tribui, atque adeò promiſi fore vt maiora me facerent; nullumque æuum eſt vel erit, quo non & miracula, & Sancti velut ſtellæ in firmamento Eccleſiæ meæ fuerint, & futuri ſint. *Hæccine vera*, vt ſuprà, pag. 7.

Libertas carnis inuitat ad hæreſim. HOMO. Hoc etiam animaduerto, nunquam à Catholicis deficere vllos, vt meliores fiant, ſed vt libertatem carnis, quam prædicant hoſtes tui & crucis tuæ, conſequantur. Viuere cum hæreticis, & cum Catholicis, eheu! moti fruſtrà vt plurimùm optant, qui prudentiores eorum: cùm ſecurè, etiam cum iis, omnium iudicio, moriantur. *Pſalm. 4.* Heu miſeri! vſquequò graui corde? ut quid diligtis vanitatem, & quæritis mendacium?

EXERCITIVM

Pſal. 65. Eccleſia audienda. BENEDICTVS *es Domine Deus, qui non amouiſti miſericordiam tuam à me, ſed reuelaſti mihi aurem, vt audirē Eccleſiā tuam, & non eſſem ſicut Ethnicus, & publicanus. Benedictus ſis in æternū, ô infinita bonitas, quæ notas mihi feciſti vias vitæ, cùm extra Eccleſiam tuam nulla via ſit ſalutis.* Extra illā nulla ſalus *Obſecro te Domine, fac me ſtare conſtanter ſuper ſemitas antiquas tot ſanctorum Patrum teſtimonio firmatas, & eorumdem veſtigijs, ſiue exemplis calcatas. Illumina me ô lux vera, & ita confirma me, ne vnquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: Præualui aduerſus eum.* Pſal. 12.

Rom. 12. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis cognouit ſenſum tuū Domine, aut quis conſiliarius tuus fuit? Ecce pereunt in horas ſingulas innumeri propè mortales, & dilatauit infernus os ſuū abſq; vllo termino, & vix eſt qui annos æternos in mente habeat, qui æterna ſupplicia, & ſolatia conſideret ſempiterna. Quo enim ſtudio, bone* IESV, *ſi ea cogitarent homines, veritatem quærerent? quo feruore Eccleſiā Catholicā, cū vna ſit via ſalutis, complecterentur.* Iſaiæ. 5. O quot pereunt animæ! Pſal. 67. O quanto ſtudio quærenda ſalus!

rentur. Neq́ certè ea latere poteſt, cū tot ſanctitate illuſtribus viris, tot clara miraculis, tot confirmata ſæculis, tot Martyrū ſanguine ſignata ſit, & obſignata. Dicite mihi, errantes animæ, immortales animæ, agni immaculati ſanguine redemptæ, ad æterna creatæ gaudia, cur ruitis in æternū luctū? Quis vos, obſecro, ſic faſcinauit? Itáne verò credibile eſt ſæculis propè ſedecim ſanctiſsimos, & ſapientiſsimos viros errasſe, donec è fornice veniret apoſtata monachus, & Venere afflatus, & è popinâ Baccho calens quintum euangelium eructaret?

Quis credat id quod oculis aſpicimus, tot mortales errantes à viâ veritatis huius fatuâ doctrinâ tā ſecuros eſſe, viuere, dormire? Eheu! neſciunt miſeri quæ illis immineat æternitas. ideò neq́ quærunt de viâ rectâ, de viis antiquis; nō attendunt, viā ſemel & vitā peractā numquam eſſe remeabilem. Venite, quæſo, & videte opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terrā, & diſcite, vbi ſit longiturnitas æternæ vitæ, vbi via ſalutis: ſine fide enim impoſsibile eſt Deo placere. Aſpicite Eremitarū & Monachorū agmina abſtinentiâ & innocentiâ vitæ ſummâ in Eccleſia ſola Catholica micantia, Virginū choros caſtitate rutilantes. Martyrū inuictā patientiā. O quas tibi debeo grates, Redemptor mi, qui in iſtis tenebris hæc lumina oculis meis ſplendeſcere feciſti; vt viderem quò & quà tenderē, & columnæ veritatis Eccleſiæ Catholicæ adhærerē; in quâ verâ fides peccatores ſanat, ignorantes illuminat, curat ægrotos, docet fideles, pœnitentes reparat, iuſtos reddit feruentiores, coronat Martyres, conſeruat Virgines, Coniugatos caſtificat, reformat Eccleſiaſticos, Sacerdotes conſecrat præparat regna cœleſtia, æternamq́ hereditatē in Angelorū ſocietate cōmunicat! O vtinā hæc aſpicerēt & cogitarēt, & præcepta tua, Deus, ſeruare vellent, quos apoſtatarū deliria miſerè ſeducūt! vere enim dixiſti, ô Veritas æterna: Si quis voluerit voluntatē Patris mei facere, cognoſcet de doctrinâ meâ, vtrū ex Deo ſit, an ego à me ipſo loquar. Sed quis eſt qui poteſt cæcū & mutū curare? Nónne tu qui ſolus es? Veni igitur deſiderate cunctis gentibus, & dic vt cæci videant, ſurdi audiāt, pauperes animæ tā tibi caræ, & precioſæ euangelizentur. Exite, exite animæ

O æternitas, cur errantes nō reducis?

Pſal. 45.

Heb 11.

Auguſt. ſer. 10 de verb. Apoſt.

Ioan 7.

Fides eſt donum De.

quibus impendet longa æternitas,exite de medio Sodomorũ,de Synagogâ impiorum,& cum Abrahamo de Vr Chaldæorũ. At nemo poteſt venire ad te,niſi traxeris illũ.Trahe ergo,Domine,animas illas vinculo charitatis tuæ,fac vt guſtent, quam ſuauis ſit panis tuus,& frumentum electorũ, & vinũ germinans virgines. Miſerationũ Domini recordabor,ô anima mea; laudẽ Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus,& ſuper multitudinem bonorũ, quæ largitus eſt nobis ſecundùm indulgentiam ſuam,& ſecundũ multitudinem miſericordiarum ſuarum *In dilectione tuâ, & in indulgentiâ tuâ redemiſti me,bone* IESV, *& portaſti me, & eleuaſti me cunctis diebus ſæculi.O vtinam, Paſtor bone, audirent oues tuæ errantes vocem tuã!certè cum Moyſe fide relinquerent Aegyptũ,& tenebras eius,& venirent ad te,paſtor animarum noſtrarum;te,bone* IESV *qui expandis manus tuas totâ die ad populum incredulum,qui graditur in viâ nõ bonâ poſt cogitationes ſuas;te,ô Sapientia æterna,quæ foris prædicas,& das in plateis vocem tuam dicens:Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi noxia ſunt, cupient,& imprudentes odibunt ſcientiã? Illumina,ô bone* IESV, *animas eorum & meam,& confirma me,& adauge mihi fidem,tu qui illuminas omnem hominem. Sparge,ô bone* IESV, *redemptor mi, radios pietatis tuæ,& miſerere; recordare Domine miſerationum tuarum,& pretioſi ſanguinis tui, quo redemti ſumus.Perduc nos paſtor bone,ad vera paradiſi paſcua;libera nos de morte æternâ,ô vita noſtra, & vnicum refugium noſtrum.*

Isa.63. Heb 11. Iſaiæ 65. Prou.1.

Praxis pro conuerſione ad orthodoxam fidem.

Oratio. PRIMÒ,neceſſe eſt hominem ad Deum confugere,& lucem ab eo poſtulare.

Indifferentia. Secundò,affectus deponere, atque odia vt animo defæcato de re totâ poſſit iudicare, affectus autem maximè erga bona eſt exuendus,qui multos irretitos tenet.

Lectio Patrum. Tertio,legere expedit antiquos Patres,ſed nõ eos,quos peſſimo maiorum ſuorum hæreticorum exemplo, noſtri temporis hæretici deprauârunt.

Quartò,

Quartò, conferre cum viro docto, non animo diſputandi, ſed veritatem agnoſcendi. *Collatio.*

Quintò, eleëmoſynas eâ intentione largiri, & orationi humiliter ac crebrò incumbere. Et vel Angelũ mittet Dominus, ac compellet nouum Petrum aliquẽ venire, id eſt, Apoſtolicũ virum; vel vt Eunucho Philippũ dabit. Qui enim vigilat ad fores ſapientiæ, & obſeruat ad poſtes oſtii illius, beatus eſt, & inueniet vitam, & hauriet ſalutẽ à Domino. *Eleemoſynæ.* *Prou. 8.*

Sextò beneficiis animus errantis, quẽ iuuare deſideras, primò conciliandus; plus enim trahit charitas, quã ſuadeat multa diſputatio, atque ita celebrem illum Anachoretam Paphnutium conuerſum fuiſſe legimus. *Conſiliatio proximi,*

Septimò, libellos pios errantibus ſubmittere, eorũ proles educandas ſuſcipere, atque in orthodoxâ fide inſtituere, egregia eſt charitatis induſtria. *Lectio piorum libellorum.*

Octauò, adultiores ſi quis ſtudeat in viã reducere, iuxta conſilium R. P. Petri Fabri è Societate noſtrâ, eorũ primùm animus à vitiis auocandus, & vitæ licentia: hæc enim ferè vnica remora eſſe ſolet. *Vitiorum fuga.*

Nonò denique, cùm infidelitas primùm peccatum non ſit, vt quiſquam ſe in fide conſeruet, vtile eſt Eccleſiæ mores ac præcepta vbique defendere, vti & Patrum traditiones ac Superiorum mandata, diligenterque iis parere; vitã denique, non vulgi lege tepidè, ſed ex Sanctorũ exemplo feruenter inſtituere. *Veneratio cærimoniarum.*

Decimò, nutanti circã fidẽ expedit, Primò, certò credere multas hæreſes eſſe; imò, vt Apoſtolus loquitur, oportere vt hæreſes ſint, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. Secundò, hæreticos ab Eccleſiâ & Patribus cenſeri damnatos. Tertiò, conſiderare veritatem vnam eſſe, quæ vt omnibus innoteſceret, miſit Deus filium ſuum: tantum abeſt, vt eam conſultò occultârit, errori viam miniſtrans. Illam proinde toto animo proponat quærere: verùm enim verò magnâ cũ humilitate, vna enim ſuperbia omnium hæreſum fons eſt & origo. Hæreticus ſiquidem Concilia omnia, Patres, Doctores, Sanctos & maiores omnes damnat erroris, vt vnus ſapere videatur; neque vllam ſuæ doctrinæ rationem poteſt reddere, quàm ſe genuinũ ſupra omnes ſenſum Scripturæ eſſe conſecutum. *1. Cor. 11.* *Aug. de fide ad Petr. Veritas eſt vna.*

Oratio pro executione, &c. ſuprà pag. 10.

Oratio pro errante in Fide.

INTER *mille anguſtias conſtitutus, de æternitate vehementer anxius, in tenebris ambulans ſicut ouis quæ periit, ad Te venio,* JESV *benigniſsime, lux mea & paſtor animæ meæ, qui veniſti in hunc mundum, & ſic me dilexiſti, vt ſanguinē & vitam tuam in ignominioſâ crucis arâ pro me effunderes, deduc, obſecro te per viſcera miſericordiæ tuæ, me in viam ſalutis. Doleo enim vehementiſsimè ex amore tui, quod vlla ratione receſſerim à te: ſpero quòd non deſpicies opus manuum tuarum.* Tu enim vis omnes ad agnitionem veritatis venire, *& ego eam abs te humillimè efflagito: & paratus ſum in tanto ſalutis negotio nihil omittere, quod ad illud pertineat. Memento quæſo, Domine, me eſſe opus manuum tuarum. Et quid proderit tibi ſi peream, quem tanto pretio redemiſti?* Tu non vis mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur, & viuat. *Conuerte igitur me, & conuertar ad te. Perueniat ad te clamor meus, quia tempus miſerendi, & quia venit tempus. Túne negare mihi potes lumen, ô lux vera, quæ toties dixiſti: Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis? Quæro ego te, dñi inveniri potes, & abrenuntio omnibus, quæ ſeducere me valent abs te. Quid enim in iudicio excuſare poſſem, ſi me à veritate ſeduceret torpor, aut vanitas, aut opes, aut honor, aut fauor? cùm momento hîc viuam, vt felix viuam, vel infeliciſſimus ſemper moriar in omni æternitate. Libens omnibus renuntio, vt tuus poſsim eſſe diſcipulus. Tot clamant in auribus meis Sanctorum voces, tot miracula cæcutientem trahunt, tot eruditi inuitant ad lumen. Nolo inſanus videri mihi præ omni antiquitate ſapere,* ſed paratus ſum captiuare intellectum in obſequiū fidei, *& ſeruire tibi omnibus diebus vitæ meæ. Teſtis mihi tu es, Angele mi cuſtos, teſtes Sancti omnes, & tu teſtis cordis mei Deus meus, quòd ſincerè placere tibi deſidero, atque orthodoxæ fidei, & tibi dulciſsime* JESV, *& Eccleſiæ tuæ adhærere. Tu enim es via, quam quæro, tu veritas, quam indago, tu vita, ad quam ſuſpiro.*

Contritio

Deus vult omnes ſaluos fieri. 1. Tim. 2.

Ezech. 33

Obſecratio.

Omnia abneganda propter ſalutem.

Superbia eſt & inſania ſumma non credere.

Præ-

Praxis diſputandi cum hæreticis.

SI diſputationē cum hæretico euitarę nequis; primò petendum ex eo, ne fruſtra fiat, quis arbiter ſit diſputationis veſtræ futurus. Si enim dicat, Scripturam; quære quænā illa ſit, & vnde eam habeat? Ab Eccleſiâ, inquiet; Cur ergo eam, dicito, truncant hæretici, & conuellunt: cur, ſi abſque vllo dubio credant Eccleſiæ Catholicæ, vt veraci, dicenti: Hæc eſt Scriptura; reſpuunt eius, vt mendacis, interpretationem? Iam vero, quòd ſi ex Scriptura ſola agendum; vbi ſcriptum, libros, quos Scripturam appellamus, eſſe Scripturam? Vnde colligis multa & præcipua credenda, quamuis ſcripta nō ſint, & ad Eccleſiam vt columnā & firmamentū veritatis accedendum: de quâ Auguſtinus: Euangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ commoueret auctoritas: Quòd ſi tunc ad Eccleſiam ire cupiat, quærenda ea eſt certis notis, antiquitate, ſanctitate, vnitate doctrinæ, & Apoſtolicâ traditione. Stultum enim eſt, & petitio principij, conſulendā eſſe de ſenſu Scripturæ Eccleſiam, & cùm quę ſit, quæritur, vnâ notâ illā definire, nempe, Quæ optimè Scripturā explicat. Et rurſum, Si quæram, ecquę illa ſit, ſuam aſſignare. ſi rurſus vrgeam, quis hoc aſſerat, ſuum quem habet ſpiritum erroris, ſcilicet & vanitatis proferre; ſi petam vnde conſtet eum ſpiritum habere, id ipſum tantùm aſſerere, ac denique fidei totius fundamentum hominis vani delirium conſtituere. Accuratiorem cum hæreticis diſputandi rationem tradit R. P. Veronius in ſuâ Methodo. *Aug. epiſt. cont. Manich. cap. 5*

IACVLATORIÆ.

quibus affectus deliberationis per diem foueatur.

A*Ccedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.* Ita fac Angelum cuſtodem tibi loqui, vel potiùs audi Dominum te inuitantē his verbis: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Hæc Dominum Ieſum verbà tibi ingeminare, *Audi aure cordis tui*, illudque, *Noli obdurare.* Pſal. 33. Matth, 11

Vel illa: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Ioan. 7.

Vel: *Ego ſum lux mundi, ego via, veritas, & vita.* Ioan. 8.

Hodie ſi vocē Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Pſal. 94.

Audi fili, accipe conſilium intellectus, & ne abiicias conſilium meum, inveſtiga ſapientiam, & manifeſtabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam. Eccl. 6.

Ruminare etiā potes aliquā ex ſequentibus ſententiis.

State

Ierem. 6. *Stateſuper vias, & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in eâ.*

Deut. 22. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.*

Prou. 22. *Nõ tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerũt patres tui.*

Matth. 24 *Videte nequis vos ſeducat: ſurgent enim multi pſeudoprophetæ.*

CAPVT III.

Deliberatio de ſecundo medio, ſeu de ſtatu vitæ eligendo, vt finem conſequamur.

CHRISTVS. Poſt fidei cognitionem, alterum ad ſalutem medium neceſſariũ eſt ſtatûs electio: cùm verò varios dederim inſtinctus, qui à primâ pueritiâ ferè emicant, & ſingulos ad aliquod vitæ genus, vt prudentiſſimus pater-familias liberos ſuos, deſtinem (non enim ad otium, ſed ad laborem creati eſtis) planè de illo maturè ſtatuendũ eſt. Sic Adamum, mox vt creatus fuit, in paradiſo conſtitui, vt cuſtodiret & operaretur illũ. Attende autem certũ eſſe, plurimos idcirco malè viuere, & æternâ excidere ſalute, quòd vitæ genus non eligant, aut perperã ſuâ libidine potiùs quàm voluntate meâ. Si quis autem vitæ ſtatum nactus ſit, is in eo ſe firmare debet, neque perpetuò fluctuare, ſed in ſuo ſe perficere. Non leuis enim eſt tentatio, ſibi nunquam conſtare, aliorũ vitã laudare, de ſuâ queri. Nullus ſtatus eſt, in quo perfectio, quæ in charitate conſiſtit, nequeat acquiri. Et quam vis forſitan error in prima electione fuerit, quando tamen is mutari nequit, in eo ſe perficere oportet, atque ad me Patrem miſericordiarum confugere, ne fiat nouiſſimus error peior priore. *Credo tibi*, vt inf. pag. 7.

Varij ſunt ſtatus.

Cuique in ſuo ſtatu manendũ.

Pſal. 62. ANIMA. Ecce, Domine Deus meus, ex bonitate tuâ immensâ creaſti me; ſed ſcio, meliùs mihi eſſet natum non fuiſſe, niſi viam nouerim, quâ peregrinus in terrâ deſertâ, inuiâ & inaquosâ, perueniam ad te finem meũ, & ſummam felicitatem meam. O lux vera quæ omnes illuminas! ô via, ô veritas, ô vita! quà ibo, vt veniam ad

Ioan. 8.

te

te paſtorem meum? Deduc me, Domine; quia cæcus & puer paruulus ego ſum, ignorans egreſſum & introitum meum. Multæ ſunt viæ, multi ſtatus, & ſi hunc elegero, in ſpeciem bonum, forſitan teterrimus erit exitus; ſi illum, ſimiliter. Eſt enim via, quæ videtur homini recta, & nouiſſima eius ducunt ad mortem. Quis nouit viam hominis? quis ſcire poteſt? omnes enim ſunt incertæ prouidentiæ noſtræ. Idcirco, ego ſupplex per viſcera charitatis tuæ rogo, vt oſtendere mihi digneris viam, in quâ ambulem, in hoc loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis. Tria enim difficilia mihi, ait Sapiens tuus, & quartum penitùs ignoro; viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentiâ. *Veni Creator*, &c. pag. inf. 35.

3. Reg. 3. *Deus rogandus vt ſtatum donet.* *Prou 16.* *Prou. 20.* *Sap. 9.* *Prou. 16.* *Prou. 16.*

CHRISTVS. Vide itaque, vt non niſi me, qui ſum Sapientia æterna, & vbique adſto paratus, conſulto quid ſtatuas; vide ne præceps ruas; pro re natâ eligas ſtatum qui offertur, vtpote vxoris copia, præbendæ, dignitatis, opum, ſociorum & commoditatum: ſed ſcito nullam rem diligentiùs eſſe conſiderandam, cùm à ſtatus electione ſæpè aut felicitas, aut miſeria dependeat ſempiterna.

Electio ſtatus maximi momenti.

ANIMA. Valdè me diſtrahit multitudo ſtatuum, & omnino neſcio, quem eligam. Illumina me lux vera, & deduc me in ſemitam rectam, ſemitam mandatorum tuorum: quia ipſam volui.

Pſal. 118.

CHRISTVS. Cùm ita velis, caue certum deſtinare ſtatum; ſed eſto paratus, vt eum ſuſcipias, qui ad ſalutem tuam ex meâ voluntate & directione maximè ſit accommodus. Quòd ſi enim certum tibi delegeris ſtatum, & in ſpeciem deliberas, & meam voluntatem non ſequi, ſed meam tuæ vis accommodare, nequaquam aptus es qui deliberationem inſtituas: ſed ita comparatum te eſſe oportet, vt quod certum eſt me velle, id velis: quod certum eſt me nolle, ſimiliter execreris; quod autem incertum eſt vtrùm velim

Reſignatio deliberanti neceſſaria.

an

an nolim, neque velle ex toto, neque penitùs nolle debes: ſicut enim æger peritiſſimo medico committit valetudinem, tantumque petit curari, paratus etiam vt ſecet, urat, ſi pro ſuâ tuendâ vitâ ita iudicauerit: ſic te facere pro vitâ æternâ conuenit. Et rurſum; ſicut viator viæ ignarus, quam nouit periculoſiſſimam, ducem quærit, neque repugnat quin ducatur; ita fac, & veni, ſequere me, *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7.

ANIMA. O vtinam, IESV dulciſſime, ô vtinam ſcirem, quà mihi eundum eſſet!

CHRISTVS Id aſſiduè me roga, & dic cum Paulo:

Act 9. Domine quid me vis facere?

ANIMA. Quid vis me facere, Deus meus, in domo tuâ, quam viam ingredi, quod munus gerere? paratum

Pſal. 107. cor meum, Deus, paratum cor meum, reſpice in me, & miſerere mei.

CHRISTVS. Non ceſſes clamare ad me: de mane vigila ad me, vt benedicam tibi, & mittam Angelum,

Tob. 5, qui te ducat vt quondam Iſraëlem, Tobiam, & Iacob.

Iudicia in Deo locanda. Quidquid verò petes, crede quia accipies, & fiet tibi. Nónne id quod à ſeruo, aut filio fieri ſuperes, ipſi vltrò indicares? Quòd ſi verò ſollicitè expeterent, quid ab eis

Deus indicet voluntatem ſuã. fieri velles, idq; deſiderio placendi tibi, nónne æquum foret vt iis mentem explicares tuam? præſertim ſi ſupplicium graue neglecto mandato appoſitum foret, &

Apoc. 3. præmium obſeruanti. *Quantò magis ego Dominus, qui ſto ad oſtium, & pulſo*: vt conſulam, vt ducam, vt portem etiam te in humeris meis, aperiam tibi poſtulanti voluntatem meam? Propone autem tibi finem, ad quem te

Conſidera finem creationis vt ritè eligas. creaui, & vide, an ſtatus hic vel iſte ad eum te perducere commodè poſſit; ſiquidem certum hóc habe, eumdem omnibus minimè conuenire. Quorſum enim tot ſtatus ordinaſſem, tam varia vitæ genera; niſi quia ſciebam figmentum meum; variiſque viis volebam venire ad me; & trahere oues meas, pro cuiuſque talentis & viribus? finem igitur attende ante omnia; deinde ad

eum media delige. Quis enim prudens media eligit ante finem? viam ante terminum? medicinam ante morbos? quis viam incommodam, periculoſam, ambagioſam, latronibus obſitam eliget, vt perueniat in vrbem, cùm aliam poſſit, & nouerit eligere?

HOMO. Nemo, Domine; ſed ſunt qui hanc vel illam eligunt, vt dicunt, quia aliam non poſſunt, aut ignorant.

CHRISTVS. In quo autem exiſtimant ſe poſſe illam, quam eligunt, peragere, nónne in me, & per gratiam meam? Cui verò eam largiri me par eſt; illíne qui voluntatem meam & ductum ſpernit, an qui ſequitur? Ego illis poſſum eamdem facere abundare, etiam in quouis ſtatu; ſi voluntatem meam ſequerentur. Exquirendum igitur ante omnia, quid velim abs te, in quo genere vitæ & munere te degere in familiâ meâ: & vbi cognoueris, caue ne facere omittas: ego enim Dominus, ego Pater, ego Rex regum, & Dominus dominantium, nemo reſtitit mihi, & pacem habuit. Conſule igitur teipſum primò, vireſque tuas, pios item & prudentes, qui ſano conſilio tibi adeſſe poſſunt: neque cum irreligioſo tracta de ſanctitate, cum iniuſto de iuſtitia, cũ cæco de coloribus, cum ſæculari de cæleſtibus; ſed cum ſapiente & probo communica conſilium tuum. Semper autem, vt dixi, finem attende, & an eius ſolius, & ſalutis tuæ causâ, vel ſaltem primariâ hoc conſilium ſuſcipias. ſi enim per hoc te tantùm moueri ſenſeris, cùm nemo poſſit, vt Apoſtolus meus ſcripſit, dicere, Dominus JESVS, niſi in Spiritu ſancto, ſecurum te eſſe iubeo. *Credo tibi*, &c. vt ſuprà pag. 7.

Gratia Dei quouis in ſtatu parata.

Iob. 9.

Eccli. 37. Vide quos in conſilium adhibeas.

Intentio recta neceſſaria.

1. Cor. 12.

HOMO. Video, Domine JESV, meliora, ſed, eheu! faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum ſine malitiâ.

Sap. 4.

CHRISTVS. Exue affectum terrenarum rerum; indue eum, quem in hora mortis habiturus es: tunc defæcato animo & oculo hæc aſpicies, & cognoſces vana eſſe,

Quem ſtatum elegiſſe velles in hora mortis.

eſſe, quæ iam terrent & tenent. Nónne enim tunc ſecuriorem viam & vitam elegiſſe te optabis? ſed in iudicio illo meo terribili, ſi conſilia appendas tua, manifeſtè mundi argues vanitatem. iam commoditas, opes, honores, velut glutino retinent; tum votis ſummis ſecuriſſima in tantâ perplexitate te elegiſſe optabis. Age, quid Sancti mei fecerunt? etiam in ſolitudinem abierunt, hoc vt ſalutis negotium ſeriò tractarent, & audirent quid loqueretur ſibi. Scriptum eſt enim: Ducam eum in ſolitudinem, & loquar ad cor eius: vox enim hæc, vt dicit ſeruus meus, vox hæc non ſonat in foro, nec auditur in publico; ſecretum conſilium, ſecretum quærit auditum. Secede igitur ſi potes; nec deſit tibi tempus vitæ pro te, pro animâ tuâ; ac potiùs erubeſce totum alijs rebus ſæpè friuolis impendi, & graue tibi videri, ſi dies aliquot ſolidos animæ tuæ tribuas, propter quam omnia, tempus, ſtudia, opes & occupatio conceſſa ſunt. Si hoc feceris, futurum, vt poſtea in vocatione, quâ vocatus eris, conſtans ſis & quietus; cùm alij ſemper ſtudia laudent aliena, plurima experiantur aduerſa, plurima metuant. Quemadmodum enim is, qui initio viæ aberrauit, perpetuò metuit, ne, quò longiùs prouehitur, longiùs aberret; ita hi delegerunt vitam abſque me duce, & terrentur, meritoque pericula in viâ ignotâ & lubricâ reformidant. Vita ſiquidem via eſt. Et vehementer mihi diſplicet, quòd vbi ego, Sapientia æterna, adſum ſemper, & paratus ſum ego conſilij magni Angelus, non me dignentur interrogare de viâ rectâ, & voluntate meâ famuli mei; quodque cùm prouidere futura nequeant, ruant in id, quod primò arridet; etſi inquam ego, qui attingo à fine ad finem fortiter, & ſuauiter omnia diſpono, paratus ſim ſemper, vt viam oſtendam, viam rectam & planam, viam immaculatam & ſalutis. Me etenim vbique præſentem ita conſulere debetis, atque ſi me inter homines conuerſantem videretis. Nónne ideò cum hominibus vſque ad conſummationem ſæculi in Euchariſtia eſſe volui,

Quid Sancti ſuadeant tandem.

Oſee 2.

In ſolitudine mentis Deum conſule. Bernard.

Quàm vtile in ſeceſſu de ſtatu cogitare.

Deum conſule coram Ven. Sacra.

Sap. 8.

Matth. ult.

volui, vt oraculum, vt tibi propitiatorium verum eſſet & fidelibus meis? Cùm ergo hoc eis præſtiterim, & innumera quotidie beneficia; quid eſt, quòd meum conſilium deſpiciant? extendam manum, & non ſit qui aſpiciat? voluptas,ſcio,hunc trahit,ad hunc illumue ſtatum; illum honor,vel ambitio,alium libertas inuitat;hæccine verò media ad finem, hæccine ſunt humana conſilia? *Hæccine vera*,vt ſup.pag.7. vel,*Veni creator*,vt infrà. Prov.1.

Hìc Oratio duplex ſubijcitur: altera pro deliberante, altera pro eo qui ſtatum nactus eſt, vt per bona opera ſatagat certam facere vocationem ſuam.

Oratio pro deliberante.

VENI *creator Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium: Veni pater pauperum,veni dator munerum, veni lumen cordium*: paratum enim cor meum, paratum cor meum, vt faciam omnes voluntates tuas. *Hoc profiteor hodie coram te Deus meus & Rex meus. Ecce ego; voca me quà lubet: tuus ſum ego*:ecce ego lutum in manu figuli,*fac,obſecro,de me vas in honorem quale volueris,& non in contumeliam. Vtinam placeam tibi dilecte animæ meæ! Vtinam ſequar te quocumque ieris, ſiue vt Ioſephum velis in ſeruitutem ire, ſiue vt Moyſen in deſertum,ſiue vt Abraham, egredi de terrâ, de domo, & de cognatione meâ,ſiue vt Iacob peregrinari ſuper terram;paratum cor meum. Tantummodo fac mecum ſecundùm miſericordiam tuam, vt in omni æternitate enarrem vniuerſa mirabilia tua.Tu ſcis,pater optime, quis mihi conueniat ſtatus,hunc vnum peto.*Et cum dixeris; petite.& dabitur vobis; accipiam ſpero, *id quod conuenit mihi. Quid, inquam,mihi? Potiùs dicam & meliùs,tibi; ſiue quod mihi,pro obſequio tuo Rex meus,quod mihi pro infinitâ charitate tuâ, vtile eſt vt cantem tibi gloria mea, & non compungar in æternum.*Oſtende mihi viam,in quâ ambulem, & gratiâ tuâ ſequar. *Si difficilis ſit, tu potens es: ſi humilis ſit, ſcio ſapiens es corde, & magnitudinis tuæ nõ eſt*

Pſal.56. Eccl.33. Luc.11. Pſal.142.

finis: ſi laborioſa, ibo ad te, bonitas infinita, feſſus, & oneratus, & tu reficies me. Sed eheu! quis poteſt venire ad te niſi traxe-
Ioan.6. *ris illum? Trahe igitur me quò lubet, voluntatem meam ſa-*
Matth.16 *craui tibi; & ſi nemo poteſt venire niſi qui tollit crucē ſuam, amplector omnem quam maieſtati tuæ placuerit imponere mihi; Tu enim Dominus, nos ſerui, & filij ancillæ tuæ. Tu pater, nos filij dignatione tuâ. Tu Rex es, nos ſubditi. Tu ſapientia, & lumen, nos cæci. Tu denique paſtor es, & nos oues. Fac igitur obſecro per viſcera miſericordiæ tuæ, vt au-*
Ioan. 10. *diam vocem tuam, & cognoſcam, & ſequar. Qui enim non audit, non eſt ex ouibus tuis, neque ex electis tuis, qualem me eſſe confido, quodque me paratum ſequi te non deſeres in hoc loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis. Quæſiuiſti enim me ouem perditam, & inuitaſti vt paſcua inueniam, vt vitam habeam, & abundantiùs habeam in te, ô vita mea, & omne bonum*
Ioan. 10. *meum. Quid in horâ mortis me feciſſe velles? Hoc volo. Quid in iudicio tuo à me non eſſe factum exprobrares? Id toto corde deſidero. Quid infinitus amor tuus ô Deus admirabilis, fortis, æterna ſapientia, infinita bonitas, magni conſilij Angele à me in omni æternitate factum eſſe optaret? Id ego, dum vita datur, & tempus eſt miſerendi, ex amore tui, & propter honorem nominis tui cupio, & volo.* Cuſtodi hanc volun-
1.Cor.19 tatem meam *Deus, & dirige me in ſemitam rectam pro-*
Pſal. 26. *pter nomen tuum. Amen Amen.*

Oratio pro eo qui ſtatum vitæ elegit.

O ÆTERNA *Sapientia, & infinita bonitas, vocaſti me, & in hoc vitæ genere conſtituiſti; ſed quia* non eſt in
2.Petr.1. manu hominis via eius, *obſecro te, da mihi gratiam vt* ſatagam per bona opera certam *facere vocationem meam, & quidquid in eâ acciderit, accipere de manu tuâ; velle enim meum conſecraui tibi, & præbui tibi cor meum, & præbeo, vt nullum præter te diligat, quandoquidem elegeris me ante conſtitutionem mundi, vt eſſem filius tuus, & in hoc ſtatu ſequerer te.* Omne ergo, quodcumque faciam in verbo aut opere,
Coloſſ.3. omnia in nomine tuo Domine IESV CHRISTE faciam. *Per te offeram hoſtiam laudis, id eſt fructum labiorum noſtro-*

rum

rum confitentium nomini tuo, qui de tantis periculis eripuiſti me, in quo ſpero quoniam adhuc eripies. Quocumque enim in ſtatu fuero, ſcio hominem me natum ex muliere, & breui Iob.14.
viuentẽ tempore, & repleri multis miſerijs, & *numquam in eodem ſtatu permanere. Solatio verò id mihi permagno eſt,* quòd capilli capitis mei apud te *numerati ſunt, & non* Matth 10
ſines me tentari ſupra id quod poßum ; imò & facies cum 1.Cor.10
tentatione prouentum, *vt poßim perfectus eſſe in ſtatu meo ſicut Pater tuus cæleſtis perfectus eſt. Quæ enim dementia mea foret, poſſe me gemmam comparare precioſam, & vilia mercari? Principem eſſe poſſe, & malle inter lixas latitare? Si domum, equum, veſtem optima mihi deligo, cur non animam optimam, qua placeam tibi? Cur qui in omnibus ſeu artibus, ſeu ſtudijs, ſeu nobilitate ad primas naturâ tendimus, in æternum vili & abiecto animo contemptibiles eſſe volemus? Nunc de regno, nunc de manſione in regno Patris tui agitur, & ego qui maximus hic eſſe velim, in regno tuo minimus eſſe volam? Et cùm ſedere in throno tuo poßim, in tui, vt ſic dicam, contumeliam longè ſedebo à te in æternum? A te? inquam,* qui ſic me dilexiſti Deus meus, vt filium tuum Ioan.3.
vnigenitum dares, qui ſic me dilexiſti Fili Dei, vt animam tuam dares in mortem propter me.

Ecce dico in abundantiâ meâ: non mouebor in æternum, quoniam tu es fiducia mea: *in te inimicos tuos ventilabimus cornu, & ſpernemus inſurgentes in nobis. Perſequatur me licet Pharao cùm ſequi te cupio, & inſpirationem tuam; non timebo mala quoniam tu mecum es. Et ſcriptum audio: Dicite iuſto* quoniam bene, & fructum adinuentionum ſuarum comedet. *Magna enim ſecuritas, & magna in morte potißimùm tranquillitas, & in vniuerſâ hac mortali vitâ, & in aduerſis, ſubitiſque caſibus, & vitæ huius tempeſtatibus, quibus omnes iactantur; quòd tu dominaris mari, & motum fluctuum eius mitigas. Teſtes diſcipuli mihi ſunt, quibus aderas dormiens, ſed benignißimum cor tuum vigilabat ſuper illos. Teſtis Iſraël, cui ceßit mare, & in deſerto cibo paſtus eſt Angelorum, & aquæ amaræ iniecto ligno ei factæ*

Pſal.29.

Iſaiæ 3.

ſunt dulces. Et de carcere *video prodire Reges, quos ducit*
Prov. 28. *manus tua: & rursùm de ſolio excidere eos, quorum vt Bal-*
Pſal. 26. *thaſſaris appendiſti merita, & dies numeraſti.* Ideò iuſtus
vt leo confidit; & ego, *etſi conſiſtant aduersùm me caſtra,*
non timebit cor meum; plures enim nobiſcum, quàm contra
nos: & tu vnus, bone IESV, *ſufficis mihi, qui à dextris es mihi*
ne commouear: & prouidentià tuà attingens à fine vſque ad
Pſal. 68. *finem, fortiter, ſuauiter omnia diſponit. Fac igitur de me ſe-*
cundùm diuinam voluntatem tuam: & quamuis venirem in
altitudinem maris, & tempeſtas demergeret me, ſcio quia
iuſtus es Domine, & quia omnia iudicia tua iuſta ſunt, &
Pſal. 22. *omnes viæ tuæ miſericordia, & veritas.* Imò virga tua, &
baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. *Ideò miſericordiam*
& iudicium cantabo tibi Domine; non enim feciſti taliter
omni nationi, & voluntatem tuam *circa ſtatum non ma-*
1(: *nifeſtaſti eis. Quis verò ſum ego, vt memor ſis mei, aut filius*
hominis quia viſitas eum? Magna enim gratia audire loquen-
tem te, vocari ad obſequium tuum, & videre quàm ſuaue ſit,
& quanta gloria ſequi te Domine, caligine paſsionum diſsipa-
tâ, & radio benignitatis tuæ affulgente mihi, vt cor meum, &
Pſal. 67. *caro mea exultent in te Deo meo.* Confirma hoc Deus,
quod operatus es in nobis à templo ſancto tuo in Jeru-
Pſal. 15. ſalem. Conſerua me Domine, *quoniam ſperaui in te: Deus*
meus es tu, & bonorum meorum non eges.

Praxis in vitæ ſtatu deligendo.

PRIMA eſt, receſſum, ſi fieri poteſt, capere, vel ſaltem negotia aliquantiſper ſeponere, atque Sacramento pœnitentię animam purgare; in maleuolam enim animam non ingreditur ſapientia. Obſerua deinde maximè neceſſariam eſſe reſignationem; quâ homo paratus eſt viam ſibi monſtratam ſequi, neque vult diuinam ſapientiam ſuę inſipientiæ conformari; aut illius voluntatem ſanctam & benè placentē, ſuæ accommodare. Præterea verò orationi inſtare, ſi vnquam, oportet, eleëmoſynis item alijſque pijs operibus, cùm res ſit omnium maxima, & voluntas Dei vnica exquirenda ſit, qui ſolus nouit talenta noſtra quæ dederit, quæ dare decreuerit, quis ſtatus nobis conueniat. Ad hoc iuuabunt Notæ ſpirituum, de quibus infrà dicetur.

Sap. 1.

Deuotioni inſtandū.

Secunda, frequenter accedere ad ſacram communionē, &
poſt

poſt eam ſuppliciter,animoq́ue ad Dei nutum ſequendum comparato, petere : Domine quid me vis facere? Multis enim id euenit, vti & B. Aloyſio Gonzagæ, vt tum vocem Domini,& voluntatem penitùs intelligerent. *Sacra Communio frequentanda.*

Tertia, viros ſpirituales & ſinceros ſuper hoc negotio audire. Solet enim Dominus per alios,maximè tamen confeſſarios, aperire quid à nobis fieri velit. Ita S. Paulo ad Ananiam miſſo dictum : Surge,& ingredere ciuitatem, & ibi dicetur tibi quid te oporteat facere : ita etiam eueniſſe B. Tereſæ refert P.Ribera. Anima enim viri ſancti enunciat aliquando vera plus quàm ſeptem circumſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. *Actor.9. Eccli. 37.*

Cauendum autẽ huic conſiliario,ne præire Deum potiùs velit, quàm ſubſequi:ne hunc vel illum ſtatũ ſuadeat:cùm ſolius Dei ſit vocationẽ dare. Ideoq́ue qui indifferens non eſt,& nimio affectu in hunc fertur ſtatũ,aut ab illo alienior eſt;parùm commodus habetur. Hunc S.Bernardus egregiè docet exemplo ſuo dicens: Laudo omnes ordines,& diligo vbicumq; piè & iuſtè viuitur in Eccleſiâ,vnũ opere teneo, cæteros charitate. Tales verò qui ſuum ordinem omnibus præferunt,alioſq́ue contemnunt,nec noſtri, inquit,nec cuiuſpiam eſſe ordinis veriùs dixerim; quippe qui etſi ordinatè viuentes,ſuperbè tamẽ loquentes ciues ſe faciunt Babylonis,id eſt, confuſionis,imò filios tenebrarum,ipſiuſq́ue gehennę,vbi nullus ordo,ſed ſempiternus horror inhabitat. *Quid conſiliario cauendũ.* *Bernard. in apol.* *Omnes ordines amandi.*

Quarta, in primis quidem vtilem dixi ſeceſſum in iſtâ deliberatione; verùm ſi is obtingere alicui non poteſt,tum veſperi ſaltem per aliquod ſpatium ruminare ac conſiderare expedit illa capita quæ in Modo deliberandi & meditandi infrà ponentur; maximè illud, quod in horâ mortis quiſque optabit vitæ ſe genus delegiſſe. Neque tamẽ ideò ſequitur omnes eandem viam inituros,v.g.ſecuriſſimam & Religioſam:multis enim ea non conuenit,imò neq; ſecura eſt:habet vnuſquiſque donum ſuum,& vocationem. Vnuſquiſque autem in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat oportet,iuxta D.Pauli conſilium. Numquid enim, vt idem monet,dicet figmentum ei,qui ſe finxit,Quid me feciſti ſic? Varia ſunt equidẽ in corpore membra,neque eundem actũ habent, alterumq́ue altero indiget,neque quidquam hîc æmulari oportet, præter chariſmata meliora, id eſt,charitatem:non eſt enim perſonarum acceptor Deus. *Conſiderationi vacandum.* *1.Cor.7.* *Rom.9.*

Quinta eſt,ſanctum Angelum cuſtodẽ colere & inuocare,cùm enim ille nobis ſit datus dux & comes vię in patriã, velut Tobiæ Raphael, dubio procul hoc illi maximè curæ eſt, vt nos eâ ducat viâ, ſeu vitæ genere,quod diuinæ vo- *Angelus cuſtos inuocandus.*

luntati maximè eſt accomodatum; hoc enim clientes ſibi commiſſos, & Dei filios ad cæleſtem Patrem, & patriam nouit peruenturos.

Reſignatio procuranda. Sexta, ante omnia, vt dixi, neceſſaria ea animi præparatio, qua homo firmiter ſtatuit cognitam Dei voluntatem amplecti, neque inchoanda deliberatio, priuſquam mens noſtra in æquilibrio poſita fuerit; vt momenta diuinæ voluntatis clariùs perſpiciamus. Quòd ſi eam in nobis reſignationem non inueniamus, ſæpè exercere eam oportet, inclinando voluntatẽ ad eam partẽ, quam magis auerſatur.

Septima, Vt autem commoda atque incommoda ad finem conſequendum clariùs perſpicias, plicata charta ſcribendæ rationes & commoda quæ hoc vitæ genus ſuadent, deinde illæ quæ diſſuadent; conſiderando an commoda incommodis non præponderent; & obiectiones ſcripto in quiete examinando.

B. Virgo inuocanda Octaua Praxis, Nunc, ſi vmquam, ſtella maris beatiſſima Virgo inuocanda; illa enim mater noſtra eſt, eique curæ, vt filij ſtatum optimum conſequantur; atque ideò peregrinationem ad locum aliquem celebrem inſtituiſſe multis vtile fuit. Et cùm ipſa, vt P. Platus egregiè demonſtrat, Religioſorum Ordinum patrona ſit, procul dubio ad aliquem aſpiranti optima eſt cynoſura.

Patronos etiam ſuos inuocare, aut deligere in hanc rem, ſalutare eſt, & eos, qui in vitæ genere, de quo deliberas, aut primi aut eximij fuerunt. Et hinc profectum vt cuilibet opificio moris ſit patronum eligere, tum ad præſidium, tum ad exemplum.

In concione & lectione loquitur Deus. Nona, Conciones, dum quis deliberat, & lectionem piam frequentare omninò expedit, maximè Scripturæ: de quâ vide Bernardum ad ſororem Serm. 50. Et Chryſoſt. Homil. in illud: *Aſtitit Regina.* Sic D. Auguſtinus conuerſus lib. 8. conf. cap. 6. & S. Ignatius, & S. Childebertus, Sur. 29. Decemb. Concione verò S. Nicolaus Tolentinus, & Babylas: de quo in prato ſpirituali. Cõſortio verò & alloquio bonorum S. Romualdus, & innumeri alij, ideoque hoc magnoperè à Sanctis commendatur. Cùm enim varijs vijs & modis Dominus vocare ſolitus ſit, prudentis eſt omnem, vt ſic dicam, aperire feneſtram, quâ ſolis iuſtitiæ radius in animum noſtrum penetrare poſſit. D. Martinus eleëmoſynâ ſibi ad ſanctitatem viam aperuit. R. P. Borgiam cadaueris ſpectaculum impulit ad ſæculum deſerendum, & S. Sylueſtrum, vt Sur. 26. Nouemb.

Reſignatio neceſſaria. Decima, Coram Ven. Sacram. ſuadeo omnem affectum vtriuſque partis, de quâ deliberatio eſt, exuere, & ſic diui-

næ voluntatis ſigna exquirere, motuſq́ue animi obſeruare, & audire quid in ſe Dominus loquatur. Ad hoc iuuerit expendere notas Spirituum: de quibus varij ſcripsêre poſt S. Ignatium: P. Bernardinus Roſſignolius, & recens P. Theophylus Bernardinus.

Paucis tantùm hîc te moneo, lector, vt obſerues originem, medium, & finem cogitationis, & hunc maximè. Vide ergo an ad ea impellaris, quæ legi diuinæ, & conſilijs ſunt conſona, an verò ſenſualitate, aut vanitate traharis. Hæc enim à Magiſtro humilitatis, qui dixit; Diſcite à me, quia mitis ſum. & humilis corde, inſpiratio eſſe non poteſt. Sicut & illa ſuſpecta, quâ quis ſuo iudicio, & inniti prudentiæ cupit, & aperire directori formidat, vel ad rationis trutinam reuocare; maximè quando imaginatione vehemētiori aliquis fertur, quod hominem rationalem dedecet: Nec minus illa quæ inquietum animum reddit; Spiritus enim Domini tranquillus, & in pace factus eſt locus eius. *Rationem, non impetum ſequi oportet.*

Neque huic quieti repugnat ſenſualis partis obmuſſitatio; imò hac trahente ad infima, percipere inſpirationem ad contraria ſignum eſt diuinæ vocis, & gratiæ. Enumerat ſigna D. Paulus inſpirationis ſanctæ, dum fructus Spiritus S. recenſet. Qui ſunt: Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Denique à bono Deo impelli ad vllum malum non poſſumus, ſed ad CHRISTI imitationem, & Sanctorum. Hæc igitur, dum deliberas, ſæpè abs te pete: Quis ſtatus, aut quod opus Deo acceptius, quid in horâ mortis eligeres, quid in iudicio, quid Sancti elegerint, quid CHRISTVS Dominus. In quo vitæ genere plura tibi conuenientia ſalutis auxilia, pauciora impedimenta. Quæ hactenus expertus ſis talenta ad hoc vel illud vitæ genus. Cuius vocationis habeas certiora argumenta diuinæ voluntatis. Quid denique alteri ſuaderes. *Galat. 5.* *Nota.* *Nota.*

Hæc fuſiùs vide Cap. de modo deliberādi, & in P. Theophili Bernardini cynoſurâ, & P. Leſſio lib. de ſtatu vitæ eligendo. Oratio pro execut. *Dignatus es*, vt ſuprà pag. 10.

JACVLATORIÆ,
quibus deliberans ſe per diem excitare poterit.

DEduc me Domine in viâ tuâ, & ingrediar in veritate tuâ. Pſal. 85.
Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Pſal. 118.
Domine quid me vis facere? Actor. 9.

Pſal.118. *Seruus tuus ſum ego;da mihi intellectũ, vt ſciam teſtimonia tua.*
Prov.16. *Cor hominis diſponit viã ſuã,ſed Domini eſt dirigere greſſus eius.*
Prov.12. *Via ſtulti recta in oculis eius:qui autẽ ſapiens eſt,audit conſilia.*
Prov. 20. *A Domino diriguntur greſſus viri; quis autem hominum poteſt intelligere viam ſuam?*
1.Reg.3. *Loquere,Domine,quia audit ſeruus tuus.*
Prov.21. *Omnis via viri recta ſibi videtur,appendit autẽ corda Dominus.*
Pſal.118. *Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas*

SECVNDÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Quid tardas conuerti ad Dominum Deum tuum, & omne bonum?

CONuertere citò,ô peccator,ad creatorem ac redemptorem tuum, neque vt *A* iſte, dubius morare: ecce enim inſtat mors, ecce tibi *B* IESVM paratum vt te recipiat,aſpice vulnera eius, *C* tormenta attende, & benigniſſimum occurſum illius.Contemne *D* mundum, eiuſque fallaciam, deteſtare *E* peccatum, teterrimum monſtrum: & ſequere IESVM; ac *F* virtutem,quam *G* Angelus monſtrat tibi,eiuſque præmium attende, atque ad eam *H* contritione de peccatis excitatâ, & *I* confeſſione ſacerdoti factâ conuola, ac *K* pœnitentium exempla, vt Deo ſatisfacias, imitare. hâc viâ à iugo Pharaonis infernalis liberabere, & ſeruitute eius, quemadmodum *L* filij Iſraël exitu de terrâ Ægypti. Neque hîc ſubſiſte, ſed perge in patriam, viator, viamque ſterne ac muni *M* eleëmoſynâ, *N* ieiunio, & *O* oratione. O quàm gaudent *P* Angeli ſuper vno peccatore pœnitentiam agente! O quantis præmijs in cælo anima illius coronabitur.

CAPVT IV.

Deliberatio de maturâ conuerſione ad Deum & finem noſtrum, poſtquam deuiauimus.

ANGELVS cuſtos vbique præſens: Verùm, ô viator, quid tibi proderit finem vitæ nouiſſe; fide Deũ & ad Deum viam ſcire, ſtatumq́; elegiſſe; ſi in hoc declines à viâ, auertaris à Deo, & finis tui ac beatitudinis obliuiſcaris? vtique præſtabat Deum eiuſque voluntatem non cognouiſſe. Seruus enim qui ſcit voluntatẽ Domini ſui, & non facit, plagis vapulabit multis, quemadmodum illos Apoſtolus ait inexcuſabiles; qui cùm Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratũ eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & propterea tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum, in immunditiam, in paſſiones ignominiæ. Quòd ſi igitur pro fragilitate humanâ adhuc à Deo, id eſt, omni bono, patre amantiſſimo, creatore potẽtiſſimo, auerſus es qui hæc legis; quæſo te per ſanguinem Chriſti, & ſalutem tuam, ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te; ſed reuertere hoc ipſo momento, & ingemiſce. Ecce enim manus eius extenta eſt; reuertere, & conuertere in viam, & ad Dominũ Deum tuum. Dixit enim: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominũ, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Hæccine credis, & adhuc tardas conuerti ad Dominum inter tot hoſtes conſtitutus, & fide certus, quòd, quâ horâ non putatis, filius hominis veniet, & forſitan hâc ipsâ? *Credo tibi*, &c. vt ſup. pag. 7.

Luc. 12.

Rom. 1. *Scire Deum & peccare, graue eſt.*

Eccli. 5. *Sera conuerſio rarò vera.*

Iſaiæ 55.

HOMO. Credo, & ſcio, ac manifeſtè cognoſco, finem creationis meæ eſſe, vt Domino ſeruiam; & ob hoc creatum eſſe me, & in eo poſitam eſſe omnem felicitatem

meam:

Pſal. 37. meam : ſed quid agam Angele mi? ecce vt inueterauerunt iniquitates meæ, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Video, eheu! me deſcendiſſe ab Ieruſalem in Iericho, qui ab Ierícho in Ieruſalem cæleſtem aſcendere debebam.

Dilatio noxia.

ANGELVS Cuſtos adſtans. O quanta mortalium cæcitas! Dum tempus eſt pœnitentiam agendi, & reſipiſcendi, illud negligere,& profectum ſuum, & mercatum! Quis verò illis promiſit ſpatium pœnitentiæ poſtquàm ſemel neglectum eſt? An contemptum Deum ſperant ſibi magis propitium,poſtquàm aut peccatis, aut imperfectionibus velut opprobrijs diutiùs eum ſaturauerint? An,cùm mundus ob ætatem ſibi ineptos proiecerit, & deſpexerit, tum reſpicere ad Deum ſtatuent, vt illi fæcem tribuant,qui omnia illis largitus eſt,& mundo vinũ bonum? An æquum eſt,vide,ætatis florem in conſpectu Dei noſtri, coram quo ſtamus,& loquimur,offerre hoſti ipſius, etſi eum maximè cupiat, ac reipsâ dicere; Ille coram te Deus meus florem habebit, & meliorem mei partem: tuum verò erit quod euanidum,aut deſpectum ſuperfuerit.

Nota peccatoris impudentiam.

Nunc inuitantem ad emendationem, & perfectionem non audiam, cùm verò ab alijs deſertus fuero, tunc exaudiri à te petam. Nunc vires integras conſumam in mundi militiâ ſtipendio nullo; ſeruiam illi, & amori proprio; cùm defecerit virtus mea,tunc tibi ſeruire volam, poſtquàm & te, amoremque tui amori meo poſthabuero, & gloriam, omniaque bona tua promiſſa, & te neglexero.

HOMO. O quàm vera hæc de me parabola! ſed ô bone JESV, quem præſentem agnoſco, & audio rurſus *Matth.* 11 ſuauiſſimè vocantem, & dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: confido in miſericordiâ tuâ quòd ſeriò reſipiſcentem non deſpicies. *Credo tibi, &c.* vt ſuprà pag. 7.

JESVS. Omne quod venit ad me, non eijciam foras, etſi ſtans ad oſtium, & pulſans ſæpè repulſam paſſus ſim. *Ioan.6.* *O quanta Dei bonitas.*

HOMO. Miſericordia tua ſuper omnia opera tua. Utinam, vtinam numquam te offendiſſem, amantem odiſſem, ſequentem repuliſſem! *Infelix ego,* vt inf.pa.48.

ANGELVS. Spera in Domino, & fac bonitatem, & paſceris in diuitijs eius. Tantummodo ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Citò conuertere, ne quando vt leo rapiat animam tuam, & non ſit qui redimat, neque qui ſaluum faciat. Neſcis quia ſerò ſæpè paratur medicina, vbi inualuit morbus? Quæ, precor, ex dilatione commoda euenient? Vides arborem non flecti niſi cùm virga eſt? itaque & tu beatus eris, ſi maturè ceruicem tuam flexeris ad ſuaue iugum CHRISTI JESV Domini noſtri: *ſi alliſeris Babylonis paruulos ad petram, ne poſteà ſuperare nequas.* Quis æger expectat dum morbus inualeſcat? quis prudens viator iter differt, donec pluuio cælo alueus vadari nequeat? Quis expectat, donec filum quod abſcindere vix poteſt, in nauticum funem excreuerit? id eſt, dum praua conſuetudo fortiùs alligârit, dum clauus altiùs infixus erit? Et quis longiùs errare pergit, vbi errorem deprehenderit? Quis, ſi faſcem peccatorum iam leuare nequit, vt ad pedes CHRISTI JESV & ſacerdotis deponat, vbi plurimis auctus fuerit, tollere poterit? Quod igitur alteri ſuaderes in re *(aliquantiſper hic ſubſiſte)* eiuſmodi, tibi conſule. *Haccine vera,* vt ſup.pag.7. *Pſal.25.* *Eccl.5.* *Pſal.7.* *Dilationis incommoda grauiſſima.* *Pſal. 136.*

HOMO. Eheu! nónne hæc memoria mortis mihi ſanè perſuadere deberet, quæ veniet ſicut fur in nocte, & eâ ipsâ horâ quâ non puto?

ANGELVS. Quando ergo venturum putas? vel potiùs dicito mihi: Nónne omni horâ paratum te eſſe oportet, vt vocanti iudici reſpondeas? Reſpice quæſo, & hianten infernum intuere. Circumſpice mille pericula,

cula, & mortis cauſas etiam ſempiternæ. Iam verò an paratus es, vt mecum ad iudicem proficiſcaris? Et tu audes in conſpectu eius vel momento ſtare in imperfectionibus,& peccatis,& non reſipiſcere? *Hæccine vera*,vt ſuprà pag. 7.

Auguſt. Vide ne hâc animaduerſione percutiare:vt qui, dum viuis & ſanus es, obliuiſceris Dei; in morte,& tui & illius obliuiſcaris. Acerrimè tunc hoſtis inſtabit tot victorijs animoſior, quot tu peccatis debilior: tantò violentior, quantò magis defecerit virtus animæ & corporis tui. *Gregor.* Etiamſi verò veniam pœnitenti promiſerit Deus, tamen peccanti neque gratiam ad hoc, neque craſtinum, neque horam promiſit. Quàm grauiter verò in iudicio argueris, ſi occaſionem hanc ſalutis tuæ neglexeris; perditionem verò maximo diſcrimine, labore, ſudore quæſieris? *Occaſio ſalutis non negligenda.* Quam tunc gloriam & laudem accipiet, qui omnem vitam malè traduxit? quid metet, qui,dum viueret, ſeminauit ſibi dolores, & pœnas ſempiternas? *Matth. 7.* Numquid colliguntur de ſpinis vuæ, aut de tribulis ficus? an iſta præparatio eſt ad placandum iudicem,criminum aceruum cumulare?

Rom. 2. HOMO. Video,video nihil triſtius in omnem æternitatem futurum, quàm,dum tempus erat veniæ,theſaurizaſſe ſibi iram in die iræ & vindictæ, ideoque iniquiorem, & magis Deo iniurium fuiſſe, quo ſe benigniorem erga nos exhibuerit. *Credo tibi*, vt ſupra,pag. 7.

Dementia peccatoris quanta. ANGELVS. Age verò, quamuis ſaluus fieres horâ extremâ, quæ dementia, hîc in ſtatu hoſtis Dei & latronis permanere,in ſerui conditione potiùs quàm liberi,ſinere omne tempus merendi & Deo placendi fruſtrà elabi? Si autem in æternitate amaturus es Deum, an vis eum iam odiſſe? ſi tunc amaturus, quantum triſtaberis quòd tamdiu Patrem,& Dominum,& omne bonum exoſum habueris? Hîc nullam occaſionem lucri temporalis elabi ſinis:æterni omnem proijcis? *Iob 51.* Ecce,Sancti quàm ſollicitè ambulabant coram Deo?& tanquam tumentes fluctus

timebant

timebant Dominum, ſemper pauidi; &, quamuis nihil ſibi conſcij, nunquam tamen ſecuri. Tu verò toties à me monitus, vt gaudere poſſem ſuper conuerſione tuâ & pœnitentiâ, ecce tanto tempore reſtitiſti mihi. Neque tam facile eſſe putes conuerti. Sed Ambroſium audi: Faciliùs, inquit, inueni, qui innocentiam ſeruarent, quàm qui congruè pœnitentiam agerent. Et quamuis aliud nihil foret, quid triſtius, quam perpetuâ in luctâ, anguſtiâ, conſcientiæ aculeis & ſtimulis vitam agere? Hæccine verò de te meritus eſt Dominus Jesvs? hoccine eſt eius exemplum ſequi, & propter miſericordiam eius illum ad iram prouocare, & perſeuerare in illuſione illius, eò quòd miſericors ſit & clemens? *Infelix ego*, vt infrà pag. 48.

Ambroſ. lib. de vnicâ pœnit. c. 10

An ignoras, ait Apoſtolus, quoniam benignitas & bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? O quanta eſt bonitas, quam continuò te alendo, fouendo, ſeruando te & creaturas omnes propter te, demonſtrat! neque quidquam hæc te commouent? O ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hâc die tuâ, quæ ad pacem tibi! Et quid eſt quod te auertit à Deo tuo, à ſalute, à gloriâ, à vitâ bonâ, beatâ, ab optimi Patris & Dei tui charitate, & amplexu? quid eſt, niſi voluptas aut vanitas breuis, multis quærenda ſollicitudinibus, multâ ſeruanda anxietate, multùm dolenda vbi amiſſa fuerit, & luenda inauditis ſupplicijs, aut hîc eluenda diuturnis lacrymis? Si enim aliquando ſaluus futurus es, mille mortes optabis potiùs obijſſe, quàm offendiſſe Dominum Deum tuum. Vade igitur, & ſemina in momentaneâ voluptate, quod in æternis doloribus metes. Conuertere, conuertere, & vide quid interſit inter iuſtum & impium; inter ſeruientem Deo, & non ſeruientem ei. Ecce enim ipſe eſt Dominus, & non eſt alius, ipſe mortificat & viuificat; magnus eſt, magnitudinis eius non eſt finis; ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſſibilem: & tu audes hunc contemnere, & mauis ſeruire hoſti per ambitionẽ, auaritiam,

Rom. 2.
Beneficia & benignitas Dei peccatorẽ inuitat.
Luc. 9.

Conſidera quid interſit inter iuſtum & iniuſtum.
Malac. 3.
1. Reg. 2.
Pſal. 144.
1. Tim. 6.

auaritiam, & ſæculi vanitatem? Jeruſalem, Jeruſalem, conuertere, conuertere ad Dominum Deum tuum. *Credo tibi*, &c. vt ſuprà, pag. 7.

Auguſt. l. 8 Conf. c. 5. HOMO. Non eſt, ô Angele mi, quod reſpondeam tibi dicenti: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus: cumque vndique cognoſcam te vera dicere, iam non eſt omninò quod reſpondeam veritate conuictus. Si enim credo me locum veniæ non inuenturum, quæ dementia peccare ſine ſpe remiſſionis? ſi autem cogito Dominum meum bonum & miſericordem, qui, etiamſi plurimis peccatis meis grauiſſimè offenderetur, ignoſceret tamen; quæ malitia mea velle malum eſſe me, quia bonus eſt?

Exercitium conuertentis ſe ad Deum.

Rom. 7. Pſal. 119. INFELIX *ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Surge, ſurge, propera, & ſequere vocantem, imò clamantem voce grandi. Hodie, ô anima mea, ſi vocem Domini audierimus, ne obduremus cor noſtrum. Putáſne, bone* JESV,
Iob. 4. *mortuus homo rurſum viuet? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocaſti me, & vocant me vulnera tua, & lacrymæ tuæ: impellit mors, quam*
Iob. 14. *video imminere capiti meo. Vocaſtine ergo me, & non reſpondebo tibi? Imò & operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem greſſus meos dinumeraſti, quibus erraui ſicut ouis quæ perijt; ſed iam obſecro ô bonitas, ô amor, inutilem & viliſſimum quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum*
Ibid. *oblitus. Signaſti quaſi in ſacculo delicta mea, ſed curaſti ini-*
Ibid. *quitatem meam benignitate tuâ. Si lapides excauant aquæ, & alluuione paullatim terra conſumitur, etiam cor meum lapideum excauet imber ſanguinis tui, & quidquid terre-*
Iob. 7. *num eſt in corde meo, diluuio bonitatis tuæ conſumatur. Sed quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Viſitas eum diluculò, & ſubitò probas illum. Vſquequò non parcis mihi, nec dimittis me, vt glu-*
tiam

tiam ſaliuam meam? Peccaui; quid faciam tibi ô cuſtos homi-
num? Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihi-
metipſi grauis? Cur non tollis peccatum meum, & aufers ini-
quitatem meā? ſicut enim onus graue grauatæ ſunt ſuper me Matth. 11
iniquitates meæ. Sed dixiſti: Venite ad me omnes qui laboratis,
& onerati eſtis: Venio igitur timens & tremens, ſed magis te
amans; & ex amore tui facta eſt magna velut mare contritio
mea. Recordare Domine quia tempus miſerendi, quia venit Iob 13.
tempus. Numquid contra folium, quod vento rapitur, oſtendes
potentiam tuam? Numquid obliuiſci poteris miſericordiarum
tuarū quæ à ſæculo ſunt? Numquid poteris vocare fugientē, Iob 6.
& reuertentem ad te repelles? Quis mihi det vt veniat petitio Præpara-
mea, & quod expecto veniat mihi, & det mihi? oſculū ſcilicet tio ad Cō-
pacis filio prodigo, & miſero miſericordiam, & pauperi panē munionē.
Angelorū, & ſitienti fontes aquarum, & animæ meæ teipſū? Pſal. 72.
Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Habac. 3.
Nunquid iraſceris mihi vſque in finem, & non cùm iratus
fueris, *miſericordiæ recordaberis? Hæc ſpes repoſita eſt in ſinu* Pſal. 37.
meo, & licet occideris me, in te ſperabo. Domine ante te omne
deſiderium meū, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Si
igitur dixiſti: quacumq; horâ ingemuerit peccator, quòd non
recordaberis iniquitatis eius, ecce gemo; obliuiſcere igitur ini-
quitatum mearum, & reminiſcere miſerationum tuarū Do-
mine, & miſericordiarum tuarum quæ à ſæculo ſunt. Propter
nomen tuum Domine propitiare peccato meo

Praxis ad maturam conuerſionem.

PRIMA; apud ſe ſtatuere, ſtultum eſſe quęuis alia negotia huic anteponere, à quo omnia pendent & vniuerſa ſalus hominis. Quid enim prodeſt homini ſi vniverſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? *Matth. 16*

Secunda, quotidie veſperi vnā ex infrà poſitis conſiderationibus ruminare; quibus excitetur & vrgeatur: & ſimul attendere ante ſomnū, an paratus ſit mori. Verè enim ſomnus mortis eſt imago, & via. Quoties is qui in ſomnū caput inclinauit, telo mortis ſe improuidus induit? Quotſani incubuerūt, quos ſomnus ſimul cū morte oppreſſit! Quiſquis prudēs eſt, ſomnū nō capiet, & ęternę ſimul mortis periculo ſeſe

 exponet,

exponet. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis:

Tertia, horas aliquas ſucciſiuas certò huic negotio tribuere, præſertim feſtis diebus. Sed eheu! eò cæcitatis ac teporis venimus, vt ſucciſiuas nobis, animæ noſtræ, ſaluti, Dei cultui vix impetrare à negotiis poſſimus; cùm illis vita tota conceſſa ſit.

Conſiderationes breues pro conuerſione, & vitâ bona, ſæpè, & maximè ſub noctem, breuiter expendendæ.

Attende quò vadas. CONSIDERA Primò, te velut viatorem, & peregrinum; & teipſum interroga: Quò proficiſcor? quo finè creatus ſum, & iter huius vitæ ingreſſus? Certè vt in Ieruſalem cæleſtem peruenirem. Eòne me mea vita & via ducit? *Pſal.* 41. Quando veniam, & apparebo ante faciē tuam, Deus meus? *Pſal.* 119. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! *Credo tibi* &c. vt ſuprà pag. 7.

An progrediaris. Conſidera Secundò, viatorem quotidiè progredi oportere, & vias maximè ſecuras & breuiores quærere: & vide an ſic agas. Sanè ſi in itinere compendioſius & tutius occurreret, nónne illud eligeres? Si in re aliquâ graui, aut expeditione, varia ſeſe offerrent conſilia, nónne tutius, maximè ſi à ſapientiſſimo id daretur, eligeres? Eâdē prudentiâ in animâ vtere. Audi quid Sapiētia ęterna ſuadeat: & quod alteri ſuaderes, ipſe fac: frequenter confitere, & communica, & miſerere animæ tuæ placens Deo, ita vt nunquā, vel ad horā maneas Dei inimicus, ab eoque deſeraris, & in dęmonis ſis poteſtate, & pro eius arbitrio viuas. Heu! quanto prudentiores ſunt filii huius ſæculi filiis lucis in generatione ſuâ? *Infelix ego,* &c. vt ſuprà pag. 48.

Vanitas mundi. ConſideraTertiò, occupationes hominū varias, & quorſum iis animi & corporis vires omnes impendant, nempe vt vel opibus, vel honore, vel fauore hominū augeantur, idque ad horam vnā vel momentum vitæ noſtræ: & hæc omnia in illo momento ſæpenumerò, vel culpâ leuiſſimâ, vel maleuoli verbo vno, vel ictu globi vnius deperdi: quanto ergo ſatiùs de æterno honore, fauore æterni regis & opibus cogitare? Vanitas vanitatum, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Hæccine vera* &c. ſuprà pag. 7. *Eccl.* 1.

Seruitus Dei & mundi. Conſidera Quartò, quid ſint Reges & principes terræ, quis verò Deus; illi terræ vermes, & mancipia ſeu conſerui noſtri: hodie ſunt, & cras non erunt. Attende autē, quomodo hinc vermis & conſeruus ab hominibus obſequium petat, inde Deus: & vide, quā prompti ſint homines & indefeſſi, vt ſeruiant principi, qui conſeruus eſt; quot verò opus habeat

habeat Deus promiſſis,exhortatoribus , vt ſibi vel decima pars præſtetur;nec hanc quidem illi concedi, niſi conſeruo arrideat,& permittat;& quàm id turpe & indignũ,& dic, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.*Credo* &c.ſuprà.pag.7.

Quintò,conſidera Primò , iã reuerſos ab inferis eos qui in gentiliſmo & chriſtianiſmo tuæ conditionis fuerunt,ſeu Cæſares,ſeu bellatores;Principesque,Conſiliarios,&c.

Quanta ſit & quàm breuis merces laborũ, quam à mundo retulerint.Summa eſt fumus famæ,& honoris: ſed quid miſeris prodeſt laudari vbi nõ ſunt,& cruciari vbi ſunt?Secundò quàm multa bona pro Dei gloriâ tui quiſpiam ſimilis præſtare poſſet , ſi tot labores & pericula ſubiret pro Deo quo tu vt mundo ſeruias? Certum, vnumquemque ad magnam ſanctitatem peruenire poſſe,& latè Dei gloriam propagare,ſi quantum pro fumo,& mundo,tantundem pro Dei gloriâ,ſuâque ſalute præſtiterit. Tu igitur ſperne mũdum,& Deo adhære;& dic : Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur , animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.*Infelix ego*,&c.pag.48. *Audi mortuos.* *Mat.16.*

Conſidera Sextò in rebus agendis.Primò,nihil ſine Deo te poſſe,proinde ſoli illi humiliter omnia tribue,qui deponit potentes de ſede,& exaltat humiles;& ante omnia cura,vt illum habeas propitiũ.Secundò,vt famuli, & alii quibus ad executionẽ vteris,quoad potes boni ſint. Non enim ſunt,vt patet,apta inſtrumenta fidei tuendæ,& gloriæ Dei propagandæ, aut agendi præclara,inimici Dei , & diaboli mancipia qui eos ad mala omnia trahit & inſtigat. Tertiò, impoſſibile eſſe euentus futuros prouidere , propterea, poſtquam diligentiã adhibueris,omnia ſcias eſſe relinquẽda Dei prouidentiæ.Quartò, cũ ipſe ſit ſolus Dominus,ſolus altiſſimus, eius honorem & gloriam præ oculis ſemper habendam. Alioquin enim meritò grauiter indignabitur,& conſilia nõ fortunabit,in quibus videbit magis gloriã quæri ſerui,quàm ſuam: dicit enim , Gloriam meam alteri non dabo.Quis ſicut Dominus Deus noſter,qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terrâ? Quicunque glorificauerit me,glorificabo eum:qui autem contemnunt me,erunt ignobiles.*Hæccine vera*,vt ſuprà pag.7. *Deum roga ſine quo nihil potes.* *Iſaiæ 41.* *1.Reg.2.* *O quã breuis vita!*

Conſidera Septimò vitæ breuitatem,quodque inſtar nauis,ſagittę,curſoris,& vaporis tranſeat.Quocirca præmitte theſauros bonorũ operũ & eleëmoſynarũ eò vbi perpetuò victurus es,ibi principatus potiùs ſtude acquirere,quã hîc vbi horâ vnâ manendum.Secundò , incertitudinẽ mortis,

Ideò omni horâ eſto paratus;nec vnquam cubitum conce-das niſi Deum excuſsâ conſcientiâ placaueris, memor il-

*Luc.*2. lius verbi Veritatis æternæ: Quâ horâ non putatis, filius hominis veniet,*Hæccine vera*,&c.vt ſuprà pag.7.

Monitorem fac habeas. Conſidera Octauo, principes habere qui curent diligẽter pecuniam ſuam,qui curent corpus ſuum,& magna præmia illis tribui,qui damna præuertunt,ſigna morbi indicãt, hoſtiumq́ue machinationes clandeſtinas ſignificant. Refer ad animam,& habe ſaltem confeſſarium,à quo moneri petas,ſi quod animæ periculum videat, ſi quem morbum detegat,aut hoſtium infernalium molimina,vt occurrere malo venienti poſſis.Sic autem crebrò Deum inuoca:Vias tuas Domine demonſtra mihi,& ſemitas tuas edoce me. Vtinã dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas! Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. *Credo tibi*, &c.vt ſuprà pag.7.

Oratio pro executione.*Dignatus es*,&c ſup.pag.10.

IACVLATORIÆ.

Pſal.7. *Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum vibrabit, arcum ſuum tetendit,& parauit illum.*

Pſal. 79. *Deus virtutum conuerte nos, oſtende faciem tuam,& ſalui erimus.*

Pſal.84. *Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte iram tuam à nobis.*

Ierem.31. *Conuerte me,Domine,& conuertar ad te, quia tu Dominus Deus meus es.*

CAPVT V.

De pœnitentiâ verâ ſalutis ſemitâ, quâ homo ad Deum & ſalutis viam reuertitur,eiuſq; parte prima,Contritione.

POSTQVAM homo coram Deo ſtatuit reuerti ad viam ſalutis,& tendere ad terminum creationis, & vitæ ſuæ,contritioni & dolori operam dei; hoc pacto enim velut compendio, itinere tridui perget in deſertum ex Ægypto, & de Pharaone & exercitu eius Dei gratiâ triumphabit. Huius tridui dies primus con-

tritio,

tritio,ſecundus confeſſio, tertius ſatisfactio diei poteſt.

Quemadmodum autem admirabili, & ſuaui prouidentiâ ſuâ ſtatuit Dominus,vt anima,quæ concepit dolorem & peperit iniquitatem, morte moriatur; ſic decreuit vt eadem poſt peccatum concipiendo verum dolorem,& contritionem, in vitam reuocetur. Atque ita peccati proles dolor eſt,qui ſi ex amore Dei concipiatur, infelicem matrem proles optima deſtruit,& pro interitu nobis reſtituit ſalutem. Duplex verò dolor eſt;alter Attritio appellatur,cùm quis ex peccati fœditate,& timore gehennæ, aut ſimili conſideratione de præteritis dolet. Alter Contritio dicitur;quo anima ex puro amore,non ob pœnam,ob amiſſionem bonorum, non ob moleſtiã; ſed ob id gemit ac dolet,id eſt,optat non à ſe patratum delictum (etſi non ſentiat teneros affectus ac lacrymas) quòd benigniſſimum Patrem, liberaliſſimum Dominũ contriſtârit, iniuriâ affecerit, quem omni amore & honore proſequi debuerat:atque hic eſt filiorũ dolor, Deo Patri gratiſſimus vſq; adeò,vt ad ſalutem ſufficiat,quando Confeſſarij copia defuerit. Huic igitur acquirendo plurimùm inſiſtendum eſt potiùs,quàm anxiæ peccatorum enumerationi, cùm plerumque ſecùs fieri ſolitum ſit; ideoque hîc ſubſidia ad contritionem propono. Nónne Magdalena dolore & amore peccata deleuit? Publicanus verò in priſtinam gratiam tum receptus eſt, quando eructauit ex intimo ſenſu, & charitatis affectus verbum illud bonum & ſalutare: Deus,propitius eſto mihi peccatori.

Dolor eſt medicina peccati. Pſal. 7.

Duplex dolor.

Summum bonum. Contritionis vtilitas.

Complectitur vterque dolor in ſe, etiamſi non ſemper explicitè, propoſitum ſeruandi præcepta. Inter hæc illud, quo confeſſio præcipitur, omninò ſuo tempore explendum eſt, maximè cùm ea vis eius ſit,vt ex attrito contritum faciat. Ideoque memento eam crebrò vſurpare,vt certam vocationem,& ſalutem tuam facias,

Propoſitum emendationis.

COLLOQVIVM CHRISTI JESV

cum animâ peccatrice, pro contritione excitandâ.

Deut.32. Iob.38. CHRISTVS. Audite cæli quæ loquar, audiat terra verba oris mei. Ecce interrogabo te N. reſponde mihi. Nónne ego te creaui ex infinito amore & ſpontaneo, in laudem & gloriam nominis mei? Age verò, nónne tibi conſcium eſt cor tuum, quòd viuas, & coram me, in opprobrium meum, vt meritò, ſi vita tua nota mundo foret, propter te blaſphemaretur nomen meum; & tamen te vt filium enutriui & exaltaui. Tu autem ſpreuiſti me, & tacui: & cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, tu verò me non cognouiſti: ſed quia longanimis ſum ſuper malitiâ hominum, patiens fui.

Conſule cor tuum & audi.

Iſaiæ.1.

Pſal.31. ANIMA. Verè, Domine, factus ſum ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Creatorem te vocaui & Regem & Deum meum, & ad contumeliam tuam te viliſſimæ creaturæ poſthabui. Neque verò ſi interroges me, cauſam ſcio, niſi quia mihi lubebat, etſi vetares; quia ſic recreabat, etſi tibi doleret. Eheu! à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in me ſanitas. Sed quò ibo? Ad quem confugiam niſi ad te ô Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis? Ne proiicias ergo me à facie tuâ, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Operi manum tuarum porrige dexteram Domine meus, & Deus meus.

Peccator illudit Deo.

Iſaiæ 1.

Pſal.50.

Iob 14.

Iob 4. Actus contritionis: *Domine* IESV, &c infrà pag.60.

CHRISTVS. *Si ego ſum Dominus, vbi eſt timor meus? Si Pater, vbi eſt amor meus?* Credíſne Dominum eſſe me, & contemnere potes? Patrem vocas, & mea, meaque mandata, vt capitali tuo placeas hoſti, deſpicis? Quoties te volui congregare ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Quoties dixi: vſquequò grauí

Peccator videtur nō credere.

Matth.23.

Pſal.4.

graui corde? vt quid diligis vanitatem, & quæris mendacium? an putas, quiſquam facinoroſus credit Regem ſibi adſtare, ſe contemplati, minari, & non ceſſat maledicere ei? Quis reus in carcere iudicem operitur, & audiens eadem horâ in foro plurimos dirè cruciari ob ſimilia ſuis delicta, non terretur? Tu verò nónne noſti ob illa tua peccata N. plurimos ſaltem in purgatorio flammis torqueri; fortè etiam in inferno æternùm gemere, & torreri? Et tu ridere potes, & amori ſeruire proprio, ac mundo, & vel momento in peccato permanere? Si vocaui hactenus, & renuiſti, extendi manum meam, & non aſpexiſti, & ſpreuiſti omne conſilium meum, nunc ſaltem reuertere dum tempus miſerendi, dum patet ſalutis porta, ne ſi moram feceris, cum dolore meo & tuo aliquando poſtules aperiri fores miſericordiæ meæ, & iuſtitia mea tibi reſpondeat: amen neſcio vos.

Prou.1.

Dum patet cœlum, ingredere.

Matth.25.

Anima, Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Memento, obſecro Domine Iesv, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me. Et cùm nihil oderis eorum quæ feciſti, reminiſcere miſerationum tuarum antiquarum: citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Nónne miſero mihi iam data eſt lux, & vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio hæc tua cuſtodiet ſpiritum meum? O quis dabit capiti meo aquã, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei! O quàm amarum eſt mihi dereliquiſſe te Dominum Deum meũ! de quo ſcriptum memini: ſuauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius *Credo tibi*, &c. vt ſup. pag. 7.

Iob 10.

Pſal.78.

Ierem.9.

Amarum eſt Deum relinquere.

Christvs. Reduc in memoriam beneficia quæ contuli tibi, & iudicemur ſimul. Narra ſiquid habes vt iuſti-

Iſa.43.

Ingratitudo peccatoris.

Pſal.37.

COLLOQVIVM CHRISTI JESV

cum animâ peccatrice, pro contritione excitandâ.

Deut.32. *Iob.38.* CHRISTVS. Audite cæli quæ loquar, audiat terra verba oris mei. Ecce interrogabo te N. reſponde mihi. Nónne ego te creaui ex infinito amore & ſpontaneo, in laudem & gloriam nominis mei? Age verò, nónne tibi conſcium eſt cor tuum, quòd viuas, & coram me, in opprobrium meum, vt meritò, ſi vita tua nota mundo foret, propter te blaſphemaretur nomen meum; & tamen te vt filium enutriui & exaltaui. Tu autem ſpreuiſti me, & tacui: & cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, tu verò me non cognouiſti: ſed quia longanimis ſum ſuper malitiâ hominum, patiens fui.

Conſule cor tuum & audi.

Iſaiæ.1.

Pſal.31. *Peccator illudit Deo.* ANIMA. Verè, Domine, factus ſum ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Creatorem te vocaui & Regem & Deum meum, & ad contumeliam tuam te viliſſimæ creaturæ poſthabui. Neque verò ſi interroges me, cauſam ſcio, niſi quia mihi lubebat, etſi vetares; *Iſaiæ 1.* quia ſic recreabat, etſi tibi doleret. Eheu! à planta pedis vſque ad verticem capitis non eſt in me ſanitas. Sed quò ibo? Ad quem confugiam niſi ad te ô Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis? Ne proiicias ergo *Pſal.50.* me à facie tuâ, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas à *Iob 14.* me. Operi manum tuarum porrige dexteram Domine meus, & Deus meus.

Iob 4. Actus contritionis: *Domine* IESV, &c infrà pag.60.

CHRISTVS. *Si ego ſum Dominus, vbi eſt timor meus? Si* *Peccator videtur nõ credere.* *Pater, vbi eſt amor meus?* Credíſne Dominum eſſe me, & contemnere potes? Patrem vocas, & mea, meaque mandata, vt capitali tuo placeas hoſti, deſpicis? Quo- *Matth.23.* *Pſal.4.* ties te volui congregare ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Quoties dixi: vſquequò

graui corde ? vt quid diligis vanitatem, & quæris mendacium ? an putas, quiſquam facinoroſus credit Regem ſibi adſtare, ſe contemplati, minari, & non ceſſat maledicere ei ? Quis reus in carcere iudicem operitur, & audiens eadem horâ in foro plurimos dirè cruciari ob ſimilia ſuis delicta, non terretur? Tu verò nónne noſti ob illa tua peccata N. plurimos ſaltem in purgatorio flammis torqueri ; fortè etiam in inferno æternùm gemere, & torreri?Et tu ridere potes,& amori ſeruire proprio, ac mundo, & vel momento in peccato permanere ? Si vocaui hactenus, & renuiſti, extendi manum meam, & non aſpexiſti, & ſpreuiſti omne conſilium meum, nunc ſaltem reuertere dum tempus miſerendi, dum patet ſalutis porta, ne ſi moram feceris, cum dolore meo & tuo aliquando poſtules aperiri fores miſericordiæ meæ, & iuſtitia mea tibi reſpondeat: amen neſcio vos. *Prou.1.* *Dum patet cælum, ingredere.* *Matth.25.*

Anima, Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Memento, obſecro Domine Iesv, quòd ſicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nónne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti ? Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me. Et cùm nihil oderis eorum quæ feciſti, reminiſcere miſerationum tuarum antiquarum: citò anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Nónne miſero mihi iam data eſt lux, & vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio hæc tua cuſtodiet ſpiritum meum ? O quis dabit capiti meo aquã,& oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei! O quàm amarum eſt mihi dereliquiſſe te Dominum Deum meũ! de quo ſcriptum memini : ſuauis Dominus vniuerſis,& miſerationes eius ſuper omnia opera eius *Credo tibi*, &c. vt ſup. pag. 7. *Iob 10.* *Pſal.78.* *Ierem.9.* *Amarum eſt Deum relinquere.*

Christvs. Reduc in memoriam beneficia quæ contuli tibi, & iudicemur ſimul. Narra ſiquid habes vt iuſti- *Iſa.43.* *Ingratitudo peccatoris.* *Pſal.37.*

iuſtificeris. Nónne retribuiſti mala plurima N. pro bonis. Sterilitatem animæ meæ? Nónne ego te redemi precio magno ſanguinis mei, non corruptibilibus auro, vel argento, vt glorificares, & portares me in corpore tuo? Quid verò tu feciſti?

Stultitia peccatoris. HOMO. Vendidi, cheu! animã meam ſine precio. Quid enim ſunt vniuerſa hæc, quæ Apoſtolus tuus verè arbitrabatur vt ſtercora, vt te lucrifaceret? Et quid prodeſt *Matth. 16* homini ſi vniuerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? Et fieri potuit vt hæc mallem, & quærerem, quæ neque inuenire, neque retinere poſſum; & tu mihi tam vilis fieres omne bonum, vt nõ pro pulte cum Eſau, nec triginta argenteis cum Iuda, ſed pro fumo, & inani voluptate venderem, & perderem te? *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Domine IESV, &c. infrà pag. 60.

Iſai 48. Matth. 20. CHRISTVS. Recordare quòd dilectam animam meã dederim in mortem propter te, vt ſperares & confideres in me. At verè neruus ferreus ceruix tua, & frons tua *Iſai 28.* ærea. An fili mi, quia ego bonus ſum, oculus tuus nequã eſt? Cur auertis faciem tuam à me qui tibi ſum vita, & ſalus? Cur feciſti pactum cum morte, & pepigiſti quondam fœdus cum inferno in perditionem tuam, in mei *Peccator fœdus facit cum dæmone.* contumeliam? Cur, obſecro, vis vt triumphet hoſtis meus de ſanguine meo, & precio illius, id eſt, te, qui vt viueres, à me morte meâ redemptus es. *Domine* IESV, &c. pag. 60.

Iob 10. HOMO. Tædet animam meam vitæ meæ: dimittam aduerſus me eloquium meum: loquar in amaritudine animæ meæ. Et quid dicam tibi, infinita bonitas? Dicam Deo, Noli me condemnare, quia pro me damnatus es: Noli me derelinquere, qui triginta tribus annis quæſiuiſti me. Noli mei obliuiſci qui in manibus tuis deſcripſiſti me.

Eſa. 49. O quanta Dei bonitas CHRISTVS. Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Etſi illa

oblita

oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ego enim te dilexi, & laui in ſanguine meo; mundus verò & caro hoſtes tui ſitiunt ſanguinem tuum, cui, obſecro, adhærere tibi bonum eſt? Ego te creaui; & hoſtis tuus mille modis te deſtruere nititur: ego æternis præmiis inuitaui, & inuito; ille vaniſſima voluptate, & æternis ſuppliciis: ego ſummum bonum, & ille ſummum malum. Clamabóne igitur ad te, & vocabo, & non exaudies? Rogabo, & repulſam patiar? Lacrymabor ob tua pericula, & irridebor abs te? Reuocabo te ab iis, & tu in iis gaudere perges, imò & maiora quærere, & me contriſtare? *Luc.19.* *Heb.5.*

Credo tibi, &c. pag. 7.

Domine IESV, &c. pag. 60.

HOMO. Miſerere Domine quoniam defecimus in irâ tuâ, & in furore tuo turbati ſumus. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, & ſæculum noſtrum in illuminatione vultus tui. Pudet meminiſſe ob turpem voluptatem, inaniſſimam vanitatem tot moleſtiis petendam, tantâ curâ ſeruandam, etſi ſeruari non poſſit, ob hæc, inquam, mundi decreta duriſſima ſeruari, & mandata tua diligenda ſuper aurum & topazion, & dulciora ſuper mel & fauum, nec æternis propoſitis præmiis, vel ſuppliciis, cuſtodiri. *Pſal.89.* *Pſal. 118.*

CHRISTVS. Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Quid enim ſupereſt tibi ex iis, in quibus nunc erubeſcis? Quid tibi profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit tibi? Et nunc quid tibi vis in viâ Ægypti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum viâ Aſſyriorum, vt bibas aquam fluminis? *Ierem. 2.* *Fructus peccati.* *Ierem.2.*

Nónne ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum: quomodo ergo conuerſa mihi es in prauum vinea aliena? Expectaui, vt faceres vuas; & ecce labruſ- *Iſaiæ.5.*

cas. Quid debui vltra facere vineæ meæ , & nõn feci? Quid inueniſti in me iniquitatis , quia elongaſti te à me? nónne ſilui? nónne tacui ? nónne patiens fui , longanimis, & miſericors ſuper malitiâ hominum ? Verumtamen poſt hæc omnia , quia facilis eram ad veniam, & bonus, crebriùs me offendiſti : confregiſti iugum, & dixiſti, Non ſeruiam. Gloriatus es in malitiâ, potens in iniquitate. Hæccine reddis mihi , popule ſtulte & inſipiens ? Vbi ſunt dij tui conſolationes tuæ, in quibus habebas fiduciam ? nónne abierunt omnia tamquam vmbra , & tamquam nauis cuius non eſt inuenire veſtigium in fluctibus ? quod mundus voluit, quod ſenſualitati allibitum fuit, mox feciſti, & conatu quidem magno; quod ego præcepi , conſului , rogaui per amorem & ſanguinem meum ; vt mortificationem meam in corpore tuo circumferres, deſpexiſti , & ecce quod tot annis mandaui , commendaui per Prophetas & præcones meos , id eſt Superiores tuos, nónne ſæpè quaſi nihilum reputaſti ? hæccine prima charitas, quâ omnibus propter me in baptiſmo renuntiaſti ? quâ ad omnia te mihi obtuliſti ? hæccine retribuis mihi? & dicis, Nequaquam faciam, adamaui alienos , & poſt eos ambulabo.

Peccator abutitur Dei miſericordiâ.

ANIMA. Ah, Domine, quis ſtabit ad loquendum tibi , aut reſpondebit vnum pro mille ? Cæli non ſunt mundi in conſpectu tuo , & in Angelis reperiſti prauitatem. ſed quis bone IESV, redemptor mi, poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine , nónne tu qui ſolus es ? Tu quidem greſſus meos dinumeraſti: ſed parce peccatis meis , & memento , quia ventus eſt vita mea. Quid faciam tibi , ô cuſtos hominum? quare poſuiſti me contrarium tibi? Et eheu! factus ſum mihimetipſi grauis. Ecce oppreſſit me dolor meus, & ad nihilum redacti ſunt omnes artus mei. Sagittæ tuæ in me ſunt, quarũ indignatio ebibit ſpiritũ meũ. O quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos , ſecundùm dies, quibus

Nemo poteſt Deo per ſe ſatisfacere.
Iob. 14.
Iob 7.
Iob 16.
Iob 6.
Iob 29.

quibus tu, Domine, cuſtodiebas me! Domine IESV, &c. *Credo tibi*, &c. vt ſup. pag. 7.

CHRISTVS. Quare receſſiſti, & non reuerteris vltrà ad me? Numquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſui? Tu verò oblita fuiſti mei creatoris tui diebus innumeris. Reuertere, reuertere, en paraui tibi ſtolam primam, extendi brachia mea ad amplexus, caput ad oſculum pacis inclinaui. *Ierem 2.* *Inuitat Chriſtus animam.*

ANIMA. Pater, non ſum dignus vocari filius tuus: Verumtamen reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego. Eheu! Ecce inuenio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ: & non quod volo bonum, hoc ago. *Luc. 15.* *Rom. 7.*

CHRISTVS. Ecce ego arguam te, & ſtatuam contra te faciem tuam. Si morbo aliquo preſſus iuiſſes, nónne in medicos plurima expendiſſes? ſi lis mota de iugero terræ, etiam maria tranſiiſſes. Et ſi decimam partem eorum quæ pro mundo præſtas, pro animâ feciſſes tuâ, nónne beatè vixiſſes? nónne ego Veritas dixi: Iugum meum ſuaue, & onus meum leue eſt; &, Mandata mea grauia non ſunt: & tu difficilia aſſeris? verbo & facto & exemplo tuo alios in perniciem trahis? Non poſſum, inquis, abſtinere hoc conſortio, hoc peccandi periculo: & ſi quis amiciſſimus iniuriam vel leuem dixiſſet, nec rogatus coniungi ei velles, nec placari: ſi peſte locus aut amicus infectus foret, vitares omninò: aut ſi medicus hoc vel illud cibi genus vetaret, pareres: vt verò animæ conſulas, vt corpus edomes, mihi placeas & obedias, nihil facere aut pati dignaris? Me ergo ſolum non timebis, & à facie mea non dolebis? nónne conteſtans conteſtatus ſum, & dixi: Audi vocem meam, & non audiſti, nec inclinaſti aurem tuam, ſed abiiſti in prauitate cordis tui mali? ecce hac horâ forſan rapieris ad iudicium ſeueriſſimum, iturus es in domum æternitatis tuæ: & ecce manus tuæ adhuc plenæ ſunt ſanguine. Popule meus, quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? *Pſal. 49.* *O quã facile eſt Deo ſeruire!* *Matth. 11.* *1. Ioan. 5.* *Peccator mentitur ſibi.* *Ierem. 11.*

Mich. 6. tibi? Recordare, anima, fellis & paupertatis meæ, & la-
Paſſionem Chriſti cõſidera. crymarum mearum, quibus pro te deprecatus ſum, quia
preciosa eras in conſpectu meo; tu tamen fornicata es
Ierem. 3. cum amatoribus multis. Verumtamen reuertere: reuer-
Cant. 5. tere, ecce ſto ad oſtium, & pulſo: aperi mihi ſoror mea
ſponſa, caput meum plenum eſt rore ſanguineo, & cincinni mei guttis noctium.

ANIMA. Excitaui iracundiam tuam, Domine, & peccaui ſuper numerum arenæ maris; agnoſco iniquitates meas: ſed ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum reſerues mihi mala: oſtende mihi bo-
Pſal. 24. nitatem tuam, & reminiſcere miſerationum tuarum an-
Eſaiæ 38. tiquarum, & proiice poſt tergũ tuũ omnia peccata mea. Ecce enim coram te & curiâ tuâ cæleſti ſyncerè ſtatuo numquã vltrà te offendere, occaſiones illas deuitare; tibi Deo meo potiùs quàm dæmoni ſeruire. Accipe, Domine IESV, & ne deſpicias cor contritum & humilitatũ; tu qui ſcrutaris cor & renes, tu noſti, tu noſti ſuſpirium & deſiderium meum. *Infelix ego*, vt ſup. pag. 48.

Oratio, ſeu actus contritionis.

Actus fidei, Contritionis. Propoſitũ de emendatione & confeſſione. Oblatio ſui. Actus ſpei.

DOMINE IESV *Chriſte, verè Deus & homo, creator pariter ac redemptor, doleo ex intimo corde, me offendiſſe diuinam tuam maieſtatem, quia tu es Deus meus & omnia, quem ſuper omnia diligo & colo. Proinde firmiter ſtatuo ac propono, me non ampliùs te offenſurum, ſed omnes peccandi occaſiones pro viribus deuitaturum, inſuper de noxis meis ritè confeſſurum, & pœnitentiam quæcumque imponetur impleturum: ad pleniorem verò ſatisfactionem, hodie tibi meipſum offero, vitam meam, & mea omnia, & omnes labores meos. Et quemadmodum rogo te ſuppliciter & flagito veniã delictorum meorum, ita confido me eam impetraturum per infinitam miſericordiam ac benignitatem tuam, per merita quoque pretioſiſſimi ſanguinis ac ſanctiſſimæ paſſionis tuæ: daturum te quoque gratiam emendandi vitam meam, & in bono vſque ad finem perſeuerandi. Amen.*

Praxis

Praxis de contritionis frequentiori vſu.

PRimò, commendatur hîc à viris doctis ac piis, potiſſimũ manè, vt, cùm Deo reconciliati ſumus, opera noſtra aliàs mortua, vitæ æternæ meritoria ſint. Secundò, veſperi in examine conſcientiæ contra repentinam mortẽ. Tertiò, poſt peccatũ grauiùs admiſſum, ne inimici Dei permaneamus. Quartò, ante omnem orationem: non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Quintò, in omni periculo mortis, & grauiori tentatione. Sextò, quoties negotium arduũ tractandum, & gratiæ cæleſtis auxilium implorandum.

Actus autem contritionis breuiſſimo ſpatio fieri poteſt. Sic enim Dauid verè contritus poſtquam dixiſſet: peccaui Domino; audit à Prophetâ: Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuũ. Aſſueſce igitur vel dicendo, IESVS, amoris illius magnitudinẽ in te velut intueri, & conterere. Vel ex aſpectu creaturæ, aut beneficii alicuius recordatione aſſurge in amorẽ Dei, & animo dic: ò Deus meus doleo ex toto corde de omnibus peccatis meis, idque maximè quia tuæ diuinæ diſplicent Maieſtati. vel hoc pacto: O IESV doleo ex amore tui, quod offenderim te. Dum auditur hora, ſi libet, contritionis & amoris actum ſic excita: O IESV, o ſummũ & omne bonũ, cur vmquã te offendi? Ah! verè pœnitet ex intimis medullis, ideoq; vel maximè, quia tibi ſoli peccaui. Et quid iam ago? Te æſtimo, te vnũ amo ſuper omnia propter teipſum, qui hoc amore meo, omniq; alio fine fine dignus es. Oratio *Dignatus es*, vt ſuprà pag. 10.

IACVLATORIÆ.

ADeamus (ô anima) cum fiduciâ thronum Domini, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Hebr. 4.

Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniuſtitiâ tuâ, & nimis odito execrationem, & cognoſce iuſtitiam & iudicia Dei. Eccli. 17.

Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur à viâ ſuâ, & viuat. Conuertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael? Ezech. 33

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Pſal. 24.

Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis Pſalm. 50.

Domine ne memineris iniquitatũ noſtrarũ antiquarum: citò anticipẽt nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Pſal. 78.

CA-

CAPVT VI.

De Confeſſione, ſecundâ parte pœnitentiæ: ac primò de generali; eiuſque vtilitate.

CHRISTVS. Verumtamen contritio non ſufficit, ſed ſecundæ diei iter ſiue pars illius ſuperanda; vt ſicut corde creditur ad iuſtitiam, ſic ore fiat confeſſio ad ſalutem. Quid hæres aut horres? homo es, & humani à te alienum nihil; errare, labi, ignorare. dic igitur cum Prophetâ: Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Non ergo declines cor tuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, neque confundaris confiteri peccata tua. Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit, miſericordiam conſequetur.

Pſalm. 31. *Pſal. 140.* *Confeſſio ſincera inſtituenda.* *Eccl. 4.* *Prou. 28.*

Vis ergo converti in toto corde ad me Dominum tuum? ecce viam; recogita omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ; & ſinceram ac veram inſtitue confeſſionem generalem, niſi aliud Confeſſario videatur. Neque formides moleſtiam aliquam ſubire pro animâ tuâ; ſed ſcito eam, ſi methodo vti velis, æquè facilem eſſe quàm ſit aliquibus vnius hebdomadæ. Vtere examine quod ſubiicietur, ſingulaque peccata in ſuas claſſes refer, ac cõfitere: nec difficiliùs tibi erit dicere; Millies, quàm centies, peccaui Domino meo.

Confeſſio generalis facilis.

HOMO. Verùm permoleſta præteritorum recordatio, præſertim cùm nulla neceſſitas compellat.

CHRISTVS. At tu in iis quæ ſæculi ſunt, nónne & vtilitatem ſpectas? An ſola prorſus neceſſaria corpori tribuis, ſeu de commodis eius, ſeu de victu, veſtitu, opibus, honoribus agatur? Cùm itaque omni in re ſpectes & vtilitatem maximam, & commoditatem ſimul ac iucunditatem; quæ dementia, in negotio ſalutis omnium maximo vix quidquam velle agere, quàm quod neceſſitas

Vtilitas confeſſionis generalis.

neceſſitas ſuadet? ſecuriſſimam nauim nauigaturus, & viam profecturus deligis, alteriq; ſuades pharmacũ, quod ad ſanitatem maximè conducit. In rationibus reddendis ſecuritatem quibus potes apochis & teſtibus quæris. Quid igitur tibi faciendum in viâ æternitatis, in morbo vel periculo mortis animæ? in negotio rationum mihi reddendarum? Et quamuis generalis confeſſio non ſemper ſit neceſſaria, plerumque tamen vtilis eſt, ſæpè etiam neceſſaria. *Securitas quærenda.*

O clementiſſime, vt inf. pag. 65.

CHRISTVS. Neceſſaria eſt, quando præteritæ confeſſiones imperfectæ fuerunt, aut defectu integritatis, aut defectu doloris, aut defectu poteſtatis in confeſſario: tum enim inſtituenda foret. *Aliquando neceſſaria.*

Vtilitatem verò habet magnam, licet certi non ſitis de defectu priorum confeſſionum. Primò ſiquidem hominem ad ſui cognitionem & deſpectum adducit. Secundò, cùm ſit inſignis humilitatis actus, me ad ſingularia tribuenda auxilia prouocat: ita videmus contingere iis qui ſedulò hanc peragunt, & nouam prorſus vitam inſtituere, quaſi rationibus vniuerſim redditis, & compoſitis. ideoque in Ordinibus Religioſorum id primò proponitur pro vitæ morumque emendatione. Tertiò, ſecuritatem adfert in tantâ ſalutis incertitudine: vndè in horâ mortis Spiritu ſancto impulſi multi eam facere decernunt. *Vtilitas Conf. gen.*

Vtiliùs tamen dum vita datur, & vires integræ, & memoria; vtiliusque tranquillâ vitâ ſibi ad ſecuram mortem viam ſternere, quàm tum anxiè & ſollicitè me expectare.

Obſerua tamen, non omnibus generalem confeſſionem conuenire. Primò, non conuenit iis, qui timore magno & ſcrupulis agitantur: his enim non eſt medicina, ſed crux & exulceratio: fruſtrà enim hi per confeſſiones ſe expedire ſperant, cùm ſolâ obedientiâ, & in me fiduciâ cum charitate pacem animi conſequi poſſint, *Confeſſio generalis non conuenit omnibus.*

ſint; dum enim in conſideratione ſuorum peccatorum, quæ tenebræ ſunt, verſantur, magis obtenebreſcit intellectus.

HOMO. Si verò fiduciâ & charitate in te Deum tendant homines, ad te accedunt, & illuminantur.

CHRISTVS. Denique nónne certum eſt aliquando quieſcere oportere? & dubio procul meliùs id alterius judicio, de quo tibi dictum: Qui vos audit, me audit, quã tuo. Accedit, quòd impoſſibile ſit hominem aſſequi certò numerum peccatorum ſuorum: ergo certum, eum ad hoc non obligari, ſed ſufficere, vt adhibeat moralem diligentiam, ſicut fieri in re ſeriâ ſolet; eſt enim Sacramentum pœnitentiæ à me non ad carnificinam inſtitutum, ſed ſolatium. Et hæc quidem ad præterita peccata pertinent.

Luc. 10. *Alterius iudicio acquieſce.*

HOMO. Quantùm ad præſentia ſpectat, audio communi iudicio Doctorum, & Sanctorum, quibus repugnare maximè in causâ propriâ, ſtultum omninò, ac temerarium eſſet, quòd is qui verè timet te Domine, & nullo pacto infinitam bonitatem tuam vel cogitatione ſciens ac prudens offendere vellet, quod quoties is dubitat, ſibi poſſit perſuadere aut nullum fuiſſe, aut ſaltem nõ deliberatum conſenſum. Si quidem cùm tam ſerium ac graue, & tot repetitis vicibus tantâ cum deliberatione coram te Deo ſuo decretum fecerit ſeruandi præcepta tua, & animam ſuam, & omne bonum, irritum id non poteſt eſſe, neque facilè præſumi, niſi actus contrarius, plenaque cum aduertentiâ factus fuerit. Proteſtor ego coram te Deus meus, me ratum non habere quidquid vel leuiſſimè diſpliceret Maieſtati tuæ, crebroque hoc vſurpare decreui, maximè manè aduerſus pericula diurna, & veſperi ne nocturnis incautus inuoluar. *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7.

Remedium contra ſcrupulos.

Proteſtatio contra ſcrupulos.

CHRISTVS. Obſerua etiam illis qui turpem vitam egerunt, maximè mulieribus, & ſemel generalem rectè inſtituerunt, non conuenire; ſiquidem præteritæ

vitæ

vitæ recordatio, ac multò magis enarratiò periculi plena eſt;& longè meliùs illa poſt ſe relinquere,& ad anteriora ſeſe extendere ; deſtinatumque proſequi brauium. Certiſſimum in hac re conſilium prudentis confeſſarij ſequi ; qui ſi verè talis eſt, non permittet confeſſionem generalem iterari ab eâ, quæ ſemel generaliter eam inſtituit ; niſi neceſſitas Sacramenti id exigeret; & illuſionem diabolicam facilè deteget, quâ irretitas peccatis, aliquando etiam liberatas, in priſtinum ſtatum & laqueos ſpecie pietatis pertrahere conatur. *Confeſſiò gen. aliquando noxia.*

Oratio ante Confeſsionem.

O CLEMENTISSIME *Deus, qui ſcrutaris cor & renes meos, concede per ſanguinem Filij tui, propter quem negare mihi nihil potes, vt recogitem tibi annos & delicta mea in amaritudine animæ meæ, priuſquam moriar,& compleas furorē tuum in die indignationis tuæ. Renouetur nunc, obſecro, vt aquilæ iuuentus mea, vt puriſſimis tuis oculis placeam, dilecte animæ meæ; & non ex neceſſitate aut conſuetudine, ſed ſincero corde cum ſpe bonâ remiſſionis, charitate perfectâ, delicta mea tibi & vicario tuo non abſcondam. Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus ea fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Tu omnia noſti,& contemplaris omnia in omni loco; ſed & multus es ad ignoſcendum. Recordare, Domine, quòd ſicut lutum feceris me, & toties refeceris, vt verè dicere poſſis, Quid debui facere vineæ meæ, & non feci? Quot enim ad ſalutem media, quot in ſanctiſſimâ vitâ exempla virtutum multo cum labore & ſudore dediſti, quæ piguit ſequi? quot incentiua amoris in paſſione & morte tuâ reliquiſti? Et eheu! expectaſti vt facerem vuas, & ecce labruſcas. Pater, peccaui, & ſicut arena maris ſunt multiplicatæ iniquitates meæ, quas tepor mentis meæ coaceruârat; ſed venio vt lauer, ô fons æternæ vitæ, ad quem ſitio vt ceruus ad fontes aquarum. venio vt illuminer, ô lux mea: vt amem te, ô amor æterne, Sana me à phreneſi mea, qua te & remedia reſpuo. Veni, lux mea, duc me*

Præſentiá Dei. Sinceritas commendata. Prov. 28. Iob. 10. Iſaiæ 5. Contritiò Amor Dei.

in viam bonam. O Pater æterne, da meminiſſe peccatorum meorum; ô Fili Dei, da cognoſcere & expendere; ô ſancte Spiritus, da deteſtari, ſcilicet mortem & hoſtes meos, & te omne bonum non adhorrere.

Finis cur viuamus.

Quorſum enim venimus in hanc vitam, anima mea? nónne vt perfectè Domino ſeruiremus, cunctis diebus, aut momentis potiùs, quibus hîc militamus? Reſpice & reflecte oculos ad præteritum tempus, quod datum ad pœnitentiam, ad amandũ,

Conſideratio præperiti temporis.

& cæleſtes opes requirendum; quid ex eo iam ſupereſt, niſi bonorum tantorum amiſſorum triſtis recordatio, & malorum commiſſorum erubeſcenda memoria? Pulſantem te, bone IESV, *ſponſum non admiſimus, ſed dæmonem eiuſque aſſecias. Sed audiamus tamen vel nunc, parentis dulciſſimi, & amantiſſimi Regis & ſponſi vocẽ, dicentis: Conuertere fornicatrix, & ſuſcipiam te: veni dilecta mea, & iniquitatum tuarum non*

Ingratitudo peccatoris.

recordabor. Quomodo dilecta, bone IESV, *quæ tuos filios enecaui, ſcilicet ſanctas inſpirationes, & te repuli, vt gratificarer adulteranti ſenſualitati, & hoſti quærenti animam meam? Nam ſi humilitatem, paupertatem, manſuetudinem, charitatẽ, patientiam ſanguine tuo ſignatam commendaſti; ego exaltaui cor meum, nihil mihi deeſſe volui, nihil pati, vt parerem*

Benignitas Dei.

mundi legibus, & tuas proculcarem. Verumtamen ecce audio mellifluam in auribus meis vocem, Fili, præbe mihi cor tuum:

Præparatio ad Communionem. Pſal. 70.

ecce ego me in cruce pro te immolo, & tui amore langueo, & abluere rurſum meo ſanguine volo, & te paſcere corpore meo. O Domine IESV *qui paſcis me à iuuentute meâ, ecce iam video, & fido in viſceribus miſericordiæ tuæ, quòd vſque in ſenectam & ſenium non derelinques me, neque ego te fontem aquæ viuæ. Cùm autem, ter maximè Deus, dignatus ſis ſuper me hodie aperire oculos tuos, non dabo ſomnum oculis meis, donec præparem tibi cor meum, tabernaculum Deo Iacob.*

Occaſionem deteſtatio.

Ne iam ſis mihi formidini tu ſpes mea IESV; *perueniant ad te voces & ſingultus ouis perditæ, & filij prodigi redeuntis à regione lõginquâ, ô pater, ô paſtor, ô ſpõſe animæ meæ: deteſtor culpam omnem & occaſionẽ N. quâ te grauiter offendi. Pater mi, nolo eſſe, aut viuere ſine te, ſed propter te: ſana me per vulnera tua, dolores tuos, & ignoſce mihi, nũquid enim lætaris in*

morte

morte peccatoris, qui vt viuerẽ pro me dignatus es mori? numquid tibi proderit perditio mea, qui de cælo veniſti relictis nonaginta novẽ ovibus, ut me quæreres inter dumeta, & reportares in humeris tuis? Vtinã oratio mea ſit ſicut incenſum in conſpectu tuo, hoc ultimo fortè die peregrinationis meæ! Iuravi & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ, & ſæpè quidẽ irrita propoſita feci defectu contritionis, & fragilitatẽ meã novi: verumtamẽ nunc gratiâ tuâ, quã ſupplex peto, ſine quâ nihil omnino valeo, propono in æternũ non declinare à mandatis tuis in conſpectu tuo, Deus meus Deus cordis mei, & illa N. potiſſimos fontes malorum vitare. Ita ſtatuo in præſentiâ beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorũ tuorũ; quos omnes in teſtes huius deſiderij mei & auxiliatores, maximè patronos meos, inuoco. Adiuua me, ô IESV, vnica ſpes mea. Amen.

Propoſitũ firmum.

Pſal. 118.

Proteſtatio

Praxis, ſeu methodus examinandi conſcientiam.

CIRCA I. PRÆCEPTVM.

AN in his quæ ad fidem pertinent, ab Eccleſiâ diſſenſerit, oppoſitum cum pertinaciâ credendo, aut alios docendo? quàm multos, & quoties? Is autem pertinax eſt, qui ſuum errorem defendit, ſciens Eccleſiam contrarium tenere.

An fecerit aliquem exteriorem actum infidelitatis, vel hæreſis; nempe verbo, ſigno, vel opere aliquo hæreſim profitẽdo, etiãſi non mente, licet ex timore feciſſet, ut cærimonias hæreticorum proprias exercendo, ſub utraque ſpecie communicando; carnes cum hæreticis prohibito tempore comedendo.

An dubitaverit pertinaciter de aliquâ fidei veritate? quales non ſunt dubitationes quædam, quæ voluntatẽ in veritate firmãm contriſtare ſolent.

An hæreticis contra Catholicos faverit, eoſque defenderit? quoties & quo modo?

An nimiam cum hæreticis familiaritatem habuerit cum probabili periculo incidendi in hæreſim? quamdiu?

An hæreticorum vel prohibitos libros ſcienter legerit, vel eos domi ſervaverit? quoties, & quamdiu?

An incantationes vel maleficia exercuerit, vel divinos conſuluerit, per ſe, vel per alios?

An ſchedulas ſuperſtitioſas apud ſe habuerit ad ſanitatẽ

aliámue rem obtinendam? & an alios induxerit ad earum vſum?

An fidem habuerit ſomnijs vel augurijs, accpiendo illa pro regula ſuarum actionum?

An artes magicas didicerit, aut alios docuerit? quàm multos & quoties: Et an earum artium libros apud ſe ſcienter retinuerit?& an adhuc retineat?

An valdè negligens fuerit in addiſcendis neceſſarijs ad ſalutem?vt ſunt decem decalogi præcepta Eccleſiæque,ad quæ erat obligatus,& articuli fidei.

An de emendatione vitæ,de conſequendâ æternâ ſalute, vel Dei miſericordiâ,& peccatorum remiſſione aliquando deſperauerit?

An impediuerit verbo vel opere profectum ſpiritualem proximi, diſſuadendo vel ſimili ratione impediendo ingreſſum in Religionem,aut alia bona opera.

CIRCA II. PRÆCEPTVM.

Notari debet ad huius præcepti cognitionẽ,quòd iurare, eſt Deum in teſtẽ eius quod dicimus vocare. Vocatur autem Deus in teſtem duobus modis: vno modo expreſsè, vt quando quis per Deum iurat; altero modo tacitè, vt cùm iurat quis per Sanctos, per crucem, per animam ſuam, vel per aliam creaturã,quatenus in eâ relucet diuina bonitas: non tamẽ iuramentũ eſt dicere, Verè,certiſſimè in veritate.

An mendacium aliquod, etiam officioſum, iuramento firmauerit,aut id de quo dubitabat an eſſet verum?

An iurârit deliberatè ſe aliquod peccatum mortale patraturum,& quale peccatum?

An iurarit aduertenter abſque animo adimplendi?

An violauerit aduertenter ſuum iuramentum, quod ſeruare tenebatur? quale non eſt quando quis iurat ſe aliquid mali facturum;tunc enim ſeruari iuramentum ſine peccato non poteſt.

An cauſã dederit alicui,vt falſũ iuraret,vel nõ obſeruaret iuramentũ licitiũ,& an id fuerit cũ aliquo damno alterius?

An nimis præcipitanter iurauerit, maximè ex conſuetudine, non diſcutiendo verúmne eſſet aut falſum quod iurabat?quàm diu hæc conſuetudo durârit,& an duret adhuc?

An diabolum inuocauerit, aut eius auxilium implorârit, deliberatè & ex animo,cum intẽtione vt ab illo iuuaretur?

An iurando ſibi imprecatus ſit grauia mala, vt malam mortem, damnationem, &c. & quoties hoc contra veritatem,vel dubitans?

An in iudicio iurarit falſum, vel iuridicè interrogatus non reſponderit veritatem ad intentionem iudicis. An hoc

alijs ſuaſerit? Id quo caſu non ſolùm eſt peccatum mortale, ſed etiam onus incurritur reparandi damnum & iniuriam illatam proximo.

An dixerit aliquam blaſphemiam. Eſt autem blaſphemia dicere contra Deum vel Sanctos aliquid contumelioſè: vt quando quis Deo vel Sanctis maledicit; vel aſſerit Deum eſſe iniuſtum, vel non curare humana; aut cùm quis indignatus Chriſti & Sanctorum membra contumelioſè nominat. Poſſunt autem hæc ſolo corde committi, vt, exempli cauſa, optando, Vtinam Deus mea peccata neſciret, non eſſet iuſtus, &c.

An vouerit aliquid Deo abſque animo adimplendi?

An votum legitimè factum violauerit aduertenter?

An promiſſa, maximè iuramento firmata, deliberatè violauerit?

An Scripturam ſacram facetijs applicârit, maximè ſi crebrò, & ad turpia?

CIRCA III. PRÆCEPTVM.

An feſtos dies violauerit, ſeruilia in eis opera exercendo vel præcipiendo, conſulendo, aut conſentiendo, idque per multum temporis, ſine neceſsitate? Seruilia autem opera vocantur quæ ad artes mechanicas pertinent. Si nō audiuit Sacrum diebus feſtis; vel notabilem partem omiſit, ſine legitimâ excuſatione, & an cauſam alijs dederit idem faciendi. Notabilem Sacri partem omittit, qui omittit vſque ad Euangelium, vel qui ante communionem recedit.

An in feſtis per notabilem partē Miſſæ diſtractus fuerit ſiue fabulando, ſiue profana legendo, ſiue alijs ſe exteriùs occupando, exteriorem ſaltem attentionē impedientibus.

An curârit ſibi ſubditos diebus feſtis intereſſe Sacro. Huc pertinēt quæ cōtra Eccleſiæ pręcepta fiunt, vel Sacramēta.

An non confeſſus ſit ſemel in anno, aut non curârit vt idem facerent omnes ſuæ curæ commiſſi.

An iuerit ad confeſſionem ſine aliquâ ſaltem præparatione & examine, vel ſine propoſito deſerēdi aliquod peccatum; vel peccatum aliquod mortale ſciens in confeſſione ſubticuerit ex pudore aliâue cauſa; & an poſteà illud peccatum ſit confeſſus in ſequenti confeſſione, prioremque onfeſſionem illam repetierit.

An omiſerit communionem tempore Paſchatis in propriâ parochiâ, poſtquam ad eam venit ætatem, vt iudicio confeſſarij communicare iam poſſet.

An communicârit cum conſcientiâ peccati mortalis, quod nondum erat confeſſus.

An cum conſcientiâ certa vel dubia peccati mortalis receperit,

Mich. 6. tibi? Recordare, anima, fellis & paupertatis meæ, & la-
Paſſionem Chriſti cō-ſidera. crymarum mearum, quibus pro te deprecatus ſum, quia precioſa eras in conſpectu meo; tu tamen fornicata es
Ierem. 3. cum amatoribus multis. Verumtamen reuertere: reuer-
Cant. 5. tere, ecce ſto ad oſtium, & pulſo: aperi mihi ſoror mea ſponſa, caput meum plenum eſt rore ſanguineo, & cincinni mei guttis noctium.

ANIMA. Excitaui iracundiam tuam, Domine, & peccaui ſuper numerum arenæ maris; agnoſco iniquitates meas: ſed ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum reſerues mihi mala: oſtende mihi bo-
Pſal. 24. nitatem tuam, & reminiſcere miſerationum tuarum an-
Eſaiæ 38. tiquarum, & proiice poſt tergũ tuũ omnia peccata mea. Ecce enim coram te & curiâ tuâ cæleſti ſyncerè ſtatuo numquã vltrà te offendere, occaſiones illas deuitare; tibi Deo meo potiùs quàm dæmoni ſeruire. Accipe, Domine IESV, & ne deſpicias cor contritum & humilitatũ; tu qui ſcrutaris cor & renes, tu noſti, tu noſti ſuſpirium & deſiderium meum. *Infelix ego*, vt ſup. pag. 48.

Oratio, ſeu actus contritionis.

Actus fidei, Contritionis. Propoſitũ de emendatione & confeſſione. Oblatio ſui. Actus ſpei.

DOMINE JESV *Chriſte, verè Deus & homo, creator pariter ac redemptor, doleo ex intimo corde, me offendiſſe diuinam tuam maieſtatem, quia tu es Deus meus & omnia, quem ſuper omnia diligo & colo. Proinde firmiter ſtatuo ac propono, me non ampliùs te offenſurum, ſed omnes peccandi occaſiones pro viribus deutiaturum, inſuper de noxis meis ritè confeſſurum, & pœnitentiam quæcumque imponetur impleturum: ad pleniorem verò ſatisfactionem, hodie tibi meipſum offero, vitam meam, & mea omnia, & omnes labores meos. Et quemadmodum rogo te ſupplicitet & flagito veniã delictorum meorum, ita confido me eam impetraturum per infinitam miſericordiam ac benignitatem tuam, per merita quoque pretioſiſſimi ſanguinis ac ſanctiſſimæ paſſionis tuæ: daturum te quoque gratiam emendandi vitam meam, & in bono vſque ad finem perſeuerandi. Amen.*

Praxis de contritionis frequentiori vſu.

PRimò, commendatur hîc à viris doctis ac piis, potiſſimũ manè, vt, cùm Deo reconciliati ſumus, opera noſtra aliàs mortua, vitæ æternæ meritoria ſint. Secundò, veſperi in examine conſcientiæ contra repentinam mortẽ. Tertiò, poſt peccatũ grauiùs admiſſum, ne inimici Dei permaneamus. Quartò, ante omnem orationem: non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Quintò, in omni periculo mortis, & grauiori tentatione. Sextò, quoties negotium arduũ tractandum, & gratiæ cæleſtis auxilium implorandum.

Actus autem contritionis breuiſſimo ſpatio fieri poteſt. Sic enim Dauid verè contritus poſtquam dixiſſet: peccaui Domino; audit à Prophetâ: Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuũ. Aſſueſce igitur vel dicendo, IESVS, amoris illius magnitudinẽ in te velut intueri, & conterere. Vel ex aſpectu creaturæ, aut beneficii alicuius recordatione aſſurge in amorẽ Dei, & animo dic: ò Deus meus doleo ex toto corde de omnibus peccatis meis, idque maximè quia tuæ diuinæ diſplicent Maieſtati. vel hoc pacto: O IESV doleo ex amore tui, quod offenderim te. Dum auditur hora, ſi libet, contritionis & amoris actum ſic excita: O IESV, o ſummũ & omne bonũ, cur vmquã te offendi? Ah! verè pœnitet ex intimis medullis, ideoq; vel maximè, quia tibi ſoli peccaui. Et quid iam ago? Te æſtimo, te vnũ amo ſuper omnia propter teipſum, qui hoc amore meo, omniq; alio fine fine dignus es. Oratio *Dignatus es*, vt ſuprà pag. 10.

IACVLATORIÆ.

ADeamus (ô anima) cum fiduciâ thronum Domini, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Hebr. 4.

Reuertere ad Dominum, & auertere ab iniuſtitiâ tuâ, & nimis odito execrationem, & cognoſce iuſtitiam & iudicia Dei. Eccli. 17.

Viuo ego, dicit Dominus, Nolo mortem impij, ſed vt conuertatur à viâ ſuâ, & viuat. Conuertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael? Ezech. 33

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Pſal. 24.

Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis Pſalm. 50.

Domine ne memineris iniquitatũ noſtrarũ antiquarum: citò anticipẽt nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Pſal. 78.

C A-

CAPVT VI.

De Confeſsione, ſecundâ parte pœnitentiæ: ac primò de generali; eiuſque vtilitate.

CHRISTVS. Verumtamen contritio non ſufficit, ſed ſecundæ diei iter ſiue pars illius ſuperanda; vt ſicut corde creditur ad iuſtitiam, ſic ore fiat confeſſio ad ſalutem. Quid hæres aut horres? homo es, & humani à te alienum nihil; errare, labi, ignorare. dic igitur cum Prophetâ: Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Non ergo declines cor tuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis, neque confundaris confiteri peccata tua. Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit, miſericordiam conſequetur.

Pſalm. 31. *Pſal.* 140. *Confeſſio ſincera inſtituenda.* *Eccl.* 4. *Prou.* 28.

Vis ergo converti in toto corde ad me Dominum tuum? ecce viam; recogita omnes annos tuos in amaritudine animæ tuæ; & ſinceram ac veram inſtitue confeſſionem generalem, niſi aliud Confeſſario videatur. Neque formides moleſtiam aliquam ſubire pro animâ tuâ; ſed ſcito eam, ſi methodo vti velis, æquè facilem eſſe quàm ſit aliquibus vnius hebdomadæ. Vtere examine quod ſubiicietur, ſingulaque peccata in ſuas claſſes refer, ac cõfitere: nec difficiliùs tibi erit dicere; Millies, quàm centies, peccaui Domino meo.

Confeſſio generalis facilis.

HOMO. Verùm permoleſta præteritorum recordatio, præſertim cùm nulla neceſſitas compellat.

CHRISTVS. At tu in iis quæ ſæculi ſunt, nónne & vtilitatem ſpectas? An ſola prorſus neceſſaria corpori tribuis, ſeu de commodis eius, ſeu de victu, veſtitu, opibus, honoribus agatur? Cùm itaque omni in re ſpectes & vtilitatem maximam, & commoditatem ſimul ac iucunditatem; quæ dementia, in negotio ſalutis omnium maximo vix quidquam velle agere, quàm quod neceſſitas

Vtilitas confeſſionis generalis.

neceſſitas ſuadet? ſecuriſſimam nauim nauigaturus, & viam profecturus deligis, alteriq; ſuades pharmacũ, quod ad ſanitatem maximè conducit. In rationibus reddendis ſecuritatem quibus potes apochis & teſtibus quæris. Quid igitur tibi faciendum in viâ æternitatis, in morbo vel periculo mortis animæ? in negotio rationum mihi reddendarum? Et quamuis generalis confeſſio non ſemper ſit neceſſaria, plerumque tamen vtilis eſt, ſæpè etiam neceſſaria. *Securitas quærenda.*

O clementiſsime, vt inf. pag. 65.

CHRISTVS. Neceſſaria eſt, quando præteritæ confeſſiones imperfectæ fuerunt, aut defectu integritatis, aut defectu doloris, aut defectu poteſtatis in confeſſario: tum enim inſtituenda foret. *Aliquando neceſſaria.*

Vtilitatem verò habet magnam, licet certi non ſitis de defectu priorum confeſſionum. Primò ſiquidem hominem ad ſui cognitionem & deſpectum adducit. Secundò, cùm ſit inſignis humilitatis actus, me ad ſingularia tribuenda auxilia prouocat: ita videmus contingere iis qui ſedulò hanc peragunt, & nouam prorſus vitam inſtituere, quaſi rationibus vniuerſim redditis, & compoſitis. ideoque in Ordinibus Religioſorum id primò proponitur pro vitæ morumque emendatione. Tertiò, ſecuritatem adfert in tantâ ſalutis incertitudine: vndè in horâ mortis Spiritu ſancto impulſi multi eam facere decernunt. *Vtilitas Conf. gen.*

Vtiliùs tamen dum vita datur, & vires integræ, & memoria; vtiliusque tranquillâ vitâ ſibi ad ſecuram mortem viam ſternere, quàm tum anxiè & ſollicitè me expectare.

Obſerua tamen, non omnibus generalem confeſſionem conuenire. Primò, non conuenit iis, qui timore magno & ſcrupulis agitantur: his enim non eſt medicina, ſed crux & exulceratio: fruſtrà enim hi per confeſſiones ſe expedire ſperant, cùm ſolâ obedientiâ, & in me fiduciâ cum charitate pacem animi conſequi poſſint, *Confeſſio generalis non conuenit omnibus.*

ſint; dum enim in conſideratione ſuorum peccatorum, quæ tenebræ ſunt, verſantur, magis obtenebreſcit intellectus.

HOMO. Si verò fiduciâ & charitate in te Deum tendant homines, ad te accedunt, & illuminantur.

CHRISTVS. Denique nónne certum eſt aliquando quieſcere oportere? & dubio procul meliùs id alterius judicio, de quo tibi dictum: Qui vos audit, me audit, quã tuo. Accedit, quòd impoſſibile ſit hominem aſſequi certò numerum peccatorum ſuorum: ergo certum, eum ad hoc non obligari, ſed ſufficere, vt adhibeat moralem diligentiam, ſicut fieri in re ſeriâ ſolet; eſt enim Sacramentum pœnitentiæ à me non ad carnificinam inſtitutum, ſed ſolatium. Et hæc quidem ad præterita peccata pertinent.

Luc. 10. *Alterius iudicio acquieſce.*

Remedium contra ſcrupulos.

HOMO. Quantùm ad præſentia ſpectat, audio communi iudicio Doctorum, & Sanctorum, quibus repugnare maximè in causâ propriâ, ſtultum omninò, ac temerarium eſſet, quòd is qui verè timet te Domine, & nullo pacto infinitam bonitatem tuam vel cogitatione ſciens ac prudens offendere vellet, quod quoties is dubitat, ſibi poſſit perſuadere aut nullum fuiſſe, aut ſaltem nõ deliberatum conſenſum. Si quidem cùm tam ſerium ac graue, & tot repetitis vicibus tantâ cum deliberatione coram te Deo ſuo decretum fecerit ſeruandi præcepta tua, & animam ſuam, & omne bonum, irritum id non poteſt eſſe, neque facilè præſumi, niſi actus contrarius, plenaque cum aduertentiâ factus fuerit. Proteſtor ego coram te Deus meus, me ratum non habere quidquid vel leuiſſimè diſpliceret Maieſtati tuæ, crebroque hoc vſurpare decreui, maximè manè aduerſus pericula diurna, & veſperi ne nocturnis incautus inuoluar. *Credo tibi,* vt ſup. pag. 7.

Proteſtatio contra ſcrupulos.

CHRISTVS. Obſerua etiam illis qui turpem vitam egerunt, maximè mulieribus, & ſemel generalem rectè inſtituerunt, non conuenire; ſiquidem præteritæ

vitæ

vitæ recordatio, ac multò magis enarratio periculi plena eſt;& longè meliùs illa poſt ſe relinquere,& ad anteriora ſeſe extendere; deſtinatumque proſequi brauium. Certiſſimum in hac re conſilium prudentis confeſſarij ſequi; qui ſi verè talis eſt, non permittet confeſſionem generalem iterari ab eâ, quæ ſemel generaliter eam inſtituit; niſi neceſſitas Sacramenti id exigeret; & illuſionem diabolicam facilè deteget, quâ irretitas peccatis, aliquando etiam liberatas, in priſtinum ſtatum & laqueos ſpecie pietatis pertrahere conatur. *Confeſſiò gen. aliquando noxia.*

Oratio ante Confeſsionem.

O CLEMENTISSIME *Deus, qui ſcrutaris cor & renes meos, concede per ſanguinem Filij tui, propter quem negare mihi nihil potes, vt recogitem tibi annos & delicta mea in amaritudine animæ meæ, priuſquam moriar,& compleas furorē tuum in die indignationis tuæ. Renouetur nunc, obſecro, vt aquilæ iuuentus mea, vt puriſsimis tuis oculis placeam, dilecte animæ meæ; & non ex neceſsitate aut conſuetudine, ſed ſincero corde cum ſpe bonâ remiſsionis, charitate perfectâ, delicta mea tibi & vicario tuo non abſcondam. Qui enim abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus ea fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. Tu omnia noſti,& contemplaris omnia in omni loco; ſed & multus es ad ignoſcendum. Recordare, Domine, quòd ſicut lutum feceris me, & toties refeceris, vt verè dicere poſsis, Quid debui facere vineæ meæ, & non feci? Quot enim ad ſalutem media, quot in ſanctiſsimâ vitâ exempla virtutum multo cum labore & ſudore dediſti, quæ piguit ſequi? quot incentiua amoris in paſsione & morte tuâ reliquiſti? Et eheu! expectaſti vt facerem vuas, & ecce labruſcas. Pater, peccaui, & ſicut arena maris ſunt multiplicatæ iniquitates meæ, quas tepor mentis meæ coaceruârat; ſed venio vt lauer, ô fons æternæ vitæ, ad quem ſitio vt ceruus ad fontes aquarum. venio vt illuminer, ô lux mea: vt amem te, ô amor æterne, Sana me à phreneſi mea, quâ te & remedia reſpuo. Veni, lux mea, duc me in*

Præſentiá Dei. Sinceritas commendata. Prov. 28. Iob. 10. Iſaiæ 5. Contritio Amor Dei.

in viam bonam. O Pater æterne, da meminiſſe peccatorum meorum; ô Fili Dei, da cognoſcere & expendere; ô ſancte Spiritus, da deteſtari, ſcilicet mortem & hoſtes meos, & te omne bonum non adhorrere.

Finis cur viuamus.

Quorſum enim venimus in hanc vitam, anima mea? nónne vt perfectè Domino ſeruiremus, cunctis diebus, aut momentis potiùs, quibus hîc militamus? Reſpice & reflecte oculos ad præteritum tempus, quod datum ad pœnitentiam, ad amandũ, & cæleſtes opes requirendum; quid ex eo iam ſupereſt, niſi bonorum tantorum amiſſorum triſtis recordatio, & malorum commiſſorum erubeſcenda memoria? Pulſantem te, bone IESV, *ſponſum non admiſimus, ſed dæmonem eiuſque aſſecias. Sed audiamus tamen vel nunc, parentis dulciſſimi, & amantiſſimi Regis & ſponſi vocẽ, dicentis: Conuertere fornicatrix, & ſuſcipiam te: veni dilecta mea, & iniquitatum tuarum non recordabor. Quomodo dilecta, bone* IESV, *quæ tuos filios enecaui, ſcilicet ſanctas inſpirationes, & te repuli, vt gratificarer adulteranti ſenſualitati, & hoſti quærenti animam meam? Nam ſi humilitatem, paupertatem, manſuetudinem, charitatẽ, patientiam ſanguine tuo ſignatam commendaſti; ego exaltaui cor meum, nihil mihi deeſſe volui, nihil pati, vt parerem mundi legibus, & tuas proculcarem. Verumtamen ecce audio mellifluam in auribus meis vocem, Fili, præbe mihi cor tuum: ecce ego me in cruce pro te immolo, & tui amore langueo, & abluere rurſum meo ſanguine volo, & te paſcere corpore meo. O Domine* IESV *qui paſcis me à iuuentute meâ, ecce iam video, & fido in viſceribus miſericordiæ tuæ, quòd vſque in ſenectam & ſenium non derelinques me, neque ego te fontem aquæ viuæ. Cùm autem, ter maximè Deus, dignatus ſis ſuper me hodie aperire oculos tuos, non dabo ſomnum oculis meis, donec præparem tibi cor meum, tabernaculum Deo Iacob.*

Conſideratio præteriti temporis.

Ingratitudo peccatoris.

Benignitas Dei.

Præparatio ad Communionem.

Pſal. 70.

Occaſionem deteſtatio.

Ne iam ſis mihi formidini tu ſpes mea IESV; *perueniant ad te voces & ſingultus ouis perditæ, & filij prodigi redeuntis à regione lõginquâ, ô pater, ô paſtor, ô ſpõſe animæ meæ: deteſtor culpam omnem & occaſionẽ N. quâ te grauiter offendi. Pater mi, nolo eſſe, aut viuere ſine te, ſed propter te: ſana me per vulnera tua, dolores tuos, & ignoſce mihi, nũquid enim lætaris in morte*

morte peccatoris, qui vt viuerē pro me dignatus es mori? numquid tibi proderit perditio mea, qui de cælo veniſti relictis nonaginta novē ovibus, ut me quæreres inter dumeta, & reportares in humeris tuis? Vtinā oratio mea ſit ſicut incenſum in conſpectu tuo; hoc ultimo fortè die peregrinationis meæ! Iuravi & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ, & ſæpè quidē irrita propoſita feci defectu contritionis, & fragilitatē meā novi: verumtamē nunc gratiâ tuâ, quā ſupplex peto, ſine quâ nihil omnino valeo, propono in æternū non declinare à mandatis tuis in conſpectu tuo, Deus meus Deus cordis mei, & illa N. potiſſimos fontes malorum vitare. Ita ſtatuo in præſentiâ beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorū tuorū; quos omnes in teſtes huius deſiderij mei & auxiliatores, maximè patronos meos, inuoco. Adiuua me, ô JESV, *vnica ſpes mea. Amen.*

Propoſitū firmum.

Pſal. 118.

Proteſtatio

Praxis, ſeu methodus examinandi conſcientiam.

CIRCA I. PRÆCEPTVM.

AN in his quæ ad fidem pertinent, ab Eccleſiâ diſſenſerit, oppoſitum cum pertinaciâ credendo, aut alios docendo? quàm multos, & quoties? Is autem pertinax eſt, qui ſuum errorem defendit, ſciens Eccleſiam contrarium tenere.

An fecerit aliquem exteriorem actum infidelitatis, vel hæreſis; nempe verbo, ſigno, vel opere aliquo hæreſim profitēdo, etiāſi non mente, licet ex timore feciſſet, ut cærimonias hæreticorum proprias exercendo, ſub utraque ſpecie communicando; carnes cum hæreticis prohibito tempore comedendo.

An dubitaverit pertinaciter de aliquâ fidei veritate? quales non ſunt dubitationes quædam, quæ voluntatē in veritate firmam contriſtare ſolent.

An hæreticis contra Catholicos faverit, eoſque defenderit? quoties & quo modo?

An nimiam cum hæreticis familiaritatem habuerit cum probabili periculo incidendi in hæreſim? quamdiu?

An hæreticorum vel prohibitos libros ſcienter legerit, vel eos domi ſervaverit? quoties, & quamdiu?

An incantationes vel maleficia exercuerit, vel divinos conſuluerit, per ſe, vel per alios?

An ſchedulas ſuperſtitioſas apud ſe habuerit ad ſanitatē

aliámue rem obtinendam ? & an alios induxerit ad earum vſum ?

An fidem habuerit ſomnijs vel augurijs, accpiendo illa pro regula ſuarum actionum ?

An artes magicas didicerit, aut alios docuerit ? quàm multos & quoties : Et an earum artium libros apud ſe ſcienter retinuerit?& an adhuc retineat ?

An valdè negligens fuerit in addiſcendis neceſſarijs ad ſalutem?vt ſunt decem decalogi præcepta Eccleſiæq́ue,ad quæ erat obligatus,& articuli fidei.

An de emendatione vitæ,de conſequendâ æternâ ſalute, vel Dei miſericordià,& peccatorum remiſſione aliquando deſperauerit ?

An impediuerit verbo vel opere profectum ſpiritualem proximi, diſſuadendo vel ſimili ratione impediendo ingreſſum in Religionem,aut alia bona opera.

CIRCA II. PRÆCEPTVM.

Notari debet ad huius præcepti cognitionẽ,quòd iurare, eſt Deum in teſtẽ eius quod dicimus vocare. Vocatur autem Deus in teſtem duobus modis:vno modo expreſsè, vt quando quis per Deum iurat; altero modo tacitè, vt cùm iurat quis per Sanctos, per crucem, per animam ſuam, vel per aliam creaturã,quatenus in eâ relucet diuina bonitas: non tamẽ iuramentũ eſt dicere,Verè,certiſſimè in veritate.

An mendacium aliquod, etiam officioſum, iuramento firmauerit,aut id de quo dubitabat an eſſet verum ?

An iurârit deliberatè ſe aliquod peccatum mortale patraturum,& quale peccatum ?

An iurarit aduertenter abſque animo adimplendi ?

An violauerit aduertenter ſuum iuramentum, quod ſeruare tenebatur? quale non eſt quando quis iurat ſe aliquid mali facturum;tunc enim ſeruari iuramentum ſine peccato non poteſt.

An cauſã dederit alicui,vt falsũ iuraret,vel nõ obſeruaret iuramentũ licitũ,& an id fuerit cũ aliquo damno alterius?

An nimis præcipitanter iurauerit, maximè ex conſuetudine, non diſcutiendo verúmne eſſet aut falſum quod iurabat?quàm diu hæc conſuetudo durârit,& an duret adhuc?

An diabolum inuocauerit, aut eius auxilium implorârit, deliberatè & ex animo,cum intẽtione vt ab illo iuuaretur?

An iurando ſibi imprecatus ſit grauia mala, vt malam mortem, damnationem, &c. & quoties hoc contra veritatem,vel dubitans ?

An in iudicio iurarit falſum, vel iuridicè interrogatus non reſponderit veritatem ad intentionem iudicis. An ho-

alijs ſuaſerit? Id quo caſu non ſolùm eſt peccatum mortale, ſed etiam onus incurritur reparandi damnum & iniuriam illatam proximo.

An dixerit aliquam blaſphemiam. Eſt autem blaſphemia dicere contra Deum vel Sanctos aliquid contumelioſè: vt quando quis Deo vel Sanctis maledicit; vel aſſerit Deum eſſe iniuſtum, vel non curare humana; aut cùm quis indignatus Chriſti & Sanctorum membra contumelioſè nominat. Poſſunt autem hæc ſolo corde committi, vt, exempli cauſa, optando, Vtinam Deus mea peccata neſciret, non eſſet iuſtus, &c.

An vouerit aliquid Deo abſque animo adimplendi?

An votum legitimè factum violauerit aduertenter?

An promiſſa, maximè iuramento firmata, deliberatè violauerit?

An Scripturam ſacram facetijs applicârit, maximè ſi crebrò, & ad turpia?

CIRCA III. PRÆCEPTVM.

An feſtos dies violauerit, ſeruilia in eis opera exercendo vel præcipiendo, conſulendo, aut conſentiendo, idque per multum temporis, ſine neceſsitate? Seruilia autem opera vocantur quæ ad artes mechanicas pertinent. Si nõ audiuit Sacrum diebus feſtis; vel notabilem partem omiſit, ſine legitimâ excuſatione, & an cauſam alijs dederit idem faciendi. Notabilem Sacri partem omittit, qui omittit vſque ad Euangelium, vel qui ante communionem recedit.

An in feſtis per notabilem partẽ Miſſæ diſtractus fuerit ſiue fabulando, ſiue profana legendo, ſiue alijs ſe exteriùs occupando, exteriorem ſaltem attentionẽ impedientibus.

An curârit ſibi ſubditos diebus feſtis intereſſe Sacro. Huc pertinẽt quæ cõtra Eccleſiæ pręcepta fiunt, vel Sacramẽta.

An non confeſſus ſit ſemel in anno, aut non curârit vt idem facerent omnes ſuæ curæ commiſſi.

An iuerit ad confeſſionem ſine aliquâ ſaltem præparatione & examine, vel ſine propoſito deſerẽdi aliquod peccatum; vel peccatum aliquod mortale ſciens in confeſſione ſubticuerit ex pudore aliâue cauſa; & an poſteà illud peccatum ſit confeſſus in ſequenti confeſſione, prioremque onfeſſionem illam repetierit.

An omiſerit communionem tempore Paſchatis in propriâ parochiâ, poſtquam ad eam venit ætatem, vt iudicio confeſſarij communicare iam poſſet.

An communicârit cum conſcientiâ peccati mortalis, quod nondum erat confeſſus.

An cum conſcientiâ certa vel dubia peccati mortalis receperit,

ceperit, vel adminiſtrârit aliquod aliud Sacramentum Eccleſiæ.

An comederit cibos prohibitos in Quadrageſimâ, vigilijs, & alijs diebus interdictis, & etiamſi propter ætatem ieiunare non teneretur.

An poſt completum vigeſimum primum annum, ieiunia Eccleſiæ violauerit, ſæpiùs comedendo, licet à cibis vetitis abſtinuerit.

An cauſam dederit alijs violandi ieiunia, veluti ſuadẽdo, vel alijs prohibito tempore cibos vetitos miniſtrando, vel alios cibos, quibus ieiuniũ ſoluant; niſi legitima eſſet cauſa.

An, cùm excommunicatus eſſet, ſciens perceperit Sacramenta, dederitue, aut ſacris interfuerit.

An contumeliâ aliquâ vel irreuerentiâ affecerit imagines, reliquias Sanctorum, alíaſque res ſacras.

An putet ſe feciſſe aliquid, cui ſit annexa excommunicatio.

An obligatus ad recitandum Breuiarium, omiſerit recitare, ſiue totum, ſiue partem eius notabilem; veluti vnius Horæ officium, ſine ſufficienti excuſatione, ex tędio rerum ſpiritualium.

CIRCA IV. PRÆCEPTVM.

An parentes contempſerit, aut verbis & factis contumelioſis offenderit.

An maledixerit patri vel matri, vel in eorum abſentiâ ijs detraxerit.

An verbo vel cogitatione illis mortem propter ipſorum bona, aut ob aliam cauſam, aliúdue graue malum ſit imprecatus deliberatè.

An eis obmurmurauerit, aſperiuſque fuerit locutus.

An in re graui vel ex contemptu iuſſis eorum non obtemperârit.

An in notabili neceſſitate ſubuenire illis recusârit.

An teſtamentum parentũ defunctorum fuerit executus.

An fuerit paratus propter amorem parentum tranſgredi præcepta Dei, & peccare mortaliter.

An Superiores ſuos ſiue ſæculares, ſiue Eccleſiaſticos contempſerit, & iuſtas eorũ leges in re notabili violauerit.

An de Superioribus & maioribus ſuis detraxerit in re graui; aut etiam de Religioſis, ſacerdotibus, magiſtris, doctoribus, &c.

An decimas, vectigalia, & alia quę illis debẽtur, retinuerit,

An pręd ctadeliberatè facere propoſuerit, etſi nõ fecerit.

An, ſi filios habeat, ijs maledixerit, nec eos Chriſtianæ fidei myſteria, Dei pręcepta, aliaq; ſcitu neceſſaria docuerit

An

An filios reprehenderit & correxerit, maximè in peccato graui.

An domeſticos neceſſaria ſcitu docendos curauerit, & peccantes correxerit.

CIRCA V. PRÆCEPTVM.

An aliquē habuerit odio, cū deſiderio vindicādi ſe, & quāto tēpore in eo odio & vindictæ cupiditate perſeuerârit.

An optauerit alicui mortem, vel aliud malum graue, & damnum corporis, famæ, honoris, bonorum tam temporalium, quàm ſpiritualium, ex malo & deliberato animo.

An fuerit alicui grauiter iratus, cum animo notabiliter ipſi nocendi.

An contendendo cum alijs verberauerit aliquem, vel vulnerauerit, vel occiderit, aut commiſerit alijs vt id facerent, vel quod ſuo nomine ab alijs erat factum approbauerit, vel ad id dederit auxilium, conſilium, vel fauorem.

An clericum percuſſerit. Nota. Qui percutit clericum, etiam primæ tonſuræ, percuſſione quæ eſt peccatū mortale, incurrit excommunicationem, dummodo ſciret, aut ſcire deberet, eum quē percutiebat, eſſe clericum, & legē de ex-cōmunicatione. proinde circūſtantia clerici eſt exprimēda.

An ſibi vel alijs maledixerit ſeriò, & ex animo. Eſt autem maledicere, malum aliquod ſibi vel alijs imprecari: nempe mortem, infamiam, diras, &c. vt ſi ſe vel alterum tradat vel commendet diabolo. Eſt autem maledictio ſemper peccatum mortale, quando ſeriò profertur, in materia graui.

An litigans cognomina dederit, aut conuicia iecerit cum graui proximi iniuriâ. Tunc ſemper iniuria eſt reparanda, & fama reſarcienda, ſi læſa fuerit.

An eum, quem grauiter offenderat, rogare veniam detrectârit, & cum inimico redire in gratiam recuſauerit, vel condonare ei offenſam noluerit, aut omiſerit alloqui vel ſalutare ſuum inimicum cum ſcandalo.

An defectus corporis aut paupertatis alicui exprobrârit, aut verbis, aut cachinnis, vel ſigno aliquo alios turpiter irriſerit. quod peccatum tanto eſt grauius, quanto maior debetur reuerentia ijs qui ridentur, & eos tenetur ſibi reconciliare; &, ſi infamia ſit ſecuta, debet famam reſarcire.

An rixas & inimicitias ſeminauerit, & an inde graue malum ſit ſecutum.

An deliberato animo doluerit de bono aliquo notabili proximi, vel de eius malo lætatus ſit. Bonum notabile eſt ſanctitas, fama, ſcientia, diuitiæ. Inuidere in rebus paruis veniale tantùm eſt.

An blaſphemantes, vel alio ſimili modo grauiter delin-

quentes non correxerit, cùm ſpes alicuius emendationis eſſet, & id facilè poterat.

An homicidis & extorribus fauorem aut receptaculum præſtiterit.

Huc pertinet peccatum ſcandali, quo quis ad peccatum mortale prouocat alterum, verbo vel opere aliquo, quod natura ſua præbet occaſionem ruinæ; & explicandum eſt ad quam ſpeciem peccati induxerit; vt, Induxi alium ad omittendum Sacrum die feſto, aut ad fabulandum per notabilem partem Sacri, ad non ieiunandum cùm teneretur, ad furandum, &c. De quo ſi (præter ea quæ ſingulis præceptis) occurrat aliquid, poterit illud huc reuocare.

CIRCA VI. ET IX PRÆCEPTVM.

An turpes cogitationes habuerit, in quibus voluntariè ſit delectatus, etſi opere perpetrare noluerit id quod cogitabat. Eſt enim peccatum mortale.

An cum deſiderio perficiendi operis, tales cogitationes habuerit, & an obiectum cogitationis fuerit virgo, ſoluta, coniugata, Religioſa, &c.

An turpia & obſcena locutus fuerit animo laſciuo, vel libenter audierit, & an turpes cantilenas cecinerit animo laſciuo, maximè alijs præſentibus.

An libros impudicos legerit animo laſciuo, vel ex ſola curioſitate cum probabili periculo delectationis moroſæ, vel conſenſus, & an adhuc tales libros habeat.

An inhoneſtas choreas duxerit cum probabili peccati periculo.

An aliquam perſonam aſpexerit cum periculo probabili conſentiendi peccato.

An probabili peccandi periculo ſe expoſuerit, loca quædam periculoſa adeundo, vel cum certis perſonis conuerſando.

An conatus ſit verbis vel aliquo facto ſuo pellicere aliquem perſonam ad res turpes. Hîc perſonæ circumſtantia eſt exprimenda.

An laſciuo animo turpia oſcula & alios contactus impudicos habuerit, vel ſe turpiter contingi permiſerit, vel an ſeipſum voluntariè polluerit, & quid tunc cogitabat. Eſt enim ſpecies cogitationis exprimenda.

An nocturnas vel diurnas pollutiones procurarit, vel experrectus ſe oblectarit in pollutionibus, vel turpibus ſomnijs.

An ipſum peccatum carnis opere expleuerit. Explicetur ſpecies peccati; quales ſunt fornicatio, adulterium, ſtuprum, inceſtus, ſacrilegium, & vitium contra naturam.

CIRCA

CIRCA VII. ET X. PRÆCEPTVM.

An aliquid furto ſuſtulerit. Explicet ſpeciem peccati: & an rem ſacram in loci ſacri tutela. Exprimat quoque quantitatem, quando notabilis ſumma eſt.

An inuito domino rem alienam alicuius momenti retineat adhuc abſque animo reſtituendi.

An inuenta notabilis valoris non reſtituerit domino, ſi eum adhibita diligentia poterat reſcire.

An aliorum hortis, agris, vel ſimilibus bonis notabile damnum intulerit.

An ex eo quòd debita ſuis creditoribus non ſoluerit, cùm alioqui poſſet, aliquod damnum incurrerint.

An in emptione vel venditione fraudem fecerit, cum notabili proximi damno; vel res furtiuas, aut quas dubitabat eſſe alienas, emerit vel vendiderit.

An mercedē famulis, ſubditis, vel operarijs ſubtraxerit, aut miniſteriū ad quod cōductus fuerat, fideliter pręſtiterit.

An ratione mutui vel anticipatæ ſolutionis aliquid acceperit: & eſt vſura.

An pro Beneficio Eccleſiaſtico obtinendo pecuniam vel rem pecunia æſtimabilem dederit, vel alius quiſpiam eo ſciente; & eſt ſimonia, collatio nulla, & fructus omnes ſunt reſtituendi.

An plura Beneficia habeat: quàm multa & quamdiu?

An deſiderauerit accumulare opes per fas & nefas; aut habuerit voluntatem determinatam accipiendi, ſi poſſet, rem alienam.

An pecunias ſibi à parentibus ad victum collatas, in luſus conſumpſerit, vel in conuiuia immoderata, aut alijs modis profuderit.

An ex parentum bonis quidpiam notabile acceperit contra ipſorum voluntatem: & eſt ipſis reſtitutio facienda; ſecùs, ſi conſtaret de ipſorum voluntate.

An litem aliquam contra iuſtitiam mouerit, vel mendaciter aut fraudulenter in eâ obtinendâ proceſſerit.

An luſerit ludis vetitis, vel ludendo fraudem fecerit, cum notabili proximi detrimento.

An lucratus ſit notabilem ſummam in luſibus, etiam ſine fraude ab ijs qui pecunias exponere non poterant; vt ſunt filij familias, &c. vel, an fuerit cauſa vt aliquis bona parentum diſſiparet.

An iniuſtè lucrum alterius impedierit, aut conſilium vel auxilium præſtiterit, ad iniuſtè nocendum proximo.

An furantem non impediuerit cùm poſſet.

An aliquid ex dictis deliberatè concupierit.

CIRCA VIII. PRÆCEPTVM.

An alicuius famæ detraxerit, graue aliquod crimen, vel ignominioſum quidpiam alicui falsò imponendo, & tenetur retractare coram eis, quibus præſentibus famam alterius læſit.

An peccatum graue alicuius, verum quidem, ſed occultũ, alijs manifeſtauerit, malâ intentione, vel cum graui famæ detrimento, quo etiam caſu famam reſarcire tenetur.

An dicta vel facta alicuius ſine vllis aut ex leuibus coniecturis in malam partem acceperit, certò & definitiuè apud ſe ſtatuendo illum peccaſſe mortaliter. Eſt enim hoc temerarium iudicium, & peccatum mortale: ſi autem tantùm fuerit ſuſpicio, vt cùm quis de alterius bonitate ex leuibus indicijs dubitat, ſolùm eſt veniale.

An detractoribus aures accõmodauerit, ex odio illius cuius famę detrahebatur, vel ſi detrahentes cũ notabili proximi detrimento non prohibuit, cùm facilè prohibere poſſet.

An perniciosa mendacia protulerit in notabile detrimentum alterius.

An præceptores, ſcholas, conuictũ apud parẽtes diffamauerit, falſas ad eos litteras ſcribẽdo, & tenetur ad reſtitutionẽ retractãdo feriò, niſi certò ſciat parẽtes ei nõ crediſſe.

An ſecretum ſibi commiſſum, maximè ſi ſpoponderit ſe taciturum, alijs reuelârit, & an indè aliquod detrimentum proximi ſecutum ſit.

An litteras alicuius cum damno aliquo, vel ſaltem periculo aperuerit.

CIRCA GVLAM.

An ſe aliquando ſpontè inebriauerit, & an intẽperantiùs comederit, aut biberit, cum notabili detrimento ſanitatis.

An alios datâ operâ ad ebrietatem induxerit.

Qui officiũ aliquod adminiſtrant, examinabunt ſe etiam de peccatis, quæ in tali officio vel ſtatu ſolent committi.

Interrogatorium breuius, in carmen redactum, habet P. Polancus in Appendice Directorij.

Oratio poſt Confeſſionem.

Miſericordias tuas, Domine, in æternum cantabo, qui me toties ſanguine tuo lauiſti, & lacrymarum tuarum fonte irrigaſti. Háſne tuam Maieſtatem fundere pro me, eheu! ſiccis oculis intuebor? O bonitas infinita, tantine facis adulteram, vt pro eâ reliqueris domum tuam, & dimiſeris hæreditatem tuam, & dederis dilectam animam tuam in manus inimicorum eius? Nónne facta tibi erat hæreditas tua quaſi leo in

Gratiarũ actio.

Ierem. 12

in ſiluâ, & fornicata fuerat anima mea cũ amatoribus multis? ſed reſpexiſti terram & feciſti eam tremere, & longè errantem, & diu exſpectatam non proieciſti à facie tua, ſed omnia peccata mea poſt tergum tuum? Ah! Domine, confirma hoc quod operatus es in me, & miſerere mei, ne fiant aliquãdo nouiſsima peiora prioribus, poſtquam ad amplexus tuos ſuauiſsimos, per veniam peccatorum dediſti peruenire. Ardeat in me amor tui, ne per teporem principatum meum accipiat alter, ſi in terrâ Sanctorum iniqua geram. Verùm bone IESV *quomodo tepidus eſſe poſſum, cùm tu langueas amore mei, & gaudia æterna pro labore momentaneo præpares mihi: & hodie poſt tot peccata mea frumentum electorum, & vinum germinans virgines, calicem benedictionis pro maledictione, calicem ſalutaris melle & lacte manantem, pro eo quòd felle te peccatorum potaui. O Domine, ô Deus, ô charitas, da mihi obſecro, vt non ſint hæc in vanum. Quid tibi in iudicio dicerem oſtendenti vulnera, & labores, Domino meo ſeruus nequam, ſi nunc contempſero ſequi te & Sanctos tuos, qui poſt tot labores, nunc lætantur ſicut victores captâ prædâ, & in meſſe meſſores? creſcebant illi quotidie, & ego in deteriora prolaber, tepidus in amore tuo, diſtractus in precibus, affectu vagus, quia te, ô Deus meus, & omnia, dereliqui fontem vitæ, & quæſiui ciſternas diſsipatas creaturarum, quæ continere non valent aquas. Doleo, doleo, & deteſtor hæc, & offenſas præteritæ vitæ meæ. O amator hominum, doleo quia te offendi, quia bonus es, non ob infernum aut cæleſtium gaudiorum detrimẽtum. Vtinam ita hoc ſentirem, vt ſentiuntur incommoda corporis, perditio liberorum, opum, &c. & tamen nónne qui te perdit, omnia perdit, cælum, Sanctorum præſidium, amicitiam tuam, omnia bona opera, & pacem animæ ſuæ, quâ me hîc frui, & beatè viuere cupis? Benigniſsime Deus, ſcio, bonorum noſtrorũ non eges: ſed beatè me viuere hîc & æternùm cupis animo tranquillo, & tibi coniuncto. Video & confundor: ac tum magis, dum ob vanam gloriam, pecuniæ amorem tanta fieri conſpicor, quodque amor tuus tantùm me impellere nequeat: ſed iterum rogo, parce Domine, parce Domine, propter merita & ſanguinẽ Filij tui, quæ offero diuinæ Maieſtati tuæ,*

Cauendũ à tepore.

Præparatio ad Communionem. Cor. 10.

Sanctorũ feruor. Ierem. 2.

Contritio

Attendite Dei charitatem.

& in

Oblatio ſui. *& in vnione meritorum eius omnia mea ad ſeruiendum tibi: Illis omninò, & gratiâ tuâ confido in nouitate vitæ ambulare: Adeſte Angeli, ſancti patroni mei, vt quæ in conſpectu Sanctiſsimæ Trinitatis, & veſtro propono, diuinæ gratiæ innixus perficere valeam. Amen.*

Praxis: ſeu quæ agenda poſt Confeſsionem generalem peractam.

Recidiua cauenda. PRIMO, vide quomodo iam multa cum modeſtiâ in gratiam cum prodigo redieris, & gratias age ex toto corde, atque imitare Magdalenam, exemploque eius quidquid vanitati hactenus in corpore tuo ſeruiuit, ſtatue Deo dedicare, &c.

Ioan. 5. *Occaſiones vitandæ.* Secundò, cogita tibi dictum illud eſſe: Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, & corã Deo, & Sanctis eius, vt teſtibus, ſæpè contritionem excita, & proteſtare coram eis, quòd in æternum non declinabis à mandatis Dei tui.

Tertiò, conſidera quæ ſint tibi inclinationes prauæ, & præcipuè occaſiones peccatorum tuorum, ſtudiumque eas vitandi ſcias tibi præcipuum eſſe debere: qui amat enim periculum, peribit in eo. *Eccleſ. 3.* Neque verò contritus videtur, & ad Deum conuerſus, qui ſciens ſe creberrimè tali occaſione lapſum eſſe, & frequenti lapſu debilitatum, iterum ſe eidem periculo committit, v. g. conuerſationi cum diſpari ſexu, cum ebrioſis, &c. *Stultitia peccatoris.* Dic mihi, ſi in loco aliquo vigeſies grauiſſimam bonorum iacturam feciſſes, nónne vitares? Si aliquoties fuiſſes in eodem grauiter vulneratus, nónne diligentiſſimè caueres? Si quis ſæpiùs vitæ diſcrimen adijſſet, & naufragij, & famæ, & bonorum omnium, & ſciens & prudens abſque cauſa eidem ſe periculo exponeret; crederes ei aſſerenti ſe naufragium ſtudioſè vitare velle, an potiùs temerariè ruere in certum interitum? Ita in animæ periculis cauendis prouidum eſſe omnino conuenit.

Præcipui defectus obſeruandi. Huc pertinet videre quibus vitijs potiſſimùm obnoxius ſis; habet enim quiſque defectus aliquos, è quibus cæteri ferè manant: & hos eradicare, ac velut fontes obſtruere oportet, idque per examen particulare; de quo infrà, & ſtudium ſingulare mortificationis.

Actiones expoliendæ. Quartò conſidera actiones tuas, & occupationes, diligenterque attende, quomodo eas perfectiùs agere poteris.

Aduerſa toleranda. Quintò conſidera, quæ tibi moleſta & aſpera ab alijs accidere poſſent, quæque ex vitæ genere tibi obuenire ſolita ſint: & primò accepta ea in ſatisfactionem peccatorũ

de

de manu Domini, deinde alijs etiam modis ad ea fortiter & Chriſtianè ferenda animum præpara.

Exemplum propoſitum poſt Confeſſionem generalem ad vitæ emendationem.

CONSIDERATIS ſemitis domus meæ, diuinâ miſericordiâ ſtatuo.

Primò, benè & chriſtianè me mori velle, atque ſimiliter vitam mihi inſtituendam; cùm talis ſit futura mors, qualis vita fuerit. Ducem autem in viâ hâc, & animæ negotio eligo N. doctum iuxtà ac pium, eique illam omnino aperire, eiuſque directionem ſequi propono, ac de profectu ſæpè cum illo conferre, & expoſcere, vt amicè & confidenter me moneat. Adiuua me Domine Deus meus, quiâ tu es Deus fortitudo mea, & refugium meum, & te quærere & amare toto corde deſidero. Amen. *Propoſitū de vitâ, & morte bona.*

Secundò, quoad animam eiuſque cibum, propono eam ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento decimo quinto quoque die ſaltem paſcere, octauo verò per pœnitentiæ Sacramentum expiare: nam video manifeſtè mihi illuſum, & vehemẽter erraſſe me; cùm dilatione imparatior hactenus euaſerim, neque ſi vlla excuſatio apud Deum ob negotia (vnicum ſiquidem & grauiſſimum eſt ſalutis meæ,) & erubeſco coram te, Domine, dum cogito me plurimis friuolis, ludo & otio, tempus abſumpſiſſe, lucri, &c. occaſionem auidè arripuiſſe, & ſolius animæ curam poſthabuiſſe. *De vſu Sacramentorum.*

Illam etiam oratione & verbo tuo paſcere, coram te, Deus meus, ſtatuo, & quotidie Miſſam audire, examinare conſcientiam, & lectioni piæ quadrantem ſaltem vnum tribuere. ad hoc enim viuo & creatus ſum: & ſi ſemper iuſſus ſum orare, quomodo hæc negligere potero? Inter morbos verò animæ illum N. primùm diligenti curâ perſanare conabor per gratiam tuam, quemadmodum facerem ſi corpore æger forem. *De Miſſa.*

Quod ad corpus, per tuam gratiam numquam illud tam delicatè nutriam, vt velut ſeruus molliter nutritus contumax fiat & rebelle diuinæ Maieſtati tuæ; ſed vt iumentum habebo moderato cibo ac potu, veſtitu & recreatione, vt decet ſtatum meum, vtque aptum ſit obſequio animę meę, & tuo in primis, Deus meus. Senſus, imprimis verò oculos, aures, & linguam ſic cuſtodiam gratiâ tuâ, vt portas animæ meæ aduerſus inimicos meos. *De corporis cura.*

Tertiò, cùm reddenda mihi ſit de bonis ratio (tua enim ſunt

De bonorũ vſu. ſunt omnia, & iuſſus ſum ego diſpenſator eſſe fidelis) propono Primò, non anxiè accumulare, ſed moderate ea curare; tum vt vitam ſuſtentem, tum ut creditoribus ſatisfaciam, ne clament in cælum vindictam grauiter preſſi inopiâ fratres noſtri, & filij Dei ad Patrem miſericordiarũ. Secundò, vt familiam alant iuxta ſtatum, non vanum mundi iudiciũ: neque enim opulentior videri cupio, neque alieno illuſtrior apparere. Tertiò, ad honeſtam tantùm recreationem; quid enim turpiùs, quàm opes magno ſudore miſeriorum expreſſas, & parentum labore partas, quibus mihi cælum parare, & ventres famelicos fratrum meorum paſcere poſſum, prodigere aleæ iactu, &c. Non feram deinceps, vt clamet ad portam fruſtrà pauper, pro vnâ panis buccellâ, & ego ludo, & joco, & ſuperuacuis delicijs dilapidem ſummam, quâ multi refici & Deum benedicere poſſent, & benedictio eorum plurima venire ſuper me.

De familiâ. Quartò, reddenda cùm ſit familiæ ratio; Primò, non ſuperbè me geram, ſed conſeruos meos famulos exiſtimabo. Secundò, neceſſaria eis diligenter curabo Tertiò, ſollicitus ero vt ſaltem æquè Deo meo ſeruiant, ac mihi, neque permittam quin ſingulis ſaltem menſibus Pœnitentiæ & ſanctæ Euchariſtiæ accedant Sacramentum: æquum eſt vt nõ ſeruiat quis mihi, qui non ſeruit tibi, Deus meus. Quod autẽ attinet ad alios ſubditos poteſtati meæ ſubiectos, ſcãdala amoueri, iuſtitiã breuiter & rectè adminiſtrari curabo.

De officio. Qu ntò, officium quid à me poſcat meum expendi, & video, ô Domine Deus, eò mihi maiorem rectè viuendi neceſſitatem incumbere, quò plura de manu tuâ liberali indignus accepi. Deinde multa occurrunt, quæ in obſequiũ tuum, & gloriam nominis tui facere potero, atque hæc coram Majeſtate tuâ decerno N.

De tẽpore. Sextò, temporis autem primam mihi rationem habendam eſſe video, cùm precioſiſſimum ſit, & irrecuperabile: quocirca illud diſtribui vt animæ priùs meæ, vt virtutis ac rationis ſtudio, vt proximo, & muneri ſuum tribuatur.

De ſocijs. Septimò, cùm nihil ad probitatem magis valeat, quàm bonorum conuerſatio & ſocietas, tales deligo N. quos ſcio diuinæ Maieſtati tuæ fideles famulos, alios verò vitare volo. Vitia enim ſerpere videmus, neque poteſt tibi eſſe gratum, vt nec vlli patri & Principi, ſi cum eo filius aut ſubditus tractet aut agat, qui nihil aliud nititur, quàm ſuadere, vt parentem perimat filius, cliens Regi rebellis. Id enim faciunt mali inuitantes ad peccatum, per quod Chriſtus Dominus iterum crucifigitur, & tibi Deo meo rebellis quis efficitur.

Octauò,

Octauo, ut verò hæc propoſita firma ſint, ſtatuo Primò, de iis referre Confeſſario, vel decimo quinto quoque die. Secundò, ut meliùs ea ſervem, mihi indico legẽ v. g. dandi eleẽmoſynã, &c. niſi hoc N. fecero. Tertiò, ſi Confeſſario probetur, ad tempus aliquod voto pœnali me obſtringam, donec quod potiſſimùm mihi neceſſarium eſt, perficiam. Quartò, quotidie propono hæc manè relegere. Quintò, ſaltem quot hebdomadis aut menſibus eadem attentè conſiderare. *Nota.*

Oratio pro executione. *Dignatus es*, ut ſup. pag. 10.

Oratio pro perſeverantia in bonis propoſitis.

DOMINE *Deus meus, Rex Regum, & Domine dominãtium, confiteor tibi coram curiâ tuâ cæleſti, quòd infidus hactenus fuerim maieſtati tuæ, poſt innumera accepta à liberali manu tuâ beneficia, quibus non ad obſequiũ tuum, ſed ad rebellionem uſus ſum. O Pater miſericordiarum, miſerere mei: pœnitet enim me vehementer, & velut prodigus ſupplex venio, & projicio me ad thronum gloriæ tuæ; reſpice ad opus manuũ tuarũ. Ecce abrenuntio Satanæ, & mundo, ac pompis eius, atque hæc NN. ſtatuo coram te, & vitare illas occaſiones N. vt lapides offẽſionis. Scio quòd in die iudicij nihil habebo, quod excuſem: oſtendiſti enim mihi viam in quâ ambulem, & quod non feciſti omni nationi, iudicia tua & leges manifeſtaſti mihi; & gratiã dediſti ut præſtare poſſem. Et certè ſi centeſimã partem feciſſem eorum, quæ pro mũdo feci ac toleravi, profectò ſervaſſem legem tuam, & in amicis tuis ac filiis numerarer: iam autem non ſum dignus vocari filius tuus; ſed fac me ſicut vnum de mercenariis tuis, & concede mihi gratiam per ſanguinem Chriſti* IESV, *quâ deſideria iſta complere, tibiq; & Chriſto filio tuo, ac ſanctiſſimæ Matri illius ſervire valeam, & tecum in æternum vivere. Amen.* Pſalm. 142. Pſalm. 147. Lucæ 15.

IACVLATORIÆ.

IVraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Pſalm. 118.
Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? quoniam ab ipſo ſalutare meum. Pſalm. 61.
Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. Pſalm. 118.

Concu-

Ibidem. *Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore.*

Ibidem. *Viam veritatis elegi: iudicia tua non ſum oblitus.*

Ibidem. *In toto corde meo exquiſiui te: ne repellas me à mandatis tuis.*

CAPVT VII.

Exercitium ſeu deliberatio de ſincerâ ac frequenti Confeſſione.

Eccl.40. HOMO. Graue iugum poſitum eſt ſuper omnes filios Adæ, à die exitus de ventre matris eorum, vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Neſcio enim qui fiat, vt fugiant à facie tuâ, Domine, & abſcondant ſe, & peccatũ ſuum à te, qui contemplaris in omni loco bonos & malos. Sed quid agimus miſeri? abſcondere nitimur peccatum, id eſt vulnus, vt inueteraſcat, vt fiat peccatum peccans ſupra modum. Quid enim eſt differre confeſſionem, niſi differre medicinam? quid eſt celare peccatum niſi vulnera tegere, vt computreſcant vulnera, & cicatrices noſtræ à facie inſipientiæ noſtrę? Sana precor, Domine, noxium pudorem, quo impudentia tegitur, honoris vanam cupiditatem, quo æterna ignominia accerſitur. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter, vt verè & ſincerè cõfiteamur peccata noſtra, & miſerearis iniquitatib. noſtris.

Peccator abſcondit vulnus medico.

Pudor noxius è ſuperbiâ naſcitur.

Eccli.4. CHRISTVS. Fili, pro animâ tuâ ne confundaris dicere verum: eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam. Expende quid ex ſincerâ & crebrâ confeſſione tibi vtilitatis proueniet, quid ex falsâ; quid ex morâ longâ. nonne, ſi vulnus accepiſſes graue, & maximè ſi letale, continuò medicum quæreres & aperires? hoc eſt peccatum. Si venenum hauſiſſes, differres donec peruaſiſſet fibras omnes? ſi ab hoſte captus eſſes, differres, cum in manu tuâ eſſet redimi, donec vinculis, id eſt peccatis, pluribus eſſes adſtrictus? donec diu duram ſeruiſſes ſeruitutem? quis in exilio permanere vult, donec plurimorum bonorum

Vide quæ ſincere Confeſſionis vtilitas.

Dilatio illius quàm noxia?

rum iacturam fecerit, hæreditate amplâ excluſus & honoribus? Quòd ſi verò humiliter ſtatim homo confiteretur, mox veneno liberaretur, & ſeruitute, & in filiorum meorum rurſum numerum reſtitueretur; ruſum ei meritis quotidie coronam augere concederetur; & particeps eſſet bonorum omnium. Qui hæc omnia ſpernit, & differt confiteri, vel erubeſcit; quanti facit ille eſſe ſe filium meum, & ſeruum; quanti animæ ſanitatem; filiorum meorum hæreditatem; & quod maximum, meam iram vel beneuolentiam? Dic mihi, ſi reus eſſet capitalis delicti, qui ſi ſciret multos eâdem horâ à lecto ad ſupplicium rapi, à dextris & ſiniſtris; ſeque delatum; tortores inſtare vt licentiam habeant comprehendendi; & ſi ille verbo vno à morte, à diro ſupplicio, à iacturâ bonorum, à Regis irâ ſe liberare, verbo vno inquam, confitendo peccatum viro amiciſſimo, poſſet; quem & ſecretiſſimum ſciret; & tamen contemneret, nónne furioſum & amentem appellares? Aſpice repentinas mortes, glomeratos hoſtium cuneos vt te perimant; plurimi enim ſunt dæmones qui circumuallant, circumeunt quærentes quem deuorent. cur igitur ſalutem deſeris? cur ceſſas, qui mederi tibi, tantoque potes malo verbo vno? currit ceruus ad dictamnum: hirundo vt pullis reſtituat lumen, ad chelidoniam: & mauult homo jam peccato ſuo reus, æternùm damnandus ad momentum latere, quàm pœnis abſolui, & beatus eſſe. O miſerum, pudoris magis memorem, quàm ſalutis; qui perire elegit potiùs, quàm vulnus aperire! quid tu hîc amico ſuaderes tuo? quid tibi? *Hæccine vera*, vt ſuprà, pag. 7.

Quanta vis noxii pudoris.

O dementiam peccatoris.

1. Pet. 5.

Cur refugis medicinam.

Homo. Video, Domine, difficiliùs eſſe peccata commiſſa prodere, quàm non admiſſa vitare; & obſtupeſcere debeo inſaniam noſtram. Obmutui, & quia ſilui à bonis, dolor meus renouatus eſt. Ego certè confitebor iniuſtitiam meam tibi, Deus meus, & tu remittes impietatem peccati mei, pro infinitâ benignitate tuâ: *Pſal. 38.* *Pſal. 31.*

quia ſi tacuero, reus magis ero;& quo diutiùs exſpectauero,difficiliùs,vt de echino dicitur, pariam,quod concepi,peccatum.

In morte quid feciſſe velles? CHRISTVS. O quot anguſtiis premuntur in mortis horâ, qui ſuperbiâ ſuâ,& vano pudore à crebrâ & ſincerâ confeſſione deterriti fuêre!quot enim ſunt,qui plurimos annos ſacrilegè confeſſi fuerunt, & conculcârunt ſanguinem meum!ac tum quidem confiteri vellent, ſed vix in mortis horâ ſincerè euomere virus peccatorum poſſunt.O quàm triſte mihi eſt, id Sacramentum, quod pro ſolatio ſtatui, exitium fieri ex hominum malitiâ & vaniſſimâ vanitate longè prȩſentiſſimum.quid potui dicere dulcius, Fatere peccatum, & dimittetur tibi;fatere vni ſoli, verbo vno,& abſolutus eris,etiam ab omnibus mundi,ſi patraſſes,delictis?

HOMO. Ita eſt, benigniſſime IESV, facilius nihil eſſe poteſt. ſed eheu! difficilius nihil corruptæ naturæ videtur.

Pudor creſcit dilatione. CHRISTVS. Quid ita ? an homo aliquando peccatum confiteri ſtatuit? ſi aliquando? cur, vt dixi,differt, dum morâ inualuerit malum , dum hoſtis potentior ? non decreſcit morâ pudor,ſed augeſcit.Et verò quæ tanta pudoris cauſa ?

Superbia peſſima. HOMO.Non video aliam,quàm arrogantiam inſanam hominum, qui vel vnius iudicio abſolui veremur, potiuſque optamus inſipientiſſimè coram orbe toto accuſari & damnari , quàm apud vnum nos accuſare & abſolui. malumus coram orbe toto ignominiâ notari, quàm coram vno mortali, miſero peccatore res noſtras fateri , & gloriam de victoriâ ſui reportare. malumus à te ſæpè in perpetuum reprobari,quàm ab vno terræ vermiculo facta noſtra non probari. Eia, Domine,imperfectum noſtrum viderunt oculi tui;adiuua nos,& diſrumpe vincula peccatorum noſtrorum. *Pſal.138.*

*O veritas æterna.*vide infrà pag.84.

CHRISTVS. Quid facies , miſer , in die illâ horrendâ

tendâ, quando reuelabo abſcondita tenebrarum, & illuminabo conſilia cordium, & nihil occultũ erit, quod non reueletur; & quod in tenebris ſummis dictum & geſtum, in lumine coram toto terrarum orbe patebit? quantopere eluceſcet veritas illa, decretum, lex & ſententia mea, Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur; *Credo tibi*, &c. vt ſuprà pag. 7. *Attendeiu: dicıũ Dei.* *Luc.* 14.

HOMO. Timor & tremor venerunt ſuper me, & texerunt me tenebræ. horrendum eſt incidere in manus tuas, potentiſſime Deus. horrendum cogitare lamentationes & Væ miſerorum, quos inutilis pudor æternis damnabit tormentis. ibi reuelabitur iniquitas ad opprobrium ſempiternum; quam ſi confeſſione aperuiſſent tot pueri, tot puellæ, tot viri, fuiſſet illis peccatum ad gloriam ſempiternam. Quid dicemus ad hæc, ô anima noſtra? *O veritas æterna*, &c. vt infrà pag. 84. *Pſal.* 54. *Hebr.* 10.

CHRISTVS. Olim Sancti amici mei ſic inſtituebant ſuos, vt, ſi fieri poſſet, quot paſſus ambularet Monachus, declararet. illi non declinabant cor ſuum in verba malitiæ, ad excuſationes excuſandas in peccatis, ſed crebrâ atque humili confeſſione eluebant peccata ſua. Hinc tantâ certè pace & gaudio fruebantur; cùm peccati reos flagellet tortor aſſiduus conſcientia, & torqueat tanto violentiùs, quanto ſecretiùs. Serpentem illi fouent in ſinu ſuo, ignem ad internecionem deuorantem. An iam videtur in longum differenda confeſſio, vt diuturnior ſit pœna, difficilior venia, ſæuiora intus, etiam mediis in deliciis, tormenta? Colligata enim, ait Propheta meus, eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius; dolores parturientis venient ei. Ecce, dic vni vno verbo, & redibit pax & tranquillitas ſperata, & omnia bona pariter cum illâ. Neque tantùm in Sacramento Pœnitentiæ candidè & ſincerè aperiebant vias ſuas: ſed generale & euidens indicium diabolicæ cogitationis pronunciabant, ſi eam ſeniori confunderetur aperire; tum demum ſecuri, ſi perſpecti illis eſſent. *Pſal.* 140. *Sanctorum exemplum.* *Oſeæ* 15. *Caſſi lib.* 4 *Inſtit. c.* 4. *ſecuritas magna ex ſinceritate.*

Tunc enim ſciebant ſeniorem non permiſſurum, vt onus grauius imponeretur, quàm ferre poſſent; quippe qui vires declaraſſent:nihil verebantur deſpici, ſed optabant. Et certiſſimum illud nota decretum meum; Omnem, qui ſe humiliat, exaltandum. Ideoque numquam tales famæ faciunt jacturam, ſed nomen potiùs augent: non poteſt enim fallere verbum meum, & judicia mea manent in æternum. æternâ lege fixum eſt, vt iterum dixi tibi, Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur; & omnis qui celando peccatum ſuum exaltare ſe nititur, ſerâ pœnitentiâ ignem fumo, vulnus fœtore prodere inglorius cogetur. *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7.

Matth.23

Humilitas exaltatur.
Ibid.

HOMO. Quæ, IESV bone, commoda video! quot bonis, quot nos promiſſis inuitas, vt teterrimam hypocriſim vincamus; vt crebrò in ſanguine tuo abluantur animæ noſtræ; vt curentur vulnera noſtra; vt reuertamur ad te; vt mundi ſimus corde: vt tandem veniamus ad te, & videamus regnantem cum Patre & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio pro Confeſsione ritè inſtituenda.

Quid præſtat, vni aperire an omnibus?

O Veritas æterna, Deus meus, nónne tu ſcrutaris cor & renes meos, & iubes, vt condones mihi, vt tantùm confitear peccatum meum; idq́ vni homini reo, & peccatori, & concaptiuo, & forte miſeriori me? Et fieri poteſt, ô IESV, *ô* IESV, *ô* IESV, *vt potiùs quàm vni homini innoteſcat, malit homo æternùm perire? & à toto orbe damnari? vnum metuat infelix, & non totum orbem, neque te? Iudicium hominis refugiat & non tuum? forſitam haberi probus optat ad momentum, & malus eſſe & cum malis puniri æternùm?* Credis *hæc, ô peccator? & quæ dementia, quanta fallacia eſſe remedium, & tam facile, & te excludere illud, & pacem animæ tuæ longè ſuauiſsimam? & tormentum & gehennam intra viſcera alere, & à gratiâ tuâ eheu! æternùm ô* Deus meus *excludi. Et verò nónne certò certiùs notū; quòd omnis, qui ſic ſe exaltat, turpiter humiliabitur, & quòd nihil ſit opertum quod non reueletur,*

Dementia hypocritæ.

Matth. 10

nihil

nihil occultum quod non ſciatur? Si vera hæc veritas, cur ergo cum ignominiâ reuelari optabo mundo, & confundi coram eo & damnari, quàm coram vno, & ab vno, & à te abſolui! Creditne hæc, quiſquis adhuc celat peccatum? & ſcit inſuper confeſſionem à te mandari, fruſtráq; illud celari, cùm ſeriùs ociùs crimen vel ſe prodat vel prodatur? Si credit, cur, ô IESV, *celat, & audet aliquando te ſuſcipere in Ven. Euchariſtiâ, & in ſerpentum, & draconum foueas, id eſt, cor ſuum, te proijcere, & velut in latrinas? quid ſperat? à te veniam, quam millies tam facilè oblatam ſpreuit?* Applicatio ad Communionem.

O Domine, ô veritas mea Deus, proteſtor coram te hodie, quia ſyncero corde te ſuſcipere volo, & mundo te amare & amplecti, & confitebor tibi, & non abſcondam peccatum meum: ſi enim aſcendero in cælum, tu illic es; & ſi deſcendero in infernum, ades. Tu noſti omnia priuſquam fierent, & reſpicere ad iniquitatem non potes. Confitebor ergo aduerſum me iniuſtitiam meã, & tu remittes impietatem peccati mei. Confitebor homini, vt tibi Deo meo: & tu, ſcio, pro benignitate tua, diriges linguam eius, & vias meas Scuto me circumdabit veritas tua, & non timebo à timore nocturno; ſed tuum iudicium, ô æterna Veritas, in quo manifeſtabuntur conſilia cordium, & reuelabuntur abſcondita tenebrarum. Gratia & veritas per te, Chriſte IESV, *facta eſt. Abſque te, vani filij hominũ, & mendaces in ſtateris, vt decipiant de vanitate in idipſum, & decipiantur miſeri, dum celare volunt omnia videntem, & teſtem velocem iniquitatis ſuæ. O, quot in iudicio tuo, laruâ & perſonâ depoſitâ erubeſcent coram orbe terrarum; & apparebunt ſepulcra dealbata; nequiterque ſe humiliaſſe, quorum interiora plena erãnt dolo! O inſenſati, quis vos faſcinauit non obedire veritati? puduit coram vno erubeſcere, & ecce coram vniuerſo orbe terrarum reuelabitur iniquitas terræ.* Proteſtatio. Pſal. 31. Pſal. 90. Hypocrita ſe decipit. Ioan. 1. Pſal. 61. Eccl. 19. Galat. 3.

O quàm breuis laus impiorum, & gaudium hypocritæ inſtar puncti! Si aſcenderit in cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur: & qui viderunt eum dicent, Vbi eſt? Reuelabunt cæli iniquitatem Iob 20. Hypocrita humiliatur. Ibid.

tem eius,& terra conſurget aduerſus eũ. Væ, qui profundi eſtis
Iſaiæ 29. *corde,& à Domino abſconditis conſilium! quorum ſunt in te-*
Pſal. 141. *nebris opera, & dicunt: Qui videt nos,& quis nouit nos? Tu noſti, Domine,& contemplaris in omni loco bonos & malos: ideoq́; non declinabo cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis: ſed voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, quia bonum eſt. Tu oſtendes mihi viam rectam, per eum quem ducem mihi dare dignatus fueris; eum ipſum vt te audiam: non enim eſt prudentia, non eſt conſilium contra te, Domine. Incertæ ſunt omnes prouidentiæ noſtræ: da illi, quæſo, Domine, ſpiritum rectum, vt cognoſcat mirabilia de lege tuâ, vt aperiat mihi voluntatem tuam; quam ſcire vehementer deſidero, & vni tibi placere & ſeruire in verâ ſanctitate & iuſtitiâ, in humilitate & patientiâ, caſtitate perfectâ,& ſincerâ caritate omnibus diebus vitæ meæ. Amen.*

Praxis ad peccatorum Confeßionem peragendam.

PRIMA. Obſerua diabolum nihil magis hoc maximè tẽpore moliri, quàm vt efficiat homines incredibili inſa-
Dæmon iã maximè pœnitenti inſidiatur. niâ, etiam aliquando Religioſos & pios, præſertim mulieres, abſcondere peccata ſua, excuſare, palliare, nullam admittere monitionem, atq; ita aſtu magno, vt S. Bonauentura ait, omnia peccati & defectuum excludere remedia. Quanto acceptiores Deo ſunt grauiſſimi peccatores, quàm eiuſmodi ſimulatores, quia faciliùs certè illi, quàm hi, vtpote tepidi, curantur & ſanantur. Aſſueſcere ergo quiſque primo debet confeſſario,&, ſi Religioſus eſt, etiam Superiori ſe ſincerè aperire, neque defectus tantùm, ſed & inſuper tentationes,& pietatis exercitia.

Confeſſarius mutandus ſi libertas deſit. Secunda, Etſi verò laudabile certo Confeſſario confiteri; tamen ſi, vt fit, libertati officere videatur, non tantùm mutare conuenit, ſed oportet,& potiùs ignotus,& in tenebris adeundus, quã in pœnas & tenebras exteriores anima per reticentiam à dæmonio muto detrahatur. Idem eſto iudicium, ſi periculum animæ ex confeſſione timeatur; ſi ſecreti reuelatio. Eapropter Eccleſia mater decreuit, vt in mulierum monaſteriis quotannis ter vt minimum alii ab ordinario dentur Confeſſarii. Ideò ferè in Iubileis facultas omnibus tribuitur, etiã Religioſis, cuiuis approbato confitẽdi.
Conc. Trid.

Sed

Sed diſcreti Superiores, animarum veri zelatores, huic incommodo vltrò occurrunt, &, vt meritò debent, offerunt facultatem confitendi alteri, ſi angi ſuorum videant conſcientias; tantùm abeſt vt negent. Certè negare illam, præſertim in monaſteriis mulierum, durũ eſt, & ob Chriſtum vinctas, vt ſic loquar, laqueis irretire, ac in ſalutis portu, portã illius, eheu! occludere. Hac de causâ prudenter ſanè B. Thereſia in ſuo Ordine Confeſſarii optionem dedit. Vides quantâ libertate hîc vtendũ. Vnde probare non poſſum allici pœnitentes: ſed conſilium R.P. Aluarez vtile ſemper viſũ ac ſalutare, vt eos demùm audiat & juuet Confeſſarius, quos ad eum Dominus miſerit, pro his enim illi gratiam, &, vt ſic loquar, annonam largitur, quâ animã paſcat. Idq́; humilitas ſuadet. Si enim quiſque alium ſe meliorẽ æſtimare debet, vtique etiam aptiorem animabus juuandis. Nemo verè humilis ideò ſe aptiorem, quòd doctior fortè ſit aut exercitatior, putat, cùm ſciat Dei ſolius eſſe trahere, ſanare, dirigere animas ad finem & perfectionem, quam illis deſtinauit: incertas verò eſſe hominum prouidentias. Illud etiam laudabile aliquorum iudicatur inſtitutum, vt eo Confeſſario, quẽ Dominus in loco, ſeu confeſſionali ſtatuerit, vtantur; in hoc illius paternam, cum humilitate, prouidentiam ſequantur. Ille nouit cui quem mittat: ſic Philippũ miſit Eunucho, ſic Ananiam Paulo, ſic Cornelio Petrum. nec miſit tantùm, ſed inſtruxit, priuſquàm mitteret quid opus facto eſſet; & ad Cornelium miſſionem miraculo teſtatus fuit.

Pœnitentes non alliciendi.

Humilitas id ſuadet.

Confeſſarius audiat eos quos mittit Dominus.

Tertia. Deligendus Confeſſarius vir doctus, prudens, maturus ac pius, nõ verboſus, nec blandus; quod de mulieribus dico. His cum Confeſſario, vti vitanda familiaritas, ita etiã viſitatio, & frequens colloquium, niſi neceſſitas compellat; ac tum quidem breue, & numquam ſine teſte admittatur, etiamſi Angelus de cælo eſſet. Sic Sanctæ omnes fecerunt, ſic Sancti. Qui aliâ cùm poteſt viâ graditur, nõ inſiſtit Sanctorum veſtigiis, & temeritatis ſuæ pœnas metuat.

Caueat Cõfeſſarius ſolus cum feminis agere

Quarta In confeſſione inſtituendâ humilẽ & perſpicuũ eſſe oportet, ordinatum ac breuem, omiſſis generalibus, & iis, quę ſub conditione vulgò ab omnibus ferè narrari ſolẽt, ac longâ narratione, maximè in eo quod ad caſtitatem pertinet: cum narratio & accuſatio verboſior periculoſa ſæpè ſit vtrique, & pœnitenti, & Confeſſario. Speciem facti & peccati explicare ſufficit, id eſt, circumſtantiam illam, quæ efficit illud peccatum longè grauius, vt ſunt circumſtantiæ perſonæ, ſi illa coniugata, Religioſa, voto obſtricta. Vis autem commodè te præparare ad confeſſionẽ? vtere formulâ examinis generalis. Primò gratias age, quòd ſpatiũ pœni-

Confeſſio debet eſſe humilis, perſpicua, & breuis.

tentię dederit Deus; Secundò, lumẽ pete, vt agnoſcas peccata tua ac deteſteris; Tertiò, examina te; Quartò, contritionem excita; Quintò, firmiter propone emendationem. Examinare autem te poteris, quomodo contra Deum, proximum, & teipſum peccaris cogitatione, verbo, opere, atq; omiſſione: vel certè actiones diei percurre, & breuiter tria vel quatuor (quando grauius nihil eſt) collige, de quibus in confeſſione te accuſes; ac potiſſimùm contritioni & propoſito intendas. Iuuat in examine quotidiano ad expeditã confeſſionem, confitenda annotare: pro contritione actum illius l. I. c. 5. explicatum recitare.

Modus ad confeſſionẽ ſeparandi.

Quoties confitendũ

Quinta, Etſi crebra confeſſio laudanda ſit, eſt hîc tamen moderatio adhibenda. Sacerdotibus equidem etiam quotidianam Sanctorũ exemplo ſuaſerim: ſæcularibus piis ſemel atq; iterum in hebdomade ſufficiet confiteri, & quidẽ breuiter niſi neceſſitas aliud imperaret. Cauendum autem ne ex conſuetudine fiat confeſſio, ſed ita ſemper inſtituenda eſt, ac ſi ſtatim poſt illam moriendum foret, non tamen ſcrupuloſè. Collationẽ inſtituere confeſſionum, & de profectu ſuo iudicium ex illis facere, apprimè ſalutare.

Cogitet pœnitens ſe Deo loqui.

Sexta. Quâ reuerentiâ, humilitate, quoq; ritu confitendũ ſit, paſſim traditur. Vnum moneo, vt in formulâ, quæ cõfeſſioni præmittitur, dũ pœnitens dicit: *Confiteor Deo*, reflectat, & ſerio cogitet non homini ſe, ſed Deo cui omnia patent, loqui: neque humanæ prudentiæ vllius, ſed ſoli Deo eiuſq; gratię confidat, vt velut in ſanguine Chriſti lauandus accedat. Deinde ad *mea maxima culpa* contritionem iterum excitet, mente ſaltem adijciendo, *& doleo quod tot beneficiis tanto amori Dei mei nil niſi peccata repoſuerim.* Idem fieri expedit ad eadẽ verba poſt confeſſionẽ repeti ſolita. Formulâ longiore ſi temporis anguſtia vti nõ permittat, ſaltẽ breuiore vtendum, hac vel ſimili, *Confiteor Deo omnipotenti, B. Mariæ, omnibus Sanctis, & tibi, Pater, quia peccaui nimis, mea maxima culpa.*

Poſt confeſſionẽ quid agendum.

Poſt confeſſionem peractã Primò gratias age; Secundò, pete gratiam vt te emendare queas, ac tibi diffide, Deoq́ue confide; Tertiò, propoſitum renoua, & quoad potes occaſiones proſpice, & vitare decerne; Quartò, pœnitentiã exple, orationes iniunctas recitãdo. Addere poteris afflictionem aliquam corporis, aut incommodè flectendo, aut quid ſimile, & eleẽmoſynam largiri ſaltem ſpiritualem, pro proximis orando, & potiſſimum iis qui malè affecti ſunt. ſic etenim tria bonorum operum genera expleueris.

Oratio pro Execut. *Dignatus es*, &c. vt ſuprà pag. 10.

IACV-

IACVLATORIÆ.

Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Ioan. 5.

Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi: dele Domine iniquitatem meam. Pſal. 31.

Peccaui in cælum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum è mercenariis tuis. Luc 15.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo. Pſal. 18.

CAPVT VIII.

De Confeſſario ſeu Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ ſeu Confeſſionis.

PRAELVDIVM I. Conſidera te coram Deo vndique miſerum & leproſum, &c.

PRAELVDIVM II. Gratiam pete, vt hoc Sacramentum non ſit tibi in perniciem, quod inſtitutum eſt omnibus ad ſalutem.

PVNCTVM I. Conſidera Deum ſapientiſſimum & optimum, cùm haberet infinitas vias quibus ſibi reconciliare hominem poſſet, delegiſſe hoc medium tamquam conuenientiſſimum & ſuauiſſimum. Quid enim facilius, quàm reum fatendo, non vni ſed alicui ex innumeris propè Sacerdotibus poteſtatem habenti, abſolutionem impetrare? Quid autem magis conueniens quàm vt peccator, qui cor, linguam ac manus à Deo auertit, contritione, confeſſione & ſatisfactione ſe ad Deum conuertat? Gratias age Deo Patri, qui omne iudicium filio ſuo vnigenito dedit; & Deo filio, quòd illud Sacramentum inſtituerit; Spiritui ſancto, quòd tantâ benignitate grauiſſima ſcelera confitenti condonet. Conſidera ſecundò quis in republicâ crimen condonet læſæ maieſtatis? ipſe Princeps. & quanta ſit Chriſti benignitas, qui poteſtatem à Patre acceptam cum hominibus communicârit. Et rurſum quanta

Confeſſio facilis. *Ioan 5.* *Confeſſarij dignitas.*

dignitas quòd ad illam poteſtatem vocatus ſis à Deo, dicente per Epiſcopum: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Conſidera tertiò, relapſis & naufragis poſt baptiſmum hanc ſecundam tabulam, & arcam alteram in diluuiò peccatorum ſupereſſe, & vide precor quantoperè curandum tibi ſit, ne auertas quemquam ab illâ; vt idoneus ſis, vt tabulam porrigas, & viam aperias: Primô, integritate vitæ; Secundò, doctrinâ; Tertiò, induſtriâ.

Ioan. 20.

O Domine IESV, vt infrà pag. 92.

Qualis eſt Confeſſarius, talis ſæpe pœnitẽs

PVNCTVM II. Conſidera, tres eſſe partes Pœnitentiæ, videlicet, contritionem, confeſſionem & ſatiſfactionem: quodque hiſce iuuare neminem rectè poteris, niſi ipſe verè contrito corde, & ſincerè confitearis; (in multis enim offendimus omnes) atque pœnitentiæ operibus deditus ſis. Non enim vſus eſt Deus ſuperbis, auaris, luxurioſis; ſed humilibus, pauperibus, & caſtis diſcipulis, vt humilitatem, paupertatem ac caſtitatem doceret. Noluit enim dici ſeruis ſuis: Medice, cura te ipſum. Secundô, quanta eſſet infidelitas aut malitia illius, qui à Rege miſſus, vt amiciſſimo pharmacum, etiam regio ſanguine paratum ex infinito amore deferret, illud in venenum verteret? Hoc verò fit, quoties hoc Sacramentum perperam adminiſtratur; negligentiâque, aut etiam aliquando malitiâ Confeſſarii, aut in integritate illius, aut contritione aliquid deficit. Tertiò, vide quàm miſerum ſit, medicum animarum, dum alium curare vult, & ad vitam reuocare, ſe perimere, etiam malâ vitâ ſuâ aliis ad mortem ducatum præbere. Quartò, ſicut qui in ciuitate puteum vnicum veneno inficit, grauiſſimi criminis reus eſt; ſic qui Pœnitentiæ Sacramentum, aut aſperitate videri facit horridũ, aut prauitate ſuâ inficit, grauiſſimè peccat. Hic enim fons eſt & balneum factum ex ſanguine Agni immaculati, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris. Hic

Lucæ 4.

Confeſſarii pericula.

Apoc. 1.

Hic eſt, de quo ſcriptum: Fons patens domui Dauid,& omnibus habitantibus Ieruſalem, in ablutionem peccatorum & menſtruatæ. Et exiſtimo,talem vix vmquam ſeriò conuerti ad Dominum, qui tabulam pœnitentiæ excuſſit è naufragorum manibus ; qui panem famelicis è manibus eripuit ; qui paruulis & ſimplicibus tantum poſuit offendiculum. *Hæccine vera*, &c. pag. 7. *Zach* 3.

Pvnctvm III. Conſidera Primò, quomodo Confeſſarius prætereà in hoc Sacramento offendat. Primò, ſi indoctus ſit,& cæcus cæco ducatum præſtare velit, ita vt ambo in foueam cadant. O quantam Deo ſui reddent rationem, qui ſtudia negligunt , & medicinam animarum profitentur,cùm illi vix ſtudeant! An illi vellent tali corporis medico vti , in extremo diſcrimine mortalis vitæ ? Idem de exercitatione & induſtriâ dicendum , quam omnes conquirere oportet. Secundò, ſi vita non verè ſancta, neque circumſpectus ſit, maximè in verbis & oculis. Quomodo enim mundabit, qui ſordidus ipſe eſt ? ad ſanctitatem & perfectionem præibit, quam ipſe neſcit,& non amat? Vnde Greg. Naz. Mundari priùs oportet,& ſic alios mundare; ſapientem priùs fieri, & ſic alios facere ſapientes;lumen fieri,& ſic alios illuminare; ad Deum accedere,& ſic alios ad Deũ inducere ; ſanctificari , & ita ſanctificate. Jdeò faciem mulieris nõ intuearis,quia,vt dicit Abacuc , facies eius, ventus vrens. Tertiò,conſidera,te ſuſtinere Chriſti perſonam. Non itaque conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Non accipias perſonam , nec munera ; quia munera excæcant oculos ſapientum , & mutant verba juſtorum. Judicis enim partibus fungeris, ac medici. Et verò, Domine Iesv, nónne pauperes, præ aliis,iuuare voluiſti? nónne elegiſti pauperes in hoc mundo? Nónne dixiſti, Spiritus Domini ſuper me,propter quod euangelizare pauperibus miſit me ? Nónne hoc ſignum aduentus tui,& tuorum: Cæci vident,claudi ambulant , pauperes euangelizantur ? Dixiſti per Moyſen,

Indocti Confeſſarii culpa.

Quanta pietas requiratur in Confeſſario.

Abacuc 1.

Deut 16.

Iudicis partes agit Confeſſarius.

Iacob. 2.

Lucæ 4.

Matth. 11

Deut. 1.

Moyſen in iudicio de re quauis, Ita audietis paruum ac magnum; non accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt. Sanè, qui pauperes negligit, Chriſtum negligit, & deſpicit. Nónne enim & ipſum negligeret, ſi inter pauperes compareret, vti contigit D. Gregorio? videtur facere, vt chirurgi & medici corporis, qui lucrum ſpectant, non animas; aut quemadmodum is qui Regem nollet curare, eò quòd non ſe ſplendidè induiſſet. Animæ enim omnes regale ſacerdotium ſunt. Immò verò Chriſtus in pauperibus ſe offert, dicens. *Quod vni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Quartò, conſidera, benignitatem, manſuetudinem & modeſtiam Chriſti induere te oportere, vt dicere poſſis cum eo, in perſona illius; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Ideò Dominus rogante Petro quoties condonaret, reſpondit: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ad ſeptuagies ſepties, id eſt, innumeris vicibus. Et certè cùm Deus adeò clemens ſit, quid faciet vicarius eius, & reus ipſe & debitor plurimorum talentorum? & verò præſtátne perire animam & pretium ſanguinis Chriſti; an eam in Purgatorio detineri? ſi benignitate ad crebram confeſſionem adducitur, ſalua eſt; ſi parùm ſatisfaciat Deo, ſalua eſt, ſed per ignem.

Pauperes iuuandi.

Matth. 11

Matth. 18.

Benigne pœnitens accipiendus.

Oratio ante confeſſionem audiendam.

O DOMINE JESV *Chriſte, Pater amantiſſime, ſcio quantus ſis zelator animarũ noſtrarũ: ſunt enim omnes & ſponſæ tuæ, & preciũ ſanguinis tui. Tu pro iis natus & circumciſus es, ſudaſti, fleuiſti, ligatus, flagellatus, damnatus, illuſus, opprobriũ hominũ factus, crucifixus, & mortuus es. Sciebas vtique Sapientia æterna, quanti eſſent tibi; videbas æterna mala*

mala, quibus damnandæ erant: quid igitur ego, ad hoc vocatus infinitâ miſeratione tuâ ad hanc vineã, facere debeo? Da igitur, Domine, ſecundùm voluntatem tuã, eis me totum impendere, & lauare eas in ſanguine tuo, inferno eripere, tibiq́; eas reſtituere. Sed, quia nihil mihi prodeſt, ſi vniuerſum mundum lucrer, & animæ patiar detrimentum: ecce proteſtor, quia non communico delictis eorum, ſed ex puro tui amore & zelo me applico: neque erit mihi acceptio perſonarum, ſed animas & pauperes (quas tu, Domine, elegiſti) præ aliis quæram. verumtamen, quia ſine te nihil poſſum, & nemo poteſt venire ad te, niſi tu traxeris eum; trahe nos poſt te, & doce nos. ſolus enim qui per te audiuit à Patre, venit ad te, neque poteſt homo à ſe facere quidquam, niſi ei datum fuerit de cælo. Tibi ergo ſoli ſit laus & gloria in æterna ſæcula; mihi autem confuſio faciei meæ, qui hoc munus tuum Chriſte IESV, *tam torpidè obeo, qui vltrò venientem neſcio trahere ad te. Væ mihi, væ mihi! Iudicium enim durißimum his qui præſunt & iudicem agunt, fiet. Væ, ſi legatione fungens pacis, & tu iungam tibi, puro amore animam ſponſam tuam, auertero verbo aut exemplo à te! quando ab infinitâ bonitate tuâ exſpecto vt hodie conuertas vultum tuum ad me, imò cor tuum, & propines in eo mihi amorem tuum, vt inebrier illo?*

Actus zeli.

Diffidentia ſui.

Applicatio ad Communionem.

O IESV *vnica ſalus, da, qui ſolus potes, mihi ſpiritũ bonũ, da cor mundũ & verè contritum & humiliatum, quia id deſpicere non potes. En animæ, pro quarũ vel vnâ nulla commutatio fieri poteſt, en preciũ ſanguinis tui, ægræ, vulneratæ, laceratæ nudæ, ſurdæ, & cæcæ fortè hac horâ, niſi per me accurras, perituræ: ô* IESV *adſis, ô ſpes noſtra, miſerere meæ & illarũ. Cur ô bonitas & amor noſter, in opprobrium tuum perire illas ſines, qui neminem vis perire? Recordare charitatis tuæ, & reminiſcere miſerationum. Doleo pro me & illis, quòd illi & ego te Fratrem offenderimus benignißimum, qui me & eas tot bonis præueniſti, totq́; alia præparaſti diligentibus te. Sed cuius erunt hæc niſi miſerearis noſtri? Ecce omnes morimur, & velut aquæ dilabimur in abyſſum. Adiutor noſter eſto, ne deſpicias nos opus manuum tuarum.*

Animæ pręſtantia

Actus cõtritionis.

O bo-

O bonitas inexhauſta, reſpice vulnera mea, & excita quæſo ſepultos in mediis ſerpentibus, ſomniantes in crepidine inferni. Quære errantes oues, IESV dulciſſime: ſpiritum rectum innoua in cordibus noſtris, collige reliquias populi tui. Suſcipe, Pater ſancte, illos in nomine dilecti filij, & da mihi, vt humiliter & amanter eos excipiam, vt tu me prodigum quotidie, & patienter feram; qui tam longanimiter nos exſpectas, & tot mala toleras; neque tantùm iam, ſed in futurum per me caueas illis, ſalutari pœnitentiâ, feruore ignis caritatis tuæ, & gratiâ tuâ ad gloriam diuinæ Maieſtatis tuæ. Amen.

Praxis ad Pœnitentiæ Sacramentum ritè adminiſtrandum.

Pręparatio ad audiendam confeſſionem. Exod. 30.

PRIMA eſt, vitam integerrimam ducere; & nunquam ad confeſſionale accedere, quin hęc tria faciat: Primò, ſaltem conteratur; ſi quid grauius ſit, confiteatur de peccatis. quod Deus per Moyſen indicat, ſtatuens, vt ad tabernaculum labrum ęneū faceret, in quo Sacerdotes abluerent manus ſuas & pedes, illud ingreſſuri. Secundò, gratiam poſtulet, & intentionem puriſſimam acuere ſatagat. Tertiò, naturam pœnitentis conſideret ac diſpoſitionem, vt medicus peritus conſueuit.

Remedia habeat parata Confeſſarius. Cauenda Confeſſario

Secunda. Habere, vt decet medicum, in promptu malorum remedia, eaque inaurare: ita vt ſemper vinum & oleū in vulnera infundantur, ſed plus olei: cùm eâ menſurâ, quâ menſi fuerimus, remetietur nobis. Cauenda autem tria: Primum, ne numero quis gaudeat potiùs, quàm fructu. Secundùm, ne interrogatione maximè in materia turpitudinis, laqueum tendat innocentibus. Certè graue iudicium ſubit, quiſquis eiuſmodi eſt. Tertium, ne perſonarum acceptor ſit, ſed omnibus paratus, vtque poſſit dicere cum Chriſto Domino: Inuentus ſum à non quærentibus me, palàm apparui iis qui me non interrogabant. Vltrò ſe maximè pauperibus & crebrò offerat.

Iſaiæ 65.

Pœnitentię ſint ſalutares.

Tertia. Videre in pœnitentiis imponendis, vt vtiles & faciles imponantur. Quales ſunt varii modi orandi, vt habes c.9.l.1. eleëmoſynæ, cilicia, ieiunia, ſilentiū, ſolitudo, lectio libri pii, examen conſcientiæ aliquando faciendum, Sacri auditio, eleëmoſyna certa quoties in aliquod vitium pœnitens labetur, quam alicui fido (non expedit Sacerdoti) conſignet; & ſupra omnia crebra confeſſio, & communio. Obſerua autem cùm diſciplinis aut ciliciis aliquid aduertitur puritati Angelicæ contrarium, iis abſtinendum. Manifeſtas

dæmonis

dæmonis præſtigias nouiſſe poteſt,qui aliquâ experientiâ valet. Pro orationibus autem obſerua,vt eas imponas)quẽadmodum & opera) quibus Indulgentias pœnitens promereri queat ratione numiſmatum.

Quarta. Aduerte diligenter, magis ſollicitum eſſe oportere Confeſſarium de contritione, quàm vllâ aliâ re. Hic enim defectus eſt fons recidiuæ. Hoc B. Franciſcus Xauerius valdè cordi habebat; & vt ſemel confeſſo, vitæ normam daret perpetuam. *Contritio in pœnitente quærenda, & curanda.*

Quinta. Non tantùm curandum,vt abſoluatur pœnitens, ſed vt proficiat,vt induat Dominũ IESVM Chriſtum,& veſtes virtutum eius. Viuo ego,dicit Dominus, quia omnibus his,velut ornamento,veſtieris,& circumdabis tibi eos,quaſi ſponſa. Veſtis præcipua eſt,caritatis,eaque nuptialis. *Profectus curandus.* *Iſaiæ* 49.

Sexta. Inter confitendum, ſæpè humilia te,quòd deteriora feciſſes,niſi Deus te ſeruaſſet. Secundò, eleua cor ad Deum,& conuerte te ad Sanctiſſimam Euchariſtiã, ſi potes,& roga vt det tibi prudentiam, & virtutem: etiam ad hoc Angelum pœnitentis inuoca. Tertiò, zelum excita,dũ dicit *Confiteor*,conſiderata Chriſti iniuriâ,& animæ periculo,dimitte autem illum, quemadmodum ſi illius vltima foret confeſſio,à quâ ſalus eius dependeret vniuerſa. *Matth.* 20 *Quid in confeſſione agendum.*

Oratio pro execut. *Dignatus es*,vt ſup.pag.10.

Iaculatoria,quâ quis ad ſingulos pœnitentes vti poteſt.

O IESV *ſola ſalus,ſana, quæſo hanc animam per me in omne peccatum lapſuram ſine te. En pretium ſanguinis tui,ſponſa tua,ab hoſte vulnerata. Doce me, vt prudenter & humaniter cæcum & ægrum,pro tuâ vnius gloriâ,ad te adducam. Et tu, ô Angele ſancte,adiuua me. Amen.*

Aliæ.

Confiteantur nomini tuo magno,quoniam terribile & ſanctum eſt,& honor Regis iudicium diligit. Pſal. 98.

Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nónne tu qui ſolus es? Iob 14.

Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Pſal. 144.

Deus noſter,Deus ſaluos faciendi: propter hoc legem dabit delinquentibus in viâ. Pſal. 24.

Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum eius,& teſtimonia eius. Ibid.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte irã tuã à nobis. Pſal. 84.

Reſpice in me,& miſerere mei. Da imperium tuum puero tuo, & ſaluum me fac filium ancillæ tuæ. Pſal. 85.

CA-

CAPVT IX.

De Satisfactione tertiâ parte Pœnitentiæ.

Exod. 12. ITINERE trium dierum Iſraëlitæ ad montem Dei Oreb profecti ſunt, vt ſacrificarent Domino Deo noſtro. Tres illi dies ſpirituali intellectu de Contritione, Confeſſione, & Satisfactione commodè, vt ſuprà dixi, accipiuntur. Cùm autem de ſuperioribus dictum ſit, ſupereſt vt de ſatisfactione agamus, quæ operibus à *Tob.12.* Raphaële commendatis perficitur. Bona, aiebat, eſt Oratio cum Ieiunio & Eleëmoſynâ: tria ſiquidem ſatisfactionis opera tribus mundi malis remedia peropportuna conſtituta ſunt: Ieiunio carnis concupiſcentia; *Tria mundi mala quomodo curentur.* Eleëmoſinâ verò concupiſcentia oculorum; Oratione humili ſuperbia vitæ perſanatur. Mandârat Dominus vt holocauſtum cremaretur in altari nocte totâ vſque mane, & vt cineres ſacerdos ſpoliatus veſtimentis ſacerdotalibus, & aliis indutus, efferret extra caſtra, & in loco mundiſſimo alio igne quàm ſanctuarii vſque ad fauillam conſumi faceret. Quid hæc figura adumbrauit? niſi holocauſtum tui ipſius atque omnia peccata totâ huius vitæ nocte exurenda igne ſanctuarii, id eſt, charitatis: quòd ſi quid manè ſuperſit, te ire debere extra caſtra exutâ mortali veſte, ibique igne purgatorii expiandum, donec infauſtæ reliquiæ peccatorum penitùs conſumantur, & reddas nouiſſimum quadrantem. Vide igitur vt hîc diuinæ iuſtitiæ ſatisfacias, dum tempus acceptabile & dies ſalutis.

Ac primùm quidem de ieiunio, & pœnitentiâ, poſteà de eleëmoſynâ, ac demùm de oratione, quia longior illius tractatio futura, differendum erit.

ME-

MEDITATIO.

De Ieiunio, primo opere ſatisfactorio.

COMPOSITIO loci eſt, Statuere ſeſe coram CHRISTO in cruce felle potato.

Oratio præparatioria, vt ſuprà.

PVNCTTM I. CHRISTVS. Conſidera te poſitum in hâc valle verè lacrymarum cum parente primo, vt in ſudore vultus tui veſcereris pane tuo, & cæleſtem hæreditatem obtinere contenderes, atque aſcenderes in montem Domini tui: nullum verò maius eſſe impedimentum quàm corpus hoc tuum quod corrumpitur, & aggrauat animam; ac proinde illud fræno temperantiæ & diſciplinæ eſſe refrænandum; ne è præcipiti deijciat ſeſſorem ſuum. *Corpus aggrauat animam. Sap. 9.*

HOMO. Eheu! Quàm fœdè per illud & gulæ concupiſcentiam proſtratus fuit protoplaſtus Adam in ipſo paradiſo deliciarum! Illa, illa nos in miſeriarum adduxit pelagus, in quo fluctuamus, è quo enauigare & eluctari vix poſſumus. *Gula Adæ nos perdidit.*

CHRISTVS. Vide & obſtupeſce quid ſapientiſſimum Adamum eò adegerit. Scilicet breuiſſima à ſerpente diro hoſte propinata, & è pomo vno hauſta voluptas. Vide quomodo extrema gaudii luctus occupet?

HOMO. O infelix pomum, in quo omnia mundi mala, & æterna continebantur! Ediſti ô Adam, & ecce quàm grauiter obſtupeſcunt adhuc dentes filiorum tuorum.

Domine IESV, &c. vt infrà pag. 100.

CHRISTVS. Attende verò quemadmodum Eua tua, id eſt caro, & hoſtis tuus te ſollicitet ad imitationem infelicis parentis, quàm vilia ea quæ appetit, quæque gula proponit: quanto labore & periculo appetantur dum non habentur; & tamen habita quàm breui omnia faſtidio ſint. Nónne vides quòd plurimos gula depauperet, & ad indigna compellat? *Eua caro noſtra eſt!*

HOMO. Quot, JESV bone! vt audio, Religioſos, qui aliàs eſſent futuri columnæ cæli, in terrâ figit, neque creſcere ſinit in paradiſo cæleſtis voluptatis, id eſt Religione, quia in eâ ſuperare ſe nolunt! Imò non caret certè myſterio, Adamum in ſtatu perfectionis poſitum vnâ gulâ deturbatum.

PVNCTVM II. CHRISTVS. Conſidera gulæ incommoda. Primò enim impedit omnem in ſpiritu profectum, corpuſq; ſpiritui rebelle facit: nam, vt apud mundanos cupiditas ſeu philargyria eſt radix omnium malorum: ſic apud ſpirituales ac Monachos gulæ concupiſcentia. Impoſſibile enim eſt ſaturũ ventrem pugnas interioris hominis experiri. Ex vno etenim gulæ vitio innumera vitiorum agmina producuntur, vt Gregorius meus teſtatur. *Haccine vera*, vt ſuprà pag. 7.

Climachus gradu 26. Caſſian l. 4 cap. 3.

Greg: in 1. Reg. c. 2.

Baſil. de abdicat.

Guloſus rarò reſipiſcit.

HOMO. Baſilius verò tuus ait: vitiis aliis omnibus obnoxios ſe vidiſſe reſipuiſſe: qui huic ſeſe ſubdidiſſent, aut ſecretò, aut alieno tempore aut loco edendo, tandem excidiſſe à Religione: vel ſi manſerint, mancipia diaboli, curioſos, querulos, commodi amantes, obſtinatos factos. Neque tantùm ſpiritui & pietati officere videtur, ſed omnes omninò functiones animi præſtantiores impedit, & ingenii aciem ceteraſque animi potentias hebeſcere facit. Accedit quod corpus morbis repleat, vitam curtet, multiſque afficiat incommodis. Atq; ita homo ob voluptatem, quæ, vt Innocentius, ſpatio loci vix eſt quatuor digitorum; ſpatio temporis vix totidem momentorum, vitam hanc triſtem, miſeram reddit, & in æternæ ſe vitæ diſcrimen adducit, vt caro tantillo oblectetur. Meritò proinde exclamat tuus Bernardus: ô crudelitas! corpori ſeruitur, vt anima juguletur: atque adeò vt corpori tribuatur momentanea voluptas, æterna homo ſubit ſupplicia: aut ſaltem ſeſe eorum periculo exponit.

Voluptas gulæ breuis

Innoc. l. 2. de contemptu mundi c 17

Bernard in Apol

Guloſus ſibi crudelis

Haccine vera, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM III. CHRISTVS. Conſidera è contra

commoda

commoda abſtinentiæ. Primum quòd hoſtis grauiſſimus hac dometur; multoque magis quam omnibus aliis corporis exercitationibus, ciliciis, flagellis, humi cubationibus, deprimatur. Nam vt nullo faciliùs ignis quàm ſubtractione lignorum extinguitur: ita concupiſcentia, fomeſque peccati nullo magis curatur, quàm ſi vitiorum omnium alimenta per abſtinentiam ſubmoueantur. Cõtemplare olim eremi cultores omni virtutum genere illuſtres: percunctare ex eis, quem de eâ ſenſum habuerint, cùm in eâ magnam ſanctitatis partem poſuerint. *Corpus ieiunio melius domatur, quàm aliâ pœnitentiâ.*

Homo. Baſilius certè tuus ait: Ventris moderatio animi perturbationum compreſſio eſt. Chryſologus autem: Jeiunium omnium vitiorum mors, & vita virtutum. Neque ſancti tantùm, ſed & Philoſophi, ac prudentiores pluriimi hanc virtutem fecerunt; adeò vt Artaxerxi, ac Ptolomæo aqua & panis deliciæ fuerint, & à Lacedemoniis coquus * omnis decreto perpetuo proſcriptus. Et omnes, qui in agone contendunt, ab omnibus ſe abſtinent; vt corruptibilem coronam percipiant; nos autem, ô rem indignam, & lacrymis proſequendam! nos autem incorruptam præſtolamur. *Baſil. conſt. monaſt. c. 5* *Chryſolog.* ** Excipe coquum iuris nigri.* Plut. in Laconic. Cic. 5. Tuſcul. *1. Cor. 9.*

Credo tibi, ô æterna veritas, vt ſupr. pag. 7.

Pvnctvm IV. Christvs. Conſidera inſuper quàm ſæpè quàm grauiter gula à me punita fuerit: nam præter Adamum, quo Lothum adduxerit ignominæ notũ eſt, quò miſeriarum Sodomam, quò filios Heli, quò Eſau, quò Prophetam illum in Bethel: quanti ſteterit Iſraëlitis concupiſcentia carnis in deſerto; & aliàs iterum, cùm triginta tria millia interfecta ſunt. Adde diuitem Epulonem, imò plurimos, quos hæc bellua vorauit, & in æternas ærumnas præcipitauit. Et vide quomodo maximè jeiunio, deinde aliis mortificationum generibus corpus in ſeruitutem redigere oporteat. *Gulæ punitio.* *Gen. 19.* *1. Reg. 2.* *Gen. 25.* *3. Reg. 13.* *Exod. 32.* *Lucæ 16.*

Pvnct. V. Homo. Animaduerto, & appendo omnes quotquot fuerunt celebrati in vtroque teſtamento, jeiunio, *Omnes Sãcti ieiuniis celebrati.*

Gregorius) aut hoc tu Deus meus cũ homine vindicans punis. Statuo facere fructus dignos pœnitentiæ, vt gaudium tibi ſit tandẽ, Deus meus, & Angelis tuis ſuper me peccatore pœnitentiã agente, qui toties contriſtaui Spiritum ſanctum tuũ, & malum corã te feci. Difficile, ſcio, eſt dignos facere, cùm dicat Ambroſius ſeruus tuus: Facilius inueni qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui congruè pœnitentiã egerint. Sed, pater mi, omnia tibi poßibilia & facilia ſunt, & mihi erunt gratiâ tuâ, quàm humillimè rogo, vt mihi concedere digneris, Amen.

Ambr.l. de vn. pœnit. cap. 10.

Praxis ad ieiunium ſeruandum.

Gulæ ſigna

PRIMA eſt, attendere quemadmodum quis corpus ſuum foueat, an nutriat illud, vt ſeruum delicatè, ſentiatq́; eũdem contumacem. Id verò futurũ eſt, ſi gulæ quis ſeruiat, ſi vetita edat, ſi noxia, ſi multa, ſi intempeſtiuè, ſi delicatè, ardenter corpus nutriatur.

Abnegationis ſigna.

Secunda, abnegationis ſigna perpendere an ea in te ſint: Primũ eſt, timor, ne quis rapiatur extra metas neceſſitatis. Secundũ, diligens cuſtodia ſui ante cibos, & inter edendũ, ne præcurrat voluptas neceſſitatem, & illa huic præferatur. Tertium, ſi moleſtum neceſſitati parere. Quartum, neceſſaria admittere condimenta, exquiſita reijcere.

Menſuram ſtatue.

Tertia, optima praxis erit ſtatuere ſibi menſuram aliquã cibi & potus moderatã. ſi enim ab animantibus etiã id fieri conſueuit, multò magis homini conuenit, vt ratione potiùs quã ſenſu ducatur. Si quis verò nos trahat ſenſus voluptatis, cogitandũ nos homines eſſe, Chriſtianos eſſe, ac liberos, non voluptatis, nõ carnis mancipia, ſed Chriſti IESV ſeruos & filios, ad maiora natos ac vocatos: imò fingere nos iã eâ fruitos fuiſſe, quòd ſi enim nobis id perſuaſerimus, perinde certè erit, vt Bonauentura eleganter oſtendit, ac ſi verè fruiti fuiſſemus.

Bonau. de perfect.

Quarta erit, condimenta alieno relinquere arbitrio, de nullo queri, imò etiã quæ maximè appetit gula, alteri, potiſſimũ pauperi, largiri. Quòd quã Deo ac Domino noſtro gratum ſit ſacrificium, ipſe aliquando miraculis declarauit.

Quinta, horam ſtatam ſeruare, neque etiam extra tempus facilè quidpiam ſumere.

Tempus ordina.

Sexta, non protrahere menſas ad horas, neq. exquiſitas parare, turpe certè eſt ſacrificiũ ab iis quorũ Deus venter eſt, vt Apoſtolus loquitur, diutiùs illi fieri quã ſummo Deo: ibi longitudinẽ laudari, hîc etiã breuitatem magno eſſe faſtidio.

ſtidio. Inſpice quorſũ conuiuia producantur, nempè vt diutiùs ſeruiatur cupiditati, venter magis diſtendatur, atq; is plura ſenſim admittat qui reſpuit ſubito repleri, vt precioſiſſimo tempore, ſumptu, cupediis & condimentis inuitetur & inducatur ad faſtidiũ, cùm breui & paruo illi fames conſtare poſſit, vt grauetur anima, corpus oneretur, hominemq́; homo paulatim exuat. Audite, audite, ait Bernardus, quia eſca ventri, & venter eſcis, Deus autem & hunc & has deſtruet. aër, terra, mare guloſitati vix ſufficiunt, propter hoc contingit pauperes ſpoliari, & rapinas fieri, vt fames pauperum tranſeat in delicias diuitũ. Filij hominũ vſquequò graui corde, quia pingui corpore, vt quid diligitis vanitatẽ, & veritatem negligitis? O delicate, qui delicijs & diuitijs circumfuſus atq; confuſus confuſionẽ expectas ad mortẽ! non eſt regnum Dei eſca & potus, non purpura & byſſus, quia diues ille vtroq; circumfluus in puncto ad inferna deſcendit. Quid ad hæc dicitis vos guloſi & luxurioſi, quorũ Deus venter eſt, quorum omnis vſus aut in ventre, aut ſub ventre eſt; qui in luxurijs enutriſtis corda veſtra & corpora veſtra? Omitto, pauperes ad portã panẽ poſtulare, dum diuites famẽ ſtudent cupediis irritare, precioſa quæruntur, vt illa excitetur, & perduntur; & ſi vilia pauperi fuiſſent proiecta famelico, cibus & annona parata diuiti fuiſſet in æternũ. Cauendum igitur iuxta D. Pauli monitũ & exemplum, ne faciamus animam noſtram precioſiorem quã nos ipſos. Probabimus hoc, inquit Bernardus, ſi perdiderimus eã, corporis voluptatibus renunciando, & carnẽ crucifigendo cum vitijs & concupiſcentijs. Quid, ait ſuos alloquens, hîc vos dicitis obſeruatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & ſequaces eius docent animas ſaluas facere in hoc mundo, Chriſtus & eius diſcipuli perdere. Quemnã vos è duobus magiſtrum ſequi eligitis? at manifeſtũ ſe facit qui ſic diſputat. Hoc oculis, hoc capiti, &c. nocet, nõ in Euangelio legiſtis has differentias, aut in Prophetis, aut in litteris Apoſtolorũ. caro & ſanguis profectò reuelauit tibi hanc ſapientiã, nõ Spiritus Patris. & infrà: Puta te, quęſo, monachum eſſe, non medicũ, nec de complexione iudicandum, ſed de profeſſione. Temperat multùm voluptatem in Religione pia ſuper menſam lectio; vtinam ſæculares, quibus de coquo magna cura, nõ puderet ſic animam paſcere, nec pigeret plurimis ferculis corpori pręparatis vnum animæ tribuere! Vtilior certè pincerna, qui huic, vnde creſcat, firmetur atque ornetur, miniſtrat, quàm is qui corpori, vnde vt plurimùm delicietur & infirmetur.

Epiſt. 2. ad Fulconem.

Pauperum miſerere ô guloſe.

Serm. 3°. in Cant.

Oratio pro execut. *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10.

Moyſen in iudicio de re quauis, Ita audietis paruum ac magnum; non accipietis cuiuſquam perſonam, quia Dei iudicium eſt. Sanè, qui pauperes negligit, Chriſtum negligit, & deſpicit. Nónne enim & ipſum negligeret, ſi inter pauperes compareret, vti contigit D. Gregorio? videtur facere, vt chirurgi & medici corporis, qui lucrum ſpectant, non animas; aut quemadmodum is qui Regem nollet curare, eò quòd non ſe ſplendidè induiſſet. Animæ enim omnes regale ſacerdotium ſunt. Immò verò Chriſtus in pauperibus ſe offert, dicens. *Quod vni ex his minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Quartò, conſidera, benignitatem, manſuetudinem & modeſtiam Chriſti induere te oportere, vt dicere poſſis cum eo, in perſona illius; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Ideò Dominus rogante Petro quoties condonaret, reſpondit: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ad ſeptuagies ſepties, id eſt, innumeris vicibus. Et certè cùm Deus adeò clemens ſit, quid faciet vicarius eius, & reus ipſe & debitor plurimorum talentorum? & verò præſtátne perire animam & pretium ſanguinis Chriſti; an eam in Purgatorio detineri? ſi benignitate ad crebram confeſſionem adducitur, ſalua eſt; ſi parùm ſatisfaciat Deo, ſalua eſt, ſed per ignem.

Pauperes iuuandi.

Matth. 11

Matth 18.

Benigne pœnitens accipiendus.

Oratio ante confeſſionem audiendam.

O DOMINE JESV *Chriſte, Pater amantiſſime, ſcio quantus ſis zelator animarũ noſtrarũ: ſunt enim omnes & ſponſæ tuæ, & preciũ ſanguinis tui. Tu pro iis natus & circumciſus es, ſudaſti, fleuiſti, ligatus, flagellatus, damnatus, illuſus, opprobriũ hominũ factus, crucifixus, & mortuus es. Sciebas vtique Sapientia æterna, quanti eſſent tibi; videbas æterna mala*

mala, quibus damnandæ erant: quid igitur ego, ad hoc vocatus infinitâ miſeratione tuâ ad hanc vineã, facere debeo? Da igitur, Domine, ſecundùm voluntatem tuã, eis me totum impendere, & lauare eas in ſanguine tuo, inferno eripere, tibiq́; eas reſtituere. Sed, quia nihil mihi prodeſt, ſi vniuerſum mundum lucrer, & animæ patiar detrimentum: ecce proteſtor, quia non communico delictis eorum, ſed ex puro tui amore & zelo me applico: neque erit mihi acceptio perſonarum, ſed animas & pauperes (quas tu, Domine, elegiſti) præ aliis quæram. verumtamen, quia ſine te nihil poſſum, & nemo poteſt venire ad te, niſi tu traxeris eum; trahe nos poſt te, & doce nos. ſolus enim qui per te audiuit à Patre, venit ad te, neque poteſt homo à ſe facere quidquam, niſi ei datum fuerit de cælo. Tibi ergo ſoli ſit laus & gloria in æterna ſæcula; mihi autem confuſio faciei meæ, qui hoc munus tuum Chriſte IESV, *tam torpidè obeo, qui vltrò venientem neſcio trahere ad te. Væ mihi, væ mihi! Iudicium enim duriſſimum his qui præſunt & iudicem agunt, fiet. Væ, ſi legatione fungens pacis, & tu iungam tibi, puro amore animam ſponſam tuam, auertero verbo aut exemplo à te! quando ab infinitâ bonitate tuâ exſpecto vt hodie conuertas vultum tuum ad me, imò cor tuum, & propines in eo mihi amorem tuum, vt inebrier illo?*

Actus zeli.

Diffidentia ſui.

Applicatio ad Communionem.

O IESV *vnica ſalus, da, qui ſolus potes, mihi ſpiritũ bonũ, da cor mundũ & verè contritum & humiliatum, quia id deſpicere non potes. En animæ, pro quarũ vel vnâ nulla commutatio fieri poteſt, en preciũ ſanguinis tui, ægræ, vulneratæ, laceratæ nudæ, ſurdæ, & cæcæ fortè hac horâ, niſi per me accurras, perituræ: ô* IESV *adſis, ô ſpes noſtra, miſerere meæ & illarũ. Cur ô bonitas & amor noſter, in opprobrium tuum perire illas ſines, qui neminem vis perire? Recordare charitatis tuæ, & reminiſcere miſerationum. Doleo pro me & illis, quòd illi & ego te Fratrem offenderimus benigniſſimum, qui me & eas tot bonis præueniſti, totq́; alia præparaſti diligentibus te. Sed cuius erunt hæc niſi miſerearis noſtri? Ecce omnes morimur, & velut aquæ dilabimur in abyſſum. Adiutor noſter eſto, ne deſpicias nos opus manuum tuarum.*

Animæ præſtantia.

Actus cõtritionis.

O bo-

O bonitas inexhauſta, reſpice vulnera mea, & excita quæſo ſepultos in mediis ſerpentibus, ſomniantes in crepidine inferni. Quære errantes oues, IESV dulciſsime: ſpiritum rectum innoua in cordibus noſtris, collige reliquias populi tui. Suſcipe, Pater ſancte, illos in nomine dilecti filij, & da mihi, vt humiliter & amanter eos excipiam, vt tu me prodigum quotidie, & patienter feram; qui tam longanimiter nos exſpectas, & tot mala toleras; neque tantùm iam, ſed in futurum per me caueas illis, ſalutari pœnitentiâ, feruore ignis caritatis tuæ, & gratiâ tuâ ad gloriam diuinæ Maieſtatis tuæ. Amen.

Praxis ad Pœnitentiæ Sacramentum ritè adminiſtrandum.

Preparatio ad audiendam confeſſionem. *Exod. 30.*

PRIMA eſt, vitam integerrimam ducere; & nunquam ad confeſſionale accedere, quin hęc tria faciat: Primò, ſaltem conteratur; ſi quid grauius ſit, confiteatur de peccatis. quod Deus per Moyſen indicat, ſtatuens, vt ad tabernaculum labrum ęneū faceret, in quo Sacerdotes abluerent manus ſuas & pedes, illud ingreſſuri. Secundò, gratiam poſtulet, & intentionem puriſſimam acuere ſatagat. Tertiò, naturam pœnitentis conſideret ac diſpoſitionem, vt medicus peritus conſueuit.

Remedia habeat parata Confeſſarius. *Cauenda Confeſſario*

Secunda. Habere, vt decet medicum, in promptu malorum remedia, eaque inaurare: ita vt ſemper vinum & oleū in vulnera infundantur, ſed plus olei: cùm eâ menſurâ, quâ menſi fuerimus, remetietur nobis. Cauenda autem tria: Primum, ne numero quis gaudeat potiùs, quàm fructu. Secundùm, ne interrogatione maximè in materia turpitudinis, laqueum tendat innocentibus. Certè graue iudicium ſubit, quiſquis eiuſmodi eſt. Tertium, ne perſonarum acceptor ſit, ſed omnibus paratus, vtque poſſit dicere cum Chriſto Domino: Inuentus ſum à non quærentibus me, palàm apparui iis qui me non interrogabant. Vltrò ſe maximè pauperibus & crebrò offerat.

Iſaiæ 65.

Pœnitentię ſint ſalutares.

Tertia. Videre in pœnitentiis imponendis, vt vtiles & faciles imponantur. Quales ſunt varii modi orandi, vt habes c. 9. l. 1. eleëmoſynæ, cilicia, ieiunia, ſilentiū, ſolitudo, lectio libri pii, examen conſcientiæ aliquando faciendum, Sacri auditio, eleëmoſyna certa quoties in aliquod vitium pœnitens labetur, quam alicui fido (non expedit Sacerdoti) conſignet; & ſupra omnia crebra confeſſio, & communio. Obſerua autem cùm diſciplinis aut ciliciis aliquid aduertitur puritati Angelicæ contrarium, iis abſtinendum. Manifeſtas

dæmonis

dæmonis præſtigias nouiſſe poteſt, qui aliquâ experientiâ valet. Pro orationibus autem obſerua, vt eas imponas) quẽadmodum & opera) quibus Indulgentias pœnitens promereri queat ratione numiſmatum.

Quarta. Aduerte diligenter, magis ſollicitum eſſe oportere Confeſſarium de contritione, quàm vllâ aliâ re. Hic enim defectus eſt fons recidiuæ. Hoc B. Franciſcus Xauerius valdè cordi habebat; & vt ſemel confeſſo, vitæ normam daret perpetuam. *Contritio in pœnitente quærenda, & curanda.*

Quinta. Non tantùm curandum, vt abſoluatur pœnitens, ſed vt proficiat, vt induat Dominũ Iesvm Chriſtum, & veſtes virtutum eius. Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his, velut ornamento, veſtieris, & circumdabis tibi eos, quaſi ſponſa. Veſtis præcipua eſt, caritatis, eaque nuptialis. *Profectus curandus. Iſaiæ 49.*

Sexta. Inter confitendum, ſæpè humilia te, quòd deteriora feciſſes, niſi Deus te ſeruaſſet. Secundò, eleua cor ad Deum, & conuerte te ad Sanctiſſimam Euchariſtiã, ſi potes, & roga vt det tibi prudentiam, & virtutem: etiam ad hoc Angelum pœnitentis inuoca. Tertiò, zelum excita, dũ dicit *Confiteor*, conſiderata Chriſti iniuriâ, & animæ periculo, dimitte autem illum, quemadmodum ſi illius vltima foret confeſſio, à quâ ſalus eius dependeret vniuerſa. *Matth. 20 Quid in confeſſione agendum.*

Oratio pro execut. *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10.

Iaculatoria, quâ quis ad ſingulos pœnitentes vti poteſt.

O Iesv *ſola ſalus, ſana, quæſo hanc animam per me in omne peccatum lapſuram ſine te. En pretium ſanguinis tui, ſponſa tua, ab hoſte vulnerata. Doce me, vt prudenter & humaniter cæcum & ægrum, pro tuâ vnius gloriâ, ad te adducam. Et tu, ô Angele ſancte, adiuua me. Amen.*

Alia.

Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & ſanctum eſt, & honor Regis iudicium diligit. Pſal. 98.

Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nónne tu qui ſolus es? Iob 14.

Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Pſal. 144.

Deus noſter, Deus ſaluos faciendi: propter hoc legem dabit delinquentibus in viâ. Pſal. 24.

Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, requirentibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius. Ibid.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & auerte irã tuã à nobis. Pſal. 84.

Reſpice in me, & miſerere mei. Da imperium tuum puero tuo, & ſaluum me fac filium ancillæ tuæ. Pſal. 85.

CAPVT IX.

De Satisfactione tertiâ parte Pœnitentiæ.

Exod. 12. ITINERE trium dierum Iſraëlitæ ad montem Dei Oreb profecti ſunt, vt ſacrificarent Domino Deo noſtro. Tres illi dies ſpirituali intellectu de Contritione, Confeſſione, & Satisfactione commodè, vt ſuprà dixi, accipiuntur. Cùm autem de ſuperioribus dictum ſit, ſupereſt vt de ſatisfactione agamus; quæ operibus à Raphalële commendatis perficitur. *Tob.12.* Bona, aiebat, eſt Oratio cum Jeiunio & Elëemoſynâ: tria ſiquidem ſatiſfactionis opera tribus mundi malis remedia peropportuna conſtituta ſunt: Ieiunio carnis concupiſcentia; Elëemoſinâ verò concupiſcentia oculorum; Oratione humili ſuperbia vitæ perſanatur. *Tria mundi mala quomodò curentur.* Mandârat Dominus vt holocauſtum cremaretur in altari nocte totâ vſque mane, & vt cineres ſacerdos ſpoliatus veſtimentis ſacerdotalibus, & aliis indutus, efferret extra caſtra, & in loco mundiſſimo alio igne quàm ſanctuarii vſque ad fauillam conſumi faceret. Quid hæc figura adumbrauit? niſi holocauſtum tui ipſius atque omnia peccata totâ huius vitæ nocte exurenda igne ſanctuarii, id eſt, charitatis: quòd ſi quid manè ſuperſit, te ire debere extra caſtra exutâ mortali veſte, ibique igne purgatorii expiandum, donec infauſtæ reliquiæ peccatorum penitùs conſumantur, & reddas nouiſſimum quadrantem. Vide igitur vt hîc diuinæ iuſtitiæ ſatisfacias, dum tempus acceptabile & dies ſalutis.

Ac primùm quidem de ieiunio, & pœnitentiâ, poſteà de elcëmoſynâ, ac demùm de oratione, quia longior illius tractatio futura, diſſerendum erit.

ME-

MEDITATIO.

De Ieiunio, primo opere ſatisfactorio.

COMPOSITIO loci eſt, Statuere ſeſe coram CHRISTO in cruce felle potato.

Oratio præparatioria, vt ſuprà.

PVNCTVM I. CHRISTVS. Conſidera te poſitum in hâc valle verè lacrymarum cum parente primo, vt in ſudore vultus tui veſcereris pane tuo, & cæleſtem hæreditatem obtinere contenderes, atque aſcenderes in montem Domini tui: nullum verò maius eſſe impedimentum quàm corpus hoc tuum quod corrumpitur, & aggrauat animam; ac proinde illud fræno temperantiæ & diſciplinæ eſſe refrænandum; ne è præcipiti deijciat seſſorem ſuum. *Corpus aggrauat animam. Sap. 9.*

HOMO. Eheu! Quàm fœdè per illud & gulæ concupiſcentiam proſtratus fuit protoplaſtus Adam in ipſo paradiſo deliciarum! Illa, illa nos in miſeriarum adduxit pelagus, in quo fluctuamus, è quo enauigare & eluctari vix poſſumus. *Gula Adæ nos perdidit.*

CHRISTVS. Vide & obſtupeſce quid ſapientiſſimum Adamum eò adegerit. Scilicet breuiſſima à ſerpente diro hoſte propinata, & è pomo vno hauſta voluptas. Vide quomodo extrema gaudii luctus occupet?

HOMO. O infelix pomum, in quo omnia mundi mala, & æterna continebantur! Ediſti ô Adam, & ecce quàm grauiter obſtupeſcunt adhuc dentes filiorum tuorum.

Domine IESV, &c. vt infrà pag. 100.

CHRISTVS. Attende verò quemadmodum Eua tua, id eſt caro, & hoſtis tuus te ſollicitet ad imitationem infelicis parentis, quàm vilia ea quæ appetit, quæque gula proponit: quanto labore & periculo appetantur dum non habentur; & tamen habita quàm breui omnia faſtidio ſint. Nónne vides quòd plurimos gula depauperet, & ad indigna compellat? *Eua caro noſtra eſt.*

HOMO. Quot, JESV bone! vt audio, Religioſos, qui aliàs eſſent futuri columnæ cæli, in terrâ figit, neque creſcere ſinit in paradiſo cæleſtis voluptatis, id eſt Religione, quia in eâ ſuperare ſe nolunt! Imò non caret certè myſterio, Adamum in ſtatu perfectionis poſitum vnâ gulâ deturbatum.

PVNCTVM II. CHRISTVS. Conſidera gulæ incommoda. Primò enim impedit omnem in ſpiritu profectum, corpuſq; ſpiritui rebelle facit: nam, vt apud mundanos cupiditas ſeu philargyria eſt radix omnium malorum: ſic apud ſpirituales ac Monachos gulæ concupiſcentia. Impoſſibile enim eſt ſaturũ ventrem pugnas interioris hominis experiri. Ex vno etenim gulæ vitio innumera vitiorum agmina producuntur, vt Gregorius meus teſtatur. *Hæccine vera*, vt ſuprà pag. 7.

Climachus gradu 26. Caſſian l. 4 cap. 3.

Greg: in 1. Reg. c. 2.

Baſil. de abdicat.

Guloſus rarò reſipiſcit.

HOMO. Baſilius verò tuus ait: vitiis aliis omnibus obnoxios ſe vidiſſe reſipuiſſe: qui huic ſeſe ſubdidiſſent, aut ſecretò, aut alieno tempore aut loco edendo, tandem excidiſſe à Religione: vel ſi manſerint, mancipia diaboli, curioſos, querulos, commodi amantes, obſtinatos factos. Neque tantùm ſpiritui & pietati officere videtur, ſed omnes omninò functiones animi præſtantiores impedit, & ingenii aciem ceteraſque animi potentias hebeſcere facit. Accedit quod corpus morbis repleat, vitam curtet, multiſque afficiat incommodis. Atq; ita homo ob voluptatem, quæ, vt Innocentius, ſpatio loci vix eſt quatuor digitorum; ſpatio temporis vix totidem momentorum, vitam hanc triſtem, miſeram reddit, & in æternæ ſe vitæ diſcrimen adducit, vt caro tantillo oblectetur. Meritò proinde exclamat tuus Bernardus: ô crudelitas! corpori ſeruitur, vt anima juguletur: atque adeò vt corpori tribuatur momentanea voluptas, æterna homo ſubit ſupplicia: aut ſaltem ſeſe eorum periculo exponit.

Voluptas gulæ breuis

Innoc l. 2. de contemptu mundi c 17

Bernard in Apol

Guloſus ſibi crudelis

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM III. CHRISTVS. Conſidera è contra commoda

commoda abſtinentiæ. Primum quòd hoſtis grauiſſimus hac dometur; multoque magis quam omnibus aliis corporis exercitationibus, ciliciis, flagellis, humi cubationibus, deprimatur. Nam vt nullo faciliùs ignis quàm ſubtractione lignorum extinguitur: ita concupiſcentia, fomeſque peccati nullo magis curatur, quàm ſi vitiorum omnium alimenta per abſtinentiam ſubmoueantur. Cõtemplare olim eremi cultores omni virtutum genere illuſtres: percunctare ex eis, quem de eâ ſenſum habuerint, cùm in eâ magnam ſanctitatis partem poſuerint.

Corpus ieiunio melius domatur, quàm aliâ pœnitentiâ.

HOMO. Baſilius certè tuus ait: Ventris moderatio animi perturbationum compreſſio eſt. Chryſologus autem: Jeiunium omnium vitiorum mors, & vita virtutum. Neque ſancti tantùm, ſed & Philoſophi, ac prudentiores pluîmi hanc virtutem fecerunt; adeò vt Artaxerxi, ac Ptolomæo aqua & panis deliciæ fuerint, & à Lacedemoniis coquus * omnis decreto perpetuo proſcriptus. Et omnes, qui in agone contendunt, ab omnibus ſe abſtinent; vt corruptibilem coronam percipiant; nos autem, ô rem indignam, & lacrymis proſequendam! nos autem incorruptam præſtolamur.

Baſil. conſt. monaſt. c. 5
Chryſolog.
** Excipe coquum iuris nigri.*
Plut. in Laconic.
Cic. 5. Tuſcul.
1. Cor. 9.

Credo tibi, ô æterna veritas, vt ſupr. pag. 7.

PVNCTVM IV. CHRISTVS. Conſidera inſuper quàm ſæpè quàm grauiter gula à me punita fuerit: nam præter Adamum, quo Lothum adduxerit ignominæ notũ eſt, quò miſeriarum Sodomam, quò filios Heli, quò Eſau, quò Prophetam illum in Bethel: quanti ſteterit Iſraëlitis concupiſcentia carnis in deſerto; & aliàs iterum, cùm triginta tria millia interfecta ſunt. Adde diuitem Epulonem, imò plurimos, quos hæc bellua vorauit, & in æternas ærumnas præcipitauit. Et vide quomodo maximè jeiunio, deinde aliis mortificationum generibus corpus in ſeruitutem redigere oporteat.

Gulæ punitio.
Gen. 19.
1. Reg. 2.
Gen. 25.
3. Reg. 13.
Exod. 32.
Lucæ 16.

PVNCT. V. HOMO. Animaduerto, & appendo omnes quotquot fuerunt celebrati in vtroque teſtamento, jeiunio,

Omnes Sãcti ieiuniis celebrati.

nio, & mortificationibus corpus domuiſſe. Moyſes ieiunio legem, & tecum familiaritatem, vti etiam Elias, impetrauit: Niniuitæ verò iratum placârunt. Quàm ieiunio illuſtris fuerit Ioannes, quo nõ ſurrexit maior, omnes nouimus: & Anna illa Prophetiſſa. Apoſtolus Paulus certè de ſe ait: Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutẽ redigo, ne forte cùm aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar: qui enim CHRISTI ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis.

1. Cor. 9.

Gal. 5.

Exemplum Chriſti. *Ioan. 19.*

CHRISTVS. Tu vide coram me an ex iis ſis, an oblectamenta carnis quæras, iis inhies, an Spiritus ac ſalutis tuæ auxilia, vt carni blandiaris, contemnas. Attende ad me exemplar perfectionis, eſurientem, ſitientem, noctibus orantem, & in laboribus plurimis à iuuentute meâ, poſtremò aceto & felle in cruce potatum. Extremum illum actum eſſe volui, vt temperantiam te edocerem.

HOMO. Ita luebas benigniſſime IESV, peccatum gulæ, quo primus parens noſter, & nos filij eius in tantas ærumnas deuenimus?

Exercitium pro pœnitentiâ & ieiunij virtute impetrandâ.

Aug. l. 10. Conf. c. 31

DOMINE IESV *Chriſte, doce me, quæſo per viſcera miſericordiæ tuæ, vt, quemadmodum medicamenta, ſic alimenta, ſumpturus accedam. Tu ſis mea delectatio, tu mea gloriatio,* IESV *mundi ſaluatio. Cibus meus ſit facere voluntatẽ tuam: abſit vt ego, qui tuus eſſe volo, carnem non crucifigam, ſed ei ſeruiam; ventris ſim mancipium, ſanguine tuo libertate donatus: da mihi, quæſo, in te delectari. Nónne tu enim panis ille omne delectamentum in ſe verè habens? Credo; & panis vitæ? hunc ſpero; panis Angelorum factus mihi viaticũ, & medicina, & ſolatium? Hunc toto corde amo & requiro. Da iam mihi delectari in te, & vanitatem odiſſe, vt amem te: da quod iubes, & iube quod vis. iſte, aiebat Auguſtinus ſeruus tuus, accepiſſe fatetur. audiui alium rogantem vt accipiat: aufer à me. quis enim* IESV *bone, vincet eam quâ ſuperati ſunt fortiſſi-*

Aug. l. 10. Conf c. 29. & 31.

fortiſſimi athletæ; niſi per te, qui es vnica ſalus & fortitudo mea?

De profundis clamaui ad te domine, Domine exaudi vocē meam: veni enim in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Quis verò me liberabit, Deus meus, niſi tu qui conturbas profundū maris, & ſonum fluctuū eius mitigas? ah! quis mihi tribuat lauare cum Propheta tuo per ſingulas noctes lectū meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigare, vt eluere poſſim peccata mea, & irriguo duplici ſterilem animam meam fœcundare, vt poſſit æternum luctū, æternaſq; redimere lacrymas? Si enim gehennæ pœnas in hoc paruo vitæ ſpatio compēſauero, ſcio quòd tuâ gratiâ eas euadam: neque enim punis bis in idipſum, ſed miſericordia tua ſuper omnia opera tua: verūtamen vis, vt fructus agamus dignos pœnitentiæ bone IESV; *& in te ipſo exempla nobis dare dignatus es, atque adeò ſi quis, vt Apoſtolus tuus ait, tuus eſt, carnem ſuam crucifigit cū concupiſcentiis ſuis, non tractat molliter, vt velut ſeruū ſentiat contumacē. Si ergo tuus eſſe nequeo, bone* IESV, *niſi carnem crucifigam; non mihi & illi perniciosè blandiar, ſed veſtigia tua, & ſanctorum tuorum ita ſequar* N. *Nō eſt ſeruus maior domino ſuo; ſi te oportuit pati, & ita intrare in gloriam tuam, quid me facere conuenit?* Pſal. 129.

Egóne deinceps audebo delicatus miles molli ſtrato vti, & indui ſplendidè, & epulari? Quomodo potero carni & curioſitati vix quicquam negare, imò ei curare ſedulò, vnde anima crucetur, ſpiritus extinguatur, deuotio intepeſcat, profectus retardetur, proximus offendatur; ac nihilominus petere regnū tuum qui nō habuiſti vbi caput reclinares; qui & fame cruciatus fuiſti, & felle potatus? Verè ſi regnum tuū vim patitur, & violenti rapiunt illud, quomodo delicatus in illud penetrabo? ſi mortificanda membra noſtra, quæ ſunt ſuper terrā, quomodo quæram incentiua vitiorum & hoſti præbebo manus & auxilia? ſi beati qui lugent, eheu! quomodo felices erūt quibus nihil placet niſi iocus, cibus & ludus? Cupio gratiâ tuâ benignißime IESV, *pœnitentias tum Sanctis omnibus amare: aut enim ipſe homo in ſe pœnitens punit peccatum ſuum (vt tuus* Galat. 5. Greg. l. 9. Mor. c. 17

Gregorius) aut hoc tu Deus meus cũ homine vindicans punis. Statuo facere fructus dignos pœnitentiæ, vt gaudium tibi ſit tandẽ, Deus meus, & Angelis tuis ſuper me peccatore pœnitentiã agente, qui toties contriſtaui Spiritum ſanctum tuũ, & malum corã te feci. Difficile, ſcio, eſt dignos facere, cùm dicat Ambroſius ſeruus tuus : Faciliùs inueni qui innocentiam ſeruauerint, quàm qui congruè pœnitentiã egerint. Sed, pater mi, omnia tibi poßibilia & facilia ſunt, & mihi erunt gratiâ tuâ, quàm humillimè rogo, vt mihi concedere digneris, Amen.

Ambr. l. de vn. pœnit. cap. 10.

Praxis ad ieiunium ſeruandum.

Gulæ ſigna

PRIMA eſt, attendere quemadmodum quis corpus ſuum foueat, an nutriat illud, vt ſeruum delicatè, ſentiatq́; eũdem contumacem. Id verò futurũ eſt, ſi gulæ quis ſeruiat, ſi vetita edat, ſi noxia, ſi multa, ſi intempeſtiuè, ſi delicatè, ardenter corpus nutriatur.

Abnegationis ſigna.

Secunda, abnegationis ſigna perpendere an ea in te ſint: Primũ eſt, timor, ne quis rapiatur extra metas neceſſitatis. Secundũ, diligens cuſtodia ſui ante cibos, & inter edendũ, ne præcurrat voluptas neceſſitatem, & illa huic præferatur. Tertium, ſi moleſtum neceſſitati parere. Quartum, neceſſaria admittere condimenta, exquiſita reijcere.

Menſuram ſtatue.

Tertia, optima praxis erit ſtatuere ſibi menſuram aliquã cibi & potus moderatã. ſi enim ab animantibus etiã id fieri conſueuit, multò magis homini conuenit, vt ratione potiùs quã ſenſu ducatur. Si quis verò nos trahat ſenſus voluptatis, cogitandũ nos homines eſſe, Chriſtianos eſſe, ac liberos, non voluptatis, nõ carnis mancipia, ſed Chriſti IESV ſeruos & filios, ad maiora natos ac vocatos: imò fingere nos iã eâ fruitos fuiſſe, quòd ſi enim nobis id perſuaſerimus, perinde certè erit, vt Bonauentura eleganter oſtendit, ac ſi verè fruiti fuiſſemus.

Bonau. de perfect.

Quarta erit, condimenta alieno relinquere arbitrio, de nullo queri, imò etiã quæ maximè appetit gula, alteri, potiſſimũ pauperi, largiri. Quòd quã Deo ac Domino noſtro gratum ſit ſacrificium, ipſe aliquando miraculis declarauit.

Quinta, horam ſtatam ſeruare, neque etiam extra tempus facilè quidpiam ſumere.

Tempus ordina.

Sexta, non protrahere menſas ad horas, neq. exquiſitas parare, turpe certè eſt ſacrificiũ ab iis quorũ Deus venter eſt, vt Apoſtolus loquitur, diutiùs illi fieri quã ſummo Deo; ibi longitudinẽ laudari, hîc etiã breuitatem magno eſſe faſtidio.

ſtidio. Inſpice quorſũ conuiuia producantur, nempè vt diutiùs ſeruiatur cupiditati, venter magis diſtendatur, atq; is plura ſenſim admittat qui reſpuit ſubito repleri, vt precioſiſſimo tempore, ſumptu, cupediis & condimentis inuitetur & inducatur ad faſtidiũ, cùm breui & paruo illi fames conſtare poſſit, vt grauetur anima, corpus oneretur, hominemq; homo paulatim exuat. Audite, audite, ait Bernardus, quia eſca ventri, & venter eſcis, Deus autem & hunc & has deſtruet. aër, terra, mare guloſitati vix ſufficiunt, propter hoc contingit pauperes ſpoliari, & rapinas fieri, vt fames pauperum transeat in delicias diuitũ. Filij hominũ vſquequò graui corde, quia pingui corpore, vt quid diligitis vanitatẽ, & veritatem negligitis? O delicate, qui delicijs & diuitijs circumfuſus atq; confuſus confuſionẽ expectas ad mortẽ! non eſt regnum Dei eſca & potus, non purpura & byſſus, quia diues ille vtroq; circumfluus in puncto ad inferna deſcendit. Quid ad hæc dicitis vos guloſi & luxurioſi, quorũ Deus venter eſt, quorum omnis vſus aut in ventre, aut ſub ventre eſt; qui in luxurijs enutriſtis corda veſtra & corpora veſtra? Omitto, pauperes ad portã panẽ poſtulare, dum diuites famẽ ſtudent cupediis irritare, precioſa quæruntur, vt illa excitetur, & perduntur; & ſi vilia pauperi fuiſſent proiecta famelico, cibus & annona parata diuiti fuiſſet in æternũ. Cauendum igitur iuxta D. Pauli monitũ & exemplum, ne faciamus animam noſtram precioſiorem quã nos ipſos. Probabimus hoc, inquit Bernardus, ſi perdiderimus eã, corporis voluptatibus renunciando, & carnẽ crucifigendo cum vitijs & concupiſcentijs. Quid, ait ſuos alloquens, hîc vos dicitis obſeruatores ciborum, morum neglectores? Hippocrates & ſequaces eius docent animas ſaluas facere in hoc mundo, Chriſtus & eius diſcipuli perdere. Quemnã vos è duobus magiſtrum ſequi eligitis? at manifeſtũ ſe facit qui ſic diſputat. Hoc oculis, hoc capiti, &c. nocet, nõ in Euangelio legiſtis has differentias, aut in Prophetis, aut in litteris Apoſtolorũ. caro & ſanguis profectò reuelauit tibi hanc ſapientiã, nõ Spiritus Patris. & infrà: Puta te, quęſo, monachum eſſe, non medicũ, nec de complexione iudicandum, ſed de profeſſione. Temperat multùm voluptatem in Religione pia ſuper menſam lectio; vtinam ſæculares, quibus de coquo magna cura, nõ puderet ſic animam paſcere, nec pigeret plurimis ferculis corpori pręparatis vnum animæ tribuere! Vtilior certè pincerna, qui huic, vnde creſcat, firmetur atque ornetur, miniſtrat, quàm is qui corpori, vnde vt plurimùm delicietur & infirmetur.

Epiſt. 2. ad Fulconem.

Pauperum miſerere ô guloſe.

Serm. 30. in Cant.

Oratio pro execut. *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10.

IACVLATORIÆ,

Galat. 5. QVi Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ſuis.
Lucæ 13. Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.
Ioel 2. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, planctu.
Coloſſ. 3. Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram.
Pſa. 43. Propter te mortificamur totâ die, facti ſumus ſicut oues occiſionis.
Abdiæ 15 Sicut feciſti, ſic fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum.
Habac. 3. Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis.
1. Cor. 9. Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar.
Galat. 2. Chriſto confixus ſum cruci, viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.
Philip. 3. Configuratus ſum morti Chriſti, ſi quo modo occurram ad reſurrectionem quæ eſt ex mortuis.
Galat. ult. De cætero nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpore meo porto.

CAPVT X.

Meditatio de Eleemoſynâ ſecundo opere ſatisfactorio.

Pſal. 10. *Præſentia Dei.* PVNCTVM I. HOMO. Oculi tui, Domine, in pauperem reſpiciunt, & palpebræ tuæ interrogant filios hominum: ſi ergo tu in pauperes reſpicis, & in iis me, vti confido, & intima cordis mei, quis deſpicere eum poterit, & cùm tu deſiderium eius exaudias, quis illum repellere?

Dei erga homines liberalitas. CHRISTVS. Vides vniuerſum hoc, & omnia quæ in eo continentur? ecce quàm liberalis in te fuerim Deus tuus, quàm munificus in te hominem ingratum, & quidem vltrò ac ſponte abſque merito tuo: Attende obſecro, quomodo me imiteris. *Lucæ 6.* Nónne enim dixi: Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt? & iterum: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur?

quentur? vis ergo tu miſericordiam à me, impende alteri, & mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum. *Hæccine credo*, vt ſup. pag. 7. *Eccl.* 11.

Homo. Quid pro his omnibus, magne Deus, quid ex his, inquam, tibi non reddi (omnia enim in manu tuâ ſunt) ſed quid præſentari tibi ſolum cupis? nihil enim magis indignum, quàm quippiam tibi Regi regum, & Domino dominantium negare. Nulla maior ignorantia, quàm te in pauperibus non agnoſcere, & cum ſtulto illo Nabal dicere, Tollam panes meos & aquas meas & carnes pecorum quæ occidi meſſoribus meis, & dabo viris quos neſcio vnde ſint? Quis enim ſis, & vnde ſis qui per pauperem rogas, ſcimus. Quid enim aliud eſt facere eleemoſynam, quàm tibi id quod tuum eſt, & in manu tuâ, tibi inquam petenti per pauperem à te miſſum non tam dare quàm reddere & ſeruare, non perdere ſed lucrari? Et hæc credimus, & illiberales erga te eſſe poſſumus? *Deo nõ datur, ſed redditur vel offertur.* *2. Reg. 15.* *Deo datur quod pauperi.*

Credo tibi, &c. vt ſup. pag. 7.

Devs. Attende me perinde facere, ac ſi puero parens plurima daret, deinde vt videret gratitudinem, & indolem, exiguum quid peteret. Ita enim à diuite peto per pauperem, pro aureis à me datis, æreos; pro ſericis ſcruta, pro delicijs vilia peto eſculenta. *Precioſa dat Deus, vilia repetit.*

Homo. Petis, & negantur eheu! tibi ſæpè lacrymoſâ poſtulanti voce pauperum, bone Iesv, quæ etiamſi penetret in cælum, aures tuas, Domine Deus exercituum, emollire ſæpè nequit dura pectora mortalium.

Christvs. Conſidera, ſi parens plurima bona ſua vt filio ſuo nuptias illuſtres conciliaret, dediſſet; atque is deinde filij causâ pauper ab eo ſtipem, fruſtumque panis peteret, nónne duriſſimum & crudeliſſimum eſſet hæc negari? *Simile.*

Homo. Ita certè fieri video dum famelico pauperi, & eiu-

& eiulanti panis negatur. quem ſi tu diues egentem non pauiſti, occidiſti, vt Ambroſius loquitur.

Ambroſ.

Clementiſſime Deus, vt infr. pag. 111.

Vide quid det Deo quidve petat.

PVNCTVM II. CHRISTVS. Quid verò eſt, & quàm vile, quod à vobis diuitibus mihi, cuius eſt terra & plenitudo eius, eleëmoſynæ nomine & quidem meo datur? Terræ fruſtulum, vilis lacerna, is ferè cibus quem tuus venter ſatur faſtidit. Et tamen hæc in pauperibus meis gratanti animo accipio, pro iis gratum me exhibeo, imò centuplum promitto. Et non erubeſcis hæc mihi negare petenti, imò cum lacrymis & clamore valido poſtulanti? *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Auguſt.

HOMO. Admiror infinitam bonitatem tuam, quam certè vincere non poteſt malitia & auaritia noſtra. Et audio Auguſtinum tuum monentem me quaſi ex te: Reminiſcere non ſolùm quid des, ſed & quid accipias. Panis quem das, terra eſt de terrâ in terram, vt fulciatur terra. Poterit itaque pauper dicere: vide ne plus tibi præſtem accipiendo, quàm tu dando: Si enim non eſſet qui à te acciperet, non erogares terram, & emeres cælum. Contemne me, ſi nihil petit ab eo qui fecit me & te.

DEVS. Appende hæc in trutinâ rationis coram me; & vide an eleemoſyna parua magnis fructibus & commodis corporis & animæ non longè ſit inferior, immò infinitis ferè partibus, & tu illam vt hæc conſequaris, malè collocatam putabis.

Eleemoſyna ſeruat nobis quæ peritura erant.

HOMO. Imò gratiâ tuâ & luce tua video ſi eleemoſyna à nobis præſtetur, perinde eſſe ac ſi in incendio, diluuio, in direptionis ſummo periculo aliena noſtræ fidei eſſent commiſſa, & omnia nobis præſtanda forent pericula: Tu verò Domine velut integerrimus amicus te offerres, vt hæc nobis eripienda ſeruares nobis, & aucta centuplo crederes in æternum. Hæccine credimus? Hæccine credimus? quæ tamen certiora ſunt quàm me viuere qui hæc lego; quæ inſania nolle tibi tradere

quod

quod tuum eſt, quodq́; vt noſtrum perpetuò eſſe poſſit ſeruare nobis vis, ne mors omnia rapiat.

CHRISTVS. Quid habes auare, & conquiſitor hujus ſeculi? quid in me deſideras? fidelitatem? potentiam? cur cuiuis ferè centuplum promittenti credis theſauros tuos, & mihi pauperibuſque meis vix nummum?

HOMO. Certè Domine, ambigo an talis verè dici poſſit credere Euangelio & veritati tuæ. Quid enim frequentiùs inculcatur & commendatur? Date, ais, Saluator mi, eleëmoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Et rurſus: Vendite quæ poſſidetis, & date eleëmoſynam. Atque adeò perfectionem in eo poſuiſti dicens: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum magnum in cælo. Neque id tantùm in nouo teſtamento, ſed & in veteri decreuiſti racemos in vineâ pauperi relinquendos, & ſpicas in agro, & manipulum oblitum. Denique iuſſiſti frangi eſurienti panem: & egenos vagoſque induci in domum: & alio rurſus loco. Ego præcipio tibi vt aperias manum tuam fratri tuo egeno. Quid dicemus ad hæc? Si vera ſunt & credimus (ſunt autem veriſſima & credere nos profitemur) horrendum erit incidere in manus tuas.

Auarus Deo credere nõ videtur. *Luc.11.* *Luc.12.* *Matth.19.* *Leuit. 19.* *Leuit.23.* *Deut.24.* *Iſaiæ 59.* *Deut.15.*

CHRISTVS. O ſtulti & tardi corde ad credendum! nónne videtis quàm breuis hîc ſit poſſeſſio bonorum mundi huiùs? & vitæ ſpatium hora eſt, imò momentum, & de hoc ſolliciti totâ prope vitâ, de æternitate, æterniſque opibus vix cogitatis? Dic quæſo: reputaſti tecum, qui rationibus tuis temporalibus ita inuigilas, quantum in regno meo poſſideas, vbi perpetuò viuere & manere exoptas?

Ad momẽtũ poſſidere vult auarus potiùs quàm æternum.

Clementiſſime Deus, &c. vt inf. pag. 111.

HOMO. Gratias tibi ago, benigniſſime Deus, quòd judicia hæc tua manifeſtaueris mihi. Nemo, video, ſibi crudelior hoſtis quàm immiſericors. Quâ enim menſurâ menſus quis fuerit; eadem remetietur ei, & qui parcè, *Matth. 7.*

2.Cor 9. vt Apoſtolus tuus,ſeminat, parcè & metet. Iuſto enim
Crudelis ſibi eſt,qui parcus in eleemoſyna. judicio fit, vt hic etiam tales experiantur paupertatem,
qui eam in membris tuis leuare noluerunt. Quot enim
potentes ære alieno & ludo & faſtu patrimonia abſumſerunt
de quibus pauperi arroſam ſtipem largiri, videbatur
illis eſſe onus grauius quàm ferre poſſent? non
Galat.6. irrideris Deus meus, non irrideris. Contrà verò veritas
huius ſententiæ manifeſta omnium ſæculorum experientiâ,
Prou.19. quòd fœneretur Domino, qui miſeretur pauperis
& viciſſitudinem ſuam reddet ei: qui enim dat pauperi
Prou.28. non indigebit; qui deſpicit deprecantem, ſuſtinebit
penuriam. Hæccine credo, & tanquam ſi crederem
operor? Ergóne fallere pores, qui centuplum promiſiſti?
Prou.3. quique dixiſti: Honora Dominum de tuâ ſubſtantiâ,
& de primitiis frugum da pauperibus, & implebuntur
horrea tua vbertate, & torcularia tua abundabunt vino?
Veriſſimum eſt illud: Alii diuidunt propria & di-
Prou.11. tiores fiunt; alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate
3.Reg. 17. ſunt. Ita patuit in viduâ paupere, quæ Eliam pauit, &
Mendici, ſumus,& mendicos audire nolumus. diues facta fuit in communi egeſtate. Et verò nónne
ſcimus nos quoque mendicos eſſe ad portam tuam, ô
Rex regum, & Domine dominantium, te verò pauperem
ſubmittere, qui nomine tuo à nobis petat? Quid
ergo juſtius quàm vt qui obturat aurem ſuam ad cla-
Prou.25. morem pauperis, & ipſe clamet, & non exaudiatur?
An ignoramus illud decretum tuum: Date & dabitur
vobis: & rurſum: Beatius eſt dare, quàm accipere? quis
hæc credit Deus meus, & ea quæ dat, ſeruare ſe, & cum
fœnore recepturum? ſic me docuit tuus Auguſt. dicens:
Auguſt. Quid ſunt pauperes quibus damus, niſi delatores noſtri?
Delatori enim das; in cælum portat: quod das an
excidit tibi? & ſecuriùs certè deferuntur diuitiæ per manus
plurium quàm vnius.

Luc.16. CHRISTVS. Mirum non percelli homines ſupplicio
Epulonis diuitis & auari, qui micas negauit Lazaro,
qui jam recumbit mecum in cælo; vel Mauritii Imperatoris,

ratoris, qui militum vitam nec vili quidem nummo redimere voluit, quos ego ſanguinis mei precio emeram.

Homo. Recordor ſententiæ illius tuæ, ô ſapientia æterna: Date eleëmoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Quæ ergo bona ab eâ non ſperanda, cùm & à peccatis liberet, & pro iis ſatisfacit? Ideoque aiebat Daniel Nabuchodonoſori: Conſilium meum tibi placeat: peccata tua eleëmoſynis redime. Quoniam eleëmoſyna à morte liberat: ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam. Illa, ſcio, fidem impetrauit Cornelio: illa denique gratiam conſeruat. Eleemoſyna enim viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit: ſuper ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit. *Dan 4.* *Tob. 12.* *Act. 10.* *Eccl. 17.*

Christvs. Attende igitur eleëmoſynæ præſtantiam, cuius artem ſcire, teſte ſeruo meo Chryſoſtomo, ampliùs eſt quàm eſſe regem, quàm mortuum ſuſcitare. *Eleemoſyna regno vtilior. Chryſ. hom. 33. ad pop. Antioch.*

Homo. Per hæc enim, tu Deus, de nobis, per illam nos de te Deo meo benè meremur. Eheu! quid in die judicii reſpondebit, qui hæc jam ſurdis auribus audit? & quàm jucunda erit electis vox tua illa dulcis: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare in minimis meis, in eis me potaſtis & veſtiuiſtis. Quàm verò triſte erit: Ite à me maledicti in ignem æternum? & Cur? Quia eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, hoſpes eram, & non ſuſcepiſtis me. *Matth. 25*

Christvs Quid tunc feciſſe optares tu qui hæc legis? vtram audire vocem? Expende iam quid præſtet: habere in hâc vitâ vnde tu, filijque tui & cognati luxurientur, & non præbere vnde ego egenus reficiar, an fœnerari mihi, & centuplum, atque æternam vitam poſſidere: *Haccine vera*, &c. ſup. pag. 7.

Homo. Certè ſi hæc crederent homines, neſcio quis

quis pauper diues non eſſet, & quis diues pauperem non ſe faceret. Si, inquam, crederent æternam retributionem, peccatorum veniam eleëmoſynæ tribui, & mortem bonam & æternam vitam. Non memini, aiebat ille, me legiſſe malâ morte mortuum, qui libenter opera charitatis exercuit. Habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri. Et tu beatos dixiſti miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur, & è monte Oliuarum in cælum aſcendiſti, quòd in illud nulla via commodior miſericordiâ. Illa enim nobis aperit cælum, illa tribuit regnum. Quàm ergo infelix, qui illam negligit! dicit mihi Baſilius tuus: non miſertus es? non inuenies miſericordiam; non aperuiſti domum? repudiaberis à regno; non dediſti panem? non accipies vitam æternam. Vtinam deſtruat omnis diues horrea ſua, & ſua eſſe faciat pauperum domos, vt tua illius ſint tabernacula! eſurientis verè eſt panis, quem diues detinet: nudi eſt pallium quod in veſtiario conſeruat: diſcalceati eſt calceus, qui apud eum computreſcit. Qui habuerit ſubſtantiam mundi huius, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? ita diſcipulus tuus. Vt non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate.

Hieron. ad Nepot. *Eleemoſyna liberat à malâ morte.* *Orat. ad diuites.* *Baſil. hom. in illud, Deſtruam.*

DEVS. Nónne dixi: Date, & dabitur vobis? an fallere poſſum, aut mentiri? nónne dixi: Qui dat pauperi, non indigebit? veránne hæc ſunt? Iterum dico: Appende in ſtaterâ commoda eleëmoſynæ, nec me patieris egenum, vt tu diues ſis, nec mihi detrahes quo te veſtias, nec tu comedes, & me ſines eſurire. Et ſi pauperem te eſſe oporteret, magnáne res te fieri propter me pauperem, qui propter vos egenus factus ſum, cùm eſſem diues? dixi per Apoſtolum: Nihil intulimus in hunc mundum, verùm nec auferre quid poſſumus; habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti

Lucæ 6. *Prou. 28.* *Infidelitas mortaliū.* *2. Cor. 8.* *1. Tim. 6.*

contenti ſimus. Tu verò contentus eſſe non vis. Quando verò occidi fame animam iuſtam? nonne Eliam paui coruo in ſolitudine, & Paulum? & Danieli in lacu prandium miſi? Et ſi ego vitam dedi tibi, nónne & ſeruare eam potero? Quid inquam? ſi vitam meā poſui pro te, recuſare poteris mihi partem panis, cui tantus es debitor?

Prou. 10. *3. Reg.* 17. *Dan.* 14. *Bern.*

HOMO. Verè video non eſſe quod reſpondeamus, & gratias tibi ago, Deus meus, quòd iudicia tua hæc manifeſtaueris mihi. Juraui enim & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.

EXERCITIVM.

CLEMENTISSIME *Deus, qui hanc legem nobis ſtatuiſti, vt quâ menſurâ menſi fuerimus, remetiatur nobis, da mihi, quæſo, gratiam tuam, ne qui quotidie panem & veniam peccatis meis, ac regnū tuū poſtulo, & exaudiri opto, auertam faciem meā ab vllo paupere: vt nec à me auertatur facies tua, qui miſericordiam velle te dixiſti, & non ſacrificiū. Quomodo enim ſuſtinere poſſem in iudicio tuo hoc verbū tuum penetrabilius omni gladio ancipiti, Eſurivi ego, & tu non dediſti mihi manducare; etiā poſcis manducare panem perpetuò in regno meo? ſitiui, & potum negaſti; & iam vis inebriari ab vbertate domus meæ? nudus eram, & non me texiſti; & nunc poſcis indui gloriâ, ac ſtolâ immortalitatis veſtiri? in carcere eram, nec me viſitaſti; & libertate filiorum frui exoptas? hoſpes eram, & non me collegiſti; & iam manſionem perpetuā vindicare tibi audes in regno meo? infirmus erā, & non me viſitaſti; mortuus erā, & non me ſepeliuiſti; quomodo ergo audes vitam æternā à me flagitare? Hæc vox tua Domine, confringit Cedros Libani; vox hæc tua intercidit flammā ignis, à voce hâc contremuerūt labia mea. Ignoſce, obſecro, quòd aliquando nō agnouerim te, aut repulerim, aut aliter acceperim quā à te ſuſcipi velim, cùm verè ſim mendicus & pauper, & tu ſollicitus ſis mei. Da mihi obſecro ea facere proximo, quæ mihi ab eo fieri velim, & abs te, dum nudus & egenus de valle hâc lacrymarū venio ad te, vt recipias me in æterna tabernacula. Non enim bona*

Matth. 7. Tob. 4. Matth. 9. Oſeæ 6. Matth. 25 Audi Chriſtum alioquentem te. Pſal. 28. Pſal. 29. Fac proximo quod optas fieri tibi.

bona comitantur, ſed miſericordia ſola, neq; hinc quicquã auferemus qui nihil intulimus, niſi id quod manu pauperũ præ-
Iſaiæ 50. *miſerimus. Et ſi hic fregero eſurienti panẽ, dixiſti: Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adſum. O*
Iob 4. *quanta fiducia corã te Deo meo eſt eleẽmoſyna omnibus fa-*
Matth. 5. *cientibus eam! Menſura vtiq; bona & conferta quam nobis optamus.*

Ibid. *Scio, ſcio ſolos miſericordes miſericordiam conſecuturos. Et verè Domine quid eſt, quod quiſquã reſpondere poterit quẽ arguit conſcientia iniquitatis, auaritiæ, & infidelitatis in diſpenſatione bonorum tuorum? Nónne enim certò noui tua eſſe omnia, cælum & terrã, & omnia, quæ in eis continentur; me verò diſpenſatorẽ, cui ratio ſit reddenda ſeueriſſima, niſi reddidero tua tibi: ſi autem reddidero, mea futura, quæ tua ſunt, idq; in æternũ. Cur ergo quæ tua ſunt non reddã tibi? Quid peccaſti in me, liberaliſſime Deus meus, quod omni homini*
Pſal. 115. *infideli & mendaci (Omnis enim homo mendax) credo, & non tibi, qui veritas es? an tanto mei tuiq; odio feror, vt potiùs nolim eſſe beatus & felix, quàm reddere tibi quod tuũ eſt? nolim centuplum habere potiùs, quàm tibi, quod tuũ eſt, vnum largiri, & ſimul tamen hoc ipſum mihi retinere? Eheu! quæ cæcitas! nolo in manus pauperis, id eſt, gazophylaciũ tuũ conferre, vt ſeruetur æternũ mihi; & malo infelix homo rapere tibi (quod tamen non valeo) & perire mihi, quã tuo conſilio omnia ſeruare, & ſeruari. Onerant me opes meæ, & væ dirum pronunciãt; ſed & mihi fures inſidiantur, nolo tamen comiti dare, & leuari; furi opto tradere, & rapi. O miſericordia, quæ de ſpinis diuitiarũ colligis vuas, de malis aliorũ bona, de paupertate opes, infirmitatibus vires, ignominiâ gloriã ſempiternã. O charitas infinita, Deus meus, da mihi cor latũ ſicut arena maris, vt tui imitator libens omnibus, maximè adverſa-*
Matth. 5. *rijs, tribuam, & honorẽ te, Domine, miſeredno pauperis. Quot enim maledicentes tibi, & idololatras alis, paſcis, & deliciis affluere facis, & ſolem tuum oriri ſuper bonos, & malos! volo itaq; deinceps videre, quis ſit qui accipiat, ſed pro quo ipſe capiat, & cui ego tribuã; nolo parcè ſeminare, & parcè metere:*

ſed

ſed ſeminare in benedictione, vt tandem audiã in illo die dulciſsima verba, Venite benedicti Patris mei, & poſsidete regnũ, quod ſpero, & humillimè rogo per viſcera miſericordiæ tuæ. Matth. 25 Lucæ 1.

Imò verò hodie, ſpero, adueniet mihi regnum tuum, & tu Rex regum, & Dominus dominantium. Si autem ego poſtulo abs te, vt des mihi regnum, carnem, & ſanguinem tuum, egone terræ fruſtum rubræ aut albæ tibi negare potero? Quâ fronte ad conuiuium tuum properabo, qui te à meo conuiuio excludo? Quomodo panem ſuperſubſtantialem à te petam, ſi quotidianum tibi negauero? cùm ergo te mihi largiri velis, ego gratiâ tuâ me tibi toto corde offero, totâ animâ meâ. Suſcipe quæſo hoc cor meum, & fac ibi conuiuium pinguiũ, & medullatorum. Suſcipe quidquid de manu tuâ accepi. Reddo, reddo libens, & me totum tibi, à quo exemptus ſum pretio tanto, & mirabiliter factus, ſed longe mirabiliùs refectus. Sicut autem tu me non deſpicis, quin pauperem & claudum etiam ad cœnam tuam admittis, ego pariter nullum pauperem repellam, id eſt te Deum meum. Tu enim Deus meus à me petis, tu qui diues es in omnes qui inuocant te. Nullum faſtidiam quando tu non dedignaris venire in cor meum immundum. Munda obſecro illud, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis, vt te imiter liberaliſsimum Deum meum, & diligam in latitudine cordis, & ſeruiam tibi omnibus diebus vitæ meæ, Amen. Applicatio ad Communionem.

Praxis in Eleëmoſynis erogandis.

PRIMÒ, inſpice rationes, & bona tua, & vide quid in æternâ patriâ, quid hîc poſſideas O quàm ſæpè flamma, vis, caſus aufert bona; quæ ſi tribuiſſes pauperi, æterna tibi fuiſſent, theſaurumque habuiſſes in cælo; & argue infidelitatem tuam, inuadere domum hoſtis poteſt, cælum non poteſt. *Vide quid in cælo poſſideas.*

Secundò, partire bona tua, & pauperibus certã de omnibus portionem aſſigna, eamque humiliter tribue petenti; & nulli eleëmoſynam nega quoad potes. ſi pauper, ſi Religioſus es, argentumque & aurum non eſt tibi, pete à Domino vt pauperi tribuat: ſi potes, verbis ſolare, & benigniore vultu, quique commiſerationem ſpiret, non indignationem. *Aſſigna pauperibus partem bonorum.*

Tertiò, non tantùm petenti largire, ſed vltrò eos quære, qui tuas opes in cæleſtem patriam velut baiuli portent. *Vltrò quære pauperes.*

eleëmoſy-nam dilige. Quartò, filios, & tibi commiſſos aſſueſce eleëmoſynis, ſic de pientiſſimâ Reginâ Hiſpaniarum Margaretâ memoriæ proditur, ita ſuos, quos pepererat ad Chriſtiani orbis ſolarium & præſidium liberos, inſtruere ſolitam, vt illi à teneris unguiculis ſuâ etiã manu tribuerent eleëmoſynam.

Lucæ 14. Conviuiũ pauperibus tribue. Convivium inſtitue illis quandoque, & miniſtra, quod ſolenne eſt etiã Regibus, & aliquibus familiis in bacchanalibus; ubi illud Euangelicũ ſervatur: Cùm facis conviviũ, noli vocare amicos, ſed voca pauperes, debiles, claudos, cæcos; & beatus eris, quia non habent retribuere tibi.

Lucæ 14. Sextò, optima eſt praxis de omni lucro diei, nec non artis, induſtriæ, & contractus, Deo primitias dedicare: *Primitias omnium Deo dica.* imò in mercaturâ Chriſtum ſocium habere, ejuſq́ue negotium gerere, & lucrum pauperibus elargiri. Suadet D. Chryſoſtomus arcam habere, atque in eâ eleëmoſynam ante orationem ſeponere.

Hom 43 in 1 ad Corint. Septimò, inter hæredes etiam Chriſtum ſcribere; & perpetuò aliquem pauperem Chriſti nomine perfectè alere, bona eſt praxis, & uſitata, etſi à paucis.

Chriſtus ſit hæres tuus, vt tu illius. Deus aſſecurator eſt. Octavò, id quod aſſecuratori dares, Deo aut pauperibus tribùere. Sic nobilis mercator Hiſpali feliciſſimè negotiatus eſt: contra verò cùm Oliſſipone alius idem facere ſolitus, naves propè in portu aſpiceret, & à piâ ſimul conſuetudine deſciſceret, mox illæ, ortâ tempeſtate, & herus omnibus fortunis everſus eſt.

Nonò, curare, ut pueri petituri pro paupere eleëmoſynam aſſueſcant dicere, Deum petere pro foribus ſtipem; *Induſtria bona.* nobiſq́ue hanc phraſin facere familiarem, Deo dedi, vel potiùs reddidi ſua. Deus à me petiit, ego reſtitui, neque erubeſcas Chriſtianã ac piam phraſim vſurpare, cùm paſſim leges mundi atq; axiomata loquendi ac ſcribendi formulas civilitatisq́ue tam accuratè videas obſervari.

Decimò, ut autem eleëmoſyna duplex ſit, poſſunt perſæpè (quod non in uno loco fieri novi) illæ his, qui con- *Altera.* feſſi, & communione refecti fuerint; vel in Catechiſmo rectè inſtitutis attribui.

Vndecimò, quotidie in mensâ lancem apponere, quæ Dei appelletur, & de ferculis ſingulis Domino JESU in *Tertia.* membris ſuis præcidere, & conſecrare; ut in familiâ nobili fieri ſcio, in quâ etiam ſabbato omne lac armenti in honorem Deiparæ egenis diſtribuitur.

Duodecimò, obſerva tria circa eleëmoſynam: Primum, *Tria ſervanda in eleëmoſynâ.* praxes hujus virtutis tot eſſe obvias, & plurimas, & amanti faciles, ac ſunt humanæ vitæ miſeriæ. Sunt autem eæ duplicis generis, corporis, & animi; quibus levandis opera miſe-

miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia ſuccurrunt, hiſce verſibus comprehenſa:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo
Conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.

Secundum, affectum & voluntatem attendi à Deo magis, quàm id, quod datur: quemadmodum in viduâ, & in mercede potus aquæ frigidæ demonſtratur. Tertium, eleëmoſynam fieri debere clàm, ſi poteſt; eamque eſſe vtiliſſimam quæ ſecretiſſima eſt. O quot ſunt qui ubique nomina ſua ponunt in terris; quorum nuſquam littera invenietur in cælis; eò quòd jam receperint miſeri mercedem ſuam! Quàm pauci enim alias fundationes, aut pia opera faciunt, quam quæ ſimul etiam concilient famã aut potentiæ aut pietatis? Saltem oportet ut omnia fiant bono fine ac intentione, non vt hypocritæ: lubẽti item animo, prompto, hilari & humili. In omni dato hilarem fac vultum tuum, ait Sapiens, nam ſe beneficium accipere putat, non dare, qui novit, ut oportet, eleëmoſynam præſtare.

Matth. 10. *Lucæ 21.* *Vana gloria vitanda.* *Matth. 6.* *Eccl. 31.*

Oratio pro executione. *Dignatus es*, &c. ſup. pag. 10.

IACVLATORIÆ.

QVamdiu feciſtis uni ex minimis meis, mihi feciſtis. Matth. 25.

Eſto pupillis miſericors vt pater, & pro viro matri illorum, & eris tu velut filius Altiſſimi, filius obediens, & miſerebitur tui magis quàm mater. Eccl. 4.

Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus. Pſal. 40.

Qui miſerebitur pauperis, beatus erit. Prov. 14.

Beneficentiæ & communionis nolite oblviſci: talibus enim hoſtiis promeratur Deus. Hebr. 13.

Nihil tam divinum habet homo, quàm de alijs bene mereri. Nazianz. de pauperũ amore.

Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cæleſtis miſericors eſt. Lucæ 6.

Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo. Eccl. 7.

Eſtote invicem benigni, donantes invicem. Epheſ. 4.

Alter alterius onera portate; & ſic adimplebitis legem Chriſti. Galat. 6.

Filioli mei, nõ diligamus verbo, neq; linguâ: ſed opere & veritate. 1. Ioan. 3.

CAPVT XI.

De oratione, tertio opere ſatisfactorio, & illius uſu ac fructu.

TERTIVM genus bonorum operum, quo etiam Deo ſatisfacimus, eſt Oratio: Deo enim illa ſuaviſſimum eſt incenſum, & propitiatorium ſacrificium, ſi ex

Chryſoſt. in Pſal. 116. ex corde contrito & humiliato proficiſcatur; & ſi, vt S. Chryſoſtomus, magnum aliquod donum Deo offerre volumus, nihil habemus laudatione maius, nihil laudatione difficilius: neque enim ſolùm animus, ſed & corpus patitur, teſtante Spiritu ſancto, frequentem meditationem, carnis eſſe afflictionem. *Eccli. ult.* Omitto, quod eleëmoſynas aliqui præſtare nequeant, aut ieiunia tolerare. *Pſal. 37.* Imitare ergo Dauidem, qui afflictus & humiliatus rugiebat à gemitu cordis ſui, & lacrymoſâ oratione Dominum placauit. Sanè D. Auguſtinus pœnitentiales Pſalmos, cùm morituro ſibi ad lectum affigi mandaſſet, ſe dignam pronunciauit ſententiam; neminem Chriſtianum abſque pœnitentiâ mori oportere. Orationi igitur inſtare conuertentem ſe ad Dominum oportet: ſæpiſſimè enim ignis concupiſcentiæ, inundatio cogitationum, hoſtium oppugnatio clamare compellit, & leuare corda noſtra cum manibus ad illum.

Varij autem ſunt orandi modi. Primus, ſi perfectionem ſpectes, eſt contemplatio. Secundus, meditatio, de illâ in libro tertio, vbi perfectorum exercitia; de meditatione verò, ſecundo, cùm proficientium maximè ſit, commodiùs tractatur. Præter hos, alios hîc enumerabimus. *1. Alienorum verborum vſurpatio.* Nam Primò, poteſt quis alienis verbis orare, vt cùm Pſalmos recitamus, aut alias vocales orationes: gratumque hoc Domino ſacrificium eſt, animæ ſcilicet & corporis, & vitulorum labiorum noſtrorum. *Oſeæ 14.*

2. Propriorum verborum ex affectu eructatio. Secundò, proprijs ex affectu interiore naſcentibus verbis, diuinam maieſtatem alloqui: qui modus ex abundantiâ affectus prouenit; quando enim ſicut adipe & pinguedine repletur anima noſtra, tunc labijs exultationis Deum laudat os noſtrum; &, cùm lætatum eſt cor noſtrum, tunc exultat lingua noſtra. ex abundantiâ enim cordis os loquitur, & facundos efficit amor atque diſertos.

3. Alienis verbis ſuorum intertio. Tertius modus mixtus eſt, cùm alienis verbis quaſi pennis anima eleuatur à terrâ, & poſteà per ſe fertur, ſuiſque

ſuiſque ſe librat. quod fit, quando quis attentè legit & ſenſim aliquas vocales orationes, & ex affectu ſuboriente ipſe pergit ſibi formare orationem, ac ſubinde redit ad aliam.

Quartò, quando vocali oratione non aliam addimus, ſed tantummodò affectibus & ſuſpirijs feruentioribus in Deum eam interſecamus, idque aut crebrò, vel poſt ſingula verba, aut certè complura attentè expenſa: ita vt quæuis ferè corporis reſpiratio ſit ad Deum mentis eleuatio & adſpiratio. *4. Suſpiriorum in oratione interſectio.*

Quintus modus eſt, & compendium totius perfectionis, iaculatorijs velut ſagittis cælum petere, & ſe Deo coniungere. Qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum eo. Illis certè cor amantiſſimi Redemptoris noſtri ſuauiſſimè vulneratur. Vulneraſti, ait, ſponſa cor meum in vno crine colli tui, in vno oculorum tuorum. Vel ſemel enim oculos in cælum attollere cum ardenti affectu, efficax oratio eſt, & tenerrimè afficit Patrem miſericordiarum. affectus enim fons ſit oportet eiuſmodi orationum; quales ſunt dolor de peccatis, compati Chriſto, deſiderium cæleſtis patriæ, tædium huius vitæ mortalis, triſtitia in aduerſis, gratitudo magna ob innumera Dei beneficia, admiratio operum eius, fiducia in Deum, zelus honoris eius; ſed in primis charitas in Deum accenſa, quâ anima perpetuis ignitiſque deſiderijs deſiderat, vt ceruus ad fontes aquarum, haurire aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Affectuum autem huiuſmodi ignis maximè in meditatione exardeſcit, vt loquitur Propheta Dauid: qui proinde toto die iaculatorijs fouendus eſt, repræſentatâ etiam ſibi perſonâ Chriſti, vti in meditatione fuit conſiderata, vel vt in communione, aut alio exercitio, quo affectus ſingulariter exercitatus fuit. ſi enim ſic omnia ad illam referantur, aut Chriſto offerantur, affectus excitatus magis fouetur & roboratur, cùm in omni opere renouatur. Perutile tamen eſt etiam abſque affectu illo certas, ex Pſalmis potiſſimùm & ſacris *5. Breuiũ orationum in cælum facula.* *Cant. 4.*

 litetherris,

literis, habere paratas, & vſurpare, vt eo pacto ſæcularium conuerſatio & negotia condiantur ſpirituali ſucco, & rerum quas ſenſibus percipimus ſpecies non ſe tantùm, ſed Dei noſtri gloriam nobis loquantur. Nihil enim vtilius, aut ſuauius eſt, quàm iſtâ arte, vt ita loquar, chymicâ, ex terrenis aurum obryzum diuinæ charitatis eruere, & vnum in omnibus quærere ac inuenire Deum, & ijs, quibus velut pedicis mortales illaqueantur, quaſi pennis volare, in Deo requieſcere, ac in æſtu tentationum os noſtrum aperire, & attrahere ſpiritum verum filiorum Dei.

6. Singulorum verborum meditata expenſio.

Sextò, orationis Dominicæ vel alterius orationis verba ſingula meditatè expendere, atque ijs quamdiu ſapit inſiſtere, ac deinde ad alia pergere; colloquijs interiectis, quæ in Deum charitas varijque affectus dictauerint.

7. Præceptorum, vel Regularum conſideratio.

Septimò, aut Decalogi mandata ſingula, aut Eccleſiæ præcepta, aut Regulas ſui inſtituti conſiderare, quo nimirum pacto eas ſeruet, & ſeruare oportuerit: quomodo aduerſus eas deliquerit: atque excitatâ contritione, recitare *Pater*, & *Aue*, aut Pſalmum aliquem, v.g. *Miſerere*, *Te Deum*. Idem poteſt fieri circa peccata capitalia, potentias animæ, ſenſus quinque.

Triplex orationis vocalis attentio.

1. Cor. 14.

NOTANDVM 1. In oratione vocali triplicem eſſe attentionem. Prima ac neceſſaria eſt ad verba: vt ea debitè, diſtinctè, intelligenter & integrè proferantur. Secunda, quâ ad ſenſum animum aduertimus, & oràmus ſpiritu & mente, cibumque quaſi mandimus, ac eius ſaporem deguſtamus. Tertia eſt ad Deum, quem oramus, & rem illam, quam impetrare optamus. Quapropter initio orationi finis præſtituendus, & quoad fieri poteſt, diuinæ præſentiæ ac curiæ cæleſtis memoria excitanda.

Quæ præparatio ad orationem prolixiorẽ neceſſaria.

NOTANDVM 2. In hiſce modis orandi prolixioribus in principio oportere animum colligere, velut ante meditationem. Secundò, ſe coram Deo ſtatuere. Tertiò, gratiam ad rectè orandum ſuppliciter flagitare.

No-

NOTANDVM 3. Dum ſic percurruntur præcepta, & poſt ſingula dicitur excitanda contritio, expedire, cum contritione aliquod opus ſatisfactorium adiungere, aut genua flectendo, aut hoc vel illo ſitu laborioſo, decenti tamen,ſupplicando. Eſt & ipſa quidem oratio ſatisfactoria, quæ ſubijcienda dicitur; ſed & ipſa magis erit, ſi eiuſmodi fuerit, quâ indulgentias promerêri poſſimus, quemadmodum in varijs articulis Indulgentiarum meritò conceſſarum ad honorem S. Caroli Borromæi,tam illuſtris hoc tempore in Eccleſia orti ſideris, inuenies. In illis enim is qui conſilio Confeſſarij paret, aut actum regulæ ſuæ exercet,aut mortificationis,aut quid ſimile, remiſſionem tertiæ partis peccatorum conſequitur. Qui conſcientiam examinat, aut crucem aut imaginem deuotè ſalutat, aut ſe Deo commendat, aut Angelo Cuſtodi,aut ſancto Patrono ſuo,aut initio operis faciet ter ſignum ſanctæ crucis, aut dicet ter *Deus in adiutorium*; lucratur decem annos Indulgentiarum. Similiter is qui dolet de peccatis,& confeſſionis habet propoſitum. Qui verò recitat *Miſerere*, *Credo*, aut *Te Deum laudamus*, ad honorem ſanguinis Chriſti Iesv, pro nobis effuſi,& ſepties terram oſculatus fuerit; lucratur eas Indulgentias, quas obtineret ſi eo die ſcalam ſanctam aſcenderet.

Iuuat orationem pœnale opus.

Indulgentijs vtere.

Hæc carptim attingo, vt indicem ſolùm quantum theſaurum quiuis colligere poſſit, ſiue ſanus, ſiue infirmus,ſi prudens ſpiritualis mercator exiſtat.

TERTIÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Ante orationem præpara animam tuam.

CVm *A* oratio ſit cum Deo colloquium, ſedulò ad te confer, *B* Deumque præſentem cogita, nec eam (quod hic *C* mundanus facit) ob vlla *D* mundi negotia differ. Verùm omnibus poſtpoſitis oraturus *E* conſcientiam examina, deteſtare *F* peccatum, teterrimum monſtrum, cuius caput eſt pauonis, venter hydropici, pedes ſalacis hirci, cauda ſcorpionis. pauone ſuperbia vitæ, hydropiſi auaritia, concupiſcentia carnis petulantis hirci pedibus, ſcorpions caudâ peccati venenum, & caluariâ ſtipendium eius mors, denotatur. *G* Ieiunium (ſub quo omnis mortificatio continetur) & *H* eleemoſynam cum oratione coniunge, ductum tui *I* Angeli Cuſtodis ſequere; animumque *K* ſilentio, *L* ſolitudine, piaque lectione, vt
Iſaiæ 30: hic Eremita, para: *M* ſpem excita, *N* orationemque, quæ gladium habet verbi Dei, cor accendit, ad vitia ſuperanda animat, ad Dei honorem inſtitue, vt *O* peccata ſuperes, vtque *P* virtutem à Deo impetres. Hæc autem Deo adſtat alata, qui animam à terrenis eleuat: armata, quia vinci à malitiâ nequit; ſed per crucem & ardua coronam obtinet. Hanc proſtratus ante thronum Dei humiliter flagita, velut *Q* reus, aut vt pauper, aut ſponſa. Hanc præparationem *R* Moyſes præmonſtrauit.

ME-

MEDITATIO.

De Oratione ritè inſtituendâ.

HOMO. In viâ deſertâ, inuiâ, & inaquosâ, ſic in ſancto, & coram ſanctis tuis apparui tibi, vt videam virtutem & gloriam tuam. Sedeo hîc bone JESV ſolitarius, & gemens taceo; quid enim aliud facere poſſum in valle lacrymarum longè à te ad quem ſuſpiro? & hîc ſedeo, vt eleuem me ſupra me. Reſpice, quæſo, ad me. Ad te enim leuaui oculos meos, qui habitas in cælis: vnde enim veniet auxilium mihi niſi abs te bone JESV? At verò ſi iuſtus in principio orationis accuſator eſt ſui, ego impius & peccator vbi parebo? Ecce manus meæ adhuc ſanguine plenæ ſunt, & multiplicatæ ſunt iniquitates meæ ſuper capillos capitis mei. Miſerere Domine, & dele quæſo, bone JESV, ſanguine tuo iniquitatem meam: ego te per hunc humillimè rogo, ego vermis & non homo, vt tibi loqui poſſim, & te alloqui puluis & cinis in conſpectu Sanctorum tuorum. Erubeſco quidem loqui quia memini me contempſiſſe te, (horreſco cogitans) & loquentem, aures obturando, non audiuiſſe; ſed tu JESV, ſpes mea, cor contritum & humiliatum Deus meus an poteris deſpicere? non potes negare nomen tuum quod manifeſtaſti mihi: doleo enim ex amore tui, quod vnquam vel otioſo verbo auſus fuerim contemnere præcepta tua.

Præſentia Dei. *Pſal. 62.* *Imploratio gratiæ.* *Pſal. 122.* *Iſaiæ 1.* *Pſal. 39.* *Humiliatio ſui.* *Pſal. 50.* *Actus contritionis.*

CHRISTVS *præſens & ſcrutans corda.*

Sic contritionem ante omnem orationem excitare conuenit. Non enim eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Et rectè dixit Pſaltes meus: Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus: & diſcipulus meus. Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. Et certè quâ fronte & arrogantiâ

Eccli. 15. *Pſal. 65.* *1. Ioan. 3.*

arrogantiâ nondum reconciliatus mihi, & poſt iniurias grauiſſimas dona maxima ad me petiturus peccator accedit, cui ſupplicia parata non præmia? Ita etiam te &

Præſentia Dei in oratione retinenda. orantes me præſentem oportet vt agnoſcant. Quid enim indignius mihi loqui, & nec præſentem me agnoſcere? aut veluti abſenti ſacrificium offerre? Sacrificium enim

Oratio eſt ſacrificiū. oratio eſt, ideò dixit Pſaltes meus: Dirigatur oratio

Pſal.140. mea ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine: eleuatio manuum mearum ſacrificium verſpertinum: ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humilia-

Pſal.50. tum Deus non deſpicies. Nunquid enim manducabo

Pſal.49. carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Immola ergo ſacrificium laudis, & redde mihi altiſſimo vota tua.

Haccine vera, vt ſuprà pag.7.

HOMO. O vtinam offerre queam quod non deſpicias, ſed aſcendat ſicut incenſum in conſpectu tuo! vtinam

Eccl.28. ligna quantumcumque madefacta, vt olim ab Eliâ, accenderet ignis tuus, id eſt, amor tuus, quem voluiſti vehementer accendi! ſecundùm enim ligna ſiluæ ſic ignis

Bern.ſerm. de quatuor modis orandi. exardeſcit. Vtinam quod Bernardus tuus monuit, ſemper cogitem intrans ad orationem propheticum illud: Ingrediar in locum tabernaculi admirabilis vſque in

Orans ſtat corã curiâ cæleſti. domum Dei. Omninò ſiquidem oportet nos orationis tempore curiam intrare cæleſtem, illam vtique curiam, in quâ tu Rex regum ſtellato ſedes ſolio, circumdante innumerabili & ineffabili ſpirituum exercitu. Vnde & ipſe qui viderat, quia maiorem numerum non inuenit, millia, ait, millium miniſtrabant ei, & decies centena

Dan.7. millia aſſiſtebant ei, Quantâ ergo cum reuerentiâ, quanto timore, quantâ illuc humilitate accedere debet à palude ſuâ procedens, & repens ranuncula vilis, id eſt, homo mortalis? quàm tremebundus, quàm ſupplex, quàm denique humilis & ſollicitus, & toto intentus animo maieſtati gloriæ in præſentiâ Angelorum, in

concilio

concilio iuſtorum & congregatione, aſſiſtere poterit miſer homuncio? ſed tibi Domine qui ſuſcitas de puluere inopem, & erigis de ſtercore pauperem, miſerorum non poteſt diſplicere deprecatio. ſuſcipe igitur hanc meam, & cor & animam meam, & aſcendat oratio mea ſicut fumus aromatum in conſpectu tuo, & da mihi exhibere corpus & animam hoſtiam viuentem, ſanctam, & tibi placentem, cadatque ignis tuus Domine & voret holocauſtum, & ligna & lapides, puluerem quoque & aquam tribulationis, quæ eſt in circuitu meo, niſi aliud viſum fuerit pro gloriâ nominis tui.

Pſal. 112. *Rom.* 12. 3. *Reg.* 18.

Potentiſſime Deus, &c. vt infrà pag. 130.

CHRISTVS DOMINVS.

Ante omnem autem orationem præpara animam tuam, & noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum. Nónne enim tentat me qui abſque præparatione ad me venit aliena cogitans, & labijs me honorans, cùm cor eius longè ſit à me? itaque oraturus ſtatue an me tentare velis & ad iram prouocare negligentiâ tuâ vel contemptu, an verò placare. Nónne ſcis quomodo ſancti & electi mei, etſi ſummâ ſenſuum cuſtodiâ ambularent ſemper coram me, ſollicitè ſe tamen parauerint vt mihi loquerentur, cùm ſcirent ab oratione magnâ ex parte pendere ſalutem vniuerſam? meminiſti Jobum pro reuerentiâ dicentem: Semper ego quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui? Aſpice vt Publicanus ſtet à longè, & nec oculos in cælum leuare audeat? Aſpice vt Magdalena ſtans retrò ſecus pedes lacrymis meos rigauit pedes, & capillis ſuis terſit?

Eccl. 18. *Præparatio ad orationem neceſſaria.* *Iſaiæ* 29. *Humilitas in oratione neceſſaria.* *Iob* 31. *Luc.* 18. *Luc.* 7.

Potentiſſime Deus, &c. vt infrà pag. 130.

HOMO. Erubeſco, dum cogito quantâ diligentiâ

ſtudio;

Cauſam dicimus apud Deum. ſtudio, quanto tempore lites apud iudicem inſtruat patronus, vt à crimine cliens abſoluatur, aut fruſtum terræ acquirat aut retineat. etiam ſcio coram te ſupremo iudice, & curiâ tuâ cauſam me, dum orationem fundo, dicere, & de æterno agere ſupplicio vel præmio, & potero in eâ torpere, & in ludo ac fabulis vigilare? Accedentem ad Deum, tuus aiebat Apoſtolus, credere oportet quia eſt. Ita video; incredulitas noſtra, & cæcitas, quâ te præſentem non agnoſcimus, irreuerentes nos facit coram te, coram quo tremunt vniuerſæ poteſtates. Humiliata eſt in puluere anima noſtra, & conglutinatus eſt in terrâ venter noſter. Exurge Domine adiuua nos. Et vnde obſecro fieri poteſt Deus meus, vt obliuiſcamur tui, dum loquimur tibi magis nobis præſenti, quàm nos ipſi nobis?

Præſentia Dei.

Pſal. 43.

CHRISTVS. Quòd ſæpè alia pluris faciatis, & magis curæ habeatis, quàm mecum loqui; & haurire aquas benedictionis de fontibus meis. Hæ curæ velut ſpinæ animam in meditatione pungunt, & ineptum efficiunt inſpirationibus meis, & auxilium, quod in rebus gerendis neceſſarium eſt, excludunt, ideoque ſæpè infelicem exitum habent concio, aliaque occupatio in oratione verſata & velut colloquio meo prælata.

De negotÿs in oratione cogitare nocet ÿſdem.

Vanum, vanum eſt vobis fili mi ante lucem ſurgere: quamdiu enim illam oratione à me ſole iuſtitiæ non tantùm non impetratis, ſed etiam excluditis, nónne fruſtrà ire tentatis, & negotia illa tractatis? imò præpoſterâ hâc & ſtultâ diligentiâ eorumdem ſucceſſus diſtractione variâ retardatis? Ideò monui per Eccleſiaſticum; Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu ſapientiam percipiet. Quâ ſapientiâ replebitur qui tenet aratrum, & qui gloriatur in iaculo? neque poteſt verbum meum ſemen verum, cùm cadit inter has ſpinas, non ſuffocari, quæ ſunt ſolicitudines ſæculi: ideoque

Eccl. 38.

ideoque partiri curas cum alijs exemplo Moyſis oporteret. Imò vide an actiones omnes tuæ ita ordinatæ ſint, vt oportet, vt in oratione te non perturbent. Pharao operibus lateris & luti & quæſitione palearum diſtinebat populum meum, ne de ſacrificio cogitaret: tu verò fraude dæmonis detectâ veni, & ſacrificio laudis honorifica me, illic enim iter, quò oſtendam tibi ſalutare meum.

Lucæ 8. *Agena cum alijs partire.* *Exod.* 18. *Exod.* 5.

Credo tibi, &c. vt ſuprà pag. 7.

Homo. Certè video nihil magis neceſſarium nobis eſſe quàm crebrò, & vti conuenit, orare, id eſt; te Regem Regum omne bonum noſtrum accedere, teque frui, in te delectari. Dixiſti enim æterna Veritas: oportet ſemper orare, & non deficere. Et per Apoſtolum monuiſti vt eſſemus per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu & in ipſo vigilantes in omni inſtantiâ: cùm enim nullum ſit bonum quod ſine te facere poſſumus, aut nullum ſit malum quod euadere in tanto diluuio miſeriarum noſtrarum; hoc ſolum habemus reſidui, vt oculos dirigamus ad te, neque vllo pacto melius quis ſua promouebit, quàm tibi benigniſſime Deus ſupplicando: tu enim operaris omnia in omnibus, & niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Vis quidem, liberaliſſime Deus, largiri bona tua & præſidia gratiæ tuæ, verùm vis ea à nobis poſtulari, atque adeò ſine intermiſſione nobis orandum eſt. Vt rectè Chryſoſtomus tuus dixerit: Ipſe contra ſe ipſum tela miniſtrat, qui hoſtem precum inſtantiâ non fatigat. mœnia noſtra oratio, & inexpugnabilis eſt armatura, & tutiſſimum, nec vnquam fallens munimentum, pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hoſtium millia. Et quemadmodum corpus hoc noſtrum, ſi non adſit anima, profectò mortuum eſt, ac fœtidum: ſic anima, niſi ſeipſam

Epheſ. 6. *Orandum aſſiduè.* *Deus orari cupit.* *Theſſ.* 5. *Serm. de Moyſe.* *Chryſoſt. l.* 1. & 2. *de orando Deo.*

ſeipſam incitet ad orandum, mortua eſt, ac miſera, & grauiter in conſpectu tuo olens. in lege igitur tuâ meditabitur die ac nocte, & totâ die meditabor iuſtitiam tuam.

Potentiſſime Deus, vt infrà pag. 130.

S. Cathar. dial. c. 66. Auguſt. Pſal. 118.

CHRISTVS. Scito tamen quòd non ceſſet orare, qui non ceſſat benè agere, vt Catharinæ Senenſi aliquando dixi. & verè qui rectè nouit orare, rectè nouit & viuere.

Sap. 8.

Chryſoſt. l. 1. de orãdo Deo.

HOMO. Cùm hæc ita ſint, mirum non omnes vehementer orationi affici, & colloquio tuo. An habet amaritudinem conuerſatio tua, ô dulcedo ineffabilis? Quî fieri poteſt, vt longæ fabulæ & inanes ſermones tædium etiam quandoque religioſo non adferant, & moleſta pleriſque longa ſit oratio, & colloquium tuum? cùm videro, ait quiſpiam, non amantem orandi ſtudium, nec huius rei feruidâ vehementique curâ teneri, continuò mihi palàm eſt, eum nihil egregiæ dotis in animo poſſidere. Rurſus, vbi quem conſpexero, inſatiabiliter adhærentem cultui diuino, idque in ſummis damnis numerantem, ſi non continenter orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum eſſe meditatorem ac Dei templum. Et quoties vacamus orationi, ſimul & Angelis copulamur, & ſocietatem, quam cum brutis animantibus habemus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus eſt deprecatio. At verò quid ſuauius eâ eſſe poteſt, cùm per illam conuerſationem habeamus in cælis & aſcendat mens noſtra? ad te enim primam cauſam, eiuſque proinde inſtrumentum aptiſſimum euadit. O quis mihi dabit pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Quis adducet me in montem ſanctum tuum, & quando lætificabis me in domo orationis tuæ?

Phil. 3.

Pſal. 54.

Iſaiæ 56.

Credo tibi, vt ſuprà pag. 7.

CHRI-

CHRISTVS. Ideò de luce vigila ad me, & anima tua deſideret me in nocte. Equidem nihil mihi magis diſplicet, quàm orationem, ſeu meum colloquium alijs occupationibus poſtponi. Quid enim? ego ſto ad oſtium & pulſo, & repulſam abs te patiar, neque admittar ad colloquium, donec fæx hominum & rerum præceſſerit, vt & tum illa obſtrepat mihi loquenti, & tibi? Vnde Eccleſiaſtes meus ſolummodo hoc inuenit, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus. Et ſic opponit homo nubem ſibi vt non tranſeat oratio. Dic mihi, ſi quis inſtrumentum inueniſſet, quo omnia ſibi compararet bona, velut lapidem philoſophicum, quanta putas ſollicitudine eum ſeruaret?

Irreuerentia in oratione quomodo committatur.

Eccli. 7.

Ierem. lam. 3.

HOMO. Hoc nos in oratione tepidos facere videtur, quòd in eâ fiduciam, vt oportet, non habeamus.

CHRISTVS. Nónne tamen crebrò dixi: Petite & accipietis, quærite & inuenietis? & rurſus: Omnia quæcumque orantes petitis, credite quia accipietis & euenient vobis? & rurſus: Si quis autem veſtrum indiget ſapientiâ, poſtulet in fide nihil hæſitans, non enim qui hæſitat, æſtimare debet, quòd aliquid accipiet à Domino. An hæc ſunt vera? ſi vera hæc ſunt, quomodo diffidere mihi poteſtis, cùm & arrham habeatis ſanguinem meum & mortem meam?

Fiducia neceſſaria in oratione.

Iacobi 1.

1. Cor. 12.

2. Cor. 3.

Nemo quidem dicere poteſt *Dominus* IESVS, niſi in Spiritu ſancto, neque ſufficientes eſtis cogitare aliquid ex vobis, quaſi ex vobis, ſed ſufficientia veſtra ex me eſt; attamen omni horâ paratus ſum, & etiam ſi fili mi mediâ nocte veneris ad me, ſurgam, & opitulabor tibi: memento verò eius quod monui. Tu au-

Lucæ 21.

Solitudinē amat oratio.

tem

Matth.6. tem cùm oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito, & pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi. Solitudinem itaque ama quantum potes: in eâ enim ſolitûs ſum loqui ad cor hominis.

Credo tibi, vt ſuprà pag.7.

Caſſ.collat. 10. cap.5. Iſaiæ 30. HOMO. Immò illi ſoli, vt audio, puriſſimis oculis diuinitatem tuam ſpeculantur, qui de humilibus ac terrenis operibus, & cogitationibus aſcendentes ſecedunt in excelſum ſolitudinis montem. In ſilentio enim & ſpe, vt ait Propheta tuus, eſt fortitudo noſtra.

CHRISTVS DOMINVS. Neque obliuiſcere moniti, quod Tobiæ dedit Angelus meus: Bona, inquiens, eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna. Hanc igitur præſta, ſeu corporalem ſeu ſpiritualem, ideoque ad templi fores pauperes excubare aduerte; Et, vt Chryſoſtomus meus ſuaſit, arculam domi habe paratam, in quam oraturus eleëmoſynam conijcias. ſic & mortificationem, quæ ieiunij nomine continetur, vel reipsâ exerce vel propone.

Eleemoſyna comes orationis.

HOMO. Ex his colligo omnes virtutes ad perfectam orationem ordinari: & nihil magis à te poſtulari. Nónne ideò tam ſeuerè horarum penſum exigis, vſque eò vt mortem etiam, niſi quis præſtet, commineris? O quanta charitas tua Deus meus, dum tantopere deſideras meum alloquium ex infinitâ bonitate tuâ! vtinam ſicut tu delectaris alloquio meo qui ſum vermis & cinis, ita ego tuo! vtinam ſaltem miſeria mea me anhelare faceret ad alloquium tuum, & ſitire ſicut ſitit ceruus ad fontes aquarum! quàm dulcia, inquiebat ille, faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo! Certè magna illa multitudo dulcedinis tuæ, ſcio non guſtatur niſi à perſeuerantibus in oratione; ſi te vnum ibi quærant & deſiderent, te omne bonum toto corde.

Oratio ſuauis cum Deo ſermo. Pſal.118.

Quem

Quem enim docebis ſcientiam, & quem intelligere facies auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus. O Beati Angeli & Sancti Dei vos iam guſtatis & videtis, quàm ſuauis ſit Dominus, veſtra omnis occupatio oratio eſt, & laus Dei ſemper in ore veſtro. Cantate quæſo pro me exule in patriâ Domino meo Canticum nouũ: cantate & pro nobis miſeris, bene pſallite ei in vociferatione. Ego enim ſæpè dum oraturus cauſam meam agere volo, reum eheu! me efficio. Et laudare Deum ac Dominum noſtrum & veſtrum cupientes ſæpè nos miſeri offendimus, & ecce pro gratiâ referimus indignationem. O ter magne Deus, qui tribus digitis ſuſpendis orbem, & portas omnia verbo virtutis tuę: reſpice nunc, obſecro te, per viſcera pietatis tuæ meam fragilitatem, quâ fit vt minore tecum quàm cum homine reuerentiâ loquar. Pudet, pudet etiam ab ethnico docente audire: ſic cum Deo loquere quaſi homines audiant, ſic cum hominibus quaſi Deus te audiat. Quid mirum videri nobis debet, ſi quando à te non exaudiamur, qui te audire, & te alloqui vix dignamur? & tamen, ô infinita bonitas! deſcendis quotidie à ſummo cælorum, & ſiſtis te inter manus Sacerdotum, vt præbeas te mihi, & nutrias me, & confortes me, & loquaris ad cor meum, & ego miſer vermis terræ ad tuum, caritate æſtuans vnicum refugium meum. Venis autem vt benignè cominus videas neceſſitatem meam, & audias ſupplicationem meam; & quæ illa? vt mihi des ex hoc momento amare te in æternum; ex hoc ſtare coram te in æternum. Veni igitur, veni, deſcende priuſquam moriar, ô vita mea, ut viuam. Deſcende obſecro in inferiora terrę, id eſt, in animã meam, & loquere iam ad cor eius: ſed & da mihi, ô ſpeculum ſine maculâ, cor mundum, in quo te locem, & oculos mundos vt te aſpiciam, & manus puras vt te complectar, & aures apertas, vt audiam quid loquaris in me, & adhæream tibi, & amem te omnibus diebus vitæ meæ. Amen.

Iſaiæ 28.
Angelorũ inuocatio.
Iſaiæ 40.
Seneca.
Applicatio ad Communionẽ.

Oratio pro reuerentiâ in oratione habendâ.

POTENTISSIME Deus, præſentem te hîc & vbique ſcio, atque infinitæ eſſe maieſtatis, coram quo tremant vniuerſæ poteſtates, & iubilent omnes filij Dei: quantâ ergo me, qui ſum puluis & cinis, humilitate par eſſet apparere in conſpectu tuo? & quâ gratitudine, qui me de nihilo creaſti, redemiſti in ſanguine filij tui, & innumeris me beneficiis omnibus diebus vitæ meæ fuiſti dignatus? Et tamen, eheu! peccaui ſuper numerum arenæ maris, neque ſum dignus, qui veniam in conſpectum tuum. Verùm quò ibo à facie tuâ? veniam potiùs ad te Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis, & dicam: Pater, iam non ſum dignus vocari filius tuus, ſed fac me ſicut vnum de mercenariis tuis: facti ſumus vt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ iuſtitiæ noſtræ, & cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos. Et nunc, Domine Pater noſter es, nos verò lutum; fictor noſter es tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne itaque iraſcaris, Domine, ſatis, & vltrà ne memineris iniquitatis noſtræ. Ecce reſpice, populus tuus omnes nos, & dixiſti: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Quid autem peto, niſi te amare, ſuſcipere & amplecti in corde meo, vt conuertas ad me faciem tuam? quid pulſo, niſi vt aperias mihi, & iis pro quibus orare debeo, fontem miſericordiæ tuæ? Etſi omnis qui petit accipit, ſpero quòd & ego etſi indigniſſimus ſeruus tuus. Scio propter innumera peccata mea, in ſecreto regalis palatij ſuper me latum iudicium mortis; ſed venio, Deus meus, vt placare poſſim vultum tuum: da mihi, quæſo per ſanguinem Filij tui, vt oratio mea non fiat mihi in peccatum, & ne proijcias vnquam me à facie tuâ. Agnoſco, Domine Deus meus, me nihil poſſe facere abſque te, & omnẽ ſpem meam in te colloco, omniaque tibi committo, vt oratio mea, & omnia mea dirigantur ſicut incenſum in conſpectu tuo, & deſcendat ſuper me miſericordia tua; quâ poſſim illa, quæ

Humiliatio ſui. Gratiarũ actio. Contritionis actus. Confidentiæ actus. Luc. 15.

Applicatio ad Communionem.

Bernard. ſerm. 2. de natali.

Diffidentia.

quæ à me exigis, maximè orationem, ritè perficere, ad gloriam nominis tui, ac tibi, ex quo, & in quo, & per quem ſunt omnia, coniunctus eſſe, ô Deus meus & omnia. Abſit vt deinceps te ad colloquium inuitantem, & pulſantem ad oſtium negligam, præ mundi fallacibus negotiis; inquietus ſim & præceps; dum rem omnium grauiſsimam ago & vtiliſsimam, qui in alios menſes & annos ponere ſoleo. En venio, vt ſincere tibi offeram cor contritum & humiliatum, quod deſpicere non ſoles, certus de promiſſo tuo, quòd petenti tribues, quærenti te offeres, pulſanti aperies, & vincere dabis vitia mea & imperfectiones meas N. præſertim ſi ieiunio & eleëmoſynæ coniuncta ſit oratio mea. O Domine, qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine, munda cor meũ & labia mea, vt exultent cum cantauero tibi. Et reliquiæ cogitationũ de hoſpite tanto, de aduentu tuo, de amore tuo diem feſtum agant tibi, quod in omni æternitate cum ſanctis & electis tuis, per tuam gratiam facturum me eſſe confido. Amen.

Oblatio ſui.

Iob. 14. Ezech. 16. Pſal. 7.

Praxis præparationis ad Orationem & collectionis poſt eam.

PRIMÒ, pridie tempus, & negotia diſtribuenda quoad fieri poteſt; & inprimis orationi, & Miſſæ ſacrificio certa hora aſſignanda mirè ad pacem animi valere, & profectũ dicebat B. Ignatius. Hoc enim pacto curæ minuuntur; quas etiã, cùm potes, exẽplo Moyſis cum alijs partire. *Exod. 18.*

Secundò, ante ſomnum mens piâ lectione, ac deinde cogitatione, & affectu occupanda, imaginando te iuxta crucem, aut coram Deo eſſe, & SS. Trinitate, vel in loco vbi myſterium proximo die meditandum geſtum eſt; quod ad loci compoſitionẽ pertinet: hæc enim nihil aliud eſt quàm ſe fingere, v. g. vel in ſolitudine, vel in cælo, vel in inferno; vel coram Chriſto modo nato, modo crucifixo, prout res poſtulat; & ſic vagam imaginationem ante orationem, & ſomnum alligare. Neque tantùm hæc in meditatione valet, ſed etiã in omni oratione vocali. Sic ſtationes, quidã mente ſolâ obeunt, & ſæpè vtilius quàm corpore peregrinantur.

Ante ſomnum quid agendum.

Loci Compoſitio quam ſit vtilis.

Nota verò lectionem piam quotidie ſtatam eſſe debere, ſiquidẽ in eâ nobis loquitur Deus. Quid enim aliud eſt, ait Gregorius, Scriptura ſacra, niſi quædam epiſtola omnipotentis

Lectio pia ſit ſtata.

Greg. l. 4. Ep. 40.

tentis Dei ad creaturã ſuam. Quocirca attentè ac reverenter inſtituenda eſt, non præcipitanter; ſed quaſi auſcultãdo, ut audire poſſimus quid loquatur Dominus. Idque ut facere dignetur, ante lectionẽ propoſitum faciendum exequẽdi ea quæ divina bonitas dignata fuerit inſpirare. Poſt lectionẽ gratiæ Deo agendæ, ac ſententiæ aliquæ in memoriæ theſauro reponẽdæ ex conſilio D Thomæ Aquinatis. O quantùm is excreſceret, ſi quotidie ei aliquid adiiceretur. Cujus opportunitatem cùm tantam Religioſi quotidie in mensâ habeant, felices fuerint ſi agnoſcant bona ſua.

Lectio pia quomodo inſtituendâ?

Nota quòd quando ariditas major eſt, lectio meditationis vices ſupplere poteſt, præſertim ſi ſententiis utilioribus inſiſtamus: aut certè hujuſmodi lectionem tunc accipimus, quâ aliquando experti fuimus divinæ gratiæ radium nobis affulſiſſe.

Eleëmoſyna juvat orationem.

Tertiò, utile deſtinare aliquam eleëmoſynam, ſaltẽ ſpiritualem: & mortificationem, ut nulla dies abeat quin hæc linea ducta ſit. Poſtridie manè, & quoties orandũ, primò negotia ſepone, Deoque committe quod eſt eâ verè oratione promovere. Poſt hæc excita contritionẽ ante omnẽ orationẽ: ſcimus enim quia peccatores Deus non exaudit. Tertiò finem orationi propone, qui non eſt conſolationem quærere, ſed divinæ bonitati honorem exhibere, & virtutẽ ac ſanctitatẽ acquirere. Huc igitur dirigenda, ut defectus noſtros ſuperare poſſimus, & ſic in oratione cum Deo luctari, ut ſicut in Patriarchâ Jacob, ita in nobis nervus femoris concupiſcentiæ marceſcat, benedicẽte Domino. Dirigenda autem oratio ad virtutẽ maximè neceſſariã acquirendam, & vitium primarium, ſeu maximè progreſſũ impediens extirpandum: neque difficile erit ei qui ſe novit, & mala ſua ſentit in omni oratione, & meditatione his remedia conquirere.

Contritio excitanda.

Gen. 32.

Oratio ad quid dirigenda.

Nota autem. Id quod dicitur, orationẽ ad finẽ certum inſtituendã etiã in vocali plurimùm valere: ſic enim pro variis neceſſitatibus pſalmos ſingulos recitare utile eſt, & attentionem conciliat. Simile ſi ſingulos pſalmos pro beneficiis ſingulis Deo offeramus.

Præſentia Dei & Angeli commendata.

Quartò. Deum atque Angelum præſentem intuere, magnamque excita reverentiam, & veniam cum divinâ majeſtate loquendi humillimè poſtula ac fidei, ſpei, & charitatis actum elice cum trinâ genuflexione, ſi locus patiatur. Nota autem Angeli cuſtodis familiaritatem ac præſentiam, tum in oratione frequentandam, tum in aliis noſtris operibus; cum eo conſultando, & per eum divinæ majeſtati opera noſtra offerendo, proximorum amicos, quando

Cultus Angeli Cuſtodis.

quándo cum iis agendum eſt, per eum præparando.

Praxis etiam commoda ad affectum induendũ, & collectionem animi induere perſonã modò rei, modò pauperis. Exterior item ſitus corporis humilis & devotus non parũm conducit ad fructuoſã orationem: præſertim cùm in Christo Domino exemplũ habeamus, qui poſitis genibus oravit. Et procidit ſuper faciem ſuã. Ad quod Auguſtinus: neſcio quomodo cùm hi motus corporis fieri niſi motu animi præcedenti non poſſint, eiſdem rurſus exteriùs viſibiliter factis, ille interior inviſibilis, qui illos fecit, augeatur. *Luc. 22.* *Marc. 14.*

Poſt orationem reuerenter ab eâ diſcedere oportet: examinare defectus admiſſos, ac de iis veniam flagitare, & pro beneficiis ac donis Dei gratias agere; pia decreta ac propoſita iterare, atque horum deinde memoriam per diem renovare, & occaſiones exequendi diligenter obſervare. *Reuerenter ab oratione diſcedendũ.*

Oratio duplex, altera in meditatione præmittenda, altera ei ſubjungenda; & in eâ exercitium affectuum triplex habentur ſuprà cap. 1. pag. 7. Item oratio poſt orationem longiorem: denique oratio pro executione.

Dignatus es, &c. ſuprà pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Quibus orationis factæ pia deſideria per diem renoventur, & ad eam anima præparetur.

DEVS, *Deus meus, ad te de luce vigilo, ſitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea!* Oratio enim fons eſt animæ ſitientis. Pſal. 62.

Adiuva me, & ſalvus ero; & meditabor in iuſtificationibus tuis ſemper. Pſal. 118.

In iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos. Ibid.

Quomodo dilexi legem tuam Domine! *totâ die meditatio mea eſt.* Ibid.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Pſal. 140.

Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Pſal. 118.

In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Pſal. 39.

In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Pſal. 118.

CAPVT XII.

Excercitium de Lectione Horarum.

PRAELVDIVM I. Conſtitue te coram Deo, & curiâ cæleſti, eum toto cordis affectu laudante.

PRAELVDIVM II. Roga vt dignitatem vocationis tuæ cognoſcere valeas. & pſallere mente ac ſpiritu.

Omnis creatura laudat Deum.

PVNCTVM I. Conſidera Dei Maieſtatem, & quomodo omnis ſpiritus laudet Dominũ, & omnia opera eius benedicant ei; atque æmulare. Conſidera Secundò, te conſtitutum, vt pro ſæcularibus, diſtractis, captiuis, infantibus periclitantibus de Baptiſmo, & omnibus de ſalute, Deum ores; quàm ſit proinde æquum, vt deuotè id facias. Cogita voces & lacrymas multorum ſuſpirantium in dirâ ſeruitute peccati, in æternæ damnationis periculis. Tertiò, quantum id deſideret Deus, cùm ſub peccato graui id præcipiat, & quàm proinde perperam priuatæ preces deuotè, publicæ diſtractè recitentur, cum has ritè perſolui infinities plus, vt ſic loquar, deſideret Dominus. Quid enim eſt, Domine Deus, te præcipere ſub peccato, vt loquar tibi; niſi dicere, Niſi mihi loquaris, eò quòd delector alloquio tuo, in æternũ non loquar tibi? O quàm debet conſideratio cor eius, qui te amat, accendere, qui te vix timet percellere. *Haccine vera*, vt ſup. p. 7.

Sacerdos pro omnibus orat.

Horas legi quantum deſideret Dominus.

l. 3. de. celeb. Miſſarum.

De hoc præcepto ſic loquitur Innocentius III. Stri-ctè præcipimus in virtute obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudioſè celebrent & deuotè. Quartò, conſidera, quanto poſſes fructu & gaudio Horas legere, ſi intellectui pſalmorum, quos Spiritus ſanctus dictauit, deuotè intenderes; vt eos, non tamquam à Prophetâ, vt Caſſiani verbis vtar, compoſitos. ſed velut à te editos, quaſi orationem propriam, profundâ cordis compunctione, depromeres; vel certè ad tuam perſonam æſtimares eos eſſe directos: quos viri ſancti magno affectu & fructu recitare ſoliti ſunt. O quàm diſplicet tibi, benigniſſime Deus, ea quæ inſpiraſti vt ijs poſtulare nos faceres gemitibus inenarrabilibus, recitari quandoque cum fabulis, & riſu, aut ſaltem vanis cogitationibus, id eſt ſordibus, & ſacratiſſima verba, quibus longè maior, quàm Sanctorum reliquijs, veneratio debetur, miſceri!

Caſſian. coll. 10. c. 10. Quomodo Sancti exemplo ſuo nos doceant.

Diſtractio Deo ingrata.

miſceri!

miſceri! Quàm Sanctis diſplicet ea, quibus ipſi Deum honorarunt, verba per te inhonorari; iiſque vanas ac turpes cogitationes ſubnaſci: vt fiat deteſtabile illud, Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me! Quintò, conſidera, Deum ad hoc tibi de ſuo patrimonio largiri alimenta, vt ritè id officium ſibi præſtes; & quàm turpe, in eo negligenter verſari! *Mandas mihi*, &c. vt infr. 137.

PVNCTVM II. Conſidera Primò, orationem canalem eſſe, quo ad nos Dei gratia deriuatur; & quam turpe, illam tibi fieri, per negligentiam, in peccatum, & gratiæ detrimentum. Secundò, eſſe ſacrificium, quod ſicut Eliæ, igne cæleſtus miſſo accēdi debeat, vt fiat illud Pſalmiſtæ: In meditatione mea exardeſcet ignis. Sed quemadmodum Abel optima quæq; offerebat, Cain deteriora; ita tempus & locum deteriora aliqui eligunt, commodiora vilibus rebus, ſtudijs & fabulis tribuunt. Tertiò, eſſe quaſi ſacrificiũ thymiamatis, quod ex ſuauiſſimis aromatibus conflatum: de quo Apoc. 5. dicitur, Angelos apparuiſſe, habentes phialas aureas plenas obdoramentorũ, quæ ſunt orationes Sanctorum. Quidquid ergo virtutis in nobis eſt, in oratione ſuccendi Deo debet, vt placeant verba noſtra in conſpectu ſummi principis. *Credo tibi*, vt ſu. p. 7.

Oratio canalis gratia, & ſacrificiũ.

Tempus aptum delige.

Sapiens ait: Aurum tuum & argentum confla, & verbis tuis facito ſtateram, & frænos ori tuo rectos: & attende ne fortè labaris in lingua, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem. Quomodo enim ſanabitur, qui orationem, qua omnia mala auertuntur, efficit ſua negligentia peccatum? Quam autem turpe, blaſphema, turpia, vana cum ſacris admittere. Hinc collige, quòd videantur huiuſmodi vna manu Deo ſupplicare, altera necem intentare: eſt enim diſpoſitio ad peccatum mortale, per quod crucifigitur filius Dei. Quanta autem attentione opus ſit, iam patet, quòd nihil ex his, quæ per hanc vitam coluntur, vt Nyſſenus, & in precio ſunt, orationi

Eccl. 28.

Quid faciat diſtractius ſuâ culpâ.

Orationis præſtantia.

Greg. Nyſſ. de or. Dom.

tioni præſtet. Tantam autem exigebat B.Antonius, vt dicat Caſſianus ex eius ore diuinam, cæleſtem, & pluſquam humanam ſententiam; Non eſt perfecta oratio, in quâ ſe monachus, vel hoc ipſum quod orat, intelligit.

Aug.in tra.de miſer. tom.10.

Quid enim eſt, ait Aug.oratione præclarius? quid vitæ noſtræ vtilius? quid animo dulcius? quid in totâ noſtrâ religione ſublimius? Quanta autem reuerentiâ te pſallere par eſt, qui pro omnibus, qui Deum inhonorant, & ignorant, venis vt adores & honores? O quantâ nos meritò verecundiâ affici debemus, quos pudet irreuerenter agere cum hominibus, & non cum Deo, Rege regum, etſi is ſub peccato mortali præcipiat, vt attendamus? Quid enim grauius eſt? quod ſignum manifeſtius, quàm Deum velle ſibi deuotè abs te pſalli mente, & non voce tantùm? Imò omnis oratio, ad hanc publicam perfectè faciendam, & vt voluntatem Dei faciamus, dirigenda eſt. *Hæccine vera*, vt ſup.pag.7.

Irreuerentia in oratione grauis.

In templo ſæpè orandum.

PVNCTVM III. Conſidera qualem ei locũ ac tempus deputare oporteat: quàm accommodum, ſi rei grauitas & vtilitas expendatur. Quod ſi in templo nequeamus (quid enim potius? quid magis Sanctis in votis, & in delicijs, quam accedere ad tabernaculũ fœderis, & iuxta illud habitare?) locum ſaltem quæramus pietati potiùs, quàm diſtractioni accommodum. Nunc quod ad tẽpus ſpectat, attende verba illa: Oportet ſemper orare, & non deficere. & rurſum: Sine intermiſſione orate. Quòd ſi ita eſt, quid eſt, quòd omnia tẽpus habere videantur, ſola oratio & meditatio, quæ omne tempus habere debet, nullum aliquando inueniat? Sanè pudere debet eos, qui ſolùm priuatim Horas legunt; ſi, cùm multis horis pſallant alij deuotè, ipſi curſim, breuî tempore, & diſtractè eas decurrant potiùs, quàm legant. Imò, quæ cærimonijs, & multorum in oratione conſociatione in choro conciliatur deuotio, compenſari in priuato deberet inſigni attentione. Nónne omne tempus vitæ ad orationem hîc deuotè faciendam, animumque in Deum

Lucæ 18. Tempus dandum orationi.

Nota qui Horas legit.

eri-

erigendum, & contemplationem in cælo perpetuam dirigitur? Conſidera, precor, cui rei propter vtilitatem & recreationem, tempus impendas; & aduerte omnes cauſas in lectione Horarum concurrere; auxilia omnia, & quaſuis gratias impetrari. Dicit enim Dominus: Petite, & dabitur vobis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit; & pulſanti aperietur. Oratio enim iuſti, clauis eſt cæli: aſcendit precatio, & deſcendit Dei miſeratio, vt ait Auguſtinus.

Oratio res maxima & eam tu minimè facis.

Matth. 7.

Aug. lib ſalut mon. cap. 28.

Oratio ante Horas Canonicas, diuiſa in partes ſeptem: quarum vnam ſingulis hebdomadis, aut diebus vſurpare potes, aut ſi mauis, cuique horæ ſuam præmittere.

Ad Matutinum.

MANDAS *mihi Rex Regum, vt pſallam tibi, pſallam ſpiritu, pſallam mente, pſallam ſapienter. Et nónne gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in Deo* JESV *meo? iucundum ſit, obſecro, tibi Domine* JESV *pauperis ſerui tui eloquium meum, & exultent labia mea cùm cantauero tibi, & anima mea quam redimiſti, ſed & lingua mea totâ die meditabitur iuſtitiam tuam; maledictum enim audio qui facit opus hoc tuum negligenter; & væ mihi ſi tacuero, ſi raptim, indeuotè dixero, ſi neglexero laudes tuas, cùm ſciam eſſe omnium negotiorum maximum, & æterna ſupplicia, niſi eas, vti debeo, perſoluero, comminatum eſſe. O charitas Deus meus; itáne tibi placet iubilatio noſtra? pſallam ergo tibi, Deo meo, cantabo tibi canticum nouum, & bene pſallam tibi in vociferatione de profundo cordis & affectus mei, & cãtabo Domino in vitâ meâ, pſallam tibi Deo meo amantiſſimo quàm diu ero.*

Ad primam.

Inuitas me Domine, & ad hoc me ſuſtentas & vocas, vt confitear tibi in cythara & in pſalterio decem chordarum pſallam tibi. At tu Domine, nónne Deus meus es tu, & bonorũ meorum non eges? Non eges, ô infinita bonitas, ſed infrenare vis os meum laude tuâ, vt benedicam nomini tuo in ſæculum ſæculi. Ideò anima mea exultabit in te Domine, & delecta-

bitur ſuper ſal tari ſuo, id eſt, te ſuauiſſime JESV *Et quomodo non delectabitur in te, in te pane Angelorum omne delectamentum in ſe habente? Quomodo omnia oſſa mea non dicent, Domine, quis ſimilis tibi? Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum: Illud enim habitatio tua & requies tua, vti ſpero, in ſæculũ ſæculi, & ego in te eſſe viuere & mori volo.*

Ad Tertiam. *Cæli enarrant gloriam tuã, Creator mi, & opera manuũ tuarum annuntiat firmamentum. Væ igitur mihi ſi tacuero. Væ mihi ſi loquar laudes tuas velut equus & mulus quibus non eſt intellectus. Si omnis ſpiritus laudet te & creatura, & confiteantur tibi omnia opera tua, Domine; Væ mihi ſi tacuero, qui ſic amaſti me, vt cantarem tibi: emiſti precio, vt glori-*

Pſal. 102. *-ficarem & portarem te in corpore meo. Hoc ſi hodie dederis mihi, quid vltrà addere poteris? Benedic igitur anima mea Dominum, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea Dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Ecce vt* JESVS *coronat te in miſericordiâ & miſerationibus. Ecce vt replet in bonis deſiderium tuum; & te pigebit verba pro tantis bonis illi reponere? Eia, bone* JESV, *renouetur, obſecro, vt aquilæ iuuentus mea, & aperi labia mea, vt annuntiem laudes tuas.*

Ad Sextã. Pſal. 22. *Venite exultemus Domino, ô anima mea, & iubilemus Deo ſalutari noſtro: Dominus enim regit me, & nihil mihi deerit; in loco paſcuæ ibi me collocauit. Ecce enim parauit in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me, & impinguauit in oleo caput meum, oleo miſericordiæ ſuæ & calix meus inebrians quàm præclarus eſt! Miſericordia tua Domine, ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, vt inhabitem in domo Domini in longitudinem dierum, vt habites in medio mei, & magnificet Dominus facere nobiſcum, & facti ſumus loquentes. Cantabo Domino, cantabo tibi Deus meus qui bona tribuiſti mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.*

Ad Nonam. *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus es mihi in ſalutem. Exultauit cor meum in Domino, & exaltatum eſt cor meum in Deo meo, dilatatum eſt os meum ſuper inimicos meos, quia lætatus ſum in ſalutari tuo. Benedictus es Domine*

ne Deus Iſrael ab æterno, & in æternum, tua eſt Domine 1.Par.29.
magnificentia, & potentia, & gloria atque victoria, & tibi laus. Cuncta enim quæ in cælo ſunt, & in terrâ, tua ſunt, Tuum Domine regnum, & tu ſuper omnes Principes. Tuæ diuitiæ, & tua eſt gloria, tu dominaris omnium. In manu tuâ virtus & potentia, in manu tuâ magnitudo & imperium, & dignum ducis ſuper me aperire oculos, & intendere aures ad deprecationem meam, & deſcendere in cor meum? Quid eſt Pſal.8.
homo quòd memor es eius, aut filius hominis quia viſitas eum? Cantate Domino, ô beati Spiritus, canticum nouum, qui mirabilia fecit.

Miſericordiarum tuarum Domine dirumpe petram, & Ad Veſperas.
fluant aquæ, & abeant in ſicco flumina lacrymarum mearũ, quia amarũ eſt mihi vehementer dereliquiſſe te omne bonum. Sed notum mihi cùm feceris ſalutare tuum, & tu bone IESV Contritionis actus.
non dedigneris meminiſſe mei, & venire toties ad me, ecce, viderunt omnes termini terræ meæ ſalutare tuum Deus meus, & ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Dixiſti enim, quidquid Actus ſpei.
petieris fiet vobis. Verêne? fallere nequis? Itaque ego vermis & non homo, de ſalute incertus in tot periculis, & inter tot hoſtes inermis, venio ſupplex vt diligenter, (maledictus enim qui ſecus facit opus tuum) ſummo affectu & amore te laudem, pro omni creaturâ tuâ. Ad hoc enim creatus ſum, viuo, & in æternum viuam tuâ gratiâ, ô Creator, Redemptor, & Vocator, & infinitis modis Benefactor mi. Vtinam te laudare queam ſicut te laudant Angeli tui in cælo, & in terrâ electi tui; inter quos frigidus adſto! ſicut faceret ereptus ab inferis: pro quibus, & omnibus maledicentibus tibi, & mutis creaturis laudare te deſidero; & pro ſatisfactione peccatorum meorum, & emendatione defectuum N. & commendatis mihi, & Eccleſiâ vniuerſâ. Deſidero ſoli tibi intendere, vitæ filij tui myſteriis, perfectionibus, beneficiis, & doloribus illius.

Adte leuaui oculos meos, qui habitas in cælis, reſpice quæſo Ad Completoriũ.
in me, & miſerere mei, vt exaltem te Deus meus, & benedicam nomini tuo in ſæculum ſæculi; ô omne bonum, & requies mea, ſuſcipe in vnione orationum, quas filius tuus

& ſancti

& Sancti tui ſuderunt laudem ex ore peccatoris. Admitte me intra ſacrarium exauditionis tuæ, intra chorum laudantium te, & collaudantium nomen tuum. Adſint, quæſo, mihi Angeli ſancti tui, vt pro me miſero, & mecum tibi pſallant, gratias agant pro omnibus donis tuis; vt pſallam ſapienter, pſallam ſpiritu, pſallam mente, vt vnum te cogitem, te amem: ceteraque curæ tuæ Maieſtatis relinquam. Pater benigniſſime: tu enim de me, velut vnico, & velut vniuerſo ſollicitus es: & ſcio; quia non obliuiſceris mei, quem in manibus tuis deſcribere dignatus es.

Praxis ad Horas bene recitandas.

Statue locum & tempus. *Vtere ſitu decenti.*

PRIMÒ, locus aptus quærendus, & tempus deſignandum. *Tu autem cùm orareris intra in cubiculum tuum*, & clauſo oſtio ora Patrem in abſcondito, ait Dominus. Quòd ſi id fieri nequit, ſaltem collige pauliſper animum, occupationibus diſtractum; deinde ſitu decenti vtere; varium imitari priuatim potes, qui publicè in Eccleſia ordinatur.

D. Thom. 2.2. q. 83. a. 13.

Variæ induſtræ à viris piis excogitatæ ſunt, vt animum in diuino ſeruitio collectum ſeruarent, ne, vt D. Thomas loquitur, Deum deridere viderentur. Triplex autem eſt attentio: ad verba, quæ neceſſaria; Secundò, ad ſenſum melior; Tertiò, ad perſonam, & rem quæ petitur, præſtantiſſima. Quidquid hîc dicetur, ad aliquam harum ordinatur. Ego pauca ſuggeram, non præſcribo. Unctio quemque docet; & Spiritus vbi vult ſpirat, & quomodo vult ſpirat: quem ſequi oportet. Qui enim Spiritu Dei aguntur, hi filij Dei ſunt. Tria autem ſunt quæ ad collectionem animi conferunt. Primum eſt, præparatio; Secundum, memoriæ & imaginationis ſtabilitas; Tertium, poſt Horas recollectio.

Attentio triplex. *Nota ſuggeri non præſcribi.*

Præparatio Commentarius in Pſalmos legendus.

Ad præparationem valet; Primò; legiſſe pium aliquem in Pſalmos commentarium, qualis certè eſt Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini. Plus tamen de iiſdem meditationem ſenſuum inſtituiſſe. Secundò valet meditatio matutina, & cùm Deo communicatio perpetua. Semper enim, maximè Sacerdotes, oportet orare, & non deficere, atque animum collectum ſeruare. Mirum certè eſt, quot ex affectu orationis matutinæ ſenſus pij in pſalmorum recitatione à Spiritu ſancto, vt venæ aliquæ auri ſuggerantur. Tertia eſt, & magis propinqua; Primò, conſcientiam excutere, & contritionem excitare. Non eſt enim ſpecioſa laus in ore peccatoris. Secundò, omnia negotia ſeponere, & de iis cogitationem velle excludere, Deo omnia tribuendo;

Præparatio propinqua ante lectionem.

Tertiò,

Tertiò, locum, ſitum, tempus definire. Si enim locuturi cũ homine, quid, & quomodo attendimus; quanto magis cauſam coram Deo noſtram acturi?

In ipſa lectione tria item fac: Primò, memoriã præſentiæ Dei, & Chriſti Domini in Vener. Sacramento exerce. Secundò, vti in meditatione dictum eſt, compoſitionẽ loci fac, vel vnam, vel ad pſalmos ſingulos. Tertiò, pete gratiam aliquam ſingularem, vel in ſingulis pſalmis, vti exponetur, vel vniuerſis. *In lectione quid facto opus.*

Nota, quòd dicitur præſentiam Dei primò excitandã, in ſingulis pſalmis renovari poſſe, idque valdè expedire, omninò enim oratio, vix eſt oratio, abſq; eâ, ſive cum Deo colloquiũ, quis enim abſenti loquitur? Secundò, quod verò ad compoſitionẽ loci, quâ & memoria & Imaginatio alligatur, attinet: Nota, eã variis modis fieri, vt ex iis, quæ de meditatione myſteriorũ (eadem enim ratio eſt) dicta, conſtare poteſt. Myſteria, quæ reſpondẽt ſeptẽ horis, ſunt: pro Matutino & Laudibus, geſta in horto vſq; ad domũ Caiphæ; Primâ, nox in domo Caiphæ, & prima condemnatio; Tertiâ, flagellatio, & coronatio; Sextâ, condemnatio, & baiulatio crucis; Nonâ, exaltatio in crucẽ; Veſperis, depoſitio; Completorio, ſepultura. Hæc autẽ ante eas breviter, iã antè meditata; (neq; enim tunc meditandũ eſt, ſed quaſi in contemplatione, ac Dei præſentiâ orandum) recolantur; & Chriſto Domino præſenti, cum variis affectibus, compunctionis, contritionis, gratiarũ actionis, admirationis, compaſſionis, gaudii, ſpei, amoris, recitẽtur Non enim applicari omnia poſſunt, ſed recitari Domino IESV præſenti, qui cum ſanctâ Catharinâ Senenſi etiã Horas aliquando recitare dignatus eſt. Hoc verò ſpectat ad tertiã intentionem. Huc pertinet, quòd aliqui coram Deo, cum aliquo Sanctorum choro recitant Horas, aut etiã pſalmos, ſuumque affectum & vocẽ coniungunt. Hi numerari decem poſſunt. B. Virgo enim vnum per ſe facit; Secundum, Angeli; Tertiũ, Patriarchæ; Quartum, Prophetæ; Quintũ, Apoſtoli; Sextũ, Evangeliſtæ; Septimum, Martyres; Octauum, Pontifices & Confeſſores; Nonum, Sacerdotes & Leuitæ; Decimum, Virgines & Viduæ. Alii ex charitate per ſeptẽ Horas, pro ſeptem ſtatibus Eccleſiæ orant. hi ſunt: Primus, Prælati & Clerus; Secundus, Principes; Tertius, Religioſi; Quartus, Doctores; Quintus, ſæculares, cælibes, coniugati; Sextus, pueri & infantes; Septimus, defuncti, vt Deus omniũ miſereatur, omniũ pericula auertere dignetur. Alij ſic dividunt, vt orẽt. Primò, pro Eccleſiâ vniuersâ; Secũdò, pro Superioribus;

Præſentia Dei memoriam habe.

Myſteria quæ horis reſpondent.

Affectus varij Thomæ Camp de diſc. clauſt. c. is

Cum Sanctorum aliquo legere potes, aut etiam choro eorum.

In 7. horis pro 7. Statibus orare.

rioribus; Tertiò, pro ſubditis, aut commendatis; Quartò, pro benefactoribus; Quintò, pro aduerſarijs; Sextò, pro conuerſione infidelium ad fidem; & peccatorum, ad pœnitentiam; Septimò, pro defunctis: & hoc, quaſi corã Chriſto crucifixo, cuius corpus eſt Eccleſia; in cuius capite, Superiores; dextera, ſubditos; ſiniſtra, benefactores: in corde, aduerſarios, & amicos: in dextro pede, peccatores; in ſiniſtro, defunctos locant. Atq; ita ſalutantur etiam membra Chriſti Domini. Alii pro ſe ſeptem virtutes, capitalibus peccatis contrarias, per ſeptem Horas petunt. Poterit etiam quis capita illa meditationis, ſuprà poſita, applicare, & imagines libro inſerere, iiſque ſe excitare.

Quomodo Chriſto crucifixo hîc vtèris eumque adorabis.

Virtutes 7. exercere potes & flagitare.

Verùm quò anima magis ad vnum tendit Deum, vtilius eſt, & oratio ea ſublimior, quâ aliqui, quaſi in vnitiua ſeſe exercent; & Sanctiſſimæ Trinitati, ac tribus perſonis eiuſdem, ſingulos pſalmos offerunt; ſecundæ tamen perſonæ, cùm geminas habeat naturas, geminos etiam pſalmos. Huc ſpectat, Primò Horas ſingulas in gratiarum actionem Deo offerre, pro ſeptem beneficiis præcipuis: Matutinum, pro creatione; Laudes, redemptione; Primam vocatione; Tertiam, iuſtificatione; Sextam, conſeruatione; Nonam, glorificatione; Veſperas, & Completorium, pro Ven. Euchariſtiæ inſtitutione. Secundò, perfectiones diuinarum laudum, per Horas diuidere: vt in Matutino & Laudibus, potentia; Prima, ſapientia; Tertia, bonitas; Sexta, iuſtitia; Nona, prouidentia; Veſperis, amor; Completorio, liberalitas extollatur. Tertiò, conſiderare præſentem Deum, per eſſentiam, præſentiam & potentiam; Primò, in inferno; Secundò, in terra; Tertiò, aqua; Quartò, hominibus; Quintò, nobis ipſis; Sextò, aëre; Septimò, igne; Octauò, cælo; Nonò aſtris; Decimò, Angelis & Beatis.

Alia praxis circa SS. Trinitatem.

Conſideratio de 7. beneficijs.

Conſideratio de 7. perfectionibus Dei.

Conſideratio præſentiæ Dei.

Hos modos paucis, vt breuior ſim, vniuerſim ſuggero, ut vnum ex ſuperioribus conflatum. Hoc verò eſt: Primò, conſcientia excuſſa cum contritione, in præſentia Dei tui te conſtitue; Secundò, inſuper finge, ſi libet, Chriſtum Dominum myſterium aliquod coram te gerere, cui ſic præſenti aut Horam, aut pſalmum recita; Tertiò gratiam ab eo breuiſſimè ad orandum pete oratiunculâ ſequenti: *Credo, ô Maieſtas infinita, te in corde meo, & vbique præſentem, & in te ſpero, & confido petita N. obtinere. Omnia tibi committo; & diligo te ex toto corde meo & deſiderio: pro innumeris beneficiis tuis, & peccatis meis quæ deteſtor, & quia digniſſimus es, offero hoc ſacrificium, vltimum fortè, coram curia tua. Da mihi gratiam ad hoc vocato, & ſuſcipe me in vnione meritorum filij tui, & omnia*

Praxis ex varijs conflata.

& omnia mea, & hoc quoque propoſitum. Amen. Quarto, recita *Pater*, & ſi libet, ſeptem intentiones, ſeptem petitionibus renoua, per B. Virginem, dicendo *Aue Maria*, gratiam pete, teque offer; & deinde ad *Gloria Patri*, &c gratias age, & intentionem rectam exerce. Initio vero alterius Pſalmi, mente dicito: *Ex te, & in te, & pro te ſunt omnia.* Pro præſentia Dei, & amoris actu, ſi lubet, & affectus ſuggerit, adde mente epitheton ad vocem *Deus*, in aliis attende ad verba Pſalmorum. Myſteria autem Pſalmis attributa, habe. Dominica, recita coram Domino, Primò lauante pedes; Secundò, Sanctiſſimam Euchariſtiam inſtituente; Tertiò, orante in horto; Quartò, in agonia poſito; Quintò, capto; Sextò, accuſato apud Annam; Septimò, apud Caipham; Octauò, illuſo ibidem; Nonò, accuſato apud Pilatum; Decimò, ſpreto ab Herode; Undecimò, Barabbæ poſthabito; Duodecimò, flagellato; Decimotertiò, coronato; Decimoquartò, populo oſtenſo; Decimoquintò, crucem amplexanti; Decimoſextò, eam bajulanti; Decimoſeptimò, crucifixo; Decimooctauò, eleuato in crucem. Feriato die, Primò, orante in horto; Secundò, accuſato apud Annam; Tertiò, apud Caipham; Quartò, illuſo; Quintò, accuſato apud Pilatum. Sextò, ab Herode ſpreto; Septimò, Barabbæ poſtpoſito; Octauò, flagellato, Nonò, coronato; Decimò, populo propoſito; Undecimò, baiulante crucem; Duodecimò, crucifixo. Feſtis diebus; Primò, orante in horto; Secundò, accuſato apud Annam: Tertiò, apud Caipham; Quartò, apud Pilatum; Quintò, illuſo ab Herode; Sextò, flagellato; Septimò, coronato; Octauò, baiulante crucem; Nonò, crucifixo. Ad Primam, Primum Pſalmum recita Chriſto apparenti Matri; Secundum, Magdalenæ, & Tertium, tribus Mariis, hanc priuſquam incipias, actiones diei percurre, & in confeſſione contritionem excita. Secundò, ante *Pretioſa*, Sanctorum memoriam recole. Ad *Deus in adiutorium*, à Deo Patre potentiam, à Filio ſapientiam, à Spiritu ſancto voluntatem pete faciendi præcepta illius. Ad orationem, actiones omnes offer. Ad Tertiam, Primum, Petro apparenti; Secundum, in Emaus; Tertium, omnibus ſe oſtendenti; Ad Sextam, Primum, Thomæ; Secundum, piſcantibus, Tertium, in Thabor ſe manifeſtanti. Ad Nonam, Primum, in menſa; Secundum, in monte oliuarum; Tertium, B. Paulo. Ad Veſperas, Primum, nato; Secundum, circumciſo; Tertium, apparenti Magis; Quartum, præſentato; Quintum, fugienti in Ægyptum: Sextum, *Magnificat*, inuento in templo

templo. Ad Completorium, diſponere te quaſi ad mortem per confeſſionem, & contritionem. Primum pſalmum recita, vt in lecto mortis; Secundùm, vt in articulo; Tertiùm, vt in via ad iudicium; Quartùm, vt ingreſſus in cælum, eoque aſpira, & ex illo affectu dic : *Nunc dimittis*, &c. *Oratio pro Execut.* vt ſuprà pag. 10.

Nota ſequendum ductum Spiritus ſancti, neque anxiè, neque remiſsè, neque omnibus vtendum, ſed alicui inſiſtendum.

Oratio poſt horas.

Pſal. 140. *DIrigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, ô Rex regum potentiſſime, ſapientiſſime, optime; & errores & euagationes ignoſcat clementia tua: & ſuſcipe eam in vnione omnium orationum Chriſti Domini, & Sanctorum in cælo & in terrâ; ex omni affectu triumphantis & militantis Eccleſiæ, ad gloriam tuam, & laudem B. Virginis, & Sanctorum omnium, & eorum, quos hodie colendos ſuſcepi, ad memoriam paſſionis, gratiarum actionẽ pro omnibus beneficiis tuis, ad ſalutem omnium qui ſe mihi commendarunt, in ſatisfactionem pro peccatis, & gratiâ tuâ impetrandâ, & hâc virtute N. & concede, vt ſicut ſemper laus tua eſt in ore noſtro, ita etiã in opere te prædicemus, modeſtiâ, zelo, deuotionẽ, reſignatione, obedientiâ, & patientiâ noſtrâ, vt omnes te ament & glorificent. Amen.*

Leo X. conceſſit recitanti poſt officium ſequentem orationem, remiſſionem omnium negligentiarum admiſſarum in recitatione officij :

Sacroſanctæ ac indiuiduæ Trinitati, crucifixi IESV *Chriſti Domini noſtri humanitati, & beatiſſimæ & glorioſiſſimæ Virginis Mariæ fecunditati, & integritati, ac omnium Sanctorum Sanctarumque vniuerſitati, ſit ſempiterna laus, honor, virtus & gloria, ab omni creaturâ, nobiſque remiſſio omnium peccatorum, nunc & ſemper, & per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.*

Beata viſcera Mariæ Virginis, quæ portauerunt æterni Patris Filium: & beata vbera, quæ lactauerunt Chriſtum Dominum. Pater noſter. Aue Maria. Diuinum auxilium maneat ſemper nobiſcum. Amen. Suſcipe clementiſſime Deus, &c.

CAPVT

CAPVT XIII.

Regula breuis & ſemita ad finem, ad perfectionem, & vitam verè beatam in quolibet vitæ ſtatu.

O Viator, memento, memento ad æternitatem te tẽdere omnino longiſſimam, viâ tamen breuiſſimâ vitę huius. Hora enim & momentum eſt vita noſtra. Vis viam ſcire? via mandata ſunt verè facilia; hoc enim veritas dixit. Tune dubitas? nefas eſt. Vita eſt, & in quâ currere poſſis cum eo, qui dicebat: Viam mandatorum tuorum cucurri. Times ne non poſſis decurrere? Omnia potes in eo, qui te confortat. Attende, obſecro, & memento, mi frater, liberi ſumus: nemo, nemo niſi volentes ſeducere poteſt; nemo tentando te, niſi velis, ſuperare. Fidelis enim Deus non patietur te tentari ſupra id quod potes. Credis? ergo metum pone, & in Domino IESV murum tranſgredere. Sed forſitan ſemitam quæris? En tibi, ô frater, à Domino & mihi monſtratam. Breuis eſt & facilis, ſi amemus ſalutem, & Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM. Iuua me viciſſim precibus, nam frater qui adiuuatur à fratre, erit quaſi ciuitas firma: Et ſcriptum memini: Væ ſoli, quia cùm ceciderit, non habebit ſubleuantem ſe. Ambulemus ergo pariter, ſequamur IESVM & veſtigia eius. *Pſal.* 118.

1. Quotidie manè experrectus mox velut viator oculos ad Deum & cælum conuerte: & quandoquidem tibi eundum eſt, ſtatue paſſus omnes, id eſt, cogitationes, verba & opera ad maiorem Dei gloriam ex ſummo amore dirigere: idque firmiter, vt mori potiùs malis quàm Deum patrem amantiſſimum offendere. In decurſu diei hûc reflecte, an actiones eò te ducant; an cum Deo, & coram eo ambules, & ſi in re aliquâ dubites, dic: Oſtende mihi viam, in quâ ambulem, quia ad te leuaui *Quid manè faciendum.* *Intentio recta.* *Pſal.* 142.

A paſſu tua pendet æternitas.

leuaui animam meam. Attende,ô frater;quanta ſit dementia te paſſum figere,& neſcire in quo loco,an in vitâ an in morte ſempiternâ,ab vno enim paſſu omni horâ & momento tua pendet infinita & interminabilis æternitas.*Credo tibi*,vt ſup pag.7.

Angelus cuſtos dux noſter.

2.Duces tibi à Deo datos ſequere.Hi ſūt 1.Angelus tuus cuſtos, eum in omnibus conſule , eoque vtere familiariſſimè ; ſæpè roga de viâ,eique omnia tua committe & commenda.Deinde roga ſuperiores,eiſque pare,vti Deo,qui enim illos audit,eum audit. Adijce his monitorem virum probum,quem maturè delige;& obſerua.*Credo tibi &c.* vt ſup.pag.7.

Item ſuperiores. Lucæ 10. Item Monitor.

Qualiter in occurſu creaturarū quis ſe gerere debeat.

Deus in omnibus operatur pro te.

3. Occurrent tibi in viâ creaturæ Dei,& opera eius, ex his omnibus vtilitatem capies , ſi omnia propter te velut ſolum facta, & ſalutem tuam, arbitreris,Deum in omnibus pro te operari,& ita tibi in omnibus præſentem eſſe,quaſi tu ſolus cum Deo in orbe eſſes:& de bonis ſemper Deum lauda , eique tribue ; quia creaturæ eius ſunt famuli,hæcque iuſſu eius tibi præſtant.Si autem à viâ rectâ te ſeducerent , vt ſunt pulcra , curioſa, ſuauia , &c. ſeductores agnoſce , Cogita certò æterna bona perdenda ,aut hæc abnegenda eſſe tibi. Aduerte te hæc ſatiare, aut replere non poſſe , & contemne vt laqueum & venenatum poculum , de quo dicere liceat, Mors in olla. Quis ſapiens vas pertuſum, aut tale quod quo plus coneris implere, minùs impleatur , id tamen implere conabitur? Nónne autem certum eſt,vt Poëta, quòd tantum creſcat amor nummi & aliarum rerum, quantum ipſe? neque ſatiari vllo pacto cor hominis aut impleri poſſit! *Hæccine vera*,vt ſup.pag.7.

Creaturæ abnegandæ,quia in ijs mors. 4.Reg.4. Cor hominis fruſtra implere quis conatur.

In aduerſis quid faciēdum. Attende ad Christi paſſionem.

4. Occurrent mala & aduerſa , morbi, egeſtas, &c. Omnia tribue Deo, deque eius manu paterna & medica accipe , illiuſque prouidentiæ te & illa committe: cumque oportuerit Chriſtum pati,& ita intrare in gloriam ſuam , te & tua mala cum eo , eiuſque doloribus compara , & tolle crucem tuam , & ſequere eum. Pa-

cem

tem autem animæ ante omnia ſerua, vt arcem tutiſſimam, & fiduciam in Deo eiuſque prouidentiâ loca, quicquid accidat, ei tribue; de futuris nihil inquiras ampliùs: Ipſe regit nos, & omnia nouit, & poteſt. Illi omnia viuunt, & propter eum ſunt, ideoque ei committe vniuerſa. *Credo tibi, &c.* vt ſup. pag. 7. *Reſignare.*

5. Occurrent etiam homines ſerui Dei, filij eius, membra CHRISTI IESV: ſícne huic per illos petenti negare poteris ſtipem, quibus etiam debes vitam? Itaque ſincerè proximos ama, de illorum bonis tibi gratulare, & malis compatere. Ama verò maximè aduerſarios vt Chriſti membra, eiuſq; famulos, & caue vel minimam auerſionem vel amaritudinem, aut deſpectum ſuborientem admittere; ſed hunc excitato actu amoris exclude. Caue aliquem iudices, aut ſeuerè corripias, vel vlli te præferas: nam in quo tu alium ſuperbè iudicas, in eo te condemnas; eadem enim ſi bene te inſpicias facis, quę iudicas. Si tibi homines aliquod bonum præſtent, ſcias à Deo miſſos ac iuſtos; ſi malum, ſimiliter: vel ſaltem decreuiſſe ex æterno Sapientiæ dictamine permittere; & ſi corrigere hos nequis, Deo committe. *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Eleëmoſyna Chriſto danda.

Proximum ama.

Inimicum dilige.

Neminem iudica.

Mala accipe de manu Domini

6. Ex his Sodales probos & bonos delige, non ſeductores, non peſtiferos, non hoſtes Dei, quibuſcum comprehenſus vnâ plectaris, ſed qui portare onera tua viciſſim velint, te alere in viâ, præſidio tibi & ſubſidio eſſe. Caue autem vlli te præferas ob vllam gratiam, aliàs enim eam perdes. Et neſcis amore an odio Dei ſis dignus, neque quicquam à te habes aut tuum. Caue vlli placere deſideres niſi ſecundùm Deum. Eſtne enim operę precium diſplicere Deo vt homini placeas? caue cum vllo contentiones ſuſcipere, ſed ſi quis angariauerit te ad mille paſſus, vade cum illo alia duo, & eſto conſentiens aduerſario tuo in via, ne rapiaris ad iudicem. *Credo tibi, &c.* vt ſup. pag. 7.

Amici quales diligendi.

Vanam gloriam vita. Eccleſ. 9.

Noli gratiam hominum quærere vanè.

Contentiones vita. Matth. 5.

7. Si lapſus fueris in viâ, mox contritione reſurge, & amo- *Lapſus reſurge.*

& amore in Deum, & cura per confeſſionem hebdomadariam vulnera tua, & vires per communionem repara; hauſtus animæ ſitientis erit frequens oratio, & B. Virginis inuocatio, quæ eſt quaſi reſpiratio iuxta illud : Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. Nulla etiã dies abeat, quin lectionem libri ſpiritualis vſurpes, & meditationem, ſi potes. *Credo tibi*, &c. vt ſup. pag. 7.

Ora crebrò & B. V. cole.
Pſal. 118.
Lectio pia commendatur.

8. Linguam, oculos, atque aures diligentiſſimâ cuſtodiâ obſerua: qui in linguâ non offendit, hic perfectus eſt vir: & quantumcumque quis religioſam vitam agat, ſi non refrænet linguam ſuam, huius vana eſt religio: verax, igitur, & ſincerus, & amabilis omnibus eſto. Qui alius eſt, & politicus, ſe decipit, & confundetur à veritate: qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Cuſtodi ſenſus tuos.
Iacob. 3.
Iacob. 1.
Prou. 10.

9. Quotidie ſaltẽ ſemel veſperi vide, vti iã moriturus, quantùm viæ confeceris, & conſcientiam diſcute, & cõfitere vt minimùm ſemel in hebdomadâ, & ſtatue deuia vitare & præcipitia, ſeu prauas inclinationes; quas quotidie mortificare etiam in paruis ſtude, maximè curioſitatem, gulam, & arrogantiam, iram, ac triſtitiam: qui enim non odit animam ſuam mortificando eam, non poteſt eſſe Chriſti diſcipulus. Nihili facias, ſi quâ tibi hoſtis eunti acclamat, inſuſurret anxia, obſcœna; contemne, vt latrantem canem, neque peccatum arbitrare, quamdiu tibi diſplicere ſenſeris, *Credo tibi*, pag. 7.

Examen conſcientiæ inſtitue.
Mortificationẽ ama.
Contemnẽdæ hoſtis tentationes.

10. Saltem ſemel in hebdomada deuotè abſque ſingularitate communica. Viaticum enim eſt hoc Sacramentum, æternæ gloriæ pignus, reparatio virium, panis confortans cor hominis, ſolatium viæ, præmium patriæ. Ad hoc confugias velut ad tabernaculum in dubijs, arcem refugij in malis, vt ceruus ad fontem, famelicus ad menſam, quam parauit IESVS multo labore, condiuit ſuo ſanguine, coxit ſinceriſſimo amore. Sed ſuper omnia, quod ſatis commendare nequeo, ex omnibus creatis, amoris in creatorem collige faculas, & ad illum adſpira, eiuſque

Communionẽ frequenta.
Adi crebrò Venerabile Sacramentum.
Communica cũ Deo eiq; te reſigna.

eiuſque ſanctiſſimæ voluntati, tuam toto corde, in omni re conforma, ita vt nihil in hoc mundo petas, præterquam vt in omnibus fiat eius ſanctiſſima voluntas.

Regula eadem in Orationem redacta.

1. *DEVS meus, fons omnis boni, te diligo ex toto corde meo, quia creaſti me ad te, vt ſeruiam, totoq́ corde adhæream tibi. Obſecro te, bone* IESV, *dirige greſſus meos in ſemitis tuis, vt hodie cogitationibus omnibus* N. *verbis* N. *& operibus* N *ſemper ad te tendam, & tandem aliquando, ò vnicum meum deſiderium! perueniam.* Actus Amoris. Intentionis rectæ.

2. *Trahe me poſt te, vt ſequar te, & Angelum quem ducem huius viæ dediſti: & ſuperiores, de quibus dixiſti; Qui vos audit, me audit. Ita facere ſtatuo. Neque enim ſapientior aut melior te ſum amantiſſime* IESV. Obedientiæ. Luc. 10.

3. *Si quæ autem creaturæ hodie* N. *per portas ſenſuũ meorum occurrent mihi, fac quæſo vt videam à te miſſas, & iuſſas mihi benefacere, ac proinde non illis, ſed tibi tribuã omne bonũ, neq́ amẽ illas, niſi propter te: Et quid quæſo poſſum extra te amare, aut quærere? nónne certo ſcio, quòd tu ſis abyſſus bonorũ, & ex te omnia manent? verùm ſi ſeducere cor meũ, & inclinare ad ſe conentur, adiuua me vt velut laqueũ, venenum, mortẽ, & infernũ omne creatum abominer, quod eſt ſine te. Scio, non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu, imò quo quis eos magis ſaturare conatur, magis inſaturabiles fiunt.* Amoris Dei. Contemptus creaturæ. Eccleſ. 1.

4. *Si mala occurrant; à te prudentiſſimè & ſummo amore miſſa, vel permiſſa amplectar, & agnoſcam ego ſeruus tuus crucem meam, & laudabo ſanctiſſimam prouidentiam & voluntatem tuam.* Reſignationis.

5. *Homines verò vitæ comites, & maximè aduerſarios diligã, ita enim mandas, & diligo propter te, neq́ vlli me ob dona tua præferam, ne perdã hæc ipſa, aut præferri volã: cùm nihil enim habeam meum, nihil poßim ſine te, nihil tribuere mihi, nihil volo deferri, aut tribui, nec poſſum neq́ verè omnium minimus alium iudicare præſumere cupio: neſcio enim, an ipſe eheu! amore, an odio dignus ſim; & ſcio vnumquemq́ tantum eſſe, quantus eſt in oculis tuis, benigniſſime* IESV. Amoris proximi. Contemptus ſui & humilitatis. Eccleſ. 9.

Pax cum omnibus ſeruanda.

6. *Ex his autẽ da mihi quæſo ſodales bonos, non peſtiferos moribus, detractionis venena ſpargentes; nõ ſeductores, & vt cum omnibus pacem habeã: quia, ô requies mea, in pace factus eſt locus tuus, & deſidero in pace te hodie, ô Princeps pacis, ſuſcipere amantiſſimè & arctiſſimè complecti. Ita enim miſero mihi mandas ex infinitâ charitate tuâ.*

Contritio ſtatim poſt peccatum excitanda

7. *Si lapſus in viâ fuero, nónne, ô ſpes mea, opera manuum tuarum porriges dexteram? & ego per contritionem & amorem ilico erigam me ad te, ne vel momento ſeparer à te, & forſitan æternùm.*

Senſuum cuſtodia.

8. *Portas ſenſuum meorũ ac linguam ita cuſtodi, ô Cuſtos hominum, ô* IESV, *ô* IESV, *ne quis eas intret, niſi miſſus à te, aut propter te admiſſus nuntius de terrâ longinquâ, terrâ viuentium, de te Pater mi, Rex Regum, & Domine dominantiũ, nónne enim omnia loquuntur mihi, ſi rectè videam & audiã de te magnalia tua? & quanta præparaueris mihi? & vanitatem ac miſeriam meam annuntiant mihi, & te eſſe vnicum, & omne bonum meum?*

Quomodo creaturæ conſiderandæ.

Examen frequentandum.

9. *Deniq; da per examen quotidie aliquoties explorare, an tendam, an pergam ad te omne bonum meum ad quod ſuſpiro, creſcam in amore tui ad quẽ anhelo, an in odio mei & mortificatione ſenſuũ, & voluntatis meæ? Hoc enim ſacrificium & holocauſtũ odoris ſuauiſſimi expectas à me, & ego te vnum die ac nocte expectans expecto, vt iubeas me venire ad te, & venias ad me, & reficias laſſũ de viâ, tu qui laſſo es requies, æſtuanti amore eius quod nõ ſatiat, tu ſis mihi temperies; & dolenti de exilio hoc ſuauiſſimũ ſolatiũ. Da mihi obſecro cani mortuo, & prodigo, vt reuerſus ad te comedã panem tuum, & vinum, quod cũ melle miſcuiſti nobis in Venerabili Euchariſtiâ, vt inebrier amore tuo, & viuam, & moriar in te ô vita mea, Deus meus & omnia. O quando erit hoc, vt recorderis mei? quando calicẽ ſalutaris accipiam? quando vita mea abſcondita erit in te? quando tecum vnus ero, & viuam in te? & loquentur mihi omnia creata amorẽ tuum, & magnalia tua, imò verò quando tacebunt omnia in conſpectu tuo, & ſolus loquêris mihi? O vita mea quando moriar pro te? quando orieris mihi dies, qui neſcit*

Præparatio ad Communionem.

neſcit occaſum: quando illuceſces mihi, lux æterna, quando intrabo in gaudium Domini mei? Non vt gaudeã de bonis tuis, ſed de te & propter te, qui es omne bonum, & diligam te toto corde, & animâ meâ.

Diarium breue conflatum ex ſacris Litteris.

MEMENTO, mi frater, breuem eſſe viã & vitã, quã agis. Propoſitum præmium æternum & brauiũ. Quid autem poſtulat pro eo à te Deus? vt ſaluus eſſe velis. Si enim volueris, gratiâ eius poteris, & mandata ſeruare, quicquid mundus, quicquid caro oblectetur; Illa enim ſuauia ſunt, & facilia valde. Dic enim, obſecro, difficile eſt amare omne bonum? & non maledicere, non peierare? Feſtis & Dominicis Miſſam audire? parentibus obedire, non occidere, non mœchari, non furari, nullum calumniari? hæc via nónne facilis, & ſuaue iugum, & onus leue? Si velis, ſemitam, vt ſic loquar, etiam addo, ſi libet, vtere.

Præſentia certè Dei vna ſufficit in actionibus noſtris, maximè ſi Iaculatoria illa; *Ex te & in te*, &c. quæ ſubijcietur, cum ſigno crucis, & pietatis ſenſu repetatur: tamen varietatis causâ hæc habe:

Mane dum ſurgis, dic, facto ſigno crucis;

Anima mea deſiderauit te in nocte, ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus & omnia. Credo tibi Domine mi, & in te ſpero, ac toto corde te diligo.

Nota, Iaculatoriam illam, *Ex te, & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus & omnia*, continere Primò ſui humiliationẽ; quia ex Deo omnia eſſe fatemur; Secundò, per *in te*, memoriam præſentiæ eius; Tertiò, per *pro te*, puram intentionem, & amoris Dei actum per illa verba, *Credo tibi Domine mi*, &c. actus fidei, & ſpei, & caritatis diſertè exprimuntur.

Hæc ſubijci omnibus Iaculatoriis poteſt, aut loco illarum vſurpari.

Oratio item alia eſſe poterit:

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, quã multipliciter tibi caro mea. In terrâ deſertâ, inuia, & inaquoſâ, ſic in ſancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam. Pſal. 62.

Poſt hæc primò, gratias age; Secundò, peccata deteſtare & vitare propone; Tertiò actiones offer ad gloriam Dei: & dic, *Pater noſter, Aue, Credo.*

Dũ meditationis tempus eſt, vel piæ lectionis; ſigno crucis te ſigna, & dic:

Magiſter adeſt, vocat te. Dominus aperuit mihi aurẽ; ego autẽ Ioan. 11. Iſaiæ 50.

 non

non contradico ſermonibus Sancti. & hoc ipſo offer te ad facienda quæ leges. *Ex te enim*, &c. vt ſuprà. Item *Credo tibi Domine*, &c.

Dum vadis ad Sacrum, rem omnium maximam:

Exod. 3. Cogita te ire ad montem Caluariæ, & dic: *Vadam & videbo viſionem hanc magnam: ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus & omnia. Credo tibi Domine*, &c.

Hic primò in Sacro peccata recogita, contritionem excita, & propoſitum renoua bonæ vitæ.

Secundò, quæ tibi facienda illo die; ſingula Deo offer.

Tertiò, in cõmunione ſacerdotis ſpiritualiter cõmunica.

Cùm à Superiore vocaris:

Ioan. 14. *Sed vt cognoſcat mundus, quia diligo te Patrem meum. Surgite, eamus hinc.* Illum vt Deum audi & alloquere.
Matth. 26

Dum cubiculum ingrederis:

Cant. 8. *Quis mihi tribuat vt inueniam ſolùm? Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus & omnia.*

Dum pulſatur ad oſtium, actum amoris in Deum & proximum elice, & dic:

Intra Domine in animam ſerui tui, & proximum vt Chriſtum ſuſcipe.

Dum ad exhortationem audiendam te paras:

1. Reg. 3. *Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Sicut oculi ancillæ*
Pſal. 122. *in manibus dominæ ſuæ; ita oculi noſtri ad te, Domine Deus meus.*

Dum faciendum aliquid, intentionem purifica:

Pſal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum: dico opera mea regi. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Ex te*, &c.

Nota, calamum nec per ſe, nec ſine atramento ſcribere; ita nec nos ſine Deo quidquam facere poſſe, ſed in Domino, qui nos confortat.

Dum cum proximo conuerſandum, vt eum Domino lucreris, dic:

Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad te, niſi tu traxeris eum. Trahe nos poſt*
Cant. 1. *te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

Dum Superiorem adis, in illo Deum tibi propone:

Luc. 10. *Qui vos audit, me audit. Loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Ex te enim*, &c.
1. Reg. 3.

Dum comedis, agnoſce largitorem, & gratus dicito:

Pſal. 70. *Deus, qui paſcis me à iuuentute meâ, vſq; in ſenectam, & ſeniũ ne derelinquas me. Aperis tu manum tuam, & imples omne ani-*
Pſal. 144. *mal benedictione: ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.*

Dum bibis, amoris actum excita.

Pſal. 41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. Venite, & bibite*
Prou. 9. *vinum, quod miſcui vobis. Qui biberit ex hâc aquâ, non ſitiet in*
Ioan. 4. *æternum. Ex te enim*, &c.

Dum

Dum ſtudes, cùm nihil ſcire iuuet, niſi Deum, eiuſque voluntatem, dic:

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Pſal. 142.

Dum ludis:

Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, Deus meus, in principio lætitiæ meæ. Ex te enim, &c. Pſal. 136.

Dum ambulas:

Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcendero in infernũ, ades. Pſal. 138.
Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, &c. Pſal 15.

Dum pulcra vides:

Ecce tu pulcer es, dilecte mi. Ex te enim, &c. Cant. 2.

Dum bona fieri conſpicis:

Ex te, Domine, & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus, & omnia. Credo tibi Domine, &c.

Dum eleëmoſynam facis:

Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ex te, &c. Matth. 15

Dum mala audis, & vides:

Non eſt malum in ciuitate, quod non fecit Dominus. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio noſtra. Ex te enim, &c. Amos 3. 1. Theſſ. 4

Dum aliquid pateris:

Dominus mortificat, & viuificat. Si bona de manu Domini accepimus, mala quare nõ accipiamus? Nónne oportuit Chriſtum pati, & ſic intrare in gloriam ſuam? Ex te enim, &c. 1. Reg. 2. Iob. 2. Luc. 24.

Dum quid boni feciſti:

Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei; ſi quis miniſtrat, tanquã ex virtute quam adminiſtrat Deus. Omnia in nobis operatus es, Domine. Ex te enim, &c. 1. Petr. 4. Phil. 2.

Dum optas aliquid, vanitatem rerum vide, & dic:

Velut ſomnium ſurgentium, Domine, in ciuitate tuâ imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Pſal. 72.

Dum times, oculos ad Deum attolle, & dic:

Verumtamen in imagine petranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur. Aut enim futurum eſt, quod metuis, & ſufficit diei malitia ſua; aut non, & fruſtra perturbaris. Pſal. 38.

Contra deſiderium placendi hominibus:

Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus. An neſcitis, quia amicitia huius mundi inimica eſt Deo? Credo tibi, &c. Gal. 1. Iacob. 1.

Contra ſuperbiam:

Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur. Ex te enim, &c. Luc. 14.

Contra auaritiam:

Beatius eſt dare quàm accipere. Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis: ſcit enim pater veſter quia his omnibus indigetis. Ex te, &c. Actor. 20. Matth. 6.

Contra luxuriam.

Momentaneum quod delectat: æternum quod cruciat. Credo tibi,&c.

Contra inuidiam.

1. Ioan. 3. *Qui non diligit proximum, manet in morte. Credo tibi,&c.*

Contra gulam:

Rom. 14. *Regnum Dei non eſt eſca nec potus. Credo tibi. Ex te,&c.*

Contra iram:

Matth. 11 *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Credo tibi,&c.*

Contra acediam.

Ierem. 48. *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Ex te,&c.*

In tentatione.

Deu. 13. v. 3. 1. Cor. 10 Pſal. 118. Eccli. 15. *Tentas me, Domine, an amem te, nec ſines vltra id quod poſſum. En video, ſine gratiâ tuâ ſpernerem te ſummum bonum pro ſummo malo, ut hoſti teterrimo placerem: æternùm luiturus momentaneam voluptatem. At iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Ecce appoſita eſt mihi aqua & ignis: aut tibi, Deus, aut diabolo adhærere neceſſe: aut æternùm pœnitere, aut viuere, aut mori. Cui viuam niſi tibi, qui amore mei dignatus es mori? Ex te,&c.*

Dum laudaris:

Pſal. 113. *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Si animus aliquâ in re acquieſcere velit, dicito:

Pſal. 72. Ioan. 7. *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Omnis qui ſitit, veniat ad me, & bibat. Ex te enim,&c,*

Dum ſucceſſus bonus eſt:

1. Timot. 1. Pſal. 102. *Soli Deo honor & gloria. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus & omnia. Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.*

Veſperi conſcientiam examina, & lectum ingreſſurus, 1. gratias age, 2. gratiam pete, vt ſcias & peccata deteſteris. 3. examina te, 4. dolorem excita. 5. propone emendationem, & dic:

Pſal. 30. *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum:* cogitando fore forſitan vltimam noctem, & percunctando ex te an ad mortem paratus ſis, & amoris actum excita.

FINIS LIBRI PRIMI.

LIBER SECVNDVS.

VIA

PROFICIENTIVM.

QVARTÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

De tentatione.

Certa bonum certamen, vt bonus Chriſti miles.

ETſi conuerſus ſis ad Dominum, & egreſſus de ſeruitute peccati, nunquam tamen eſto ſecurus. tentatio enim ac militia eſt vita noſtra ſuper terram. Quomodo reſiſtes illi? cogita hoc ſolum te ſtare *A* Chriſtum inter, Dominum tuum, & *B* diabolum hoſtem capitalẽ, qui te ad peccatum & æternam perditionem nititur reuocare; inuitat *C* mundi propoſitâ voluptate ac *D* vanitate; *E* peccatum illis allicit ad ſe. verùm, ecce, inclamat Chriſtus, clamant vulnera eius, & tormenta, quæ ſalutis tuæ causâ perpeſſus eſt. Attende virtutis præmium, peccati momentaneam voluptatẽ, pœnaſque ſempiternas. vide cui adhærere malis: nónne Deo Opt. Max. abominare igitur hoſtẽ fallacem. Aſpice vt *F* filios Iſrael concupiſcentia carnium reducere conſimili dolo olim voluerit in *G* Ægyptum; quo nunc tendentes in cælum aut *H* gula, aut *I* auaritia retrahere nititur; aut etiam propinquum cælo *K* vana gloria præcipitare. Qui perſeuerauerit in finem, ſaluus erit. *Matth.* 10 & 24.

PRAE-

PRÆFATIO.

IN LIBRVM SECVNDVM.

De progreſſu, eiuſq; impedimentis, ſiue tentationibus.

POſtquam anima, quæ à fine aberrauerat, & à ſcopo, id eſt, Deo Opt. Max. eiuſque ſanctiſſimâ lege, rediit in viam boná; ſimilis eſt filiis Iſrael, quos in manu forti, & brachio excelſo de Pharaonis iugo, & ſeruitute Aegyptiâ Dominus liberauit. Itaque quemadmodum illi non conſtiterunt in terrâ captiuitatis ſuæ; ſed duce Moyſe progreſſi ſunt verſus terram ſanctam per deſertum; ita & illi facere incumbit. Verùm vti Iſraelitis accidit perſecutione hoſtili, & aſperitate deſerti tentari: ita & illa incipiet ad reditum ſolicitari. Quid igitur? firmandus animus, & deliberatione ſeriâ de progreſſu excitandus, contemptis hoſtis noſtri telis ac robore; Dominus enim pugnat pro nobis: neque permittet, etſi propinqui ſint hoſtes, vt nobis noceant, ſi boni æmulatores fuerimus; ſed nube proteget miſericordiæ ſuæ, *Exod. 14.* ſtatuetque eam inter nos, & inimicos noſtros; etſi in nocte tentationis terrores ac timores nocturni defuturi non ſint.

Vt verò modus deliberandi, quo aliquoties ſuprà vſi ſumus, quique erit in progreſſu ſæpè vſurpandus, perſpectus ſit, eum hîc paucis ſubijcere viſum eſt; quem poſtea in modo meditandi

tandi pluribus videbis explicatum. Quoties enim dubium aliquod incidit in viâ ſpirituali in rerum humanarum vſu; modus ille conſilium explicare poterit, & nutantem firmare, incertumque dirigere.

CAPVT I.

De modo deliberandi.

Quid faciendum ante deliberationē.

Quid in ipsâ deliberatione. Primò.

OBSERVA priuſquam deliberationem inſtituas, vt coram Deo Opt. Max. te ſiſtas; ab eoque humiliter flagites lumen & gratiam, vt eius ſanctiſſimam voluntatem cognoſcas; ſiquidem ille ſolus quid expediat nouit. Hoc peracto, Primò, rem deliberandam in medium profer; vt de ſtatu, de progreſſu in viâ virtutis, de multâ familiâ, officio, beneficio, acceptandúmne an reijciendum; & ita de cæteris rebus, an & quomodo, & quando faciendæ, an omittendæ.

Secundò.

Secundò, ante omnia affectum renoua, ita vt in neutram partem quoad fieri poteſt propendeas: quando enim animus velut bilanx in æquilibrio erit, paruo momento huc illucque inflectetur, & aduertere ſignificationes diuinæ voluntatis licebit. Expende deinde,

Tertiò.

propoſito tibi creationis tuę fine, vtrùm hęc, an illa pars deliberationis, id eſt, vtrùm officij acceptatio aut repudiatio, hic aut ille ſtatus, hæc aut alia conuerſatio, ſtudium, exercitatio, progreſſus ad finem propoſitum conſequendum magis conducat, maiora an minora incommoda habeat, néene. Hoc enim deſiderare magis vel minùs debemus, quod ad vitam æternam conſequendam, & diuinam voluntatem implendam magis vel minus conducere poteſt, ſic re & vtrâq; eius parte appensâ

coram

coram Deo, & in luce illius, decernere oportet, atque eam oculis diuinæ maieſtatis offerre; ac obſeruare inter nos animi motus & quietẽ, quibus ſolet Dominus voluntatem ſuam declarare ijs, qui eam ſincero corde & reſignato exquirunt. Atque hæc plerumq; ſufficere poſſunt pro electione faciendâ, & deliberatione concludendâ. Quemadmodum enim in meditatione ſępè vna atq; altera conſideratio affectum ſic commouet, Dei gratiâ concurrente, vt non ſit neceſſe alia auxilia quærere; ita in electione ſeu deliberatione, in quâ non minùs inſpirationes & motus Spiritus ſancti obſeruandi ſunt.

Quòd ſi tamen ſuprà dicta puncta non ſufficerent ad voluntatem confirmandam in bono; tum vlteriùs, vt in meditatione procedere oportet, quemadmodum infrà latè explicabitur v.g. diſpiciendum tibi quid amico tuo corã Deo ſuaderes; & quâ ſimilitudine, id quod iudicas melius eſſe, perſuadere niteteris. ſic enim naturâ comparatũ eſt, vt recta ferè conſilia alijs demus, ipſi ſequiora amplectamur. Perge dehinc vlteriùs; & conſidera quid in morte velles elegiſſe, atque ipſum iam ſcias eligendum eſſe: ſimiliter animaduerte quo conſilio, quando coram tribunali æterni Iudicis ſiſtendus eris, vſum te fuiſſe velles; atque illud multò acriùs ſtimulabit, ſi cogites æternitatem, quodque ſemel elegeris, id eſſe æternum. Quod enim factum ſemel, infectũ eſſe nequit. Si autem attendas quid Sancti fecerint, vel facerent in hoc negotio; eoſque inuoces, & quaſi in conſilium adhibeas, velut ſtellę tibi fulgebunt, in tenebris & ancipiti conſilio hærenti. Vide ſimiliter, vtra pars conſilij maiorẽ pacem & tranquillitatem & gaudiũ animi tibi conciliaret. At multò magis iuuerit, ſi à Chriſto Domino magni cõſilij Angelo humiliter quid vitâ verbiſq; ſuaſerit, & ſuaderet, interroges os, inquam, Domini & arcam teſtamenti, Sapientiam æternam, magiſtrum & paſtorẽ animarũ noſtrarũ. Et ſi fortè id quod conſultius, quia difficilius, minùs allicit; ecce, recordatio beneficiorũ quibus nos præuenit,

Quid faciendum ſi ſuperior deliberandi modus non ſuccedat ex voto.

Aliæ conſiderationes. Prima. Secunda. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta.

præuenit,& ad ſequenda ſua ſanctiſſima conſilia, & inſpirationes inuitat,calcar addant oportet.

Inueſtiganda remora. Quòd ſi necdum animus verum cernere & amplecti poteſt, videndum quæ & vbi remora ſit; & deprehensâ eâ,optimum elige,ac tandem diuinæ maieſtati in holocauſtum offer,gratiaſque deinde age pro lumine, & bonâ voluntate.

Hunc modum expreſſi in præcipuis piæ vitæ officiis. Primò,vt paradigma tibi foret, ô lector, in omni deliberatione.ſecundo,vt poſtquàm deliberatione factâ piũ aliquod decretum feceris, hæc capita reuoluendo in eo te queas confirmare.Certum enim eſt,omnes qui aut religioſæ vitæ ſtatum, aut aliquod aliud pium viuendi genus maturo conſilio elegerunt,pro humanâ fragilitate flacceſcere;ac tum ad renouationem perutile eſſe relegere veſtigia,& rationes quibus ſanctè illud conſilij amplexi erant.Quod enim adeò celebratum eſt in vitâ religiosâ,& pro ſpiritus renouatione commendatur,repreſentare ſibi diem,quo quis egreſſus eſt de terrâ Ægypti, quo ſpiritu,quibus rationibus impulſus fuerit; idem valet in omni exercitio pietatis deliberatè ſuſcepto. varia autem hîc habes, quibus adſpirare diuinam gratiam ad vtilitatem omnium,ſupplex rogo,

Quâ ratione animus confirmandus,& ad priſtinum feruorem reuocandus

Obſerua autem in omni deliberatione varijs motibus ac ſpiritibus animam huc illucque impelli : ideóque illos diſcernere plurimum expedit, imò neceſſarium eſt;vt voluntatem Dei certiùs exploratam diligentiùs exſequamur. Quocirca conſiderationem de ſpirituũ notis hîc ſubjectam accipe.

Conſideratio de notis ſpirituum.

Mundi pericula. ANGELVS CVSTOS. Vidéſne quantis periculis via vitæ tuæ obſita ſit, quot præcipitia, quot deuia; & ducem quærere, & ſequi moraris ? neſcis quàm multi amici in ſpeciem ſe comites viæ offerant, cùm ſint hoſtes capitales ? Vide igitur quàm diligenter ob-

ſeruandi

ſeruandi ſint & probandi ſpiritus ſi ex Deo ſunt, nam & diabolus transfigurat ſeſe in Angelum lucis.

Homo. Hæc me vna cura ſæpè ſollicitum habet, videorque mihi ſtare non raro in multiuio, cuius viæ variæ ſint & irremeabiles: quarum aliæ tutæ, aliæ periculoſiſſimæ. O Angele mi, dux vitæ meæ, tu noſti viam meam & cæcitatem; & ſcio, tibi pro charitate tua nihil magis curæ eſt, quàm vt velut Raphaël ducas me in optatos amplexus Domini mei, & in domum Domini Dei noſtri. O quantùm mihi tunc gratulabor, quantùm tibi gratias agam, ô ſpiritus puriſſime, quomodo te amplectar, poſtquam hoc mare magnum enauigauero, & naufragium per te enatauero, & inter tot ſpiritus malos & bonos, ſeu ventos contrarios rectum vitæ curſum tenuero. O benigniſſime Jesv, qui dignatus es mihi dux eſſe, & via, & hunc Angelum dare, qui me comitetur & ducat ad te, ne vnquam permittas, vt ille ſpe ſua, & ego ſalute mea fruſtremur, alioque ſpiritu agar, quàm tuo; ſcio enim, ſcio quòd qui ſpiritum tuum non habet, Chriſte Jesv, non eſt tuus.

Angelus Cuſtos ſequendus.

Gaudium Sanctorum de periculis euitatis.

Christvs Dominvs. Aſpice quot fallaciæ, & deceptiones in orbe vniuerſo inſidientur tibi, vt non innitaris prudentiæ tuæ. Quot enim ethnicorum ſectæ? numera ſi potes. Quot hæreſum capita & deliria, quibus in errorem tot animæ inducuntur, & perniciem? Et verò quid eſt malorum vita, niſi error in via, de quo ipſi ſerò queruntur in inferno, dicentes: Ergo errauimus, & ambulauimus vias difficiles, & viam Domini ignorauimus. *Hæccine vera,* vt ſup. pag. 17.

Fallacia mundi.

Homo. Nihil verò magis, ô Saluator mi, percellit animum meum, quàm quòd audiam, & videam etiam Cedros Libani cecidiſſe, Origenes, Luciferos, Tertullianos, & velut igne fatuo abductos, aut in paluſtria carnalium, aut ad præcipitia arrogantiæ deueniſſe. Gratias tibi ago, quòd vſque in hanc horam ſeruaueris me, & cùm ignorem quid ſerus veſper vehat, &

Sap. 5.

Spes in Deo.

ſciam infirmitatem meam, iactò cogitatum meum in te Domine, & ſpero quòd duces me, & non deſpicies me. *Hæccine firmâ fide*, vt ſup.pag.8.

CHRISTVS. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem: non eſt colluctatio veſtra aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes tenebrarum harum mundi rectores, qui tot millibus annorum excitati, perpetuò vigilant, vt ſuperent incautum.

Dæmonum vigilantia. Numerus. 2.Paral. 20. Ezech.51. Imbecillitas.

HOMO. Eheu Domine! quis poterit reſiſtere huic multitudini, & tot rugientibus leonibus præparatis ad eſcam? verumtamen ſi tu Deus pro nobis, quis contra nos? Et didici ex Antonio tuo aliiſque Athletis timidiſſimos illos eſſe, & cruce tuâ fractos, vbi viderint viriles animos, velut mulieres cedere, & à pueris & virgunculis in nomine tuo pugnantibus ſuperari. Ideò dico cum Prophetâ tuo, innixus gratiæ tuæ; Etſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.

Pſal.26.

Fides ſcutum. Epheſ.6. Prov. 28.

CHRISTVS. Nulla armatura melior quàm ſcutum fidei, in quo poteſtis omnia tela nequiſſimi hoſtis extinguere; nulla melior confidentia in me, & diffidentia tui. Ideò iuſtus, ſicut leo confidens, abſque terrore erit. Vide tamen vt arcem animæ tuæ ſæpè explores, quòd & hoſtis facit, & quâ parte minùs firma eſt, eam muni aſſiduè, ibi excuba. Aduerte item hoſti extra muros poſito facilè reſiſti, non ita admiſſo. Itaque allide paruulos tuos ad petram, & cogitationes prauas in ſemine opprime. Attendite, dixi, à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, & aduerte tibi dæmonem ſæpè obſequi; Primò, bonis cogitationibus, ac deinde incautos ſeducere, ideoque ſeriò examina quò te ducat hæc vel illa cogitatio. *Credo tibi, ô æterna veritas*, vt ſupr. pag.7.

Principiis obſtandum.

HOMO. Gratias tibi ago Deus meus, lux vera, quæ illuminaſti me, vt viderem terrenarum rerum deſideria eſſe retia, & quidquid ad ambitionem tendit, aut opum cupiditatem aut ſenſualitatem, etſi blandiatur carni,

Deſideria terrena retia ſunt.

carni, venenum eſſe animi, ab hoſte propinatum. Illumina quæſo ſic ſemper oculos meos, vt nunquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Præualui aduerſus eum.

CHRISTVS DOMINVS. Aliàs, vti Pharao Iſraëlitas opere lateris, & luti, vt profectionem ad terram ſanctam, & perfectionis culmen impediat, vos moleſtijs, ſcrupulis perturbat: nihil enim illi familiarius quàm triſtitia, & mæror, quibus ipſe inferno addictus vos inuoluere nititur. Non exiſtimes tamen obmurmurantem ſenſualitatem, cùm mortificatio ei proponitur, audiendam, ſed ſcias quòd inimici hominis domeſtici eius. *Qui bonos turbet dæmon.*

Denique lapidem Lydium vitam meam habe, & doctrinam. Id tamen etiam aduerte, ne dum tenebras hoſtis offudit, & nox eſt, inter laqueos & præcipitia conſtitutus vel retrocedere vel progredi anxiè nitaris, ſed ſta velut in tenebroſo loco, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, & velut in tempeſtate fige anchoram. Adhibe etiam in conſilium ſpiritualem Patrem; & quiſquis tibi ſuggerit, vt celes conſilia tua, vt ſit tibi nuncius Principis tenebrarum, qui & lucem odit, &, cùm pater ſit mendacij, veritatem. Itaque vt caſta puella fœdi amatoris technas aperi parenti: neque te deſeram, neque derelinquam. *Veni Sancte Spiritus, & emitte*, &c. vt infra pag. 164. *Vita Chriſti cõſideranda. In tentatione nihil mutandũ. Conſulendus Confeſſarius. Dæmon vult latere ſuggeſtiones.*

HOMO. Tu, ſcio Domine, vt Antonio pugnanti contingit, velut Imperator in acie, ades & ſpectas nos pugnantes. In quo mihi magna fiducia, quodque tentare nos non poſſit hoſtis, niſi te patre miſericordiarum permittente. Ita legimus petiſſe eum vt Jobum tentare poſſet, & expetiiſſe vt Petrum cribraret ſicut triticum; ſed tu Domine fidelis es; qui non patieris nos tentari ſupra id quod poſſumus. Hæc ſpes repoſita in ſinu meo. *Veni ſancte Spiritus*, vt infrà. *Deus præſens. Nihil poteſt dæmõ, niſi Deo permittente. Luc. 22. 1. Cor. 10.*

CHRISTVS. Si admodicum te derelinquam, tum ſac vt appareat virtus & fidelitas tua, vti in aduerſis malorum ignauia ac torpor, quæ ſæpè tentationis cauſa, excute, & humilia te valde in conſpectu meo; vt enim infirmitatem tuam diſcas, vel torporem excutias, vel me patientiâ tuâ honores, vt Tobiæ, & Jobo accidit, tentari te permitto, & vires ſimul largior ad ſuperandum.

Tentatio à Deo cur permittatur.

HOMO. O benigniſſime Deus, verè ſecundùm multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam: & ſi boni fuerimus, vti in vniverſa vita tua, & Sanctorum tuorum contigit, permiſcendo triſtia lętis mirâ & ſuaui varietate vitam noſtram contexes.

Vita bonorum varia, triſtis & læta.

CHRISTVS. Hac ſpe animum erige, quodque ego bonitas & ſapientia infinita in pondere, numero & menſura omnia faciam; hæc ſit conſolatio tua, omnemque reſpue, quæ non trahit ad me, & omne lumen, quod non tendit in me. Quidquid item perturbat pacem mentis tuæ, id à me, qui ſum princeps pacis, ſcias non eſſe profectum. Gaudium & pax in Spiritu ſancto, qua ſupra terrena eleuaris, & ab ijs animus auocatus, notæ ſunt benignitatis meæ. Ac dum tranquillo vteris, & pace, ad tempeſtatem & bellum animum præpara. Dum lux eſt, proſpice quâ ſuboriente nebulâ tibi eundum.

Tentationis remedium efficax eſt ſpes.
Signum boni ſpiritus pax.
Nota.

Oratio ſeu proteſtatio ſequendi bonum ſpiritum.

VENI *ſancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium: veni Pater pauperum, veni lumen cordium; ſurge Oriens, & diſpelle tenebras meas, ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eum. O lux amabilis, quomodo non diligam te potiùs quàm tenebras meas, quàm principem tenebrarum harum? niſi enim tu illuceſceres mihi,* *paulò*

Niſi Deus luceat, in tenebris ſumus.

paulò minus in inferno habitare: anima mea: niſi nubem vanitatis diſpergeres, numquid rectum iter tenere poſſem in magno vitæ huius pelago? neque tenere potero, niſi tu ſpes omnium finium terræ, & in mari longè aperias te mihi, & viam monſtres. Ecce, *quot miſeras animas ſyrtes infernæque charybdes abſorbent! Ecce quot erroribus & ſpecie recti decepti ethnici abeant, eheu! in tenebras exteriores, quia tu lumen iuſtitiæ non fulſiſti eis! mihi autem verè, verè apparuit humanitatas ac benignitas tua, vt abnegãdo impietatẽ & ſæcularia deſideria, ſobriè, iuſtè, & piè tibi viuam, & te ſequar, ô vita mea, aſcendamque ſuper altitudinem terræ, vt fruſtra iaciatur rete ante oculos pennatorum: Quæ enim maior humanitas, quàm te* Deum *fieri hominem? quæ maior apparere poteſt benignitas, quàm te impuri cordis mei fieri hoſpitem? Non vt paſcaris, qui paſceris inter lilia pane Angelorum, ſed cibus mihi fias viatori, vt ſobriè viuam præclaro hoc calice inebriatus, & iuſtè, ſanguine tuo mundatus, & piè amore tuo ſauciatus. Veni igitur, & vide, & perfice vineam iſtam & voluntatem, quàm plantauit dextera tua. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Etenim anima mea ſicut paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum, vbi ponat pullos ſuos, nempe Altaria tua* Domine *virtutum. Beatus homo qui ſperat in te; in illis enim ſacrificium ſemper tibi placet ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum, & gemitus animæ quærentis te, ſed electæ & formoſæ columbæ tuæ.*

Pſal.93.

Gratiarũ actio.

Tit.3.

Prov.1.

Applicatio ad Communionem.

Abſit ergo, vt deinceps oculos ſtatuam declinare in terram. Cùm enim videro meas cogitationes ad terrena, ad caduca inclinare; nónne manifeſtum erit, quòd ſapientia hæc terrena ſit, animalis & diabolica? ſapientia enim quæ deſurſum eſt, à te, Deus, *lux incommutabilis, fons bonorum omnium, vocat nos à terrenis ad cæleſtia, à creaturâ ad creatorem, à tranſitorijs ad æterna. In his dilatatur animus, & guſtat quàm ſis ſuauis; ô dulcedo ineffabilis: in illis tenebreſcit, & amaritudine repletur, nec quieſcere poteſt, quia non eſt ei quies niſi in te. Dignare ergo,* Domine *præcedere omnes actiones*

meas, fac vt omnis cogitatio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur; & licet conſurgant aduerſum me caſtra, non timeat cor meum. nónne enim certò noui, quia non patieris me tentari ſupra id quod poſſum, neque relinques ſine teſtimonio? Imò præcedes faciem meam, & oſtendes viam in quâ ambulem. Ad te leuaui animam meam, Deus meus, in te confido, non erubeſcam, neque obſecro irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur, ſed in ſæcula ſæculorum laudabunt te, & benedicent nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Amen.

Pſal.26.

Pſal.24.

Capita nonnulla exempli gratiâ allata, in quibus deliberationis modus vſui eſſe poteſt.

Pro principibus viris in republicâ.

DE Magiſtratu, an aliquis petendus & ſuſcipiendus.
Quomodo Dei hoſtes ad illius obſequium adduci poſſint, & animæ, vel à gentiliſmo, vel hæreſi conuerti.
Qui ad dignitates vocandi.
Quomodo pietas promouenda, & cultus Dei in ſe & in ſubditis.
Quomodo iuſtitia adminiſtranda.
Qui qualeſque conſiliarij adhibendi.
Quomodo pauperes ſubleuandi.
Quomodo inimici conciliandi.
De iniuriarum obliuione.
De debitorum ſolutione.
De familiæ ordinatione.

Pro iis qui in ſecundis conſiſtunt, ac mediâ fortunâ.

An officium aliquod ſuſcipiendum.
An coniugalis ſtatus, an cælibatus eligendus.
An & qualiter præcipuè pietas colenda.

Qualiter

Qualiter familia ordinanda quoad pietatem & neceſſaria.

De liberorum educatione.

De pace cum propinquis ſeruandâ.

De litibus fugiendis,& inimicitiis tollendis.

De ſumptuum moderatione & conuiuiorum.

De æmulatione malâ extirpandâ.

De pauperum ſingulari curâ habendâ.

Pro alijs.

Quis ſtatus eligendus, coniugalis, an Religioſus, & quis,vel quæ vxor,&c.

Quod genus artis pro vitâ tuendâ eligendum.

Quo pacto pietas colenda, & quoties confeſſio inſtituenda.

An Sodalitati nomen dandum.

An quales ſocij deligendi.

De monitore eligendo.

De eleēmoſynarum largitione.

De orationis ſtudio.

De relaxatione animi.

De B.Virginis cultu ſingulari.

Praxis in deliberatione adhibenda.

COnſidera ſemper coram Deo in luce eius,principium cogitationum & finem,etſi maximè remotum, atque attende an ſis reſignatus & pacificus; hoc enim certiſſimum Dei præſentis ſignum, quia in pace factus eſt locus eius.Plurimum certè lucis hauriet,quiſquis in cogitationibus,verbis & actionibus finem ſæpè ſcrutabitur,& quantùm à pura intentione declinet,ceu lucidiſſimo ſeptentrione ac helice operationum noſtrarum Chriſto IESV Domino noſtro. *Indifferentia in deliberatione maximè neceſſaria. Pſal.75. Vide quò cogitationes tendant.*

Secundò, conſilium aliorum exquire: nemo ſibi bonus medicus, nemo conſiliarius; & cùm moneat Spiritus, ne innitamur prudentiæ noſtræ; niſi illi pareamus,ſapientium ſapientiam reprobabit, qui humiles & mites conſueuit docere vias ſuas. *Aliorum conſilio ſtandū in proprijs.*

Tertiò,adi Venerabile Sacramentum,atque os Domini

 conſule,

conſule, Patronoſque, maximè Angelum Cuſtodem roga & interroga de viâ bonâ.

Alius modus deliberandi. Quartò, ad reſignationem conducet, ſi fortè in alterutram partem propendeas, vt exercitio certo voluntatem in medio, & æquilibrio conſtituas. In rebus minoris momenti non eſt abſque exemplo, aperto Euangelio, vel ſimili libro explorare diuinam voluntatem.

Item certas preces ad honorem Angeli Cuſtodis dicere pro lumine.

Iudicio Confeſſarij plurimum vtendum. Sed maximè hic valet conſilium Confeſſarij aut viri pij, quòd ſequendum tibi proponas poſt varias preces, quibus à Deo lumen illi, & tibi poſtulaueris. *Dignatus es, amantiſſime Ieſu*, vt ſuprà pag. 10.

IACVLATORIÆ

quibus directio ſancti Spiritus exquiritur.

Pſal. 24. *VIas tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.*

Pſal. 142. *Notam fac mihi viam in quâ ambulem, quia ad te leuaui animam meam.*

Ibid. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*

Actiones noſtras, quæſumus Domine, adſpirando præueni, & adiuuando proſequere; vt cuncta noſtra oratio & operatio à te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Pſal. 50. *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.*

Pſal. 138. *Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas.*

Pſal. 118. *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui.*

Actor. 9. *Domine, quid me vis facere?*

CAPVT II.

Deliberatio de perfectionis ſeu quotidiani progreſſus ſtudio, poſtquam quis in viam reuerſus eſt.

HOMO. O Sapientia æterna, Chriſte IESV, ſalus mea, dux meus, & dulciſſimum refugium meum, poſuiſti me in via hac, qui creaſti me, & oſtendiſti mihi bona plurima, quæ præparaſti diligentibus te, & ecce perfe-

perfectionis veræ ſtudioſus ardet animus, ſuſpirat, & ſæpè ingemiſcit inter viarum diſcrimina ac diuerticula. Oſtende, quæſo, bone JESV, viam in quâ ambulem, quia ad te leuaui animam meam: doce me in quo perfectio verè conſiſtat, in quo beatitudo huius & futuræ vitæ. Quemadmodum enim deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. *Pſal.* 142. *Pſal.* 41.

CHRISTVS. Via lata & ſpacioſa, quam quæris, charitas eſt, de quâ mandatum primum, & maximum dedi dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, ex totâ mente tuâ, & ex totis viribus tuis: proximum autem tuum ſicut teipſum. In his præceptis vniuerſa lex pendet, & Prophetæ: plenitudo enim legis eſt dilectio. In eo autem hæc dilectio, & perfectio apparet, ſi idem mecum velint homines in re omni, idemque nolint. Ex quo ſequitur, vt ſemper de me ferè cogitent, loquantur, nihil optent niſi voluntatem meam fieri, & me qui ſum exemplar omnis perfectionis, imitari. Hi in pace ſummâ & tranquillitate meæ ſeſe prouidentiæ committunt, omniaque iuſta iudicia mea arbitrantur, quæ proinde verè dicuntur iuſtificata in ſemetipſa. Huiuſmodi numquam queruli, numquàm triſtes, ſemper in me Domino ſuo gaudentes. *Hæccine vera, &c.* vt ſup. pag. 7. *Matth.* 22 *Rom.* 10. *In charitate ſita perfectio.* *Pax perfectorum.* *Pſal.* 18. *Quales ſunt perfecti.*

HOMO. Sed ardua res eſt perfectio, laborioſa, & longi temporis; quis ad eam, Domine JESV, pertingere poterit?

CHRISTVS. Fili mi, ſi paululùm laborâris, atque in ſincerâ mortificatione & oratione: non quantum filij huius ſæculi deſudant; ſed vel pro ſextâ parte; certe in perfectorum meorum numero eſſe poteris. Modicum, aiebat Eccleſiaſtes meus, laboraui, & inueni mihi multam requiem. Et ſi ſtrenuè, non deflectendo ad dexteram, vel ſiniſtram, perrexeris; ſpatio breui te ad perfectionem adducam: ſicut in breui, multos etiam pueros & puellas, virgines duodennes ad ſinceram charitatis *Eccleſ.* 51. *Breui quis poteſt eſſe perfectus.*

perfectionem promoui. verè enim dicitur de iis, quòd in breui expleuerint tempora multa vin'eos imitari? *Surge propera*, vt inf.pag. 174. Vel *Haccine vera*, vt ſuprà pag. 7.

Sapient.4.

Pſal. 142. HOMO. Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Ioan.6. CHRISTVS. Audi verba mea, quia ſpiritus & vita
1.Cor.9. ſunt. Et beatus eris, ſi audieris me, & ambulaueris in præceptis meis. ecce metam propoſitam noſti; omnes enim in ſtadio curritis, ſed vnus accipit brauium; omnes imitatores eſtis, ſed vnus palmam refert; omnes diſcipuli mei, & vnus lauream euincit. quis verò ille? niſi qui omnia opera ſua perfectè facit, ſe vincit, animo ſuo imperat. is enim velut in viâ rectam tenet ſemitam, alius obliquis viis vix tandem ad metam pertingit. Túne amico ſuaderes cùm viam, domum, vxorem, agrum, hortos, cibum, potum, bona habere poſſit, vt deteriora eligat? viam, domum, veſtem, omniaque perfecta relinquat, imperfecta verò ſibi ſumat? & vide, precor, an tu non optima & perfecta in omnibus eligas, præterquam in animâ tuâ, omniaque te excepto optima eſſe velis.

Omnia opera perfectè obeunda.

HOMO. Utinam, Domine, homines ſaperent, & intelligerent, & nouiſſima prouiderent! ſed quanta, Deus bone, hìc inſipientia hominis eſt. Si enim animam bonam haberet, omnia bona forent; etſi verò vniuerſum mundum lucraretur, & animæ detrimentum faceret, quid ei prodeſſet? vti enim te diligentibus omnia in bonum, ita verè te non diligentibus, & malis, omnia in malum cooperantur.

Perfectio vitæ quærenda eſt.

CHRISTVS. Et quid quæſo eſt cauſæ, cur benè habitare, ſanus eſſe, edere, bibere, dormire, ire, loqui, operari, pingere, ludere cùm poſſis, id non negligas; cum bene viuere, orare, mihi placere potes, id pro nihilo ducas? cuius odio facis? mei, an tui? cuius gratiâ? meâ, an hoſtis tui? te conſule, te iudicem & arbitrum ſtatue. Quanta, putas, triſtitia eum inuadet cùm ad vitæ huius exitum venerit,

venerit, qui ſomniculosè profectum ſuum curat, & ſalutem: quod vnum agere dubuerat; præſertim qui diligenter cætera omnia præter ſalutem ſuam procurat?

HOMO. Quid reſpondebit tunc miſero mihi conſcientia mea? Nónne vixiſſe, & vix creuiſſe me erubeſcam? cùm iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens creſcat vſque in perfectum diem; ïmò forſitan facta erunt nouiſſima peiora prioribus. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7. *Creſcendum in perfectione Prov. 4.*

CHRISTVS. Nónne id perſæpe contingit, vt primò manum ad aratrum ponens gnauus & ſtrenuus ſit homo, & deinde reſpiciens auertatur à me? O quàm rara auis eſt, qui eumdem ſpiritum, quem initio conuerſionis conceperat, ſeruet, & augeat vſque in diem aduentus mei! *Primus feruor non deſerendus*

HOMO. Ah, Domine, quid in iudicio dicturi ſumus, ſi, quanto diutiùs in perfectionis & virtutis ſcholâ fuerimus, Sacramenta frequentauerimus, eo imperfectiores, eo minùs mortificationis, humiliationis, reſignationis ſtudioſi deprehenſi fuerimus? tunc coràm orbe terrarum parebit induſtria ſingulorum, confundeturque qui ſapiens fuerit in oculis ſuis, & ſtultus apparebit. O quantum ingemiſcet tunc tepidus & otioſus diſcipulus tuus, quem tot exemplis docuiſti, vt eſſet mitis & humilis corde! erubeſcet enim vehementer coram orbe terrarum, quòd te magiſtrum ſequi & ducem contempſerit. *Hæccine firmâ fide*, vt ſup. pag. 7.

CHRISTVS. Lætabuntur verò Sancti, qui perfectionem, id eſt, beatitudinem, tanto ſtudio hîc ſectati fuerunt, ita vt parentes, liberos, animam ſuam abnegarent, ne declinarent ab eo, quod perfectionis eſſe iudicabant: ſed ſemper ad maiorem mei gloriam collimarent, & ad id quod magis mihi placeret. Imò Tereſia mea etiam voto ſe obſtrinxerat, facturam ſe quod perfectius iudicaretur. Hi veri filij mei ſunt, quorum cibus & omnis delectatio eſt facere voluntatem Patris mei & *Sanctorũ feruor.*

meam:

Bernard. epiſt.91. meam: certamen nullum inter eos, niſi de humilitate, abſtinentiâ, charitate. quàm pulcra lucta! quàm glorioſa victoria! Minimè certè bonus eſt, qui melior eſſe non vult, & vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam definis eſſe bonus, qui enim mollis & diſſolutus in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. Quantopere autem hi mihi diſpliceant, per Apoſtolum meum teſtatus ſum dicens, vtinam frigidus eſſes, aut calidus! ſed quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Hæc igitur verba mea expende, & quàm mihi, ac curiæ meæ ſpectaculum ſit acceptum, videre ſtrenuum militem inſtar Dauidis cum Goliatho decertantem, aut curſorem in ſtadio cæteros longè poſt ſe relinquentem.

Non proficere deficere eſt.

Prov.18.

Tepiditas Deo odioſa.

Apoc.3.

Credo tibi, vt ſup.pag.7.

HOMO. In his certè animabus complacet tibi Deus meus, & in viâ mandatorum tuorum currunt, quia dilataſti cor earum. Aſſumunt pennas vt Aquilæ, volant & non deficiunt; etenim nunquam ſine pœnâ ſunt vitia, nunquam ſine præmio virtutes, & rerum honeſtarum pretium in ipſis eſt. Sicut enim eos, Domine, qui triduo ſuſtinuerunt, pauiſti in deſerto; ac filios Iſraël mannâ cæleſti, quod omne delectamentum in ſe habebat; ita ſanctos tuos feruidos conſolatus es, & de petrâ mortificationis exierunt illis aquæ dulciſſimæ, & aquæ amaræ per lignum crucis factæ ſunt ſuaues. Et verò nónne præcepiſti nobis dicens: Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt? Numquid & per Apoſtolum tuum Petrum ſic monuiſti: in omni conuerſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum. Et rurſum per Jacobum mandas, vt ſerui tui ſint perfecti, & integri, in nullo deficientes. Quid ad hoc reſpondebo tepidus, & iners? An credo hæc eſſe mandata tua, & grauia non eſſe? An ignoro perfectionem beatitudinem huius & æternæ vitæ continere?

Eſaiæ 40.

Virtus ſemper præmium habet.

Boët, de conſol.

Feruidorũ ô quanta ſolatia!

Matth.5.

Perfectio nobis mandata.

1. Petr.1.

Iac.1.

CHRI-

CHRISTVS. Hæc omnia ſæpè verſa, quamque breuis vita, & certaminis tempus, quantumque præmium parâtum diligentibus me. Attende ad beneficia particularia N. quæ contuli tibi. His certè dilecti mei incitati ceſſare numquàm poterant, quin quibus poſſent modis placere mihi totis viribus conniterentur. *Vita breuis & labor: præmium æternum, & piget ſequi?*

HOMO. Et quid ego tibi, Deus meus, quid ego retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi? vtinam inuenire queam hanc gratiam in oculis tuis, vt quidquid tuæ Maieſtati gratum cognouero, id ſicut omnino tuâ gratiâ volo, ita promptè exequar. *Pſal.115.*

CHRISTVS. Finge duos eſſe Regis filios; atque vnum ex his nihil omittere eorum quæ vetat Rex, eique moleſtiam afferunt, niſi ſub pœnâ capitis mandatum ſit: alterum verò nec minimum quidem nutum præterire: quàm diſpari, putas, hi loco eſſent? & vtrum Rex plùs diligeret? Tu verò ratiocinare, & inſpice vtri ex his ſimilis ſis, & quàm turpe ſit ob vilem voluptatem perfectionis ſemitam deſerere, id eſt, felicitatem ſummam, ac gaudium huius vitæ. non voco enim vos in immunditiam, ſed in ſanctificationem, vt guſtetis & videatis quàm ſuauis ſum iis, qui me diligunt: quàm magna multitudo dulcedinis meæ, quam præparaui illis. loquantur & narrent vobis Sancti mei, quanta fecerim illis: quàm dulce fuerit illis abſynthium mundi deſeruiſſe, & torrentem voluptatis delibare, quo iam inebriantur in domo Patris mei. Verùm non propterea ſolùm adhærere mihi bonum exiſtimabant, ſed charitate pleni & illuſtrati, videbant quàm iuſtum eſſet ſeruire mihi corde perfecto: & erubeſcebant, ſi quando cernerent promptiùs meliuſque dæmoni quàm mihi ſeruiri. O quomodo vrgebat eos charitas mea! requiem non capiebant, fugiebat ſomnus ab oculis eorum, ſolliciti ambulabant coram me, vt vni mihi placerent: ibant de virtute in virtutem, creſcebat eorum ſemita quaſi lux ſplendens, & cùm omnia feciſſent, dicebant, *1.Theſſ.4.* *Luc.17.*

Serui

Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus; & infinita quæ tibi, Domine Deus, Rex regum, debentur, omiſimus.

HOMO. Imperfectum noſtrum viderunt oculi tui: operi manuum tuarum, quæſo Domine, porrige dexteram, & ſuſcipe hoc deſiderium meum; cupio enim amare te toto corde, & ſanctis inſpirationibus tuis, atque conſiliis obedire. Suſcipe hoc deſiderium meum, ſicut incenſum in conſpectu tuo. Sacrificium hoc veſpertinum, & ſerotinum obſecrationis meæ ne deſpicias pro infinitâ miſericordiâ tuâ. Dignus es, Domine, accipere laudem, & gloriam, & honorem à me creaturâ tuâ. Dignus es, vt in nomine tuo omne genu flectatur, & omnes ſeruiant tibi in ſanctitate, & iuſtitiâ omnibus diebus
Pſal. 54. vitæ ſuæ. O quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & requieſcam?

Exercitium pro perfectionis ſtudio.

Cant. 2. Chriſtus inuitat animam ad perfectionem.

CHRISTVS. *Svrge, propera, amica mea, columba mea formoſa mea, & veni; iam enim hiems tranſijt, imber abijt & receßit, flores apparuerunt in terrâ noſtrâ, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terrâ noſtrâ, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum; ſurge amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.*

ANIMA. *Audiui, dulciſsime Ieſu, vocem tuam; ſonuit illa in auribus cordis mei: poſtquam abijt hiems peccatorum meorum, & inuitas me vt ſequar te, quem diligit anima mea. Sed indica, quæſo, mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium meorum. Te enim ſolum ſequi & imitari opto, quia ſalus mea tu es. Quis verò me ſeparabit à charitate tuâ, à perfectionis ſtudio? tribulatio, an anguſtia, an fames, an ſitis, an creatura aliqua? Aſcendam in arborem ſycomorum, & calcabo mundi vanitatem cum Zachæo, vt videam te, ô exſpectatio ſæculorum! aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius, ingrediar ad plenitudinem legis*

Deſiderium perfectionis. Actus charitatis. Contemptus mundi.

legis, dilectionem perfectam. Jesv *bone, quàm paruus mihi erit labor! quàm longa quies! quàm ſuaue erit ſequi te, Domine! non habet amaritudinem conuerſatio tua; ſed dulcedinem ſummam imitatio tua. Ecce enim tu pulcer es, dilecte mi, & decorus: oſtende mihi faciem tuam, in quam deſiderant Angeli proſpicere, & ſufficit mihi. Sed eheu! quid eſt, Domine, quod deſideria mea & perfectionis ſtudium moratur? Ecce, ecce Domine, NN. & fieri poteſt, ô* Jesv, *vt impediant iſta me, quo minùs ſequar te, quo minùs guſtem quàm ſuauis ſis, quo minùs dulcis ſit fructus tuus gutturi meo?*

Cant. 7. Deſiderium imitationis Christi. Cant. 1.

Moneat & moueat me ſaltem ſæcularis cupiditatis exemplum: quem enim ambitioſum vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus ad aliam non anhelare? ſic & curioſi cuiuſque non ſatiatur oculus viſu, nec auris impletur auditu. Quid eorum qui auaritiæ ſeruiunt, aut amatores ſunt voluptatum, ſeu vanas ſectantur laudes? nónne & ipſorum inſatiabilia deſideria arguunt me negligentiæ & tepiditatis? Pudeat certè ſpiritualium bonorum nos minùs cupidos inueniri. Erubeſcat anima mea conuerſa ad te Dominum meum minori affectu ſectari iuſtitiam, quàm iniquitatem anteà ſectaretur. Pudeat negligentiùs nunc in vitam, quàm priùs in mortem, & minori ſtudio ſalutis acquirere, quàm perditionis augmentum. Nam vt omnes ſimus inexcuſabiles in via vitæ; quo citiùs, eo faciliùs curritur, & leue tuum onus, quo creſcit ampliùs, portabilius eſt. Quid reſpondebo tibi? tantine mihi eſt miſerum eſſe, & tot imperfectionibus obnoxium? tanti vanitas vniuerſa, vt perfectus & beatus eſſe nolim, & tuus eſſe ac tibi adhærere? In lectulo meo & voluptate mea quæſiui te, & non inueni: ſurgam & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram te quem diligit anima mea. Quæſiui te, & non inueni; non inueni requiem meam, non inueni vbi requieſceret pes meus, non inueni in animâ meâ in quo requieſceres. Trahe me, quæſo, poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. Ecce enim profiteor hodie coram te Domine, qui eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos à lapſu, vt placeam tibi. In æternum non declinabo à mandatis tuis:

Bernard. epiſt. 233. Cur te filiũ lucis non docet filius ſæculi?

O quàm ſuaue ſeruire Deo!

O quanta quies feruentis animæ! Cant 1. Pſal 55. Proteſtatio ſeu propoſitũ emendationis.

tuis: Expoliaui me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? ſed ibo de virtute in virtutem, donec videam te Deum deorum in Sion, & habitem in domo tuâ omnibus diebus vitæ meæ. Et quidni deſiderem habitare in domo tuâ cùm omni die pro infinitâ benignitate tuâ paratus ſis declinare in domum meam ad manendum ibi? Hæc me cura ſollicitũ perpetuò habere deberet, & ſtimulare, vt anima mea, ô JESV, *tibi domus eſſet veſtita auro charitatis, & omni lapide precioſo ornatâ. Verùm cùm omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum ſit à te Patre luminum, aperi, obſecro, manum tuam, & imple animam meam benedictione. Riga, obſecro, hæc perfectionis deſideria, & vineam iſtam, quam de Ægypto tranſtuliſti, vt ex eâ bibas vinum in lætitia, neque pro vuis reddat tibi labruſcas, ſed fructum reddat trigeſimum, imò ſexageſimum, imò centeſimum in tempore ſuo, Amen.*

Præparatio ad Communionem.

Praxis perfectionis acquirendæ.

PRIMO, vide quem gradum virtutis habeas: vt verò id noueris, vel Albertum Magnum, vel D. Bonauenturam conſule; eoque cognito, ſtatue tibi metam, ſeu gradum aliquem, ad quem certo tempore magno conatu contendas, neque requiem capias, aut deſideres ſomnum oculis tuis, donec illum adſecutus ſis. Gradus virtutis commodè tres definiuntur, quorum primus eſt deſiderium ardens. Secundus, efficax proſecutio. Tertiùs, eiuſdem cum facilitate & gaudio executio. Ex his alios facilè colliges, & conſtitues, vt enim quæque virtus varios actus habet, faciliores alios, alios difficiliores, ita varij gradus aſſignari poſſunt. Ita charitatis gradus infimus eſt diligere amicum à quo amaris; ſecundus etiam inimicum propter Deum; Tertius inimicum beneficijs ſuperare. Sic ait D. Bonauentura. Gradus eſt charitatis, cùm aliquis vtilitatem amici cum proprio lucro quærit: altior quando eam cum damno rerum ſuarum: altiſſimus, cùm bonum amici etiam propriâ morte quærit, maiorem enim charitatem nemo habet, quàm vt animam quis ponat pro amicis ſuis. Et ſic de cæteris.

Opuſc. de gradibus virtutum.

Ioan. 15.

Secundò,

Secundò, præterea vtile erit, Angelo Cuſtodi, aut Patrono dedicare talem conatum, ſeu tui victoriam, vt ſic præſidium eorum impetrare valeas, & vitiũ eiuſmodi exſtirpare. Ad hoc hortabatur omnes D. Chryſoſt. dicens: Obſecro igitur vos omnes, vt vnuſquiſque, ſi non anteà, iam operam det, vt vitium, quod affectiones ſuas magis inperturbat, ex animâ exſecet, & piâ cogitatione, quaſi ſpirituali quodam gladio vtens, ſeipſum ab affectionibus liberet. *Pij conatus noſtri Angelo cuſtodi, aliiue Patrono commendandi. Homil. 2. in Geneſ.*

Tertiò, examen particulare ad hanc plurimùm conducit, eiuſque regulæ. *Examen particulare.*

Quartò, reddere rationem profectus ſui confeſſario, aut ſuperiori à Sanctis cum fructu vſurpatum fuit.

Quintò, ſoliti erant etiam complures olim certum genus pœnitentię aſſumere, donec de aliquo vitio triumphaſſent, atque id vbi aſſecuti erant, ſolemni aliquo die quotannis beneficium illud recolebant, ſicut moris eſt de vrbe obſidione liberatâ vel hoſte ſuperato, vel victoriâ partâ gratam memoriam recolere. *Pœnitentiarum vſus.*

Sexta praxis eſſe poteſt, examen ſuarum imperfectionũ accuratum habere, velut rationes debitorum ſuorum, quæ hoc pacto paulatim diſſoluere conetur.

Septima. Valdè conducit actiones omnes ſuas ordinare, atque illum ordinem & modum ſibi præſtitutum ſtudiosè ſeruare. *Actiones ordinandæ.*

Octaua, Magnoperè etiam iuuerit vitare minima; qui enim contemnit modica, paulatim decidit; & qui minimis intendit, facilè Dei gratiâ maiora deuitat. *Vita minima.*

Nona praxis ſit: Diligentiſſimè cauere ne quis alteri ſe præferat, & proximum diiudicet; id enim tum euenire ſolet, vti multorum experientiâ compertũ eſt, vt in quo quis alium iudicat, in eo ſeipſum condemnet. *Dignatus es*, &c. vt ſup. pag. 10. *Humilitatem ſerua.*

JACVLATORIÆ.

Sic currite, ait Domine, vt comprehendatis. trahe nos poſt te, & curremus in odorem vnguentorum tuorum. 1. Cor. 9.

Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob; & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Iſaiæ 2.

Ego dixi, nunc cœpi. Perfice quæſo greſſus meos in ſemitis tuis. Pſal. 76.

Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde diſpoſuit: in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Pſal. 83.

QVINTÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

1.Theſſ.5. *In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei.*

IMo omni tempore maximè in Meditatione & poſt eam Deo *A* gratias age pro innumeris eius in te beneficiis, *B* creatione, *C* redemptione, *D* Sacramentis, *E* dono orationis *F* virtutibus, *G* ſanctis inſpirationibus. Attende, & gratias Deo age, quòd præſidio *H* boni Angeli aduerſus *I* dæmonis inſidias te tueatur: *K* à tot periculis, morbis, lanienis, latrociniis, ruinis, aquæ igniſque iniuriis cuſtodiat. Quid verò pro tot beneficijs Deo rependes? gratias Deo age, maximè quòd adeò longâ patientiâ te tolerârit, qui aliàs fueras cum dæmonibus & impiis *L* periturus. Igitur *M* cor tuum eructans Dei laudem ad perfectionem anhelet, & in eo, eiuſque voluntate ſolam quietem eſſe ſciat, & conquieſcat.

CAPVT

CAPVT III.

Exercitium de gratiarum actione.

SVPERIORI capite habes de perfectionis ſtudio adhortamenta, & exercitia. Nunc verò ſubiiciam alia quatuor, quibus ad profectum iudicio Sanctorum iuuari poteris. Primum inter hæc locum obtinet gratiarum actio, ſicut enim ingratitudo fontem obſtruit gratiarum, ita gratiarum actio eam nobis copioſiorem facit, & vberiùs eum in nos deriuat.

PRAELVDIVM I. Conſtitue te in conſpectu Dei, & curiæ illius: magnoque deſiderio, verecundè tamen, accede ad choros Sanctorum Deum laudantium.

PRAELVDIVM II. Pete à Domino, vt det tibi gratiã, vt gratias agere poſſis; à curiâ verò illius, vt tuas laudes ſuis coniungi non dedignentur.

PVNCTVM I. Conſidera primò quid ſit homo, quòd Dominus eius ſit memor, & quid tu ſis. Secundò, quis quantuſque Deus, qui nobis tot tantaque confert bona. Tertiò, quomodo omnia, quæ in cælo & in terrâ ſunt dona ſint Dei, & quanto affectu ea dederit, quàm ſincero: omnia enim non propter ſemetipſum fecit, ſed pro te, ô homo. Quartò, quid pro eo petat, vnam ſcilicet gratitudinem. Quintò, quàm indignum vndique tot beneficiis obrui, & vſque in delicias amari, & ingratum eſſe; neque hoc tantùm, ſed pro beneficiis & bonis retribuere mala. Sextò, attende nihil eſſe quod ita hominibus diſpliceat, atque eos de quibus benè meriti ſunt ingratos experiri, vt vulgò dicatur: Ingrato homine terra nil peius creat. vti verò hominibus, ita Deo. Audi Bernardum: Ingratitudo, ait, inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratię. Ergo in viâ virtutis & progreſſu hanc ſtudioſiſſimè caue,

Ingratitude hominis deteſtanda.

Serm. 51. in Cant.

caue, & deteſtate. Etſi enim nunquam non Dei gratiâ humiliter imploranda ſit, tamen quia vel maximè initio conuerſionis & profectus gratia Dei neceſſaria eſt, ne quis reſpiciat retrò, hæc gratitudine ſeruanda & augenda eſt.

Hæccine firmâ fide credo, vt ſup.pag.8.

Pro quibus agendæ gratiæ.

PVNCTVM. II. Conſidera pro quibus beneficiis gratias agere debeas, nempe Primò, pro iis quæ Capiti & Patri noſtro Chriſto IESV, humanitati eius collata. Secundò, B. Virgini Matri noſtræ. Tertiò, Angelis quos ad cuſtodiam noſtram dignatur Dominus deputare. Quartò, Sanctis quos Patronos noſtros eſſe vult & duces in via. Quintò, iuſtis. Sextò, peccatoribus. Septimò, Eccleſiæ toti. Octauò, tibi.

Quæ beneficia conceſſa humanitati Chriſti.

Secundò, percurre potiſſima beneficia illis, tibique collata, & pro illis gratias age, pro donis Chriſti Domini noſtri humanitati conceſſis, Primò, quòd coniuncta ſit Verbo diuino; Secundò, caput ſit Angelorum & hominum; ſitque Tertiò, in eo omnis plenitudo gratiæ, ſapientiæ, ſcientiæ & ſanctitatis.

Credo tibi, &c. vt ſup.pag.7.

Quæ B. Virgini.

Secundò, pro iis quæ conceſſa B. Virgini, quòd mater ſit Dei; Secundò, abſque macula vllius peccati; Tertiò, donata gratia maxima; Quartò; maxima gloria ſuper omnes Sanctos & Angelos Dei exaltata.

Quæ Angelis.

Tertiò, pro iis quæ conceſſa Angelis, pro eorum creatione, electione, & perſeuerantia, gloria, & officii dignitate.

Quæ Sanctis.

Quartò, gratias age ob beneficia Sanctis collata, quòd ad perfectionem eos vocarit; Secundò, tot virtutibus ornarit; Tertiò miraculis honorarit; Quartò, gloria cumularit; Quintò denique, quòd eorum interceſſione plurima conceſſerit.

Quę iuſtis.

Quintò, gratias pro iis age, quæ iuſtis largitur, ſiquidem ſuſtinet eorum imperfectiones, purgat, illuminat ſcientiâ, accendit charitate, à malo retrahit, & tribulationibus

tionibus eripit, & felicem mortem concedit.

Sextò, gratias age pro peccatoribus; Primò, quia eos ſuſtinet; Secundò, vocat eos benignè ad gratiam; Tertiò, largitur temporalia; Quartò, in morte ſalutem donat. *Quæ peccatoribus.*

Septimò, pro beneficijs collatis in Eccleſiam, quòd ea Chriſtum habeat pro capite & ſponſo; Secundò, à Spiritu ſancto gubernetur; Tertiò, ſola certam & veram habeat doctrinam; Quartò, Sacramenta; Quintò, iucundam Ordinum varietatem. Poſt ſingula hæc capita recitare poteſt Canticum. *Benedicite omnia opera*, &c. *Quæ Eccleſiæ.*

Octauò, pro beneficijs tibi ſimiliter, quaſi ſoli conceſſis gratias age; pro beneficio creationis, naturæ, fortunæ, & maximè incarnationis, redemptionis, & dono gratiæ, fidei, ſpei & charitatis, orationis, &c. quòd Angelum cuſtodiæ tuæ Deus deputârit: Angelis enim ſuis mandauit de te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. neque tantùm dedit tibi, & hominibus ſingulis; ſed & Prouinciis, Religionibus, Collegiis, Prælatis, vt illi nos gubernent ſecundùm ſuam ſanctiſſimam voluntatem. Expende valdè, Primò, gratiam Baptiſmi, pœnitentiæ & vocationis; Secundò, quàm multi perierint, te ſaluo, priuſquàm ad Baptiſmum venirent, quàm multi poſt illum à pœnitentia ſubitâ morte excluſi. Attende etiam quàm multa aduerſa ſint in hoc mundo, & quot occaſiones operum miſericordiæ, & tot videbis, quot miſerijs benigniſſimus Deus te liberârit. Tertiò, inuita omnes Angelos ſanctos, & omnes denique creaturas, vt tecum laudent Deum pro immenſis beneficiis, quæ immerenti præſtat. Quartò, offer illi cor tuum, & omnes actiones, verba & opera gratiſſimo animo. *Series beneficiorum in ſingulos homines.* *Pſal. 90.*

Benedicite omnia opera, &c. vel *Hæccine firmâ fide credo*, vt ſup. pag. 8.

Pars II. Conſidera quantas gratias Deo pro dono orationis agere debeas. Siquidem per orationem omnia *Quæ beneficia contineantur in*

dono orationis. nia ad nos dona deriuari voluit: neque tamen oratione noſtrâ indiget Deus,ſed eam ad multiplicem vtilitatem conuertit. Oratio enim,vt ait D.Bonauentura, non eſt cauſa beneficentiæ eius, ſed via, vt etiamſi non propter illam, tamen ſine illâ noſtri non miſereatur. Secundò, quòd per eam liceat cum Deo colloqui, &, quoties libet,ad thronum tantæ maieſtatis admitti. Tertiò,propter effectus orationis. Primò enim iram Dei placat.

Exod.32. Orauit Moyſes, ait Scriptura,Dominum, & placatus eſt. Secundò,impetrat peccatorum veniam iuxta illud; *Matth.18.* Omne debitum dimiſi tibi quia rogaſti me. Tertiò, à periculis liberat, & malis, vt patet in Ezechiâ,qui Sennacherib *4.Reg.14.* oratione fugauit, & deleuit. Quartò denique omnia impetrat corporalia & ſpiritualia:quid ergo vtilius?*Hæccine vera,* vt ſup.pag.7.

PARS III. Conſidera, quanta ſit liberalitas Dei erga nos,qui tam facilè, vnico ſæpè verbo rogantibus nobis tanta concedit, vt patet in plurimis Sanctis; & quàm ingratum illi, quòd ſæpè non libeat gratias agere, & exercitia pietatis obire, & cum eo loqui, id eſt, orationem debitè facere, & ad perfectionem ire: vide quàm

Liberalitas Dei & hominum ingratitudo. amanter inuitet ipſe dicens: Omnis qui petit accipit, qui quærit inuenit,& pulſanti aperietur.Secundò, quãta benignitas eius,quòd tales, tam diſtractas orationes etiam non refugiat ipſe Deus optimus maximus. Tertiò, quòd pro ſuâ paternâ curâ nobis deneget, quæ noxia iudicauerit,& in tempore opportuno exaudiat. An

Matth.7. enim fallere poteſt qui dixit:Omnis qui petit, accipit; & qui quærit,inuenit;& pulſanti aperietur? Imò benigniſſimè addit dicens: Quis eſt ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, nunquid lapidem porriget ei? aut ſi piſcem petierit,numquid ſerpentem porriget ei?ſi ergo vos,cùm ſitis mali,noſtis bona data dare filiis veſtris;quanto magis Pater veſter, qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe?

Credo tibi,ô æterna veritas, vt ſup.pag.7.

Canticum

Canticum Iesv fil.j Sirach.

Confiteor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum ſaluatorem meũ. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labiis operantiũ mẽdacium, & in conſpectu aſtantium factus es mihi adiutor. Et liberaſti me ſecundùm multitudinẽ miſericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad eſcam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationũ quæ circumdederunt me. à preſſurâ flammæ quæ circumdedit me, & in medio ignis non ſũ æſtuatus: de altitudine ventris inferi, & à linguâ coinquinatâ, & à verbo mendacij & à rege iniquo, & à lingua iniuſtâ. Laudabit vſq; ad mortem anima mea Dominum, & vita mea appropinquans erat in inferno deorſum. Circumdederunt me vndiq; & non erat qui adiuuaret. Reſpiciens erã ad adiutorium hominum, & non erat. Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, & operationis tuæ, quæ à ſæculo ſunt: quoniam eruis ſuſtinentes te Domine, & liberas eos de manibus gentiũ. Exaltaſti ſuper terram habitationem meã, & pro morte defluente deprecatus ſum. Inuocaui Dominum patrem Domini mei, vt non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborum ſine adiutorio. Laudabo nomẽ tuũ aſſiduè, & collaudabo illud in confeſſione, & exaudita eſt oratio mea Et liberaſti me de perditione, & eripuiſti me de tẽpore iniquo. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini. Eccli. 51.

Praxis ad gratias Deo datori agendas.

PRIMA. Preter eas, quas variis locis habes, ea eſſe poterit, ſcripto colligere Dei in te beneficia particularia, eaq; verbis affectu plenis deſcribere, atq; ita Dauidẽ & Prophetas imitari, quibus ſolemne erat, poſt acceptũ aliquod beneficiũ ſingulare de eo carmẽ ac canticũ cõponere. Diſce, ait Bernardus, in referendo gratiã nõ eſſe tardus aut ſegnis, diſce ad ſingula dona gratias agere; diligẽter cõſidera, quæ tibi apponuntur, vt nulla Dei dona debitâ gratiarũ actione fruſtrentur. Etſi autem gratitudo magis operibus, quàm *Catalogum fac beneficiorum ſingularium* *Bernard.*

verbis ſit oſtendenda,tamen gratiſſimum Deo, ſi ob beneficia eum ſæpè laudemus,eaque meditemur. In ſingulis verò conſideranda ſunt quinque; Primò infinita dignitas largitoris; Secundò,infinita charitas;Tertiò,beneficij excellentia;Quartò,vilitas abiectioque noſtra;Quintò, infinita Dei liberalitas.

In ſingulis Dei beneficiis quinq; obſeruanda

Vtque gratiæ ritè agantur, rogandi beati illi ſpiritus; vt, quia ſatis dignas agere gratias nõ poſſumus, nos iuuare dignentur. Deinde omnes creaturæ inuitandæ,muneraq; viciſſim offerenda: Primum eſt, Dominum pro tuo Deo ac Domino agnoſcere,vt Jacob:Si,inquit, fuerit Deus mecũ, & cuſtodierit me in viâ per quam ego ambulo; erit mihi Dominus in Deum. Quò pertinet, facere decretum, nunquam ſibi aliquid tribuendi,cùm illi omnia oporteat,qui in omnibus omnia operatur.Secundum, ſtatuere Deo gratis, & non tui commodi cauſâ,ſeruire. Tertium,offerre ei omnia opera tua,labores,& te totum,ad omnia quæ ſapientię illius æternæ,& paternæ prouidentiæ viſa fuerint,proſpera & aduerſa,Sic præcinit regius Propheta dicens: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem,ait,ſalutaris accipiam, (et ſi amarum) & nomen Domini inuocabo.Vota mea Domino reddam,(etiam cum ipſâ vitâ) quia precioſa in conſpectu Domini,mors Sanctorum eius:quia ſcilicet ſibi,& mundo moriuntur.

Geneſ.28. Quo pacto grati Deo eſſe poſſimus.

Pſal.115.

Secunda.Quemadmodum verò recogitamus annos præteritos in amaritudine animæ noſtræ,ita pro grauiorũ peccatorum remiſſione,quorum ſeruitute durâ liberati ſumus, gratias agere oportet, & pro infinitâ bonitate Dei erga nos, ſimul conteri de malitiâ noſtrâ:ac exultare in Domino,quia iuſtitia eius & pax oſculatæ ſunt, veritas & miſericordia obuiauerunt ſibi.Immò aliquod opus pium, quaſi in compenſationem,& gratiarum actionem Domino retribuere conuenit.

Pro grauiorũ peccatorũ remiſſione agẽdæ gratiæ.

Tertia. Quoties aliquod à Deo beneficium accepimus, quia retribuere ei nihil poſſumus, proximo in eodem genere,ſiquidẽ id fieri poteſt,conferamus.Ideò decimas omnium,quæ poſſidebant Iſraëlitæ,ſibi Dominus tribui volebat,& primogenita conſecrari. Imitare,& anima tua,quæ benedicit,impinguabitur.Ad locum enim,vnde exeunt flumina gratiarum,reuertuntur vt iterum fluant.

Pro accepto à Deo beneficio, proximo aliquod reddendum.

Prou.11.

Dignatus es, &c.vt ſup.pag.10,

IACV-

IACVLATORIÆ

CVm Deo tam ſit accepta gratitudo, viri ſancti ac Prophetæ nullâ in re magis, quàm gratiarũ actione ſe exercuiſſe videntur; hinc totis pænè pſalmis hoc vnum Dauid agit: accipe tamen aliquot verſiculos tam ſancto gratitudinis exercitio accommodatos.

Sit nomen Domini benedictum in ſæcula: ante ſolem permanet nomen eius. Pſal. 71.

Magnificate Dominum mecum & exaltemus nomen eius in idipſum. Pſal. 33.

Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, totâ die magnitudinem tuam. Pſal. 70.

SEXTÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Examina defectus tuos; & vitio exſcindendo, ac virtuti plantandæ incumbe.

TVam ſæpè, qui perfectioni ſtudes, *A* excute conſcientiam, ab eaq; *B* rationem exige coram *C* Chriſto iudice. pone tibi ob oculos D Dei præcepta, *E* regulaſq; tuas, vide vt te *F* dæmon accuſet, quamq; parũ *G* boni egeris; proculca *H* peccatum; & quemadmodum id fugias vide: mox deinde infelicem peccati *I* arborem, cuius fructus mors eſt, exſcinde ſancto ac firmo propoſito, & nouam *K* virtutem inſere. Tum *L* oppugna *M* vitium illud peculiari curâ & examine, illud inquam vitium quod te præcipuè in *N* decalogi, *O* regularumq; tuarum obſeruatione, id eſt in viâ Dei retardat. Inuigila in omnem victoriæ *P* occaſionem, & aduerte primum virtutis gradum eſſe moleſtiſſimum, ſecundum faciliorè, tertium facillimũ.

CAPVT IV.

De Examine generali & particulari.

INTER alia pietatis exercitia, quæ ad profectũ vel maxime conducunt, eſt crebrò conſcientiam diſcutere, & ſui examen inſtituere. De hoc dicere poſſumus: ſi noſmetipſos iudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino. Examen autem hoc generale facito tanquam ſi coram Deo & Angelo ac dæmone te accuſante id inſtitueres. Conſtat autem partibus quinq; quas primò breuiter, deinde diductas accipe. Eas enim Meditatione ſeriâ expẽdiſſe plurimùm prodeſt, vt quotidie deinde cum fructu & affectu ſemel atque iterum examen inſtituatur.

Puncta examinis generalis. Prima, eſt gratiarum actio pro omnibus beneficiis acceptis.

Secunda, eſt imploratio gratiæ pro cognoſcendis & deteſtandis peccatis.

Tertia, diſcuſſio ſui: incipiendo à poſtremo examine, & quoad fieri poteſt, cogitationes, verba & opera examinando ad Decalogi, & Regularum ſuarum, ſi quis ſit Religioſus, normam.

Quarta, deteſtatio defectuum & peccatorum, variis conſiderationibus excitata.

Quinta, propoſitum, quo quis decernit in futurum vitam in melius inſtituere; ad quod conducet primò, agenda & patienda proſpicere, atque ad vtrumque animum comparare.

Exercitium de examine generali.

Modus agendi gratias in Exam. PVNCTVM I. Conſidera Primò, quot titulis Creatori & benefactori noſtro par ſit gratias agere. Secundò, vide ſurſum, & nihil aliud aduertes agi à Beatis. Tertiò, attende deorſum, & audies nihil ſonare inferos præter ingratitndinem, perpetuaque in bonitatem infinitam maledicta. Jamque vide quibus aſſimilari ex-

optes.

optes. Quartò, vide quàm paruo pro tantis eius beneficiis ſatisfacere queas; & cum ſingulis Sanctorum ordinibus, atque Angelorum choris, exalta vocem cordis tui, & de omni corde tuo Deum ac Dominum noſtrum laudare contende, vt pluribus cap. ſuperiore dictum. *Credo tibi*, &c. vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM II. Conſidera, quantis tenebris inuoluti ſimus; quot errores mundum inuoluant, ſapientiſſimoſque mortalium abducant in turpiſſima flagitia & inſanias. Secundò, quàm multi Sancti grauiter ob occulta peccata periclitati fuerint. Tertiò, quàm incerti ſimus ſemper, amore an odio digni ſimus. Hinc collige quantâ humilitate & inſtantiâ oporteat ſupplicare Deo Patri, vt memoriam firmet; Deo Filio, vt intellectum illuſtret; Spiritui verò ſancto imprimis, vt voluntatem peccata cognita deteſtandi largiatur. *Quàm neceſſarium ſit Spiritus S. lumen.* *Eccleſ. 9.*

Illumina Domine, vt inf. pag. 188.

PVNCTVM III. Conſidera ſemitas domus tuæ, & ingredere in cubiculum cordis tui, & vide quàm ſit neceſſe emundare illud, & animam tuam ſanare. Primò, à letalibus vulneribus, & eiicere ex eâ capitales hoſtes, occupantes thronum, in quo dignaretur ſedere benigniſſimus Saluator noſter IESVS, & ad nos venire cum Patre & Spiritu ſancto, & manſionem apud nos facere. Et ſi attendas quantâ ſedulitate ea, quæ circa corpus ſunt, munda eſſe velis, facilè colliges quid in animâ, quæ pretio ſuperat cælum & terram, fieri oporteat. Secundò, aſpice quàm vtile iam rationem reddere, & æterni lucri damna reparare: & in futurum proſpicere. Tertiò, quanta prudentiâ ſit ſeipſum perficere; & aduertere vbi errore, vbi malitiâ, vbi facilitate à recto deuiauerimus. Hoc nos, ait Seneca, peſſimos facit, quòd nemo vitam ſuam reſpicit. quid facturi ſimus, cogitamus, & id rarò; quid fecerimus, non cogitamus: atqui conſilium futuri, ex præterito venit. *Modus diſcuſſionis ſui.* *Seneca l. 21 epiſt. 84.*

Haccine firmâ fide credo, vt ſup. pag. 8.

Motiua deteſtationis peccatorũ

PVNCTVM IV. Conſidera, quantum doleat, qui parentum, liberorum, bonorum, honoris, fauoris, lucri iacturam fecit: & vide quanto magis dolendum illi, qui lucri æterni, gratiæ Dei, fauoris illius detrimentum ſubiit. Secundò, quantum dolere oporteat, quod tam bonum & benignum Patrem & benefactorem homo offenderit, retribuendo mala pro bonis. Tertiò, vide vnde contingat relapſus, & aduertes fieri ex defectu veri doloris; ideoque in hoc maximè te exerce.

Credo tibi, &c. vt ſup. pag. 7.

Modi formandi bona propoſita

O quanti eſt velle!

PVNCTVM V. Propone firmiter coram Deo & Angelis eius, vitare defectus, maximè eum, quem examine particulari ſtudes corrigere: & vide quanti ſit, in re qualibet firmum decretum. Collige verò ex eo, quòd videamus eos, qui inimici ſocietatem æterno decreto vitare, & periculum corporis fugere ſtatuunt, vix adduci vllo pacto poſſe, vt à ſententiâ diſcedant. Triplici autem modo firmantur decreta & promiſſa. Primò, ſi coram alijs fiant: fac igitur coram Angelis, & Sanctis Dei, & Patronos inuoca. Secundò, ſi pœna adijciatur: ſtatuere igitur conuenit ſibi, ſi relabatur, ſpontaneam aliquam afflictionem. Tertiò verò, iuuat indicare eadem aliis, maximè Confeſſario, vt humano etiam reſpectu confirmeris. Quartò, in particulari deſignare, qualiter vitam inſtituere velis. Quintò, quomodo etiam in aduerſis te gerere.

COLLOQVIVM.

Exercitium pro examine complectens præcepta Decalogi.

Pſal. 12.

ILLVMINA, Domine, oculos meos, ne vmquam obdormiã in morte, neq; in peccato conquieſcam; ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eũ: veni, lux vera, quæ illuminas omnem hominem, pelle tenebras cordis mei, vt videam te ad quem ſuſpiro. O quàm deſiderauit anima mea te in nocte! tu ſcis: donec aſpiraret dies, & inclinarentur vmbræ: & tu, cui

nomen

nomẽ Oriens; ſplendeſce in corde meo. Obſecro te, ô bone IESV, *præcede me ad oſtendendam viã per diẽ in columnâ nubis, & per nocte hanc in columnâ ignis: ſine te enim mediâ vitâ in morte ſumus; ſine te ſumus ſicut oues errantes, ſine te cæci, & neſcimus viam, in quâ ambulemus. O veritas æterna, diſſipa cordis mei caliginem, vt inter tot viæ & vitæ huius varietates, ad te veniam, propter quem ſum, viuo & ſuſpiro.*

1. *Ecce ſto corã te hodie, Deus meus, & confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te, quoniã iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſuper caput meum, & delicta mea creuerunt vſque ad cælum; ſed ſto coram patre filius, corã aduocato meo reus, coram redemptore meo ſeruus, ideoq́ attollo oculos & mentem, & ſpem meã, vt propitius fias peccatis meis, & deleas omnes iniquitates meas. Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus. Fac, vt memor ſim vnde exciderim, & pœnitentiam prima opera faciam. Debui te creatorem meum amare ex toto corde meo: idẽ tecum velle & nolle, & in te ſolo confidere; tibi credere. Sed eheu! diuiſum fuit cor meum, & poſui carnem brachium meum; & ad nihilum redactus ſum; & neſciui quòd in te ſolo ſtare, viuere & moueri poſſim & debeam, neque vnquam erubeſcere, aut quæ ſupra me ſunt, ſcrutari: ſed humiliari ſub potenti manu tuâ.* 1. Eſdr. 9. Actus pœnitentiæ maximè circa primum præceptũ Ierem. 31. Apoc. 2. Ierem. 17

2. *Quemadmodum autem cor meum abiit in vanitates; ita etiam lingua mea inflammauit rotam natiuitatis meæ: quaq́ deberet eſſe lignum vitæ, te laudare, de te loqui, ô omne bonũ, mihi aliiſq́ mortis occaſionem dedit. O beatum & perfectũ, qui non eſt lapſus in linguâ! qui enim putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam! huius vana eſt religio. O ter felicem, qui reddidit tibi vota ſua perfectè, quæ diſtinxerunt labia ſua! Ecce ô Deus meus, reddo tibi hæc mea N. coram omni populo tuo ex toto corde meo.* Secundũ præceptũ Iacob 3. Ibidem.

3. *Atq́ vtinam ſaltẽ delectatus fuiſſem in te, & Sabbatum delicatũ ſeruaſſẽ, in officiis tuis feruens: & exultaſſent labia, cùm cantarẽ tibi: ſpalliſſem voce, ſpalliſſem ſpiritu, vt delectarer in voce laudis tuæ! viſitaſſes enim terram, & inebriaſſes eam, & multiplicaſſes locupletare eã: flumen Dei repletum eſ-* Circa tertium præceptum. Pſal. 64.

ſet

ſet aquis,& lacrymæ meæ vinum fuiſſent Angelorum: benedixiſſes coronæ anni benignitatis tuæ,& campi tui,potentiæ animæ meæ impletæ fuiſſent vbertate, & pinguia fuiſſent facta ſpecioſa deſerti:valles abundaſſent frumento,frumento electorum:& me vino ſtabiliuiſſes,in ſacro Miſſæ ſacrificio,vino electorum,vino quod germinat virgines.

Deuotionis & Religionis. fructus.

Circa quartum præceptũ Obedientiæ & Superiorum obſeruantiæ.

4.*Tum fuiſſet mihi cibus facere voluntatem tuã,id eſt,Superiorum meorũ:propter te alacriter & perſeueranter obediuiſſem illis,neq; durâ ceruice,& incircumciſo corde,etiam in paruis Spiritui ſancto aliquando reſtitiſſe:ipſi enim nõ mandant mihi,ſed ſpiritus tuus, qui loquitur in illis;quia dixiſti: Qui vos audit,me audit.Quã libens,ſi hæc cogitarẽ,iis honorem,& amorẽ,& quæcumq; alia tribuiſſem, vt vicariis tuis; cùm peruigilent quaſi rationẽ pro animâ meâ reddituri!Sed & ego ſubditis meis,vt tibi,me exhibuiſſẽ, neceſſaria curaſſẽ, infirmitates patienter & onera portaſſem ; ſciens quia quod vni ex minimis facio,tibi facio,ô Deus meus,& omnia.*

Lucæ 10. Hebr.13.

Matth.25

Circa quintum præceptũ

5.*O quantus hic eſſe ſtimulus debet,ne vllũ cogitatione inuidiæ,verbo iniuriæ, aut facto lædam:ſed pacem ſeruẽ,quoad fieri poteſt,cum omnibus;pacem Chriſti,quæ exſuperat omne gaudium!ſumus enim filij tui,qui facis ſolem tuum oriri ſuper bonos,& malos. Et ſi amicos tantùm & beneuolos diligam & ſalutem;ecce etiã Ethnici hoc faciunt,& feræ:vincere autem in bono malum,hoc gratiâ tuâ filiorum tuorum eſt , & vnicum votum meum, vt in eorum numero cenſeri valeam.*

Matth.16

Actus charitatis circa proximum.

Circa ſextum præceptum.

Cordis. munditiæs,& auxilium ad eam.

6.*Talis enim agnoſci in extremo iudicio ſpero;ideoq; ſanè longè facere à me volo deſideria turpia & illecebroſa,vt mundo corde te aliquando videam,& non peccem in corpus meũ, aut proximi mei: ſed diligentiſſimâ oculorum & ſenſuũ cuſtodiâ,repellam iacula ignita,igne illo candentia, qui ad internecionẽ deuorat,& ſancta omnia profanat.Cor hoc mundum crea in me,Deus meus,& ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis:auerte à me ſuperbiam, quam iuſto tuo iudicio luxuriæ ſupplicio caſtigas,vt ſaltem vel ſic homo humilietur, & ſe agnoſcat,quia ſimilis erat ei,qui conſiderauit ſe in ſpeculo,& abiit,& oblitus eſt qualis fuerit.*

Pſal.50.

Superbia punitur per luxuriam.

Iacob.1.

7.Con-

7. *Concupiſcentiã hanc reſtingue, quæſo in ſeruo tuo, & ſimul etiam oculorum, ne cupiditate, radice omnium malorum, accenſus, aliena capiam, abſcondam, damna inferã: qui iuxta mandatum tuum, tribuere debeo mea; & inter beatos annumerari cupio, & pauper eſſe ſpiritu, ac potiùs derelinquere omnia, quàm perdere te, & omnia.* Circa ſeptimum præceptũ

Omnes pauperes ſpiritu eſſe debẽt.

8. *Et hæc quidem concupiſcentia, ſcio, diſplicet maieſtati tuæ, ſed longè magis os bilingue & mendax (quia veritas es Deus meus) vti & proximum linguâ percutere, famam illius denigrare, ſeruum alienum iudicare. Ab his, precor, protege me Saluator meus. nam, ſcio, vulnerat te dirè, qui ſic pungit fratrem ſuum: te cruciat, qui affligit & contemnit illum, quem tanto precio dignatus es.* Circa octauum præceptũ Ioan. 8.

Qui pungit fratrẽ, Deũ cruciat.

Ah vtinam per hæc nunquam maieſtatem tuã offendiſſem! neſcio, ô Deus meus, Creator meus, Redemptor meus, quomodo ſic oblitus fuerim tui, qui nunquam non recordaris mei; mei, qui non ſum: omnes enim gentes ſunt corã te, quaſi non ſint & quaſi nihilum & inane reputantur. O ſi quis mihi daret fontem lacrymarum, vt plorarem die ac nocte; quia te dereliqui fontem aquæ vivæ; & peccavi in cælum & coram te; te, qui tribus digitis appendis orbem, & omnia opera noſtra in nobis operatus es! Aquæ certè multæ peccatorũ meorũ non potuerunt extinguere charitatem tuam, quã tot tantiſq; beneficiis, & maximè in paſsione tuâ declarare dignatus es, & quotidie dignaris in memoriali Mortis & Paſsionis tuæ. Cũ verò ita ſit, memoria memor ero ſemper tantæ charitatis tuæ, ô IESV, *& tabeſcet in me anima mea præ deſiderio tui, & liqueſcet ad amoris tui radios, ô ſol iuſtitiæ, ô vtinam ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereãt peccatores hodie, & imperfectiones meæ à facie tuâ Deus meus. Benedictus ſis, Domine Deus meus, in æternum; quia benignus & miſericors ſuper malitiâ meâ; & non feciſti mihi ſecundũ peccata mea; ſed ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ, & toties me viſitare dignaris.* Contritionis exercitium. Iſaiæ. 40. Luc. 15. Iſaiæ 40. Iſaiæ 26. Cant. 8. Applicatio ad Communionem.

Nunc verò laui pedes meos; nõ vltrà tuâ gratiâ, inquinabo illos, lotus enim ſanguine tuo, non iterum pollutũ eum ducam, & rurſum mihi te crucifigam, Chriſte IESV, *ſpes mea:* Propoſitũ emendationis.

ſed

ſed diligenter cauebo, ne quid in me diſpliceat puriſſimis oculis tuis; ambulabo coram te, omnes diligã propter te; & quidquid ſanctiſſimæ tuæ voluntati collibitum fuerit, gratiſſimum mihi erit, & accipiã de paternâ manu tuâ. tibi enim viuere, tibi mori cupio, ô vita, ô ſalus, ô gaudiũ meũ. Id profiteor hodie corã te & curiâ tuâ cæleſti vniuersâ, teſtẽ illã inuoco deſiderij mei, & auxilium infirmitatis meæ, ad gloriã tuam. Amen.

Praxis peragendi examinis generalis.

PRIMA. Poſt examen ſollicitè rurſum incipe ambulare coram Domino Deo tuo, ac propoſita pèr ſingulas horas, vt minimum, renoua.

Vrgenda familia vt examen faciat. Secunda. Imò poteris ad ſingulas breuiter tuam executere animam, eâdem ferè normâ.

Tertia, ſi paterfamilias ſis, effice vt familia, vel communiter hoc examen inſtituat ſimul, vel ſinguli. Sic enim ad cor redibunt, & placabunt Dominum ſibi & familiæ tuæ: *Affligitur aliquando aut benedicitur familia propter vnum. Gen. 30.* quam ſæpè flagellat iuſto iudicio ob vnius improbitatem Deus, quemadmodum ob famuli pietatem eidem benedixit, vt Scriptura de Iacob commemorat, ob quem domum Laban locupletauit.

Lib. de monte contemplationis. Quarta, Nota hoc examen poſſe vſurpari per modum meditationis, de quo Gerſon ſcribit hoc pacto: Noui perſonam, quæ non modicum profecit per hoc, quòd diligentiùs ſeipſum intuebatur quaſi pauperem & miſerum, & in cælum mente conſcendens à ſingulis Sanctis mendicabat ea. Itaque pauperem eiuſmodi imitare, & inopiam à virtutibus, & morbos ac vulnera animæ oſtende Domino ac Sanctis eius, atque opem implora. *Spiritualis mendicatio.*

Quinta. Quia examen particulare pluribus eſt tractandum, hoc ſolùm hîc obſerua, expedire perſępè, maximè occupatis, vt ſimul cum generali id faciant.

Praxis examinis particularis.

CVM ad perfectionẽ nõ niſi gradatim aſcendatur, explicandũ hîc erit examen particulare, tantopere à S. P. Ignatio commendatũ. Eſt verò illud, quo quis ſtudio ſingulari, ac, vt ita dicã, certamine, ſingulos defectus aggreditur ſuperare, & virtutes gradatim acquirere. ad quod, Dei gratiã ſequẽs directio iuuabit. Vt autẽ ea quis in ſingulis fructuoſè vtatur, antequã cõtra aliquod vitiũ particulare examen inſtituat, vt Bern. monet, agnoſcere ſe debet homo, ad quæ ſit bona naturaliter propenſior, vel ad quæ mala procliuior *Bernard. de inter domo.*

clinior: quibus exercitiis valeat meliùs promoueri, quibus vitiis faciliùs corrumpi: quid pro his pœnę vel præmij exſpectare: quantum quotidie proficiat & cum quanta induſtria ſatagat præterita mala deflere, pręſentia declinare, futura præuenire, cum quanta animi conſtantia ſtudeat reparare bona amiſſa, cuſtodire & multiplicare poſſeſſa. Per hoc ad ſui cognitionem, quã tum Philoſophi, tum Sancti omnes adeò commendàrũt, perueniet: quæ ſanè in eo potiſſimùm conſiſtit, vt animæ defectus intelligamus. Ad quod poterit juvare etiã lectio D. Bernardi de Conſideratione, & Interiore domo, S. Bonauenturæ ad Nouitios, Seraphini Firmani de Animæ imperfectione, Thomæ à Kempis lib. 4. c. 7.

Cognitio ſui quo pacto comparari poſſit.

Item conſulere Superiorem, Confeſſarium, & vitam ſuã præteritam conſiderare, attendendo radices malorum, quibuſque de rebus fuerit aliquando ab æmulis redargutus, aut à Superioribus ſæpiùs commonitus. Hac ratione cognoſcet quis vitia animæ ſuæ præcipua, & quo ordine aggredi quæque debeat.

Ordo verò hic eſt, vt externa vitia, & quæ alios offendunt, vel quæ noſtrum maximè retardant progreſſũ, primò impugnet, quod in vitijs locum habeat: in virtutibus verò eſt, vt in eis quis ſeſe primò exerceat, quę magis neceſſarię, vtiles, vniuerſales & ſolidiores; vt ſunt, Pura intentio, Communicatio cum Deo, Zelus animarũ, Amor Dei, Humilitas, Obediẽtia, Patiẽtia, ferre alienos defectus, nulli detrahere, nullũ offẽdere, nulli contradicere; in primis verò contemptus rerũ humanarũ, atq; Odiũ ſui, & mortificatio quęrẽda.

Quis ordo inſtituendus.

Circa quæ priùs faciendum particulare examen.

Notandum hic eſt, quod ſi in virtute nos exerceamus, non totam ſimul amplectendam eſſe, ſed gradatim & conſtanter à facilioribus ordinariè inchoãdum, v.g. pro acquirenda humilitate. Primò, videat ut ſe non laudet; Secundò, ſtudeat nolle laudari; Tertiò, quoad poteſt vitet agere corã hominibus, vnde laudetur; Quartò, excuſationem omnem excludat; Quintò, etiam cogitationes ſuperbiæ, ijſque invigilet; Sextò, exerceat ſe in eo vt omnes habeat velut ſuperiores ac meliores. Hoc autẽ ſic accipe, niſi aliquis tantùm vnum vitij caput in ſe deprehenderet, ſeu ramum: tum enim, vt patet, illum exſcindere ſolùm neceſſe eſt.

Per partes vitia extirpanda.

Tempus verò ſeriò in vitio extirpando ponendum eſt, quouſque ſuperemus, aut ſaltem in tantum proficiamus, vt facilè tentationibus reſiſtere, & heroicos actus elicere poſſimus: aut, ſi de virtute agitur, quouſque eam facilè exercere in occaſionibus poſſimus.

Quanto tempore.

Cùm autem iuxta Caſſianum & B. Ignatium, tempore quo

Omnia exercitia ad

vnum referantur. quo examen hoc particulare contra vnum omnino vitium debellandum exercetur, omnia exercitia, orationes & cogitationes eò referendæ ſint, additiones quæ ſequuntur iuuare ad id poterunt, ad quas ritè faciendas dies vnus aut alter eſt impendendus earum conſiderationi & praxi, priuſquam cum vitio certamen, vt ita dicam, ineatur ſingulare.

Vitij extirpandi natura ſcrutanda. ADDITIO I. inter has eſt, collectio eorum quæ ad hoc vitium ſpectant, vel virtutē: conuenit enim vt colligat Aſceta ex auctoribus ſibi, quod ſæpè concionatores alijs faciunt; Primò, quæ vitij vel virtutis natura, ſigna gradus & effectus, ſcire enim quēque oportet in quo gradu ſit, quaſque habeat occaſiones lapſus, attendere. Ad hæc Peraldus, P. Leſſius L. de Iuſt. & iure in fine, Viridarium & Panarium Buſæi, D. Bonauentura de Profectu, Arias de Mortificatione, & alij materiā dabunt. Secūdò, remedia colligat ex ijſdē. Inter hæc ſunt praxes, vt dare eleēmoſynā, facere hoc vel illud opus piū, quoties lapſus fuerit. Tertiò, motiua, quę ſunt exempla & ſimilitudines, vitium viuè repræſentantes ipſiuſque vitij fœditatem & moleſtiam; item ſententiæ S. Scripturæ rationes aliquæ ab vtili, honeſto, iucundo, ex ſacris & Philoſophis; præmia denique virtutis, & pœnæ à Deo hominibus inflictæ huic vitio obnoxiis.

Quærenda remedia contra id ipſum.

Hæc ordine deſcribere poteſt, ac Primò quidē vitii natura, fœditas atq; occaſiones, quæ ſunt, & eſſe poſſunt, ponātur; Secundò, rationes aliquę. Tertiò, ſentētię graues; Quartò, exempla Chriſti & Sanctorū, &c. Quintò, ſimilia; Sextò, præmia & pœnę; Septimò, praxes. Harū vna eſt deligere motiua efficaciſſima quæque, & iis ſe excitare propoſitā ſibi aliquantiſper in genere vitii & virtutis occaſione quā habuit, aut habere poteſt, hanc amplectēdō, illud refutādo: quia ſic minor eſt repugnātia, dum enim hanc ſibi repræſētabit occaſionē, ſimul voluntatē exercebit circa virtutē, vt illā appetat; circa vitium, ut illud deteſtetur. Poſtea in particulari ad faciliores actus exequēdos ſe accingat, vt victoriis ſe animet. Tertiò, difficiliores & propinquos exerceat. Quartò, remotiores quos primò exercere, vt v. g. martyrium optare, ſuadere ſolet magno aſtu diabolus, ut nos inflet, atque inanes relinquāt, perturbet verò minutioribus. Tamen in ipsâ occaſione oblata pugnare, & eam ad hoc quærere ſi non detur, vtilius eſt (excepto turpitudinis vitio, cuius omnis occaſio & memoria eſt fugienda.) Quòd ſi illa non inuenitur, eam nobis repræſentare, vt dixi, debemus certis locis & temporibus. Quod diligenter notandum: ex eo enim magnus fructus eſt, dūm præludimus ante pugnam, & prouidè futuris tempeſtatibus occurrimus.

A facilioribus examen particulare inchoandum.

Occaſio pugnæ quærendæ præterquam in carnalibus.

ADDI-

Additio II. Videndum vt frequenter conſideret Aſceta præterquam quòd quotidie circa prandium in examine, & veſperi] profectum ſuum atq; defectũ, v.g. ſingulis hebdomadis & menſibus aliquo certo tempore conſideret animi morbum, an curetur, an remedia non ſufficiant, &c. Si enim ita ſit, alia adhibenda ſunt: aut certè profitemur nos nō curari velle, ſed fruſtrà fatigari. Videat autem cōferendo diē cum die, hebdomadã cum hebdomada, menſē cum menſe; an plures errores commiſerit, an plures victorias reportauerit: etenim hæ vel illi numerandi ſunt. Victorias numerare iuuat in principio, cum plurimi ſunt defectus; errores, cùm pauciores ſunt. Imò perutile aliquot victorias ſibi neceſſariò ſub aliqua pœna, vel ad honorem huius, vel illius Sancti præſtituere acquirendas: quas cùm magno deſiderio quærere Aſceta deberet, & cũ actu reflexo, vt dici ſolet, exercere; vel ſi de virtute agatur, ſtatuere exercendos numero aliquot actus illius, magno affectu, & cũ reflexione. Hoc enim modo valdè ſe quiſque promouebit; ſed magis adhuc, ſi plures inter ſe conſpirēt, exēplo mercatorũ & militum; quorũ illi bonorũ, hi victoriæ ac periculorũ ſocietatē ineunt. In Actis narratur cōſpiraſſe ac iuraſſe quinquaginta viros, dicētes Principi Sacerdotũ: Deuotione deuouimus nos nihil guſtaturos, donec occidamus Paulũ: æmulemur & nos glorioſè. Pulchrũ certè certamē eſt in cōſpectu Dei, in quo mundus triumphatur, diabolus ſuperatur, de regno cælorũ vim faciēdo cōſpiratur, ac denique æterna gloria cōparatur. Quòd ſi hâc praxi vterentur Superiores; ſuauiter ac fortiter pia exercitia, atq; Regularũ obſeruationē introducerēt, maximè ſi etiã priuilegia quę poſſent, pietati tribuerēt. v. g. cuperet quis ſeruari ſilentiũ efficiat vt conſpirent in hoc aliqui, ac pœnitētias ſibi ſponte ſtatuãt, & ſi illa nō ſufficiat, velut medicina, aliã addant, donec euincãt. Sic ſolet humana prudentia ac induſtria alia omni in re factitare: ſi enim vna columna non ſufficit domui, vnus equus currui, vna cohors hoſti ſuperando, alia aduocatur.

Exigenda ſubinde ratio profectus.

Conſpiratio aliquorum in aliquod vitium laudabilis.

Act. 23.

Additio III. eſt vt meditatio fiat de virtute propoſitã, motiuaq; illi propria, pro materia meditationis accipiãtur, quēadmodũ & iaculatorię, quas per ſecundũ orandi modũ S. P. Ignatii liceret conſiderare; vel ſaltem meditationem conueniret materiæ examinis applicare, etiãſi meditatio ex profeſſo de virtute illa nō inſtitueretur. Habes interim ad hoc infra meditationem de vitio & virtute in genere.

Meditatio commendata.

Additio IV. Orationes & exercitia pietatis huc omnino ſũt dirigēda; adeò vt omnibus hoc petatur cũ ingēti fiduciã, ſępè ejaculãdo pios affectus, & importunitatē viduę

Qui vitium aliquod extirpare, vel virtutẽ acquirere velit, omnia pietatis exercitia eò dirigat, oportet.

Euangelicæ imitando, nec difficile id erit, ſi attendamus triſti omnia triſtia, lęto lęta, & homini vt affectus eſt, ita & alia ferè apparere. Ad hoc operę preciũ erit ſemel ſemihorâ vnâ & alterâ conſiderare, vt omnia ferè huic rei expeditè poſſint applicari. Poteſt etiam fieri oratio ex motiuis præcipuis, contra hoc vitium, vel pro virtute conflata, quæ omni, clypei inſtar, tentationi opponi poſſit, ſic & Patroni deligi, & invocari, qui hâc virtute claruerũt, quotidie, manè potiſſimum: quin & illã orationẽ tum expediret recitare.

Pœnitentiæ etiam pro commiſſis erroribus aſſumendæ.

ADDITIO V. Mortificatio inſuper eſt adhibenda, quâ pœnitentiam aliquã ſpontaneã Aſceta, quoties errat, aſſumit [quæ ſi in ipſo vbi admiſit errorem loco fiat, vtile] ſicut eſt tundere pectus, vt B. P. monet, &c. Poſſet etiam aliqua aſſumi, donec quis obtineat quod poſtulat, v. g. jejunare à vino, vt Nazaræorum olim mos erat, vel ſale alióue obſonio ad tempus abſtinere. Verùm actio virtutis contrariæ, ſi vitium extirpare coneris, pœnitentia eſt omnium ſaluberrima. Aliæ autem mortificationes in cibo, potu, curioſitate, ſilentio, &c. eò dirigi poſſunt. Valdè etiam vtile ſi quis ex zelo eandem tecum faciat pœnitentiam, donec defectum emẽdaris tuum, tum vt faciliùs à Deo impetres, tũ vt amici hominis ſpontaneum pro te ſuſceptum ſuppliciũ, ad officium tuum præſtandum tibi calcar addat. Aliena hæc mala cordatus faciliùs ſentit, quã ſua. Sic nouimus Sanctos pœnitentiâ peccatorum in ſe partẽ à nocẽte trãsferre ſolitos: S. Ignatium luxurię mancipiũ in gelida ſtando, à ſeruitute liberaſſe, & S. Xauerium ſimili induſtriâ obduratum hominem emolliuiſſe.

Adiumenta memoriæ.

ADDITIO. VI. Renouationẽ propoſiti frequenter exercendam, ad quã affectus vehemens facilè viã oſtendit. Quia verò frequens illa propoſiti renouatio omittitur aliquando defectu memoriæ, iuuare hanc poterit, vel ſignis certo loco poſitis, v. g. ſententiâ ante ſe in menſâ, vel funiculo ad brachium circumligato, certiſque temporibus deſignatis, quibus id renouandum. Inter tempora Primum ſit matutinum, quo conſideratâ aliquâ vitij occaſione, vel pluribus, iiſque habitis vel habendis, Aſceta motiuum aliquod conſiderat, & vel pulcritudine virtutis, vel vitij fœditate ſe excitat, ac proponit occaſiones ſolitas diligenter vitare, vitiumque execratur: vel ſi de virtute agatur, illam, illiuſque occaſiones amplectitur. Secundum tempus eſt meridianũ, quo hoc examen breuiter inſtituendum eſt, aut ſeorſim, aut initio examinis generalis; & deſiderium renouandum ſicut manè, ac conferendum examen hoc cum priore. Tertium

eſt

eſt veſpertinum, quo idem faciendum. Quartum eſſe poteſt & diligenter notandum, veſperi in lecto: altè enim imprimitur, quod ante ſomnum animo ſuo quiſque voluit. Quintum, dum auditur hora, quo ſimiliter ex aliquo motiuo, occaſione virtutis ſibi repræſentatâ, renouandum propoſitum cum aliqua jaculatoria: quæ ſi fieri poſſit, vim motiui contineat. Imò expediret ſingulis motiuis ſuam jaculatoriam adjicere, atq; ita ipſam quoq; variare, vt ſemper aliquid noui poſſit mens noſtra, & cum recreatione ruminare. Sextum tempus eſt occaſionale, cùm occaſio eſt, vel inſtat labendi, aut virtutem exercendi: quo tempore eo diligentiùs, quo magis neceſſarium, renouandum illud eſt, repræſentatâ ſibi occaſione propoſitum. Huic renouationi propoſiti circa examen particulare exemplo SS. Gulielmi, Bonauenturæ, S. P. N. Ignatij, & aliorum, vtiliter adjicietur breuis conſideratio horæ præteritæ; videndo an tranſacta ſit vti oportuit, vti quis ſibi conſtituerat, an quid peccatum in materia examinis particularis: deinde quid proximâ horâ faciendum præuidendo, atq; omnia Deo, B. Virginis manibus offerendo. Poterit autem ita vt hic præcepi, vel prout cuique magis placuerit, fieri. Verbi gratiâ, ſi in humilitate quis ſe exerceat: O Iesv, *qui pro me flagellatus es, & humillimus fuiſti* (ſic myſterium aliquod doloroſum, gaudioſum vel glorioſum, memorari poſſet) *quid retribui tibi*; (hîc examinari hora poteſt lapſa) *Quid retribuam hoc vitæ meæ momento irrecuperabili*; (hîc fieri conſideratio & propoſitum de futura.) *Offero me, vota mea*, (ſi Religioſus es) *& actiones meas, ſenſus & propoſita mea, in vnione meritorũ tuorũ, & gratias ago pro bonis & malis quæ per creata mihi cæco & ægro, ô Sapientia æterna, facies, deſidero te, diligo te ô omne ſolum bonum. O ſatietas vera, quando per te* (ſine te enim nihil ſumus, aut poſſumus) *humillimus ero?* Hîc conſideratio, ſeu motiuum quod quis aſſumpſit, memorari atq; adjici debet. verbi gratiâ. Quandoquidẽ tã vilis ſum, &c. ſecundùm materiam examinis particularis. Poteſt autẽ quis illâ oratiuncula, vel jaculatoria aliqua vti, ſi cui illa lõgior eſt, vnà cum examine horæ præteritæ, & ordinatione futuræ. Iaculatoriã autẽ immutare ſubinde, vti dixi oportet; animũque recreare, os ſuũ aperire, vt Pſalmiſta ait, & attrahere ſpiritũ.

Præſentia Dei.

Examen horæ præteritæ.

Reſignatio & vnio.

Amor Dei.

Additio VII. eſt, diligenter legere, tum ea quę collecta ſunt ad excitandam voluntatem, tum auctores qui de hoc vitio vel virtute ſcripſerunt; quotidie verò ex iis aliqua percurrere vtiliſſimum: ſimiliter & Regulam, ad vitium quod oppugnas, vel virtutem, cui operam das, ſi fortè Religioſus es, accommodatam.

Vtile eſt habere Admonitorem.

ADDITIO VIII. Juuat habere admonitorem, vel deſignatum, vel vltrò delectum; aut ſi id non placeat, certè confeſſario vel Superiori aperire profectum & defectum, & petere, ſi res ferat, ab amico, & familiari, vel Superiore aliquãdo exerceri ex improuiſo, aliquando verò poſt præparationem, vti vires erunt. Si plures ſint, qui conſpirarunt ſe mutuo monere, poſſent offerre ſimul aliquos actus ac propoſita, & velut vota corã Ven. Sacramento renouare; communicare defectum ac profectum, de eodem conſultare, vt ſic loquar; victorias aut certos actus faciendos indicere, pœnâ ac præmio propoſito, verbi gratiâ, is qui plures victorias numerat, aut defectus pauciores, meritorum vnius menſis, vel diei partem habere poterit, &c. Poſſit etiam vna familia Religioſa aliam æmulari, prout alicubi fieri memini, imò etiam prouocare.

Mulcta ſæpius ſtatuenti conſtituenda.

Colloquium de virtute propoſita ſæpè inſtituendum.

ADDITIO IX. erit colloquium eâ de re frequens inſtituere, & ad alios ſermonem, ac conniti vt ad ſimilem virtutẽ acquirendam etiam ipſi elaborent: virtutis enim amor, verbi gratiâ, caſtitatis, in ſe, atq; aliis eam nos amare compellit; ac vitium contrarium odiſſe. Ideò rectè S. Xauerius curabat, vt qui ſuperbiæ tumorem vellet deprimere, de humilitate ad alios dicendo, ſe adhortaretur. Notandum autem, hæc quidem ferè dici pro vitio extirpando, ſed propè eadem in virtute acquirenda eſſe obſeruanda. Certè amore virtutum potiùs, quàm vitii inſectatione plerique iuuantur: quia fortiùs ac ſuauiùs amore trahimur; etiamſi ordinariè præſtaret inchoare à vitio, vti lolio extirpando & perſequendo, deinde ad virtutem inſerendam pertranſire. eodem tamen pænè res redire videtur, quidquid id eſt, cõſtantia vtrobique adhibenda eſt. Ideoque ferè à facilioribus inchoãdum, violentia omnis vitanda, cùm hoc opus totum Dei ſit, & ab illius gratiâ pendeant vniuerſa: cui proinde vni confidendum, vni tribuendus profectus, non induſtriæ noſtræ: aliàs certè non proficiemus, quod altè in animum tuum proinde dimitte. *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10.

Perſeverantia neceſſaria. Nota diligenter.

IACVLATORIÆ

Quæ cuiuis virtuti applicari poſſunt.

PRIMA, O IESV, *vnica virtus mea*: Secunda, *doleo de inobedientiâ illâ meâ, v. g. propter te*: Tertia, *Et ſtatuo ad gloriam tuam coram te*: Quarta, *cum pulſabitur*: Quinta, *quia, v. g. ita vis, ſincerè obedire.*

Pars prima huius iaculatoriæ diffidentiæ ſui actũ habet: Secunda, contritionẽ: Tertia, intentionẽ cum propoſito & actu præſentiæ Dei: Quarta occaſionẽ: Quinta, motiuum.

Medi-

Meditatio pro vitio generatim hæc eſſe poteſt.

COMPOSITIO LOCI. Conſidera, hominem huic vitio obnoxium, inde Chriſtum vel D. Virginem, aut Sanctorum aliquem coram Deo iſtâ contrariâ virtute ornatum.

PVNCTVM I. Vitij naturam & cauſas, quod eius obiectum, quæ origo, quis finis (breuiſſima ſcilicet voluptas) conſidera. Secundò, eius gradus veluti ad infernum tendentes, & in quo tu ſis. Tertiò, fœditatem illius ex naturâ ipsâ, quia pugnat cum ratione naturali, hominemque dedecet. Quartò, occaſiones eius, quàm frequentes; quamque ſtolidum, cùm quis ex iis ſummum & æternum præmium colligere poſſit, damnum facere, vel bonum omittere, quod numquam recuperari poſſit. Quintò, conſidera quod vno heroico actu ſæpè abundantia gratiæ acquiratur; & contrà, ſi quis occaſiones reſpuat, etiam gratiâ quâ iam vti poteſt, fortè omninò priuandus ſit, immò ſalute. Sextò conſidera, omittere occaſiones, eſſe præbere & augere hoſti vires, quem ſine iis experti ſumus eſſe fortiorem. & certè ſi aliquando ſuperare te velles, cur non modo? Septimò, vide ſigna vitij an in te ſint, vt tibi non blandiaris,

Vitij natura &c. conſideranda.

Occaſionẽ virtutis reſpuendo, aliquando etiam ſalus amittitur.

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM II. Conſidera incommoda grauia ex vitio manantia; Primò, temporalia; Secundò, ſpiritualia, & impedimenta ſalutis ac perfectionis, id eſt, ſummi boni; Tertiò, quanta ex eo ſequatur animi perturbatio. Secundò, conſidera ſententias graues ſacræ Scripturæ, Sanctorum, Sapientum, commune iudicium bonorum omnium, & quid regulæ tuæ ac viuendi inſtitutum à te flagitet. *Hæccine vera,* vt ſup. pag. 7.

Incommoda vitij vide.

PVNCTVM III. Conſidera Primò, exempla quibus deteſtatio vitij appareat, ex ſacrâ Scripturâ, hiſtoriâ ſacrâ & Sanctorũ, ciuili vitâ, itẽ familiaribus, & vitâ cõmuni homi-

Exemplo alterius ſæpe.

hominum, quâ vitio illo N. infectos pœnâ, quo contrariâ virtute præditos, præmio dignos æſtiment. Secundò conſidera, quàm placeat hoc vitium diabolo, & quo pacto per vitium veneno voluptatis, mortem propinet; quòd ſi habeas, ſit faſtidio; ſi deſideres, inexplebili deſideri & inquieto te cruciet. Tertiò conſidera, ſi in hoc te mortificaueris, Deum ab alterâ parte quaſi coronam & ineffabile gaudium pollicentem; quia gaudium virtutis opus ſequitur, tam in hâc vitâ, quàm in futurâ: & quàm ſtolidum hoſti credere potiùs, quàm Saluatori amantiſſimo. Quartò conſidera, quid amico hâc in re conſuleres, & in morte feciſſe optares, &c.

Haeccine firma fide, &c. vt ſup. pag. 8.

Meditatio pro virtute acquirenda.

Quid ſit virtus.

PVNCTVM I. Conſidera', virtutem nihil aliud eſſe quàm habitum, quo animus hominis ſanatur, ac velut cæcus illuminatur, claudus ambulat: & quandoquidem hæc in corpore ita optemus, quantopere ea in animâ optare oportet. Secundò quòd ſicut ſe homo à vitiis corporis, v.g. cæcitate, curare non poteſt, ita nec ab vllo vitio animæ ſine Dei ſingulari gratia, quidquid adhibeat remediorum, &c. cùm omnia tantùm operentur quantum illis tribuit Deus: ideoque totum illi tribue. Tertiò, cogita triplicem eſſe virtutem, Politicam, Hypocriticam, & Veram. Et quæ hæc? quæ ſincerè Deum amat, eique verè placere ſtudet, quâ animâ ſe ornat, vt velut ſponſa ſponſo placeat. Hunc finem habe ob oculos poſitum, huc toto pectore aſpira.

Credo tibi, &c. vt ſuprà pag. 7.

Effectus virtutis, &c.

PVNCTVM II. Conſidera virtutis naturam, effectus, cauſas, finem gradus; hi autem ſunt. Primò, propoſitum acquirendæ virtutis; Secundò, fortitudo aduerſus tentationes & difficultates; Tertiò, delectatio in vſu virtutis. Attende etiam, quid in intellectu, quid in voluntate, quid in externis, & operatione efficere ſoleat, & quo-

modo

modo pot[illegible] tuæ erga illam verſentur; ſigna denique & occaſiones. Secundò, conſidera pulcritudinem & honeſtatem, quàm rationi conformis ſit, quàm decens Chriſtianum & Religioſum. Tertiò, quàm procul ab hâc fueris, & ſis. Quartò, quanta eius neceſſitas. *Hæccine vera*, vt ſup.pag.7.

Commoda virtutis.

PVNCTVM III. Conſidera virtutis commoda. Primò, animæ illius quietem & tranquillitatem, & ordinationem, in quâ ipſe imperat. Secundò, etiam corporis robur, quia virtutes, dum ſedant paſſiones, corpus vegetum reddunt. Tertiò, incommoda ex virtutis defectu, ſæpè enim ô quoties fit, vt parua res in ſpeciem, non ſublata per virtutem, impediat bona plurima, ſitque velut obex oſtium claudens deliciis ſpiritualibus.

Res parua quantùm ſæpè noxia.

Hæccine vera, vt ſup.pag.7.

Auctoritas Auctorum.

PVNCTVM IV. Conſidera ſententias graues ſacræ Scripturæ; Secundò, Sanctorum; Tertiò, ſapientium; Quartò, bonorum commune iudicium; Quintò, regularum ſi Religioſus es, obligationem; Sextò, media, quibus Sancti vſi ſunt.

Exempla eorum.

PVNCTVM V. Conſidera exempla, ac primò quidem in Deo opt. max. (vt docet D. Thomas in opuſculo de Diuinis moribus, quos imitandos proponit) Chriſto Domino, B. Virgine, velut tibi in particulari data ac relicta, item in Sanctis, Philoſophis, & aliis; poſtremò in familiaribus.

PVNCTVM VI. Conſidera Primò, quàm grata ſit Deo virtus. Secundò, gloriam & laudem eorum qui hâc claruerunt in hoc mundo, tam Sanctorum, quàm Philoſophorum. Tertiò, præmium cæleſte quod virtuti debetur, & certanti bonum certamen à Domino tribuetur. *Hæccine firma fide*, vt ſup.pag.8.

Alia Meditatio eſſe poteſt de Jaculatoriis aliquibus iuxta ſecundum orandi modum, de quo c.9.l.1.

Vide Exercitium quod ſuprà habes, poſt examen, nam huc etiam pertinet.

IACVLATORIÆ.

Pſal. 5. *Domine, deduc me in iuſtitiâ tuâ, propter inimicos meos: dirige in conſpectu tuo viam meam.*

Pſal. 79. *Qui regis Iſraël, intende, qui deducis velut ouem Ioſeph.*

Pſal 39. *Deus virtutum, conuertere, reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam quam plantauit dextera tua.*

Pſal. 37. *Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus.*

Pſal. 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam.*

Ibid. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum: legem autem tuam dilexi.*

Pſal. 38. *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium inſipienti dediſti me.*

Pſal. 50. *Ampliùs laua me ab iniquitate meâ, & à peccato meo mūda me.*

SEPTIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Prouide actiones tuas; ac de iis coram Deo diſpone, ad gloriam magni nominis eius.

Conſidera, quæ agenda hodie, hâc *A* horâ, atque perinde quaſi in ſtadio curreres, *B* opera ac paſſus dirige ad metam, id eſt, ad Dei gloriam; *C* corde ardenti: certoque ſcias, te ſine *D* gratia Dei nihil poſſe. ea itaque poſtulata, opera tua fac, velut in *E* pondere, numero & menſurâ, & non aliter, quàm ſi *F* mors ſequatur, *G* Angeluſque & *H* dæmon te tuaque omnia vigilanter obſeruent. Imò *I* bona opera ita fac, ac ſi tibi *K* ſepulcrum iam foderetur. Neque hoc tantùm, ſed opera tua perfice *L* Chriſti Sanctorũmque exemplo; quæ *M* Angeli Deo offerunt. Ante omnia autem ſemper aduerte, ac memineris *N* Deum te, cum cæleſti curia ſemper intueri.

CAPVT

CAPVT V.

Exercitium de Conſideratione rerum agendarũ.

COMPOSITIO LOCI erit, conſtituere ſe coram Deo, eiuſque curiâ, ad vitam & viam æternitatis ordinandam.

ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera, perfectionem rectè colligi poſſe, imò debere, ex perfectione actionum noſtrarum; adeò vt verè is perfectus dici poſſit, qui illas accuratè atque perfectè exequitur. Vide igitur vt actiones tuas in dies perficere coneris, &, quod in Deuteronomio monemur, iuſtè quod iuſtum eſt perſequaris. ab operibus enim tuis profectum tuum noſcere debes, & ex illis velut fructibus incrementa virtutis interioris. Neque enim ſat eſt benè operari, id eſt, fructum aliquem reddere; ſed elaborandum vt ſemen gratiæ Dei, trigeſimum, ſexageſimum & centeſimum fructum proferat, & talenta eius maximas vſuras ad diuinæ maieſtatis maximam gloriam, & noſtram vtilitatem. Attende quàm indignum, cùm poſſis ex agro cordis tui centeſimum colligere fructum, cùm Dominus illum toties imbre gratiæ & ſanguinis ſui irrigauerit, exiguum reddere, id eſt, orationes atque actiones tuas imperfectè facere. Fertur D. Bernard. in matutinis Horis vidiſſe Angelos, qui Fratrum orationes ſcriberent, aliorum quidem auro, aliorum argento, aliorum aquâ, aliorum etiam prætermitterent. Conſidera itaque opera tua, & quomodo ab Angelis ſcribi digna ſint, ac totius diei opera percurre. *Hæccine verâ*, &c. vt ſup. pag. 7.

Perfectio in quo ſita ſit.

Deut. 6.

Talenta Dei diligenter impendenda. Fructus centeſimus colligendus.

PVNCTVM II. Conſidera, in omni actione tria tibi eſſe conſideranda; Primò in Deũ; Secundò, teipſũ; Tertiò, rem agendam. Primò, inquam Deum, tanquam finem, & à cuius tibi voluntate recedere nefas ſit. Videndum igitur ante omnia, quem ille finem rebus, & omnium actionibus ſtatuerit, & eo tamquam ad ſcopum ocu-

Attende ad finem tuũ, ô homo.

oculus, pes atque omnis actio dirigenda. Secundò, attende Deum tibi præſentem & paratum eſſe, vt voluntatem timentium ſe faciat. Vt verò id fiat, & ab illo vt causâ primâ tu mouearis, neceſſe eſt, vt illi coniunctus ſis, nihilque aggrediare, niſi ex voluntate eius: aliàs ſiquidem vtiliter operari non potes, neque ille tibi cooperabitur, etſi concurſum non ſit negaturus. Nónne hoc eſt quod monet Pſalmiſta dicens, Niſi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam? niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam? fruſtrà certè nititur ædificare turrim, qui ſumptus non habet ad perficiendum. Implora igitur humillimè auxilium eius, vt ſcias finem eius, & ad eum tua conſilia dirigere poſſis, deinde fiduciam omnem in eo colloca, & anxietatem depone conſilio Apoſtoli dicentis: Nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. & alterius: Omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum. Inquietudo enim Dei gratiam, & noſtram eneruat induſtriam, atque in eâ, vt in tempeſtate, rectum iter tenere perdifficile eſt: ſi qua igitur occurrat, perſeuera in oratione cum Chriſto Domino in horto, donec tranquillitas reuertatur. Attendere denique, vt ſuprà dixi, debes teipſum, quodque ex te poſſis nihil, atque à Deo pendeas, velut à ſole radius, ab artifice malleus, à ſcriptore calamus. vt meritò Scriptura dicat: Deus operatur omnia in omnibus. & quidem ad ſalutem vtiliter neminem abſque gratiâ operari poſſe, fide certum eſt.

Fiducia in Deo locanda. *Pſal. 126.* *Lucæ 14.* *Solicitudo in Deum iacienda.* *Philip. 4.* *1. Pet. 5.* *Diffide tibi, ſi creſcere vis.* *1. Cor. 12.*

Credo tibi, vt ſup. pag. 7.

Præſentia Dei.

PVNCTVM. III. Conſidera, quomodo rem agendam, ſeu actiones tuas perfectè agere poſſis, & quàm certò id futurum, ſi Deum vt præſentem agonothetam ſemper intuearis. Secundò, hoſtem, qui te obſeruat vt arguat, & Angelum vt rectè facta annotet, quæ deinde Dominus coronet. Tertiò, attende vt in pondere, numero, & menſurâ tua facias vt Deum imiteris. Quartò, ſcito etiam

ad

ad perfectionem plurimũ conducere,ſi exemplum Chriſti & Sanctorum tibi ſæpiſſimè propoſueris. Quintò, ſi animi libertatem & quietem diligenter cuſtodieris: mox enim vt illam quis perdit, quaſi extra orbitam poſitus eſt, & palmes extra vitem; qui tamen fructum ferre non poteſt niſi manſerit in vite. Sextò, conſidera, facienda omnia ac ſi nouiſſima foret hora, & hoc vnum agendum tibi ſuperſit in hâc vitâ, quod præ manibus habes: ſufficit enim diei malitia ſua. Neque conſideres velim, ſeu valdè attendas moleſtiam in hâc accuratâ agendi ratione: etenim perſuaſiſſimum tibi eſſe debet, *optimam eſſe vitæ rationem deligendam; & certo certiùs, breui conſuetudine fore iucundam.* Denique conſidera, quid poſt actionem faciendum ſit: multi enim, quod vitandum eſſe monet Spiritus ſanctus, in fine corrumpunt, dum poſt rem benè actam, ſibi quodammodo eam tribuunt, & non auctori Deo. Quod diligentiſſimè caue, & te conſidera, velut inſtrumentum, velut lucernam, cui lucem Deus impoſuerit, quæ per te lux erit quidem, ſed ſubobſcurè vitio tuo. Defectus etiam ſedulò obſerua, vt prudenter aliàs eoſdem deuites.

Quies animi ſeruanda. *Ioan. 15.* *Matth. 6.* *Nota diligenter omnia conſuetudine facilia fieri.* *Quid poſt actionem faciendũ.*

Exercitium, quo quis actiones ſuas Deo offert.

LOQVAR *ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis, & tanquam nihilum ante te. quis plantauit vineam, & non comedit ex eâ? quis ſeminat, & non colligit fructum ex eo? Ecce ego vinea tua, Domine Deus meus, optans fructum reddere in tempore ſuo: ego ager ille, & terra ſæpè ſuperuenientem bibens imbrem, ſæpè gratiæ tuæ ſole illuſtrata, ſæpè ſanguine irrigata, ſæpè ſarculo interioris monitionis correpta & purgata; vt videres ex me fructum, vitulos labiorum meorum, fructum manuum mearum. Accipe igitur à ſeruo tuo, à filio ancillæ tuæ: accipe quos tibi, Pater benigniſſime, à Dominâ & matre meâ, Beatiſſimâ Virgine* MARIA, *cui nos omnes*

Geneſ. 18 Humiliatio ſui. Oſeæ 14.

Geneſ. 27. *omnes in cruce commendaſti matri, edoctus offero cibos, quibus ipſa te veſci libenter nouit, induit illa me gratiâ tuâ, veſtimentis valdè bonis, vt eſſet anima mea accepta, eiuſq; odor, ſicut odor agri pleni, cui benedixiſti de rore cæli, & de pinguedine terræ, nihil enim hîc ex amoris mei putidiſſima cloacâ exhalare permittam, ſed puro & ſincero amore tam benefici creatoris, liberaliſſimi redemptoris, dulciſſimi ſponſi animæ meæ, omnia facere decerno, vt tibi placeam.*

Intentio recta.

1. Cor. 4. *Mihi jam pro minimo eſt, vt ab hominibus iudicer, aut ab humano die. Diē enim hominis non deſidero, tu ſcis; ſed ad te ſunt oculi mei, qui habitas in excelſis: tu omnes, ſcio, greſſus meos conſideras: ſed & obſeruat etiam hoſtis, vt me accuſet; Angelus, vt tuâ gloriâ me ornet. O Deus, ſcio abſque te nihil poſſum, imò neque vt oportet, velle poſſum: ſine te enim velle meum teneret inimicus, & indè faceret catenam mihi. ambulabo igitur coram te, velut ſi nouiſſima dies foret: curram, vt accipiam brauium, quod es tu Deus meus, Deus cordis mei, & omnia. O quàm concupiuit anima mea deſiderare & facere iuſtificationes tuas in omni tempore! Sed potiſſimùm deſiderauit te in deſolationis nocte, & de manè vigilare ad te, vt amplectar te, & quotidie quaſi incipiā, quæ quidem retrò ſunt relinquens & ad ea quæ anteriora ſunt extendens meipſum. Vt verò id facere poſſim, in matutino interficiā omnes peccatores terræ; & manè ad te orabo, Domine, manè exaudies vocem meam, & illuminabis faciem tuam ſuper me.*

Diffidentia ſui. Pſal. 118. Phil. 3. Pſal. 100. Pſalm. 5. Pſal. 103.

Applicatio ad Communionem. *Orieris ô ſol juſtitiæ, in corde meo. Quid dico? Tu æternum verbum quaſi rurſum infinitâ dignatione ad inuocationem Sacerdotum, Caro factū habitabis in me, & videbo gloriam tuam, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis, & ſuperamabiliſſimæ charitatis. Cùm verò oriaris in me, nónne tenebræ vitiorum meorum diſſipabuntur, & pones fines meos pacem, & adipe frumenti ſatiabis me? O quàm dilecta tabernacula tua, Domine! altaria tua, Domine virtutū! veniam, & offeram tibi cum omni reverentiâ in conſpectu tuo ſacrificium, corde contrito & humiliato; & ſcio, non deſpicies: ſed reſpicies in faciem Chriſti tui, & miſereberis mei in terrâ deſertâ, inuiâ, & inaquoſâ: ideò enim jam in conſpectu*

Pſalm. 83. Oblatio ſui.

ſpectu

ſpectu tuo apparui tibi, vt videam faciem, & infinitam caritatem tuam. Deinceps verò. Domine, dirigam in conſpectu tuo viam meam, & opera manuum mearum reſpicies, vt faciam omnia in pondere, numero & menſurâ: nam quod factum ſemel, infectũ, ſcio, numquã erit. Docebis me vias tuas, vias caritatis & amoris, vt mitis & humilis corde, neminem lædã, ſed te ſequar benefaciendo, & quoad poſſũ, amando omnes, maximè inimicos meos; quæ enim ſeminauerit homo, hæc & metet.

Opera noſtra ſemel facta quaſi æterna.

1. Cor. 3.

Si neceßitati parendum erit, & opportuerit nutriri & recreari corpus hoc quod corrumpitur, & aggrauat animã; vt iumentum erit illud apud te, & propter te nutrietur, & de neceßitatibus meis erues me vnicum refugium meum. Denique tuus ſemper ero, vt tu meus es, & in te ſperabo, ac dum tẽpus pœnitentiæ eſt, expiabo gratiâ tuâ delicta mea, & ſic ibo infelix ego homo ad veſperam: ſicut enim mercenarii, dies mei; donec adſpiret dies, & inclinẽtur vmbræ, & venias, & aſſumas me ad te ipſum. Ne verò venias mihi ſicut fur in nocte, exſpectabo te omni horâ, vt fidelis ſeruus. donec venias, & recorderis mei, donec clamor fiat, donec ianua aperiatur, donec introducas me, donec intrẽ in ſanctuariũ tuũ, donec abſtergas omnem lacrymam ab oculis meis, donec dicas, vt requieſcã à laboribus meis, donec audiam; Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui; donec oſculeris me oſculo oris tui, & videam te deſiderium oculorum meorum, & amplectar & ſtringam in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Amen.

Sap. 9.
Corpori quid tribuendũ.

Iob. 7.
Cant. 4.
1. Theſſ. 2.

Matt. 25.
Cant. 1.

Praxis ad rerum agendarum conſiderationem.

OPTIMA eſt, actiones ſuas Primò diſtinguere in quotidianas, hebdomadarias. menſtruas, annuas. Secundò, eas expolire ad exemplar Chriſti Domini & Sanctorum; exercendo Deipræſentiam, puram intentionem, vt in Meditatione dictum eſt. Tertiò, eas ſic deſcribere, & quaſi diarium, aut vitæ normam circumferre, ad quam in examine ſe examinet velut ad lineam.

Actionum diſtinctio.

Fructus

Fructus ſpiritualium exercitiorum. Fructus qui ex vſu exercitiorum huiuſmodi ſpiritualium prouenit; Primus eſt, tranquillitas animi: ordo ſiquidem eſt cauſa pacis. quocirca vbi actiones ordinatæ ſunt, & exercitia definita, pacifica eſt anima, nouit quid & quando agendum, cogitationum volubilitatem corrigit; & pijs ac ſanctis prauas, aut minùs decentes facilè depellit. Accedit, quòd exercitia ſic velut lege præſcripta, ſollicitè ſeruare quiſque conetur; atq; ita non facilè deficit, imò verò profectum curat, & facilè diſcernit conſiderando, an feruentiùs, an remiſſiùs, ſolitis exercitijs incumbat.

Cauenda multitudo & nimia frequentatio exert. *Prov: 4.* *Pſalm. 63.* Obſerua tamen, neminem ſe obruere debere aut multitudine, aut frequentatione: ſed exemplum Sanctorum ſequi, quorum ſemita vt lux ſplendens paulatim creſcebat vſq; ad perfectam diem. Ibant illi de virtute in virtutem, donec viderent Deum deorum in Sion. Ordinanda ergo exercitia ſunt, iuxta cuiuſque ſtatum, ætatē & profectum; ita vt facilè perpetuari poſſint; cum inconſtantia & dedecat, & plurimum noceat: idcirco lectioni oratio, orationi labor & corporalis exercitatio, gratâ viciſſitudine ſuccedere debent.

Laur. Iuſt. de conuerſ. Monach. cap. 10. Diſce igitur quantopere iuuet ad vitæ ſpiritualis profectum, certa exercitia, & ordinatas actiones habere; vt pulcrè Laurentius Iuſtinianus: Maximi, ait, periculi res eſt, prout ſuggerit animus velle degere; quare omnia tempora ordinanda certis virtutum exercitijs, ſicut & actiones. Idque pro cuiuſque guſtu & ſpiritu. Neque enim ſanctus

Perfectio in eo ſita eſt quod perfectè tua facies etiam minima. Spiritus, qui multiplex eſt in donis, vnâ omnes viâ ducit, & ſæpè nocet eum inſpirantem non ſequi; quare hæc exercitia pro exemplo eſſe poſſunt, vt quiſque hæc vel ſimilia ſibi propria, quod omnino commendatur, aſſumat; & in eo perfectionem ſuam poſitam eſſe ſciat, ſi ſua perfectè faciat, etiam minima quæque. Hinc in Religionibus, maximè in Societate noſtra, à Spiritu ſancto minima quæque, imò etiam motus directi ſunt: & regulæ temperandi victum, exempli gratiâ, poſitæ videntur à S. Ignatio fundatore noſtro: qui ſecutus in eo S. Bonauenturam, ſimili modo ſuos inſtituentem. Eccleſia verò mater quam accurata in omni diuino officio! vt minuta videri poſſit ei, qui neſcit eam à Spiritu ſancto gubernari. Sicut enim ille in veteri teſta-

Templi Salomonis perfectio. *Ephrem. ſer. de vitâ ſpirituali.* mento Noë omnia quæ circa arcam; & rurſum quæ circa tabernaculum Moſi; ac quæ circa eiuſdem fabricam deinde Beſeleeli etiam minutiſſima reuelauit: ita in templo cordis noſtri omnia accurata eſſe deſiderat, & in ijs ſibi complacet. Ex hoc ſenſu S. Ephrem iubet Superiores, ſingulorum obſeruare inceſſum, motum, geſtum, habitum, vt

ad

ad optimum ea ſtatum firmumq́; reducantur. Magiſtri enim non ſolùm elementorum diſcipulis, ait, figuras oſtendunt, ſed etiam minima quæque puncta diſtinctioneſque proponunt; perfectio enim in paruis conſiſtit, vti enim domus perfecta non eſt, quæ muros, tectum, oſtium habet: neque imago, quæ caput, ventrem & pedes habet, ſed in quâ ſingula affabrè ſunt picta: ita eſt in animâ noſtrâ.

Perfectio conſiſtit in paruis.

Obſerua illuſionem dæmonis hanc eſſe maximã, vt iſta minimi fiant, ſolidaque alia appellentur, aut æſtimentur ſine iſtis; nulli enim faciliùs quàm hi diffluunt: quia qui contemnit minima, paulatim decidit.

Illuſio dæmonis.
Eccli. 19.

Modus quo actiones ordinandæ ſunt, meditatione ſuprà poſitâ continetur: vt perſpicuum tamen magis ſit, exemplum dabo.

Eſt quiſpiã ſolitus audire Sacrum, ſed abſq; reflexione: perficere ſe cupit, pridie tempus deſignabit, ſtatas preces, imò cogitationes de myſterio tanto inter eundum, in ipſo, & cùm redeundum: egreſſurus domum, intentionem renouabit, rediturus Deo gratias aget, &c.

Quæret aliquis an melius non foret, pro re natâ eleuare cor, & exercitia aſſumere.

Cur ſtata exercitia Sancti velint.

Reſpondet ad hoc D Bonauentura, & alij: ſic enim vitæ ſeries numquam ordinata eſſet. ſed quemadmodũ de Meditatione dici ſolet, parandam meditationem; ſi tamen Spiritus aliò ducat, ſequendum: ita hîc facere conuenit, cùm alligare ſeſe ita non oporteat; ſed inconſtantiam tamen vitare. Quemadmodũ enim, dũ ventus ſecundus aſpirat, remis nõ eſt laborandum; ita dum Spiritus ſanctus ſpirat, ſtatis nõ eſt inhærendum, ſed ſequendus Dominus quocumq; ierit.

Spiritus ſequendus.

Cauendum verò, ne, vt in ſacratiſſimis rebus fieri ſolet, ex vſu abuſus naſcatur, ex frequentatione remiſſio: ſed in meditatione aperire os; & attrahere ſpiritum oportet, vt ſpiritu incipientes, ſpiritu perficiamus.

In vſu cauendus abuſus.

Neq; etiã, quod aliquorum vitium eſt, mox vt in aliis aliqua probantur, ſua quis deſerere debet, atq; illa amplecti. Curioſitatis & vanitatis id ſæpè eſt, ſi inconſideratè fiat. Vnuſquiſq; enim donum habet à Deo, non tamen ideò vetatur, quo minus Sanctorum veſtigiis inſiſtat, & ea legat: ideò enim Dominus eorum exercitia voluit edi: ideoq́; hîc ſubiiciã S. Bonauenturæ exercitia. Plura ſeu diariũ copioſius poſt Deo bene iuuante dabitur, velut exemplar è variis collectum: quo occaſio detur ſapienti, ac paruulo via monſtretur.

Exercitia non facilè mutanda.

Dignatus es, &c. vt ſup. pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Pro oblatione actionum ſuarum.

Pſal. 118. PORtio mea Domine, dixi, cuſtodire legem tuam, in omni ſcilicet actione.

Pſal. 61. *Nónne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum.*

Pſal. 39. *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Pſal. 118. *Tuus ſum ego, ſaluum me fac, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui*

Ibid. *Suſcipe me ſecundùm eloquium tuum, & viuam, & non confundas ab expectatione meâ.*

S. Bonauenturæ exercitia quædam ſpiritualia.

In fine opuſc. tom. I.

VT in virtutibus conſerueris, oportet te habere exercitia ſpiritualia, quibus animum tuum occupes; quia niſi ſic, non poteris in virtutibus perſeuerare.

Primò igitur exercebis te in oratione, tali modo, & temporibus iſtis feruenter. Ante cuiuſlibet operis, vel acti inceptionem, Dominum inuocabis, & modicum orabis, cum tali oratiunculâ: *Deus in adiutorium meum intende*: *Miſerere mei Deus*; vel eiuſmodi. Item, quandocumque audis campanam ſonare, orabis; vel quando audis pulſare horas. Has orationes feruenter ab intra facias: quod ſi iuxta alios fueris, illi non conſiderent quòd ores.

Quid faciendum cùm ſonat hora.

Secundum tuũ exercitium erit iſtud: videlicet, vt feruẽter proponas quandocumque audis ſonare campanam, generaliter te emendare, breuiter, cum oratione per morulam vnius Pater noſter. Antequam notabile opus facias, breuiter cogitabis, qualiter propoſuiſti te habere in priori propoſito. Item, de manè ſemper proponas, qualiter te per totam diem velis habere; & hoc, antequã facis facta tua extrinſeca, & quando facis factum aliquod, cogitabis breuiter, qualiter propoſuiſti. Item, ter, vel quater in die propones feruenter contra ſuperbiam.

Cogitanda ſingulis diebus hebdomadæ.

Tertiũ exercitiũ erit, de aliquo bono cogitatio, quando tempus vocauerit. Habebis enim qualibet die vnã memoriã ſpecialẽ, de quâ cogitabis ſępè, & ad quã curſũ habeas. Habebis enim Dominicâ die, de regno cęlorũ; feriâ ſecundâ, de extremo iudicio; feriâ tertiâ, de beneficiis Dei; feriâ quartâ, de morte; feriâ quintâ, de pœnis inferi; feriâ ſextâ de paſ-

de paſſione Domini, Sabbato, de Dominâ noſtrâ, & peccatis propriis. Paſſionem tamen Domini in qualibet die, cum materiâ diei, & cũ beneficiis Dei habebis. Et in qualibet horâ matutinâ, Primæ, Tertiæ, &c. de paſſione illius horæ, cum pauco de materiâ illius diei cogitabis. Sic igitur cogitando, & tua facta faciendo, ſpero, quòd tempus competenter expendes.

Quartum exercitium erit, vt quotidie te exerceas in operibus humilibus & deſpectis: ſemper eligere locum viliſſimum, & teipſum ex toto corde deſpicere, nulliuſq́; laudis dignum te reputare, ſed totũ adſcribere Deo: ſiue lauderis, ſiue vitupereris, non curabis. Eſto conſiderans teipſũ. & inuenies, quòd nõ es aliquâ laude dignus, ſed omni opprobrio digniſſimus. Cùm enim es iuxta alios, habebis te taciturnè, verecundè & manſuetè, tamen ſicut decet. *Humiliatiõ frequẽs.*

Quintum exercitium erit, vt omnia ſigna ſuperbiæ deuites: ſcilicet, clamorem in loquendo, & ſic de aliis.

Sextum exercitium erit, vt ſæpè conſideres in quibus te malè habeas, vbicumq́ue fueris, & non permittas aliquod paruum vitium tranſire, non iudicatum; quia, qui parua non reputat, in maiora ſæpè cadit. *Oculi cuſtodiendi.*

Septimum exercitium erit, vt præcipuè, vbicumque fueris, oculos tuos cuſtodias: quia ex incuſtodia oculorum, infinita mala eueniunt. Ergo præcipuè cuſtodi oculos.

Octauum exercitium eſt, conſiderare aliorum bona, & non mala. Cùm enim videris aliquem peccantem; cogitabis, quòd ſi ipſe haberet tantam gratiam à Deo, ſicut tu ipſe, multò feruentius emendaret ſe, quàm tu. Si autem videris aliquem aliquid boni facere, cogitabis, qualiter illud poſſes imitari.

Nonum exercitium erit, vt omnia quæ videris, & audieris ab hominibus, ad bonum trahas: & ſic, non ſuſpicaberis.

Decimum exercitium erit, vt ſemper, vbicumque fueris, habeas te morigeratè & compoſitè ab extrà, ne aliis adhibeas malum exemplum: quia interior incompoſitio, eſt ſignum indeuotæ mentis.

Vndecimum exercitium erit, vt ſemper, vbicumq́ue fueris, videas, vt illud non facias, cum quo alicui poſſis præbere malum exemplum, vel vnde alius poſſet ſuſpicari: quia valdè periculoſum eſt aliis præbere malum exemplum. *Caue diligenter dare malum exemplum.*

Duodecimum erit, viriliter tentationibus reſiſtere, & à carnalibus te abſtinere, & abſtrahere.

Vltimum erit, vt ſemper ſtes in timore, & habeas te verecundè: & ita cuſtodi te ſolus, ſicut quando es cum aliis. Nam Deus omnia videt quæ facis.

Hæc exercitia in communi, in quantum potes, facere ſtudebis: & Dominum diligenter rogabis, vt velit tibi dare gratiam, ad faciendum ea, quia ſine ipſo nihil potes facere, &c.

Cognitio ſui perutilis.

Redeam ab exterioribus ad interiora; ab interioribus ad ſuperiora conſcendam, vt poſſim cognoſcere, vnde venio, aut quò vado: quid ſum, & vnde ſum. Vt ita ex cognitione mei valeam peruenire ad cognitionem Dei. Quanto namque inpropriâ cognitione proficio, tanto ad cognitionem Dei accedo. Vnde venio? ſecundùm exteriorem hominem de parentibus illis, qui me fecerunt antè damnatum, quàm natum; peccatores peccatorem in peccato ſuo genuerunt, & de peccato nutrierunt. Quid ſum ego? homo, de humore liquido. Sum enim in momento conceptionis de humano ſemine conceptus, deinde ſpuma illa cata modicùm creſcendo caro facta eſt: poſteà plorans & eiulans traditus ſum huius mundi exilio. & ecce, iam maior, plenus iniquitatibus, iamiam præſentabor ante diſtrictum iudicem: tunc dicetur de me, Ecce homo, & opera eius. Cogita hæc profundiùs.

Dignatus es, vt ſuprà pag. 10.

OCTA-

OCTAVÆ IMAGINIS
ANNOTATIO.

Conſidera crebrò quæ tibi aduerſa accidere poßint, & animum ad ea præpara.

PRæuide mala, & incommoda quæ tibi etiam hodie euenire poſſent, ac memento te hac communi lege natum, & vocatum, vt crucem tuam portes, cum *A* Chriſto, & poſt ipſum intres in gloriam. Amplectere itaq; crucem cum *B* ſancto Andreà, & te *C* Tobiæ ſenioris, ac *D* Iobi, aliorumq; Sanctorum exemplis corrobora: à Dei enim magna *E* charitate, ſecundùm vires tuas, crux tua ab omni retrò æternitate appenſa eſt, & quaſi per *F* Angelũ ad te miſſa. hanc ſi detrectes, grauiorem *G* diabolus imponet. Deo itaq; te permitte, vt te ducat dirigatque: ſolus enim nouit *H* exitus viarum; & caue ne proprio ſenſu viam eligas, omnium ignarus, ætque hac te conſideratione ſolare; *I* crucem vnius horulæ *K* æterno præmio compenſari.

CAPVT VI.

Exercitium de Conſideratione malorum, quæ nobis accidere poſſunt, ac primò de tolerantiâ alienorum defectuum.

Patientia in viâ vitę maximū præſidium.

RECTE agere, & pati fortia ac dura Chriſtianum eſt: quantum autem à viâ rectâ nos mundus blandiendo diuertere nititur, tantùm aduerſis preſſi ſæpenumero ſponte ab eâ declinamus, vnde meritò Philoſophus in his duobus ſapientiam locabat: ſuſtine & abſtine. Igitur ad ſuſtinendum mala vitæ huius hoc exercitio Dei gratiâ te comparare potes, animumq; ad ea præparare: Tela enim, vt vulgò dicitur, præuiſa minùs feriunt; & nos, ait Gregorius, tolerabilius mundi mala ſuſcipimus, ſi contra hæc per præſcientiæ clypeum munimur. Ideò quotidie manè, vt iam aliquoties dictum eſt, illa prouidentiâ noſtrâ quaſi præcipere oportet, atque aduerſus fortuitos hoſtium incurſus animę noſtræ portas habere diligenter cuſtoditas, & perpetuos excubitores. Poſtquam igitur ea, quæ agenda nobis ſunt, diſpoſuerimus, oculum ad patienda conuertamus; & ſimul ad Deum qui ſummâ bonitate ac æquitate omnia moderatur & appendit, ad Chriſti Domini noſtri, Sanctorumque exempla; ad æterna præmia, quæ tribulationi vnius horæ reponuntur. Nec parum iuuerit attendere viam crucis vnicam eſſe, quæ ducit ad vitam; cæteras ambagioſas & exitum habere infelicem, etſi initia blanda & amœna. Illud verò maximè quietum animum reddit; neminem ſcire mortalium quæ via ſibi ſalutaris ſit; ac proinde vnum illud eſſe in re incerta certiſſimum conſilium, diuinæ ſeſe committere prouidentiæ.

Greg. hom. 35. in Euang.

Attende diuinam prouidentiam

Via crucis vnica eſt ad vitam ducere.

Remedium efficax malorum.

Meditatio

Meditatio prima de eodem.

COMPOSITIO LOCI erit ſtatuere ſe coram Crucifixo pro peccatoribus orante & moriente.

ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, in hoc vniuerſo, à Domino ita omnia creata eſſe, vt licèt perpetua ſit elementorum pugna, ſit tamen etiam pulcerrima, & maximè concors diſcordia ac harmonia. Quod verò in qualitatibus corporum eſt, idem valet in animis, quibus eæ ſubſeruiunt & quaſi inſunt. Itaq; cùm ſint homines omnes diuerſi temperamenti & conſperſionis, vt Gregorius loquitur, diuerſaque item facie & voce, ſunt etiam eorum diuerſi planè ſenſus & iudicia; vt apparet in pueris & viris. Horum quàm ſint diſcrepantes ſententiæ de re eâdē, nemo ignorat: idemque de omnibus ſentiendum; cùm non minùs, imò magis, differat vir à viro, quàm vir à ſeipſo puero. Trahit omnes diuerſa, & vnūquemq; ſua voluptas. Nihil ergo mirare, qui in omni omnino creaturâ tantam vides varietatē, iudiciorum ſimiliter eſſe & affectionum, patienterque tolera; neque ſenex, pueros ſenes; nec iuuenis, ſenes pueros eſſe opta: ſed te ætatibus & perſonis accommoda. non vis omnes oculis tuis videre idem, & eodem modo tecum, neque audire auribus; cur item tecum iudicare, cùm diuerſum habeant, vti aures & oculos, ita & intellectum?

Varia hominum complexio ac ſenſus.

Fatuum velle omnes ſecū ſentire

Hæccine vera, vt ſuprà pag. 7.

PVNCTVM II. Conſidera, nullum eſſe inter homines, qui non habeat plurima bona & conditiones, vt vocantur vulgò, laudabilés; nullum item eſſe, qui non habeat ſuum vitium, ob quod alteri cedere debeat. Quocirca valdè imprudentem eſſe eum, qui ab alio auerſionem habet, ob corporis aut animi defectus. Nam ſimul etiam à ſe habere deberet. Oportet verò conſiderare potiùs bona, alterius complura, vnumque defectum aliquē, qui tibi diſplicet, cum illis bonis conferre, eaque præſferre;

Nemo immunis ab omni vitio

Cur apud te non præponderant bona multa vni vitio proximi tui.

 quàm

quàm propter vnum aliquod vitium, virtutes proximi tui cæteras merito præmio laudeque ſuâ defraudare, atque optimum agrum, ob vrticam negligere; ſeu doctiſſimum virum, quòd rem aliquam ignoret, contemnere; aut cibum, quòd vnus omnia non contineat. Inſuper ſuum eximium defectum cum illo proximi conuenit componere; quem ſi fortè amore proprio excæcatus non inueniat, ſuperbiam omnium malorum maximum, certò ſibi eſſe eum perſuadeat.

Credo tibi, &c. vt ſuprà pag. 7.

Iudicium temerariũ cauendum. PVNCTVM III. Conſidera, ſi defectum aliquem alter habeat quo careas, cuius gratiâ id fiat, nónne Dei? ergo ſi te altiùs alterius manus leuet, vel ſcala, vel mons, vel turris; ridiculè te effers, quòd altior ſis eo, qui in terrâ relinquitur. Simile etiam eſt, ſi aliquis equo vectus, alium peditem & claudum præcurrat, ac rideat. Cùm ergo illa bona quæ habes, ſint tribuenda Dei gratiæ, planè dignus es qui illis priueris, ſi alteri inſultes. & hoc eſt quod Apoſtolus ait: In quo tu alium iudicas, in eo teipſum condemnas. Et rurſus; Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. *O Rex regum*, &c. vt infr. p. 220.

Rom. 2. Galat. 6.

Meditatio ſecunda de eodem.

Zelus præpoſterus iudicantis proximum. PVNCTVM I. Conſidera, quare offendaris alieno defectu. Primò, quia tibi fortè diſplicet; & ferri non poſſe dicis; quid ita? quia contra Dei legem; atqui Deus legem eam tulit, & tolerat tamen; præterea ſimul ſtatuit ne iraſcaris, ne impatiens ſis, mandauit alterum alterius onera portare, mandauit remittere vnumquemque proximo ſuo, & conſeruo de corde denarium, talentaque millia plurima ſe demiſſurum ſpopondit; & tu abnuis, ſed cum improbo ſeruo tenens proximum, ferè ſuffocas, & clamas, Redde quod debes? Quid dicis? mauis hæc debere, quàm denarium tibi deberi? & non

Galat. 6.

Matth. 18

Stultum eſt proximo nõ ignoſcere.

non vides Deum pari, & longanimiter exſpectare eum? & tu vlciſci cupis? Vel eſt quia contempſit mandatum tuum. Quorſum illud dediſti, ſeruus & mancipium Domini Dei tui? nónne pro tuo commodo? ſi ſic feciſti, præuaricatus es: omnia enim ad obſequium Domini curanda ſunt, corpus tuum & anima, omneſque actiones tuæ. Omnia propter ſemetipſum creauit, conſeruat, gubernat, ipſe finis omnium, & tu te finem vis ſtatuere, & idolum erigere in templo Dei tui? dominium vſurpare in domo Domini tui? *Haccine vera*, &c. vt ſup. p. 7. *Amans ſui alteri ſucc-cenſet.* *Nota.*

PVNCTVM II. Sed vis eum ſic emendare? dicito. Quis eſt, qui curare poteſt morbos, nónne ſolus ille de quo ſcriptum, quòd ſolus poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? per ſapientiam ſanati ſunt omnes, ait Sapiens, quicumque placuerunt tibi ab initio; nec herba, nec malagma ſanauit eos, ſed ſermo tuus, Domine, qui ſanat omnia. Conſidera opera Dei, quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit. Sed cùm Dei auxilio id vis? At quando illud tibi aderit? vtique cùm iuxta præſcriptum illius, proximum curabis: nihil enim exterior correptio operatur, niſi interior loquatur excitator. Vnde Greg. Tantæ, ait, caritatis eſſe debet, qui alium ad Deum compellere ſtudet, vt inſtanti deſiderio non petitor, ſed petitio eſſe ſentiatur. Salutem quippe fidelium tum inſtantiùs debet appetere, vt ex vſu interni guſtus omnem motum cordis in affectum ducat ſupplicationis. ſicut ergo nauta, dum omnia ad nauigationem comparat, etiamſi inſaniat, omnia fruſtrà ſunt, niſi Dei beneficio adſpiret ventus: ita hîc omninò ſe res habet. Deinde, ſi vt medicus curare eum vis, blandire, non iraſcere; Deoque vltionem relinque. Quæ maior miſeria, mederi non poſſe, niſi deteriore morbo, & vulnere grauiori laborare incipias, ſuperbiâ & indignatione? omnes enim alii defectus, præ hoc parui ſunt, & tu, Deo repugnante, paruum tanto malo tuo ſanare vis? & quaſi in Satanâ Satanam eiicere? ſæpè

Iob. 14. *Sap.* 9. & 16. *Eccleſ.* 7. *Deus ſolũ corrigere hominẽ poteſt ſuâ gratiâ.* *Gregor. in* 1 *Reg. l.* 5. *c.* 3. *Qui corripit, ſimul oret.* *Quàm ſtultum alterius vulnus & morbũ curare velle, & ſibi accerſere.*

Deut.19. etiam nouum vulnus infligere & mortem? Etenim ſæpè dum ligna peccatorum cædere quis cupit, fugit ſecuris manum, ferrumq́ue lapſum de manubrio proximum occidit; & panis quem præbebat, vertitur in fel aſpidum, dum turbatum monet, & ſanare cupit, qui ipſe animi ſui perturbationem componere non valuit. Et ille quidem ſanari poteſt correptus, tu verò quomodo poteris, qui auxilium fortè aut non habes, aut non admittis? quomodo illos potiùs non toleras, qui te toleras? Et quidem ſi ſic curari poſſet, benè quidem; ſed cùm Deus curare debeat, & ſuperbis reſiſtat, nihil proficis, ſed te vulneras alterius vulnere; omniumq́ue morborum cõtagio inficeris, dum curare optas: cadis cùm ſtare deberes, & alium erigere. Nequaquam autem iacentem erigit (vt Gregor.) niſi qui ſtatus ſui rectitudinem per compaſſionem flectit. Ecce pro zelo tuo optas vt quis Deo ſatisfaciat de duobus minutis; & tu plurima debita contrahis? ſi iraſcaris, liberiſq́ue & ſubditis, vt ſic loquar, maledicas, ſi illi ollam frangant; tibi ſuccenſe, qui fœdus ac pacem animæ cum Deo & proximo conuellis. fœdant rem aliquam aut perdunt, aut obliuiſcuntur; tu verò animam vitio maculas, tuiq́ue obliuiſceris. Non eiicitur, aiebat Dominus, dæmonium, niſi in ieiunio & oratione; ita etiam de aliis crede, vitiumq́ue, quod velut dæmonium eſt, pellendum eſſe, non irâ, ſed patientiâ; non arrogantiâ, ſed humilitate: num ignem potes igni extinguere? Ergo primum vitium quod in proximo curatum optas, illud in te ſupera: nam, vt olim ſanctorum Patrum ſenſus fuit, nemo ex animâ alterius dæmonem eiicit, niſi priùs in ſe ſuperârit. Poſtremò, etiamſi totus mundus periret, animi omne bonum, id eſt pacẽ, perdere non debes: quia ſic eſt voluntas Dei, qui poteſt cùm vult, verbo vno omnia emendare, & tamen tranquillus videt, ac permittit.

Superbo Deus reſiſtit. *Gregor.* *Vitium non vitio, ſed virtute emendandum.* *Matth.17.* *Caſſianus.* *Pax animi ſeruanda.*

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

Attende PVNCTVM IV. Conſidera, Chriſtum crucifixum à te per

per peccata tua;& tamen pro tè orare, ac ſuis perſecutoribus : & è ſuis vulneribus ſanguinem tibi & medicinã propinare. Secundò, hæc tolerare vt ſanet te, & filios, alioſque tibi commiſſos; & tu tolerare quidquam recuſas? & ſiquidem Superior ſis, ad hoc vnum te poſitum, vt aliorum portes onera, noueris. Tertiò, attende vt te ſuſtinuerit, & ſuſtineat Deus. non ſis ergo exactor vindictæ, qui petitor es veniæ. nullo autem eum meliùs imitari, aut proximum reddere meliorem potes, quàm vincendo in bono malum. ſi æger eſt & malus, tum ſcias ei opus medico & peritiâ non benè habenti: non gaudet mater à filio læſa, eum vulnerari, quia iterum in filio læditur. ita & te proximo oportet eſſe affectum, atque alterius delictum, tuum ſcias debere eſſe luctum. neque gaude ſi aliis melior fortè ſis: ſed quo illi minùs habent, plus exiſtima tibi defuiſſe, & deeſſe. ſin autem, iraſcaris, quòd hoc ipſo excæces te, atque ineptum facias vt alium cures.

exemplum Chriſti IESV.

Superioris eſt defectus aliorum ferre.

Vince in bono malũ.

Maternũ affectũ indue, erga proximum

Haccine vero, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM V. Conſidera, quomodo in homine duo ſint; opus hominis, & opus Dei. aut, vt Auguſtinus: duo ſint nomina; homo, & peccator: quia peccator eſt, corripe; quia homo, miſerere. Quis gemmam precioſiſſimam odit, eò quòd luto, vel conchylio inuoluta? Gemma, proximi anima: quanti empta à Sapientiâ æternâ! & hæc luto peccati inuoluta eſt. Túne deſpicere eam potes, qui deteriorem te debes æſtimare? Non vis niſi bonum diligere; quem te igitur æſtimas? nemo bonus, aiebat Veritas, niſi ſolus Deus. tu verò quid ais? certè te ignoras; & ſi bonum vis diligere, ergo & eum qui talis eſſe optat. Dic obſecro, ſtatuam amas fieri elegantem, & lignum ſeu materiam, ex quâ fiat, auerſaris? Quis prudens proiicit viperam, etſi venenum nouerit, volens ex eâ theriacam facere fratri ſuo? An putas quiſquam precioſum contemnit monile, quia ab hoſte capitur? Nónne potiùs eripis? ita ſi dæmon tenet fratrem,

Auguſt.

Duo inomni homine conſideranda.

Quiſq; debet ſe aliis poſtponere.

non

non ei iraſcaris,ſed hoſti, eumque eripe. Denique dicito qualem erga te Deum & homines cupis,& cuperes,ſi ipſi tibi præeſſent? talem erga proximum te præbe. At nõ proficit. videt Deus,& ſuſtinet, cuius illa cura eſt: ipſe Dominus & Pater eſt, tu quaſi pædagogus videre debes quomodo eos regi velit,& ſcire te ad vtilitatẽ eorũ datum eſſe,non tuã; præeſſe iuſſum, vt iis proſis, non tibi. Imitare medicum,nec vindictam aliam opera, quàm vt æger conualeſcat,morboque veriſſimè puta imputandũ, non ægro,ſi quid perperam dicat aut faciat;eoq; maiorẽ iudica,quo minùs æger eũ fatetur. ſic ignis zelus ardebit miſericordiæ oleo,& plus ſic proficiet amica correptio, quàm accuſatio turbulenta;illa pudorem incutit,hæc indignationem mouet, deniq; beatus eris:Beati enim miſericordes,quoniam miſericordiam conſequentur.

Quales nos proximo, tales nobis Deus.

Matth. 5.

EXERCITIVM.

O Rex Regum,& Domine dominantium,ego minimus ſeruorum tuorũ,cui tot debeo talenta, quot vitæ meæ ſunt momenta,quot guttæ in mari & arenæ. Verè fateor coram te & curiâ tuâ,multiplicata eſſe peccata mea ſuper capillos capitis mei;ſed,tu Domine,Pater miſericordiarũ es, qui tamdiu patientiam habes,non vt omnia reddam tibi,ſed omnia condones mihi,imò dones te mihi,& ego non miſerebor conſerui mei,& donabo illi ſicut mihi donaſti & donas? miſericordiam ego volo,& vindictam poſtulabo aduerſus proximum , id eſt, aduerſum te omne & vnicum ſolatium meum?

Gratitudinis actus.

Veniæ petitio.

Dicebas olim adulteræ accuſatæ corã te:Nemo te condemnauit mulier? nemo , aiebat, Domine. Et tu bonitas infinita quid ad hæc? nec ego te condemno. Sic tu iudex viuorũ & mortuorum;ego verò reus in carcere hoc, ignarus amore an odio dignus ſum,quid agam? ego reus filios tuos iudicabo , & me damnabo? ego veniam petã manu vnâ,& alterâ corã te proximum præcipitabo? Abſit hoc,ô Iesv,*ô ſalus mea,vt eum pro quo mortuus es,pro quo animam ponere millies in die debeo, id eſt,*

Quàm indignum proximũ temerè iudicare.

id eſt, pro te, vt illum perimam gladio linguæ, eum quem ſic redemiſti, ſic deſpiciam? vt ſic ex ore & facto meo me iudices.

Ego te in proximo repellam, & quotidie rogabo, ſicut & rogo humillimè, vt venias ad me, & intra me maneas, & beatum facias? ego iraſcar illi, & placare te volã? An neſcio verũ eſſe, quod vni ex minimis meis feciſti, mihi feciſti? Scio, Domine, & quid ego iraſcar tibi, & veniam negabo tibi, à quo veniam rogo? percutiam te, à quo oſculum pacis expeto? occidã te paruulum, à quo vitam flagito? panem ſolatij illi negabo, & ego, ego miſer & infelix panem Angelorum, te omne delectamentum in te habentem, vti facio, poſtulabo? Abſit à me, bone JESV, *quem docuiſti & doces, & iubes magis exemplo quàm verbo mitem eſſe & humilem corde.* Applicatio ad Communionem.

Abſit Domine, vt linum fumigans extinguam, & calamũ conquaſſatum conteram, abſit vt alterius peccatis iraſcar, qui meis vrgeor: quomodo enim apparebo in conſpectu tuo, qui miſericordiam vis, & non ſacrificium, qui mauis me reconciliari fratri meo, quã tibi ſacrificare; & quâ menſurâ menſus fuero, meritò remetieris mihi? idcirco ego condono inprimis omnibus aduerſariis meis, etiamſi verè nemo iniquè, ſi me conſidero, aduerſum me egit, quia præuaricatorẽ legis tuæ meritò auerſari debebant, & affligere omnes creaturæ tuæ; ſed miſericordia tua ſuper omnia opera tua. Da mihi, quæſo, gratiã tuã, quâ longanimitatem tuam illam valeã imitari, & te in proximo, & in omnibus, ſuper omnia ardentiſſimè amare: & non verbo neque linguâ, ſed opere & veritate. Sic enim ſtatuo corã te hodie, corde amare omnes maximè aduerſarios & moleſtos, & verbo dulci reconciliare, & opere ipſo N. vt cognoſcant omnes, quia diligo te Patrẽ meũ dulciſſimũ, & quod ſicut mandatũ dediſti mihi, ſic facio, paratus animã pro proximo, id eſt, pro te ponere, qui pro me dignatus es mori. Reſpice, & audi vocem amantis & quærentis te. Amen. Actus charitatis erga proximum. Iſaiæ 42. Oſeæ 6. Matth. 5.

Praxis ad tolerantiam exercendam.

HVIVS exercitij praxis eſt omnibus neceſſaria: nullo enim vnquã tẽpore, nullo loco deeſt materia tolerantię alieno- *Neceſſitas huius exercitij.*

alienorũ defectuum. Cui enim ex voto ſeruit famulus? cui pro arbitrio dominus ſatisfacit? quis eſt qui careat vitiis? quis in omnibus cum alio ſentit & conſentit? nemo certè. hinc vt pacem & tranquillitatē ſummum animi tui bonum ſerues; exerce te hoc exercitio ſedulo ac frequenter, fructumq; illius vberrimum comperies, & ad vniuerſam pietatem non exiguum præſidium.

Pax animi ſeruanda. Stude verò Primò, ante omnia animum pacatum habere, priuſquam corripias; ita enim per zelum aciem mentis excæcat.

Secundò, dolorem de ſimili tuo, vel eiuſmodi peccatis excitare, & te humiliare, Deoque ſoli confidere.

Tertiò, compaſſionem exerce erga proximum, & ſtudeas dolorem correptionis amore lenire.

Quartò, Dei implora auxilium, & poſtquam adhibita eſt à te opera, Deo curationem committe: Deus enim ſanat & viuificat. *1. Reg. 2.*

Publica publicè arguenda. Notandum etiam Primò, correptione publicâ id quod publicum, priuatâ verò & ſecretò quod ſecretum & priuatum, arguendum eſſe.

Remediorũ vſus. Secundò, medicamenta primò lenia adhibenda eſſe, deinde amariora, quia, vt Auguſtinus: Sicut meliores ſunt quos dirigit amor: ita plures ſunt, quos corrigit timor. *Auguſt.*

Tertiò, maxima habenda ratio complexionis, & perſonæ, & temporis, vnde ſeniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, ſæpè enim deflectendum à recta via in publico, vt tranſire quis poſſit, viſi velit incurrere in multos, & prægnantes deſideriis offendere. *1. Tim. 5.*

Dignatus es, &c. vt ſup. pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Rom. 14. TV quis es, qui ſeruum alienum iudicas? Domino ſuo ſtat aut cadit.

1. Tim. 1. *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, venit Chriſtus peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.*

Matth. 7. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.*

Gal. 6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Luc. 6. *Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo.*

CAPVT

CAPVT VII.

Meditatio de Patientiâ in malis propriis.

CVm tu, ô Jesv æterna veritas, quæ fallere non potes, dixeris: *Patientia vobis eſt neceſſaria, vt reportetis promiſſionẽ*; & rurſũ: *Omnes qui piè volunt viuere, perſecutionẽ patientur*; & iterũ: *qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſũ, & tollat crucẽ ſuã, & ſequatur me*: de hoc pluribus agam ex tui amore; & gratiâ tuâ. Et rogo te, Pater amantiſſime, dux noſter, & legifer noſter, inſpira mihi quod placet tibi, quodque vtile proximo & mihi pro maximâ gloriâ tuâ; vt gloriari poſſim in cruce tuâ, & mihi mundus crucifixus ſit, & ego mundo. Amen.

Compositio loci, erit ſtatuere ſe coram Deo, eiuſque prouidentiam in bonis & malis intueri.

Pvnctvm I. Conſidera Primò, velut è ſpeculâ mala plurima, quibus mortales paſſim affliguntur, & quanta illa ſint. Denique quales ij ferè, qui maximè ea tolerant, quibuſque à Deo immittantur, id eſt, ſummo bono, ſummè prudenti. Sunt quidem plurimi mali; ſed tamen & plurimi boni innocentes, Deoque chariſſimi. Et quæſo, vide, nónne imperia, opes, fauores penes improbos ſunt? Nunc verò teipſum inſpice qualis ſis, quid ob præterita promeritus ſis, & quotidiana: & puto quòd magnam habebis materiam gratias agendi Deo, pro infinitâ ſuâ in te miſericordiâ. Quid enim illa quæ pateris, ſunt, ſi ad peccata tua attendas, ſi comparentur ad ea quæ Jacob, Joſeph, Job, aliiq; Deo chariſſimi paſſi ſunt, Apoſtoli & Martyres? Conſidera Secundò, ſi recuſes pati, & obmurmures, quid conſecuturus ſis; id videlicet, vt longè grauiora ſint quæ toleras, ob volũtatis repugnantiam, vtque ad illa adiicias omnium malorum grauiſſimum, videlicet peccatũ, & animi perturbationem, quâ velut in belluam, per iram muteris. Equidem impatiens, cùm obolum perdidit, totã ſubſtantiam proiicit

Bona mundò malis dantur vt plurimũ.

Impatientiæ mala & inſania

proiicit, cùm quis ei leuem rem ſurripit, omnia bona ſua abiicit, exuſtâ parte domus cæteram ſuccendit; famæ aliquâ maculâ acceptâ, per impatientiam grauiorem facit. Bonus verò ſi in corpore aut re externâ patitur, magnum in anima, at maius in Deo præſidium & refugium habet. Conſidera Tertiò, ſi tolerès mala, quantam apud omnes laudem habiturus ſis. Primò, apud Deum, quia eius voluntati acquieſcis, & patiendo tuum erga maieſtatem illius amorem oſtendis. Ille enim patiendo potiùs, quàm agendo declaratur: vnde mille inuenies, qui multa largientur, orabunt, & leuem pro Dei amore iniuriam impatientiſſimè ferent. Quis hîc, quæſo, amor, quantus eſt? nónne ſi verus eſt, talis eſt qualis in fortitudine ac patientiâ Martyrum apparuit? verè fortis & adamantinus eſt amor; imò fortis eſt vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio. Secundò, conſidera quantus, ſi fueris patiens, apud Sanctos fortiſſimos amatores futurus ſis, idque quia illis ſimilis factus eris, de quibus canitur, Omnes Sancti quanta paſſi ſunt! *Hectine vera*, vt ſup. pag. 7.

Patientiæ laus.

Cant. 8.

SS. Martyrum exemplum.

PVNCTVM II. Conſidera quantus ſit patiens apud homines: nemo enim eſt, qui non obſtupeſcat patientem, & præferat expugnatori vrbium eum, qui moderatur animo ſuo. Ille enim eſt aheneus murus, & ſcutum inexpugnabile, tectum patientiâ & æquitate. Neque intereſt an de re, an famâ agatur. Etſi enim linguâ maledicâ quis tibi detraxerit, nihil eſt quod mouearis, nihil quod iraſcaris. Siue enim bona, ſiue mala, benè, vel malè dicat tibi aliquis, vel etiam faciat; perinde eſt: talia enim tibi erunt, qualia eſſe volueris, qualiter eis vti volueris, vſus fueris. Sicut enim mentitur iniquitas ſibi, non tibi, ſi non conſentias; ita omnia mala facit ſibi ac dicit, id eſt, ad perniciem ſuam, ſi nocenti compatiaris, eumque propter Deum ames, & gratis. id verò tum facis, cùm nec beneficiis ſolis ad amorem excitaris, nec maledictis ab eo auocaris, & commiſerearis ei potiùs, quàm

Quiſq; ſibi bona audit vel mala.

quàm in malis propriis gemas, quibus te appetit. Dignus eſt enim commiſeratione: mala enim eius, illi mala, & valdè mala ſunt; ſed tibi dicta ac facta, ſi velis, in tantum bonum, & tantum malum conuertere potes, quantum voles. Nam etſi re verâ mala ſint, non tibi tamen erunt, neque mala eſſe vllo modo potuerunt, niſi malè vtaris; nec bona bona, niſi eis benè vſus fueris. Hoc ſemper ergo intuendum, quid fiat in animo tuo, non verò, quid boni, vel mali alij faciant; ſed quid tu de ipſis eorum factis facias: quomodo ſcilicet vtaris bonis & malis eorũ: quantumq́ue ex iis proficias, ſiue fauendo, & adiuuando; ſiue compatiendo, & emendando. Ac mala à voluntate tuâ habent, quòd tibi mala vel bona ſint; ſic aurum viſum fit rapinæ occaſio furi, & mali, ex malitiâ eius; abſtinenti & miſericordi virtutis, quia tribuit egenti. Vt ſol indurat lutum, liquefacit ceram eodem radio; ita hic homo aduerſis fortior fit, ille liqueſcit; ille iis honoratur, hic vileſcit. Quid ſi enim tu patienter iniurias, calumnias, bonorum direptionem feras; ridenti vultu, fortiore animo, rependas bona pro malis; nónne gaudebis? ab omnibus laudem, etiam improbis feres? quid ſi iraſcaris? malo vni tuo in animo, & aliud adiicies & grauius. At de honore agitur. ita eſt; ſed non de vero: quo tunc ſolùm excides, ſi impatiens fueris. Sed & de bonis periclitâris; vis etiam potiora abiicere, quia ſequiora perdidiſti? *Credo tibi*, vt ſup. pag, 7.

Mali tantũ poſſunt nobis occaſionẽ dare virtutis.

Honorũ inanis cura & bonorũ.

PVNCTVM III. Conſidera, precor, Primò, an ſcias, quâ viâ ad cælum pertingere poſſis; vtique certũ eſt te ignorare: ergo ſic cogita: Ecce hanc tribulationẽ mihi Deus immittit, hæc via eſt, quâ ad cælum me perducere vult, & non aliâ: præſertim cùm, etiamſi omnia adhibeam, eam euitare nequeam. Deinde cùm certiſſimum ſit per multas tribulationes oportere nos ſaluos fieri, & quòd omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patientur; ac veriſſimum illud. Mundus gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in

Via ad Deũ monſtrata, eſt patientia.

1. Tim. 3.
Ioan. 16.

P gaudium,

gaudium. hæc, inquam, cùm ita ſint, age, diſcerne, an ſaluus fieri, an piè viuere, an triſtari hîc cum filiis Dei, & triſtitiam velis verti in gaudium? Quòd ſi annuis: iterum te rogo, & pereunctor ex te: Cur ergo quereris? & an tuum potius ſit eligere genus afflictionis & aduerſitatum, id eſt, an infirmus ſibi genus pharmaci præſcribere debeat, an medicus; an dux militem, an miles ducem ſequi debeat; Sapientia æterna inſipientiam noſtram? Secundò, ſi hanc recuſes crucem & afflictionem, cogita certo certiùs grauiorem à dæmone ſuſtinendam. ideò enim dixit Dominus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Ideò in inferno lugent improbi ſe ambulaſſe vias difficiles, mundiq; huius grauiſſimam tyrannidem ſuſtinuiſſe. Tertiò conſidera, eâ lege omnes natos, vt aduerſa feramus; & fruſtrà te repugnare; ipſe enim Dominus ait, Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Numquid dicet lutum figulo: Quid facis? Si ergo non poſſis effugere, quid turbaris, & auges dolorem ac malum tuum? neque enim Deo nocere potes; quòd ſi velis, proximo vltor ipſe erit, qui dicit, Mihi vindicta, & ego retribuam: adeò vt ſolum dicentem proximo, fatue, igne puniat ſempiterno. Non ſufficit tibi?

Reſignatio neceſſaria. *CruxChriſti aut dæmonis ferenda* *Matth. 11* *Sap. 5.* *Impatientia infructuoſa.* *Actor. 9.* *Iſaiæ 45.* *Deut. 32.* *Aduerſa ſunt medicina.*

O æterna Sapientia, vt infr. pag. 36.

PVNCTVM IV. Conſidera primò, an cùm videas in te ſuperbiam, & impatientiam, velis ſanari? ita, inquis: ergo admitte manum medicam, gratias age illi, qui te ad belluas iſtas extinguendas & incendium iuuat: neque enim patientia ſine illis exercitationibus poteſt acquiri, neque humilitas ſine humiliatione. At res tua tibi erepta eſt, officium, æſtimatio, honor; à quo? à Deo, cuius erat, quod tu occultè vt idolum colebas magno amore. Si ignoras quanto, collige ex dolore quem in animo tuo experiris, eo quòd diu fornicari, vt Scriptura loquitur, & tuum, illud idolũ colere non potueris. Quid

In iis Deum conuerte.

cùm,

tum Deus,& cæleſtia tibi adſint,vt ſcarabæus ſtercorib' adhæres? Petere veniam deberes,quòd nimio amore creaturæ inhæſeris, quod eſt ſpiritualiter fornicari:& ecce doles quòd vltrà non liceat tibi,& quereris de Deo tuo, ſponſo animæ tuæ.O impudentiam! Audes petere, quo cum offendas,ab eo recedas; &, ſi miſericorditer negat, fers impatienter, quòd iniuriam diutiùs ſibi à te amore creaturæ fieri non permittat? diſſimulare ſaltem deberes dolorem de mali occaſione,id eſt adulterij,ſublata: gratias agere ob laqueum remotum,& foueam clauſam. O miſera ſors,non poſſe nolle quod obeſt! non poſſe velle, quod prodeſt! *Hæccine vera*,vt ſup.pag.7. *Creaturæ ſunt idola.*

PVNCTVM V. Percurre paſſionis myſteria. Primò, anguſtias cordis dulciſſimi JESV; & tuas illis coniunge, & ſic vnitas diuinæ maieſtati offer. Deinde quid patiatur,à quibus, & quomodo, in corpore,membris, famâ, & exiſtimatione, & dic ſaltem ad ſingula: Quid retribuam tibi, Rex meus, & Deus meus, viliſſimum mancipium tuum pro omnibus quæ retribuiſti mihi? nónne æquum eſt me confidere tibi, qui tanta feciſti pro me? & aliquid ferre pro ſalute meâ, cùm tanta pro illâ tolerare dignatus ſis? Secundò, attende ſapientiſſimum & optimum Dominum, ſibi ſuiſque crucem elegiſſe; & tu ergo dic: Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri JESV Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt. Tertiò, optimi Patris erga te prouidentiam, quodque ab æterno prouiderit & decreuerit hanc tibi crucem; ſecundùm omnes circumſtantias loci, temporis, perſonarum, eamque ſummâ cum bonitate & ſapientiâ admenſus fuerit viribus complexionique tuæ, ita vt, ſi velis,tibi etiam ſicut diligentibus Dominum, omnia in bonum cooperatura ſint. Elegit verò hunc, vel illum, per quem te exerceat, puniat; cur non placet? non reſpicias ad baiulum,ſed eum qui mittit. non eſt enim malum in ciuitate, quod non fecit Dominus. Quartò, conſidera æternum gloriæ pondus, quod pro *Paſſionis conſideratio.* *Pſal. 115.* *Galat. 6.* *Prouidentiam Dei in malis attende.* *Rom. 8.* *Amos 3.* *2. Cor. 4.*

Hebr.10. momentaneâ tribulatione retribuetur, & ſecundùm Apoſtolum, patientiam ad omnia neceſſariam eſſe, vt reportemus promiſſionem,& poſſideamus animam noſtrã.

Reſignatio neceſſaria. Ergo generoſo animo te diuinæ prouidentiæ committe in tempore,& in æternitate;& fac velis id, quod Deus vult. aliàs enim nihil velle potes,quod tibi vtile eſt:vtilitas enim noſtra ſola Deus eſt, & voluptas eius. mane ergo in eo,& fruere illo qui vbique eſt;& omne bonum; & queri nunquam poteris. Queritur enim,qui caret aliquo bono:&, ecce ſi vis,habes omnia in Deo tuo, ſi ei voluntate & charitate coniunctus ſis: in hoc enim omnis lex & Prophetæ; in hoc vera charitas, & charitatis perfectio conſiſtit.

EXERCITIVM.

Sap.8. *O Sapientia æterna,quæ attingis à fine vſq; ad finẽ fortiter,& diſponis omnia ſuauiter. nónne dixiſti per Prophetã tuum: Non eſt malũ in ciuitate quod nõ fecit Dominus?*

Amos.3. Matth.10 *Nónne dixiſti capillos noſtros omnes numeratos eſſe? Nónne oculi tui ſemper nos contemplantur? Nónne Pater noſter, noſtriq; amantiſſimus es,& creator,& conſeruator? Nónne in te viuimus nos,mouemur & ſumus,& omnia,quæcunq; ſunt? neq; foliũ in arbore mouetur ſine prouidentiâ tuâ, neq; cadit paſſer ſuper terrã ſine illâ. Quid ergo ſi hoc,vel illud mihi aduerſi accidat? anne vel vt canis lapidẽ petã,& nõ attollã oculos ad te,quid id facis,& ex immenſo amore id mihi immittis? Orę te ſæpè,Domine,pro patientiâ,cur ergo eã viâ ordinariâ acquirere nolo;ſed velut homo tentans Deũ; patiens eſſe volo, & pati nolo? Quale membrum ſanctiſſimi corporis tui habes, Domine* IESV, *quale,quã deforme! tu vulneratus es propter iniquitates meas,& à plantâ pedis vſq; ad verticẽ capitis nõ eſt in te ſanitas,vt ego ſanus ſim,& ego pro meis pati recuſo?*

Confide in Patris noſtri æterni prouidentia. Actor.17. Matth.10

ô Domine,tu vides imperfectũ meũ,& ſi vis,potes me ſanare, & cur nolis? poteſtne vincere malitia mea bonitatẽ tuã? non poteſt: ecce enim paratus es venire etiã hodie,vt me ſanes,vt cibes,vt potes,vt amplectaris;vt ſimilis tibi efficiar. Fac obſe-

Applicatio ad Communionem,

ero mihi ſecundùm miſericordiam tuam. Porrò me in manu tuâ, vt lutum in manu figuli, & reſigno me tibi in tempore, & in æternitate, & tantummodo id rogo, ne proiicias me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Tu Domine, didiciſti ex iis quæ paſſus es, patientiam & obedientiam; & ego omnia dura reſpuam? ignauus certè miles forem.

Tu propter me in cruce dura coronatus, & flagellatus fuiſti; & ego mollia omnia quæram? Tu famē paſſus es; ego ventrē diſtendere cupiam? Tu ignominiam & improperium elegiſti; ego inſanus gloriam ſpectabo? Tu in omnibus dura elegiſti & vilia & aſpera, ſicut & omnes Sancti tui; ego verò nō tuo ſpiritu, ſed carnis & mundi impulſus, commodis meis ſtudebo! nonne tu noſti, dulciſſime IESV, reprobare malum, & eligere bonū? ſi in cruce & tribulatione malū; anne eā elegiſſes? nónne calicem paſsionis Matri, & amantiſſimis Sanctis propinaſſes, qui circuierunt in melotis, & pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, per deſertū vitæ huius, vt in verā promiſſionis terram peruenirent? ego verò quomodo aliam viam inuenire volo, quàm tu, Sapientia æterna, elegeris? Diſplicétne mihi, ô Deus meus, conſiliū tuum? oportuit te pati, & ita intrare in gloriā tuā: quo pacto igitur intrabo in illā, niſi viâ regiâ ſanctæ crucis? Quocumq; eā aut fugiam, effugere crucē nullo modo valeo, vndiq; malis cinctus: ſed hoc ago, vt ea, quæ, ſi libenter de manu tuâ acciperē ſuauia eſſent (tu enim dixiſti, Cum ipſo ſum in tribulatione) iam ob propriam voluntatem, & repugnantiam aſpera fiant & intoleranda.

Chriſtus ſibi & ſuis elegit dura, quid tu?

Iſaiæ 7.

Hebr. 11.

Reſignatio neceſſaria.

Pſal. 90.

Quid me facies, bone IESV? nónne certum, quod niſi compatiar, corregnare nequeam? cur ergo eos, qui coronam mihi fabricant, odi & auerſor; qui vel imprudentes, vel ingenti ſuo malo, etiam in hoſte commiſerando eam mihi faciunt? Ecce medicinam præbent peccatis meis, & hoſtibus abigendis arma; ſed nolo bone IESV, & inſtar furioſi, qui hoſtes meos fouent, diligo: qui eos debellant, auerſor, neque pudet, eheu! me Chriſtianū verbis dicere, & quaſi factis negare, O IESV amantiſsimè, talémne tolerare potes in ſeruitio tuo, qui horret velut dæmonem crucem tuam? qui non diligit perſequentes ſe, neque

Compaſſio erga aduerſarios.

Confuſio ſui.

Matth. 5.

neq; orat pro illis, neq; benefacit iis, ſed velut Ethnicus & publicanus d l gentes ſe diligit, & od entes odit: quod etiã feræ faciunt? & l cet iubeas inimicos d l g , ac tanta præmia propon.s, ebu!ccce plus apud multos valet verbum proximi placabile, aut obſequium v le, quàm omnis voluntas tua: ob illud enim illi ignoſcitur, ob hanc nec verbulum condonatur.

Ecce confiteor t bi delicta mea, & poſtulo humillimè gratiã tuam, per dolores, fatigationes, mœrores, vulnera innumera, & opprobria tua, vt diſcam inimicos diligere, aduerſa vt à te immiſſa amplecti, per multas tr bulationes à prouidentiâ tuâ immiſſas aliquando ſaluus fieri, & inter amicos tuos, quos & imploro, fortiſſimos Martyres tot paſſionibus nobiles, inter Oblatio ſui. *Confeſſores & virgines etiam cruce ſuâ inſignitas, ſtare, & te frui in æternum. Reſigno me tuæ prouidentiæ, diſpone de creaturâ tuâ. De nihilo hoc fac quod tibi placet, Domine mi Deus cordis mei: quid enim noui quid expediat mihi? tu medicus es animæ meæ, noſti quid expediat; tu dux noſti, quâ ducas; tu, Pater, ſcio, non proiicies, neq; deſpicies, neq; deſeres me; neq; ego te per gratiam tuam, ô bone IESV, mori tecum & vincere, & in æternum tibi adhærere volo, Amen.*

Praxis ad malorum propriorum exercendam tolerantiam.

Præuide aduerſa. 1. PRÆVIDERE manè, & in examine; immò etiam ſingulis horis, vt iam dictum, ea quę nobis aduerſa poſſent accidere, & ad ea animum comparare.

Secundò, oblatâ occaſione patientiæ oculos in cælũ ad *Deum pręſentem intuere, & crucifixũ complectere.* Deum conuertere, ac gratias agere, & cogitando eſſe te coram crucifixo, eum complecti. Reprime ergo vocem, & commoriatur ira in te, neque vnquam vlli poſtea enarra, vel auge ab altero iniuriam illatam: id enim eſt aggrauare, & ſeſe ad vltionem dæmonis aſtu prouocare. ſed vt verè humilis extenuare debes, quia iniuria non fit illi, qui Deo perduellis, & toties iniurius fuit.

Tertiò, ſi quid amaritudinis ſentias, præueni proximũ, *Præueni proximum officio.* ſaltẽ ſi aliter nequis, per aliũ; Primò, humiliatione, etſi illius culpa ſit; Secundò, beneficio: Tertiò, ſaltem diligenter pro illo ora. Sunt qui ex auerſione & odio declinant conſpectũ & alloquium, nónne ex ore illorũ & facto iudicabis illos, Domine? Quã vereor ne nunquã videant in iubilo faciẽ tuã!

Sunt

Sunt qui humiliatione præuenire nolunt, quaſi dedeceat; cùm humilauerit ſemetipſum Dominus, & qui peccatum non fecit, cũ latronibus ſeſe deputandũ obtulerit. Quid? vis videri non poſſe errare, & hominem non eſſe te? Vide ne vt Angelus apoſtata, & ſicut vnus de principibus corruas.

Quartò, quotidie in Sacro offer te ad omnes tribulationes, à quocumque de manu eius accipiendas, vndecumque proueniant, deinde quotidie illi refer acceptas, & ora pro perſequentibus te. *In Miſſa reſigna te Deo.*

IACVLATORIÆ.

NOn eſt malum in ciuitate quod non fecit Dominus. Amos. 3.

Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt mundus panis inueniar. S. Ign. Mart.

Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. Cognoui, Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tuâ humiliaſti me. Pſal. 118. Ibid.

Adiutor meus eſto; ne derelinquas me, neq; deſpicias me, Deus ſalutaris meus. Pſal. 26.

CAPVT VIII.

De impedimentis Progreſſus in viâ ſpirituali, ac primò de contemnendis hominum iudicijs.

POSTQVAM aliquis cum filijs Iſraël de Ægyptiacâ ſeruitute liberatus eſt, & ad montem Dei Oreb tendere conatur; infernalis Pharao nihil non obiicit ac mouet, vt ſi omninò à ſalutis viâ auertere nequeat peregrinantem in cælum, ſaltem variis tentationibus ſeu velitationibus eius progreſſum ac curſũ retardet. Neceſſe igitur eſt armis eſſe inſtructum, modumq; noſſe pugnandi cum Principibus tenebrarum harũ. Et quia inimici hominis domeſtici eius, & verè homo homini lupus eſt, & vt D. Antonio Angelus oſtendit, illi ſe mutuò impediunt quàm maximè æmulatione, inuidiâ, rixis & iudiciis ſuis temerariis ac detractionibus, ideò de contemnendis his primò agendum puto.

Meditatio de contemnendis hominum iudicijs.

PRAELVDIVM I. Erit ſtatuere ſe coram Deo, eiuſque curiâ ampliſſimâ, cum propoſito omnia dirigendi ad gloriam illius.

PRAELVDIVM II. Poſtulare humillimè gratiam, vt fontem propè omnis mali cognoſcere poſſimus; qui eſt iudiciis hominum ſubſeruire; & ex iis, (quod plerique faciunt mortalium) vitam ſuam ordinare.

In pleriſq; iudicijs hominũ mouentur.

HOMO. O Sapientia æterna, vulgò dicitur homines moueri non tam rebus, quàm rerum opinionibus; & ecce, ſi percurro vitæ meæ rationes N. ſicubi dolor, aut gaudium; aut timor, aut ſpes nata fuit, ab hominum opinione, laude aut vituperio video magnâ parte profecta: nemo enim dedecora, infamiam, paupertatem, deſpectum timet, aut de iis dolet, nemo de honore, famâ, &c, exultat, niſi vitam ſuam ad aliorum opinionem velut normam dirigat. Et ecce, hinc fit vt quoties in animo meo pium decretum facio, non id tantùm me conſiderare ſentiam, quid res in ſe ſint; ſed etiam quæ vulgò de rebus ſint opiniones. Si enim rectè viuendi, vitandi conſortia praua & colloquia, ſobrietatis, fugæ ſæculi, modeſtiæ in victu & veſtitu, ſi confitendi crebrò, ac communicandi legem mihi ſtatuo; pondus graue addit mihi in pleriſque iudicium hominum, ſæpè improborum, aut eorum, qui neque probi, neque improbi ſunt, ſed in confinio vtrorumque commorantur, & claudicant in vtramque partem: & inſinuat ſe mox, quid dicent hi, quid illi recenſebunt?

Cogita Dei iudicia.

CHRISTVS. Nónne potiùs cogitandum tibi foret, quid ego verbis, quid factis ſenſerim? Ego Sapientia æterna, ego Judex tuus, qui iudicabo te ſecundùm legem meam & opinionem, & iudicia mea, non verò inſipientium & mundi huius. Cur ergo iudiciis hominum aut incitaris, aut retardaris? graue certè præiudi-

cium

cium,quod iudicium non habet,& à me recedit.

Hæccine firma, vt ſupr.pag.8.

HOMO. Niſi id fecero, nónne credo, videoque me â tuâ Maieſtate,& à toto mundo ſubſannandum,quod ei ſtulto crediderim,& illuſori ſciens & volens? Tædet me valdè,ſic ventis auræ popularis ferri & abripi,non ponderе rerũ,ſed opinione. Sed quis me liberabit de iſtâ cõmuni malignitate & morbo,niſi tu Deus meus?namque, vt video,quoſdam Religioſos etiam iſte adurit;quos nõ rarò iudicis hominum tranſuerſos agit,plauſuque,ac vituperio,à normâ humilitatis & obedientiæ, ſimplicitatiſque lege,longiùs facit aberrare.Hic de loco, munere, alterius obloquio,famæ detrimento queritur, ille locũ, munus,& ſtudia affectat;& ſi horum petam cauſſam,vna eſt hominum opinio fons omnium propè malorũ. *Hæccine vera*, &c,vt ſup.p.7.

Cur ſtultò potiùs credis quàm ſapientiæ?

CHRISTVS. Imò,nónne rara auis eſt,inuenire Iobum in terrâ Hus inter malos bonum, ſiue in ſæculo, ſiue etiam in religione?

HOMO. Tu noſti,Deus bone! quæ hæc maledictio, quòd adeò pauci velint ſingulares videri in bono, & tibi placere! quodque in naufragio malorum cum illis optent potiùs perire, quàm tuâ gratiâ ſuper aquas ambulare! Pudet, aiebat ſeruus tuus Auguſtinus conquerens de hâc inſaniâ, pudet non eſſe impudentem. O quanta calamitas,& malitia ſæculi huius! quæ etiam in clauſtra, & ſui contemptores ſibi tantum iuris vendicat.Nónne tibi debemus, ô IESV vita noſtra, viuere, & mundo mortui eſſe,quotquot Chriſtiani ſumus? & vehementer id quidem deſidero. Audio enim dicentem Apoſtolum tuum: Si hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. An vera hæc veritas? an fallere non poteſt? non poteſt certè. Vtinam id mihi concedere digneris,vt hoc opere credam,qui ſolus potes facere mundum de immundo conceptum ſemine; & ſolus Samaritanus vulnera noſtra ſanare! *Credo tibi*, vt ſup. pag.7.

l.2.Confeſſ. c.9.

Gal.1.

Placere Deo nequit hominum ſeruus.

CHRISTVS. Nónne tu, vt omnes diſcipuli mei, abrenuntiaſti mundo in ſacro fonte, & pompis, & iudiciis eius, mihiq́ue ſeruire ſtatuiſti? & ſic ad vitam ingredi?

HOMO. Et ecce, veremur dici mali, & haberi, neq; tolerare id poſſumus, imò malumus eſſe quàm haberi, & propter verbũ hominis gratis mali eſſe volumus potiùs, quàm propter tuum boni & beati.

Bone IESV, vt infrà pag. 241.

CHRISTVS. Et verò, quid ſunt iſta iudicia, niſi aliquot homuncionum, & ferè malorum, quiq; malè affecti ſunt, cogitationes inanes, ſermones & deliria? vti enim quiſq; affectus eſt, ſic ſentit, & loquitur. Cùm verò totus mundus in maligno poſitus ſit; & quicquid in eo reperitur, ſit concupiſcentia carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ, quod eſſe iudicium illius poteſt? An poteſt mala arbor bonos fructus facere? malus ad bonum hortari, & illud verè probare?

1. Ioan. 2.

Credo tibi, pag. 7.

HOMO: Qui prudentiores haberi volunt, iudiciũ ſeculi pro ſuâ inſipientiâ cum virtute & pietate iungere volunt, etſi vt plurimũ diffideant: etſi iungere ea nequeant, tum videmus eos potiùs de pietatis exercitiis aliquid detrahere, quàm videantur hominum ſæpè peſſimorum iudiciis non ſubſcribere.

Iudicia hominum quid proſunt?

CHRISTVS. Quid autẽ iſta proſunt, vel obſunt? quid Lunæ, Soli & aſtris, quòd vt Deus ab idololatris habita fuerint? quid auro, ſi lutum æſtimetur?

HOMO. Nihil vtique, nec nobis, quòd variè iudicemur, quòd laudemur, cogniti ſimus, variè celebremur, aut vituperemur, amemur aut odio ſimus: & ſcriptum memini, Si de mundo eſſetis, mundus vtique quod ſuum eſt diligeret, nunc autem odit vos mundus, quia elegi vos de mundo, ſed ſcitote, quia me priorẽ odio habuit. Quid dulcius eſſe poteſt mihi, quid verius?

Singulariter amari velle.

CHRISTVS. Amari certè velle ſingulariter (cùm proximus quilibet, ſicut quiſque ſe deligit, diligendus ſit) omnium

omnium iniuria eſt: & laudari velle, omninò illaudabilem facit. Qui enim id vult, iam laudabilis non eſt. nam verè non laudatur, niſi qui bonus; & laudabilis verè, & non falsò æſtimatur. Vt quis laudari poſſit, laudem refugere maximè debet; cùm verè laudari nequeat, qui vult laudari: ſed vituperio propter arrogantiam, apprimè dignus ſit. Similiter, quia acceptâ iniuriâ aut conuicio iraſcitur, aut dolet; dignum ſe eâ eſſe, manifeſtè teſtatur: & laudari ſe in tantum velle, quantum refugerit vituperari. Si contemptus ergo aut neglectus fuiſti, ſi quis de te malè ſuſpicatus fuit, atque in eo gloriatus es; iniuriâ factum illud fuiſſe declaras: meritoque fueras dignus contemptu, ſi de contemptu doluiſſes. Et verò, quid eſt, quod à te habes, quòdque tuum ſit? prorſus nihil. Mea enim ſunt omnia. Cur ergo illa tibi arrogare vis, aut ab aliis tribui tibi, & ob ea honorari? Vt dæmones ſibi honores tribui volunt diuinos; ſic vanus homo laudari, & admirationi eſſe, & auferre mihi honorem. Si ſaperet, diceret iis qui ſe amant & admirantur, cum Apoſtolis meis: Viri Iſraëlitæ, quid miramini in hoc; aut nos quid intuemini, quaſi noſtrâ virtute aut poteſtate fecerimus hoc? vel vt alij, cùm immolare illis vellent: Viri, quid hæc facitis? & nos mortales ſumus, ſimiles vobis homines. Vis ergo vt me omiſſo, te reſpiciant? ſingulariter laudent & honorent? inimici fiant mihi, vt tibi ſint amici? vis tu, me præterito & neglecto, honorem quem præſtare potes, amorem, admirationem tuam tribuere vaniſſimo idolo, id eſt, hominum opinioni? Qui enim illam amas, eidem per amorem ſubiiceris: mundumque amas, & inimicus meus conſtitueris. vis vt amore tui, homines impediantur, ne toto amore ferantur in me? vt ponas te mutum inter eos & me, ne plenè mihi adhæreant? Gaudes fortè, ſi te ſuſpiciant multi, id eſt, fallantur, & fallas! ſi ad te veniant, ſi iis per te aliquid tribuam. Nónne vides muſcas ad ollam, & pulices conuolare ad carnem tuam, & exſugere?

omniū iniuria eſt.

Qui de cōtemptu dolet, contemni dignus eſt. Qui gaudet cōtemptu immeritò cōtemnitur.

Qui laudari affectāt, dæmonem imitantur.

Actor. 3.

Actor. 14.

Qui ab hominibus amari geſtit, Deo corda hominum ſuffuratur.

ſugere? ſibi comedunt, & tibi detrahunt: ita, qui ad te veniunt, aut opis, aut ſolatij gratiâ, quod per te illis præſto, quod ſuum eſt, pereunt: propter illos enim dedi; quod meum eſt accipiunt. Reddant itaque mihi laudem, neque tibi de laude, aut vituperio cura ſit, aut iudicio hominum.

HOMO. Si ergo neque laudem appetere, aut ſperare debeo, ſi bonus eſſe voluero, neque vituperium auerſari: quanta, Deus bone! inſipientia, propter illam malum eſſe velle, aut ſaltem me perturbando, & dolendo, minùs bonum?

CHRISTVS. Quis eſt, qui, ſi eius ſanitas, ſcientia, robur, opes nō laudentur, imò vituperentur, ea corrumpat? Nemo fame ſe cruciat, quòd à furioſis & parùm fauentibus, cibus & potus venenum eſſe clametur.

HOMO. Et tamen, ne quis vituperet nos, ſæpè exercitiis pietatis, & obſeruantiâ abſtinemus, id eſt, cibo animę, eiuſq; robur & opes perdimus, & gratìs venundamur ſub peccato. *Bone* IESV, vt infr. pag. 241.

CHRISTVS. Quid ſi te quiſpiam conſuleret? quid ſibi eligendum foret, quidque expediret; verè diuitem eſſe honoratum, beatum; an talem falsò haberi? omnibus abundantem, an indigentem? verâ, an adumbratâ virtute præditum? Nónne vera falſis & vanis anteponenda eſſe iudicares? Attamen hic error abripit omnes; ac, ne vituperentur, iniuſti eſſe malunt, aut minùs iuſti, quàm ob virtutem verè laudabiles, beati eſſe, & honore digni. Quàm diuerſus erit in morte, & iudicio ſenſus! imò, aliud tum vniuerſi erit iudicium mundi. Laudabitur ab eo, qui illum contempſerit; & vituperabitur, qui illius vocibus incantatus, inertem & turpem duxerit vitam. Tum paupertatis amor, honorum ac ſæculi contemptus ac opinionum, & liberalitas in pauperes, & virtus omnis extolletur, etiam ab improbis; & à Sanctis meis, & me, in æternum laudabitur: vt meritò diem mortis Sanctorum, natalem eorum eſſe, & dici voluerim,

Cur falſa pro veris eligis?

rim. Oriuntur enim tum, & velut ſidera, deficiente die hâc, in nocte lucere incipiunt, *Bone* JESV, vt inf. p. 241.

HOMO. Improbi verò, etiam tunc, cùm de ſalute agitur, ne inconſtantes, ne timidi appareant, conuerti ad te, publicè confiteri, communicare, inungi verentur; & dira conſcientiæ tormenta patiuntur.

Multi conuerti nolūt ob hominū iudicia.

CHRISTVS. Si cauſam quæras in promptu eſt: Quis, inquiunt, eſſet ſermo?

HOMO. Et ſic, bone JESV, pluris eſt ſermo, & verbum volans, re ipsâ, ſalute. Pluris eſt, quàm ſit te ſuſcipere, à te viſitari, paſci, roborari. Pluris verbum, quàm omnia dona tua. Pluris timor, & volitare per ora hominum, quàm æternæ vitæ diſcrimen adire. O quanta vis & potentia iudiciorum humanorum! Eheu! quid in iudicio ille reſpondebit tibi, quando coram vniuerſo orbe terrarum, patebit inſipientia illius? Exprobrabis eam illi tunc, ô Sapientia æterna, quòd te ſpreto, viliſſimorum hominum vocem pluris æſtimarit, quàm mandatum tuum. Tunc inſultabit illis orbis terrarum, Sancti ſubſannabunt, & dæmones illudent, quorum laudes, id eſt iacula, tam auidè quæſierat; quibus vulneratus, æternâ ignominiâ plectetur.

Stultitia eorum qui curant iudicia hominum.

CHRISTVS. Qui autem me confeſſus, & pietatē fecerit coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo: & qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſuâ, & Patris, & ſanctorum Angelorum.

Matth. 10

HOMO. Quàm dolebunt filij huius ſæculi, eheu! in longâ ęternitate; quòd ob verbum, cogitationem, nutum hominis alicuius, omiſerint occaſiones mille ſalutis, gloriæque ſempiternæ!

Vide vt occaſionem virtutis nō negligas.

CHRISTVS. Tunc, vt etiam in iudicio, eiulabunt reprobi, dicentes: Ecce hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudiuem improperij: nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce, quomodo computati ſunt

Sap. 5.

inter

inter filios Dei,& inter Sanctos ſors illorum eſt!

Credo tibi, vt ſuprà pag. 7.

HOMO. Amari volumus, & ecce, ſi idcircò omittimus amorem tuum, erimus in æternum odio tibi Deo noſtro, & Angelis tuis: honorari cupimus, & omnia ſcelera & receſſus cordis noſtri omnibus aperta erunt: celebrari, &, eheu! æterno carcere, & æternâ erimus obliuione ſepulti, neque vnquam recordaberis noſtri, Deus noſter: quos audiuimus, quorum iudicia timuimus, perpetuis nos maledictis inceſſent; ſi honorem quærimus, nónne, eheu! æternum ſperare ac eligere pro momentaneo oportuit? O felices animæ, & ter felices! quibus Spiritus ſanctus eam indidit mentem, vt honores mundi ſimul & fauores deſpiceretis, excelſioreſque rebus omnibus humanis effecit! O beate Alexi! qui cùm eſſes clariſſimus genere, illud celaſti, vt filium Dei te eſſe toti orbi comprobares: viciſti generoſe athleta, & latitando ſub gradibus toto terrarum orbe ſanctitatis ſparſiſti radios. O Apoſtoli, & Martyres Chriſti, quæ exempla nobis contemptus opinionum mundi præbuiſtis! Ibatis à conſpectu concilij gaudentes, quoniam digni eratis pro nomine IESV contumeliam pati. O beata agmina Anachoretarum, quàm feliciter mundo illuſiſtis, ne ille vobis illuderet! quæ laudabit ille, calcaſtis; quæ vituperabat, elegiſtis. quis eſt, precor, qui vobis hunc ſpiritum addiderat?

Æterna cur momẽtaneis non præfers.

Act. 5.

CHRISTVS. Caro certè & ſanguis non reuelauerant, ſed Spiritus Patris mei qui in cælis eſt: magnamque ex eo pacem conſecuti fuerunt. numquam anxij, nulli obnoxij; ſed liberi, ſecuri per gloriam, & ignobilitatem; per infamiam, & bonam famam: vt ſeductores, & veraces: ſicut qui ignoti, & cogniti: quaſi morientes, & ecce viuimus; vt caſtigati, & non mortificati. Mundanus verò, quem humani reſpectus exagitant omnium oculos, ora & rumores obſeruare iubetur, omniumque eſſe ſeruus. qui enim diligit aliquid, neceſſe ei per amorem ſubdatur:

Fructus nõ curantis hominum iudicia.

2. Cor. 6.

Incommoda ex eo quod hominum iudicia magni fiant.

datur:&,quod miſerrimum eſt,amorem, fauorem, bonam ſui exiſtimationem(quæ vera eſſe ob vanitatem nequeunt) venatur perpetuò: quam numquam ſcire poteſt an conſecutus ſit.prauũ enim eſt cor hominis & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? & qui te ore commendat, ſæpè tacitus vituperat:ſi vnus te laudet,centum deſpicient.quomodocumq; te vt Proteus verſes,numquã vnus vni per omnia, numquam vnus omnibus placebis; ſed pluribus diſplicebis.*Haccine firmâ fide*,vt ſup.p.7. *Ierem.:17.* *Laus humana vana*

HOMO. O quàm carò emuntur opiniones hominum! quas verè an quis habeat quales optat,numquam nouit; & ſi noſſet, nec ad momentum de eis certus eſſe poſſet: ita video, inſtabile eſt cor hominis, & amor illius, & quod hodie hâc horâ probat, eâdem improbat. Miramur, aliquem in Venerem, vel gutturis voluptatem ſua profundere;ſed longè magis fatuus, qui ob imaginationes hominum & opiniones, veri honoris,pacis, virtutis,ac gratiæ tuæ iacturam facit, id eſt, omnium bonorum. *Nemo certus de fauore.*

CHRISTVS. Multis quidem miſeriis obnoxius eſt homo; ſed immenſùm auget eas, qui immiſcet ſe opinioni hominum, admirationi, honori & amori: ſicut enim ex corporis proprii, ſic ex horum læſione afficitur, & ligna quibus vratur ipſe adhibet,vinculaque quibus trahatur. *Hominum opinionibus ſeruire miſerum.*

HOMO. Idcirco firmiter ſtatuo numquam aduertere ad hominum & mundi opiniones;ſed hoc vnum ſpectare quid à me exigat ratio,quid tua diuina voluntas, tua præcepta & conſilia. Quod ſit enim iudicium mundi, quàm inſipiens & inſanum, manifeſtè declaratum eſt in vitâ & morte tuâ:tu enim nocte in ſtabulo natus, triginta annos inter homines verſatus, ignotus & deſpectus fuiſti;& poſtquam dulciſſime IESV, dignatus fuiſti reuelare te mundo, quoties nobis hunc contẽptum cõmendaſti? nullum honorem aut dignitatem aut laudem quæſiſti,dicens:Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, *Attende ad Chriſti iudicium,nõ mundi.* *Ioan.8.*

quærat, & iudicet. At numquam magis, quàm falſum ſit mundi huius iudicium apparuit; quàm in ſacratiſſimâ morte tuâ: tu enim ſanctus, innocens, agnus ſine maculâ, cum iniquis ab illo deputatus es, & deſpectus, exiſtimatus nouiſſimus virorũ: & ego illius laudem aut vituperium æſtimabo? Neque aliam viam Sanctis tuis oſtendiſti qui te feriò, non ficte; ſincerè non errore, aut proprio amore decepti, amârunt, & ardenter exoptârunt contemni, ſtulti haberi ac reputari, vt imitari te poſſent. Magna certè iniuria tibi eſt (vt Chryſoſtomus ſeruus tuus loquitur) ſi, tamquam non ſufficias ad nos laudandum, te omiſſo ad conſeruos feſtinemus, hoc omnia peruertit hoc vniuerſum orbem terrarum perturbauit; quoniam hominum reſpectu omnia facimus, & de bonis operibus nulla nobis cura eſt; ſed laudem nobis à conſeruis noſtris inquirimus.

Chryſoſt. de contemnendâ laude hominum.

CHRISTVS. Idcircò verè per me dixit Hieronymus: Prima Monachi virtus eſt, contemnere hominum iudicia, ſemperq; Apoſtoli mei recordari, dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.

Serui Dei prima virtus eſt, iudicia hominum cõtemnere. Galat. 1.

HOMO. Neque ſolùm exemplis me inuitas, amantiſſime IESV; ſed inſuper beneficiis plurimis, quæ in ſingula confers momenta. Quid enim iſta mihi prædicant, niſi à te laudem veram quærendam eſſe, à quo nobis omnia bona proueniunt? ſi enim nihil boni niſi à te Oceano bonorum omnium, cur æſtimari ab alio cupio, qui nihil mihi niſi à te præſtare poteſt; nihil verè æſtimare, quia cognoſcere plenè rem nullam poteſt? Tuum vnius iudicium ſolum verum eſt. Cùm ergo iudicium hominum non vereamur, niſi ſimul aliquid ab ijs nobis polliceamur; qui videt te boni omnis fontem, nihilque eſſe extra te, deſpicit omnia propter te: quid enim extra te quærat? videt longas & difficiles eſſe vias, quibus ſcrutatur humana cæcitas quietem, vbi inueniri nequit, quodque eo ipſo infelix homo inducat ſe in omnem inquietudinẽ, dolorẽ & afflictionẽ ſpiritus: ſe enim credit dubiis

Dei beneficentia aliorum contemptum docet.

dubiis ventis voluntatis, fauoris & timoris hominum; cùm numquam in eodem ſtatu permaneant. O quàm ſtultè vanitatem talis amat, eique innititur, vt vndis fluentibus, aëri & ventis, meritoque timet, & timendo manifeſtè inſipientem ſe atque improuidum demonſtrat! Et tamen tot ambagibus, timoribus, ſimulationibus bullæ iſtæ quæruntur.

EXERCITIVM.

BONE JESV, *ô quantum vanitati ſubiecta eſt creatura tua non volens, ô Creator mi! quot ſibi laqueos parat, & impedimenta ponit, ne perueniamus ad te, Amor noſtri! Quid enim eſt in vniuerſâ vitâ, quod magis à recto deuiare faciat, quàm quod reſpiciamus ad iudicium hominum? Ecce, perire plurimi malunt, æternùm cruciari, dum confeſſiones imperfectæ ſunt pudore noxio & peſtilenti, quàm ab vno homine iudicari, vel deſpici. Quanta, proh dolor, dementia! Quid quærimus placere homini & diſplicere tibi? An tanti nobis eſt, vt ille de me rectè ſentiat & loquatur, vt vulgus imperitum, vt fallax homo & mendax & in horam mutabilis, vt potius quàm illi diſpliceam, à te damnari velim? O Deus meus, ô Redemptor mi, hæc videtur eſſe vniuerſitas iniquitatis, hic fons omnium duellorum, omnium contentionum, ſimulationum, ambitionis, faſtus & ſuperbiæ: qui enim non reſpicit ad hominum iudicium, humilis, & pacificus eſt deo meo, & hominibus amabilis & Angelis tuis, ſecurus viuit, beatus moritur, gratiã inuenit in oculis tuis. Veniat mihi obſecro illa, & non reſpiciat me viſus hominis; ſed deſpiciat, dummodo placeat tibi anima mea. Cur miſeri ſerui eſſe volumus hominum, quos ſanguine tuo liberos feciſti? Cur etiam cogitationes hominum veremur, & magis quàm iudicia tua?*

Creaturæ amor laqueus.

Iudicia mundi magnafacere fons eſt calamitatum.

Ah, Domine, hæc eſt calamitas filiorum Adæ. Sed potes, & verbo potes, & nutu potes, ſanare infirmitatem noſtrã. Aſpice in me, & ſaluus ero. Reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego. Spero equidem cùm toties nos viſere digneris, tùm nobiſcum eſſe vſque ad conſummationem ſæculi, fore

Fiducia in Deum. Applicatio ad Communionem.

fore vt roboret me virtus tua, & caro tua, & ſanguis tuus. Scriptum memini: Erunt duo in carne vnâ; & dictum hoc in te Chriſte JESV, *& Eccleſiâ. Fac ergo vt vnum tecum ſim, & aptum membrum corpori tuo fac, vt hoc pane refectus non eſuriam iterum, & bibens de fonte gratiæ tuæ non ſitiam in æternum, niſi te vnum, ad quem deſiderat anima mea vt ceruus ad fontes aquarum.*

Miſerere, Domine, miſerere, conditor omnium, vanitatis noſtræ & ſeruitutis, quâ mundo & cogitationibus hominum ſeruimus. Si ſeruire libet, nónne potiùs tibi Deo meo viuo & vero? nónne tibi, Rex Regum, & Domine dominantium? ſi laudari volo, à te verè coram curiâ tuâ, & orbe terrarum, & in æternum deſidero: ſi gloriam cupio, æternam à manu tuâ expectare volo: ſi vituperium timeo, à te deſpici & contemni formidare vehementer debeo. Quis enim laudabit, quem tu deſpexeris? quis eum dicet bonum, quem tu reprobâtis, verax
Pſal.118. *Deus, qui ſcrutaris corda & renes? Ecce, Domine, iam viam*
Pſal.17. *veritatis elegi, & iudicia tua vera iuſtificata in ſemetipſa. Illumina igitur tenebras meas, vt non vltrà diem hominis deſiderem, ſed vni tibi placere optem, & diſplicere timeam. tu enim laus mea, tu gloria mea: ſi gloriari oportet, in te gloria-*
Pſal.43. *bor; quia in te inimicos ventilabimus cornu, & ſpernemus inſurgentes in nobis, vt ſine timore de manu inimicorũ noſtrorũ liberati, ſeruiamus tibi omnibus diebus vitæ noſtræ, Amen.*

Praxis ad iudicia hominum contemnenda.

Actiones ordina Dei iudicio.

PRIMÒ, conſiderare oportet actiones ſuas, eaſque non ex vulgi iudicio, ſed Dei lege ordinare; ac tunc generoſo animo in viâ virtutis progreſſum facere. Dici nequit quantum hunc impediat iudicia hominũ vereri: hoc enim multos à frequenti confeſſione & communione publicâ, aliiſque pietatis exercitiis auertit; & audent plurimi in ſcholâ vanitatis & nequitiæ eſſe principes: in pietate verò paucos reperies qui præire audeant.

Vide in quo theatro ſtes.

Secundò, ſæpè iuuat conſiderare, ſe coram Deo ac curiâ eius in magno theatro exiſtere atque operari, ac iudicia hominum ſpernere.

Tertiò; cùm hoc malum ex amore ſui ducat originem, nec ferè quiſquam alterius iudicium vereatur ſiniſtrum, aut vitupe-

vituperium, niſi ſimul laudem veneretur, vel aliud quidpiam, magnanimitate opus eſt: illa enim hominum ſeruire vanis iudiciis ac ſuſpicionibus, aliiſque eſſe obnoxium, & ab iis mendicare pretio ſummo Chriſtianæ libertatis, non permittit. *Magnanimus contemnit iudicium.*

Quartò, Sanctis in more fuit poſitum, nonnulla facere quæ irritare linguas, & eos deſpectos reddere poſſent, nullâ tamen iuſtâ occaſione data, atque in eo imitari illos oportet, ſi ad perfectionis brauium contendere velimus, & ad pacem atque animi tranquillitatem peruenire. *Dignatus es*, vt ſuprà pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Mihi pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die. 1. Cor. 4.
Feci iudicium & iuſtitiam, non tradas me calumniantibus me. Pſal. 118.

Iudica me, Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſanctâ, & ab homine iniquo & doloſo erue me. Pſal. 42.

Diem hominis non deſideraui, tu ſcis. Ierem. 12.

CAPVT IX.

Meditatio de alio impedimento progreſſus, peccato veniali.

Oratio præparatoria, vt ſuprà.

COMPOSITIO LOCI, conſiderare animam, & te totum velut leprâ opertum imperfectionum coram Deo, & curiâ illius vniuerſa.

ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera vitam actam, & quàm multa peccata & defectus admiſeris. Primò, circa vitæ tuæ inſtitutum. Secundò, ſi religioſus ſis, circa vota & Regulas, in mortificatione, in modeſtiâ. Tertiò, in oratione & vſu Sacramentorum. Quartò, in operibus tuis etiam ex obedientiâ factis. Quintò, in conuerſatione quotidianâ: & conterere ex toto corde, & humilia ſpiritum tuum valdè. nihil enim eſſe videbis aliud iuſtitiam tuam, quàm velut pannum menſtruatæ. *Quis cognouit*, vt infrà pag. 246. *Examen ſui.*

PVNCTVM II. Conſidera grauitatem peccati venialis. Primò, eò quòd ſummum Deum offendat, &

Epheſ.4. ſanctum Spiritum contriſtet, adeò vt, ſi totus mundus poſſet ſaluari vno peccato veniali admiſſo, non eſſet faciendum quod, eheu! toties tam leui causâ perpetraſti. Secundò, ex multitudine beneficiorũ Dei. Tertiò, ex eo, quòd in baptiſmo, & magis Religione quiſque cõſecretur Deo. Quartò, ex multitudine auxiliorum in eâ. vnde Bernardus: Non eſt magnũ, dicis, ſi in his maneã venialibus minimiſque peccatis: hæc eſt, inquit, dilectiſſimi impœnitentia, hæc blaſphemia in Spiritum ſanctũ, blaſphemia irremiſſibilis. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Peccati venialis grauitas.

Serm.1. in conuerſ. S. Pauli.

PVNCTVM III. Conſidera quæ damna adferat Primò, etſi gratiam non adimat, tamen tardat in viâ virtutum, & moleſtam facit. Secundò, omnes virtutes obſcurat, ſponsam Chriſti animam fœdat, & feruorem minuit. Tertiò, deſolatione graui afficit, mœroribus, & ſcrupulis ſæpè ad plures annos. Sic ſoror Petri Damiani ſedecim annis ob curioſitatem afflicta fuit. Quartò, quia conſolationis ſpiritualis incapaces reddit, vt nec ſæcularia, nec religioſa gaudia habeat; cùm nemo poſſit hîc implere ventrem, & ibi mentem. Quintò, quia exponit nos grauibus periculis peccati mortalis; nam vt Aug. timenda ruina multitudinis, ſi non magnitudinis, ſecundum illud: Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Vnde & Bernardus, Mens Deo dicata ſic caueat minora vitia, vt maiora. Quid intereſt enim ſi fluctu magno an guttis plurimis per ſentinam mergaris? quibus ſcilicet vires animę contabeſcunt, vt ſic in mortalia facilè homo labatur. Imò vt Greg. nonnumquam in parua deteriùs, quàm in maiori culpâ peccatur: maior enim quò citiùs, quia ſic culpa agnoſcitur, eo etiam celeriùs emendatur; minor verò, dum quaſi nulla creditur, eo peior eſt, quo & ſecuriùs in vſu retinetur. Sextò, conſidera omnia magna ex paruis neceſſariò pendere: ſic orator etiã ſyllabas, & interpunctiones obſeruat. Septimò, ſæpè apud Deum magna eſſę, quæ noſtro iudicio parua ſunt, vt in colligente ligna, Num. 5. Acham, Moyſe dubitante, Num. 20. Heli, 1.

Hier. epiſt. ad Iul.
Eccleſ. 19.
Minima vitanda, de ord. vitæ ad Fratres.

Minora peccata grauioribus aliquando periculoſiora.

Ioſue 2.
Act. 5.

Reg.

Reg. 3. Ananiâ & Saphirâ, in iis qui opera miſericordiæ omiſerunt, Matth. 26. O anima, ecquid eſt in orbe tibi tam charum, quod ad tanta incommoda te impellat? *Haeccine firmâ fide*, vt ſupr. pag. 8.

PVNCTVM IV. Conſidera, quanto offendiculo proximo ſint & impedimento peccata venialia. Nam omnem auctoritatem tollunt, etſi parua ſint, & magnas etiam res impediunt: dum alii mirantur eum qui toties communicat, confitetur, orat, pſallit, &, ſi Religioſus, omnia deſeruit, in minutis iſtis hærere, quæ ipſi ſæpè, etſi minùs id profiteantur, ſuperant. Et ſanè dolendum tanta hominem feciſſe, vt Deo frueretur, maximè ſi in Religione, & tantilla impedimenta non tollere; tantum fodiſſe vt aquam inueniret, & iam deſiſtere. Secundò, etiam talis offendit ſæpè totam communitatem, dum tali vitio prauas inducit conſuetudines; quas poſtea nulla quandoque illius, qui præeſt, induſtria valet corrigere. Tertiò, vide vt Sancti etiam minima vitârint & caſtigârint, vt Euſebius apud Theodoretum, &c. *Quis cognouit*, vt infr. pag. 246. *Triſte venialia non declinare.*

PVNCTVM V. Conſidera, ſeruile valdè eſſe peccata venialia committere. Hoc enim perinde eſt, ac ſi dicas, illud non eſt vetitum ſub pœna capitis, ergo libet, & licet offendere: contrà, filiale etiam minima vitare. quod Deo ita gratum, vt talem præferat mille aliis iuſtis, vt in Antonio, Job, Abraham patet. Talem enim virum quærit Deus, qui interponat ſepem, & ſtet oppoſitus contra ſe pro terrâ ne diſſipet eam. Vide ad quanta Deus talem minima vitantem eleuet, vt contrà alios tepidos ſcrupulis & tentationibus caſtiget. Qui enim non cooperatur paruæ gratiæ, indignus eſt maiore; eáque ob teporem illi negatur. Peccata enim ſiue parua, ſiue magna, impunita eſſe non poſſunt; quia aut homine pœnitente, aut Deo iudicante plectuntur hîc, vel poſt hanc vitam igneo flumine expiantur. Age, dic quo precio viuus exuri velles? nullo, inquis, & tamen *Ezech. 22. Seruile venialia non declinare.*

Q 3 quotidie

quotidie ob vanitatem, &c. huic periculo te exponis.
Iſaiæ 5. Væ igitur qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. Ideoque propone diligentiſſimè examen generale facere, vt puritatem conſcientiæ adipiſcaris.

Oratio pro deteſtatione peccati venialis.

Quis cognouit ſenſum tuum, Domine, & quis conſiliarius tuus fuit? verè iudicia tua abyſſus multa, inſcrutabilia iudicia tua, & incomprehenſibilia cogitatu. Excelſior cælo es, & quid faciet homo profundior inferno, & vnde cognoſcet? longior terrâ menſura tua, & latior mari. Si ſubuerteris omnia, vel in vnum coarctaueris, quis contradicet tibi, vel quis dicere poterit, cur ita facis? Ecce, tu, Deus, excelſus in fortitudine tuâ, & nullus tibi ſimilis in legislatoribus. Quis poterit ſcrutari vias tuas, aut quis audebit dicere tibi, operatus es iniquitatem? Toties promiſeras Iſraëlitis terram lacte & melle manantem, & duo tantum (obſtupeſcite cæli & terra) Caleb & Ioſue in eam peruenerunt, etſi omnes paſceres pane cæli in deſerto, & veſtes eorum ſeruares. Moyſes amicus tuus erat; & facie ad faciem ei loquebaris, & deprecante illo impij conciliabantur tibi; & ecce, hæſitauit ad aquas contradictionis; & non potuit ingredi terram promiſſionis. Gedeon fortiſſimus poſt victorias per te partas factus populi ſalus fecit ſibi Ephod, & factum eſt ei & domui eius in ruinam. Samſon de ſterili conceptus, liberator populi ſui, quomodo à te abiit & receſſit, & factus eſt opprobrium inimicis ſuis? Filij Iſraël Beniamitarum ſcelus vlturi iuſſu tuo iuerant, & ecce cæſi fugatique aliquoties fuêre. Saule non erat melior in populo, & quomodo ob ſuperbiam proiectus à te? Dauid vir ſecundùm cor tuum, quomodo cecidit, & Salamon amabilis Domini filius eius? Nónne & Leo prophetam deceptum occidit? Ioſias dilectus tuus perrexit vt dimicaret contra Nechao, & periit? Quis horum caſus varios & ruinas non obſtupeſcet? Quis appendere valebit delicta eorum, aut intelligere iudicium tuum? Ideò ego humilio me ſub potenti manu tuâ, & rogo te, vt ab occultis

Iob 11.

Exempla varia.

Actus humiliationis.

meis

meis, & paruis & magnis mundes me, & ab alienis parcas ſeruo tuo, minimo ſeruorum tuorum.

Parce, Domine, parce, & non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quid enim modicum eſt forſan? ſed qui contemnit modica, paulatim decidit; & quis cognouit iudicium tuum? Ecce in pigritiis humiliabitur contignatio, & ſtillicidia eiiciunt hominem in die hyemali de domo ſuâ. Ita, Domine, te quoque vereor, eheu! è domo tuâ, id eſt, corde meo; cùm eum qui neque frigidus neque calidus eſt, euomas ex ore tuo. Sed veni, obſecro, hodie, veni, & cor contritum & humiliatum ne deſpicias, etſi iudicia tua abyſſus multa, tamen miſericordia tua ſuper omnia opera tua. Ad hanc confugio, & gemens, ac dolens, ſperanſq; in te dico coram curiâ tuâ, in te cantatio meâ ſemper, tamquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Miſerere animæ quærentis te, & amantis, & ſuſpirantis ad te, & non confidentis niſi in infinitâ miſericordiâ tuâ. Amen.

Eccl. 15. Prov. 17.

Applicatio ad Communionem.

Fiducia in Deo.

Praxes.

1. SI ſapis, nihil æſtima paruum, quo ſcis magnum, imò ter maximum & optimum Deum offendi.
2. Cùm venialia ferè in bonis ex inaduertentiâ contingant, vide vt nihil præcipitanter agas, ſed conſideratè.
3. Præſentiam Dei mordicùs retine.
4. Imitare Eremitam illum, & ſtudiosè aliquam etiam leuem imperfectionem ſume, & laboriosè oppugna, vt vigilantia hæc in paruis acuat animos ad maiora, & diuertat hoſtem à moleſtiore & periculoſiore certamine.
5. Confitere accuratè etiam minima exemplo Sanctorum non ſcrupulosè, ſed ex amore.

Omne Deum offendens magnum. Circumſpectio eſt neceſſaria Dei præſentia. In leuibus vigila. Confeſſio minimorum etiam aliis viam obſtruit.

IACVLATORIÆ.

IN me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Pſal. 87.
Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui. Pſal. 118.
Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Pſal. 89.
Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ. miſericordia & veritas præcedent faciem tuam. Pſal. 88.

CAPVT X.

De Tentationibus graui impedimento in viâ vitæ.

Tentationum vtilis diuiſio. NVNC de tentationibus agendum, earumque remediis. Sunt verò illæ duplices, aliæ leues & breues, & hæ velut muſcæ leui verbere manus diſpelluntur. aliæ graues, ſed & breues, & his etiam ex templo forti animo & dilectione repugnandum, propoſitorum & votorum, ſi habeas renouatione, Chriſti velut præſentis amplexu vel proteſtatione coram cæleſti curiâ iteratâ; vel coram Angelo Cuſtode propoſito innocato. *Modi reſiſtendi.*

Aliæ ſunt graues ex naturâ ipſarum, & durant aliquamdiu; aliæ leues, ſed tamen duratione ſuâ permoleſtæ. his vtile remedium ſpero futurum huius dialogi lectionem. Neque tamen talibus tum per diem crebrò affigenda cogitatio, nam ab illis diuertere cogitationem & mentis oculum valde ſalutare. *Nota.*

Dialogus in tentatione legendus ex locis Scripturæ concinnatus.

Tentatio pacem turbat. HOMO. Conturbant me cogitationes meæ, & cùm anteà in pace dormirem & requieſcerem; ecce nunc cor meum æſtu magno, ventis contrariis agitatur; nec credere nec ſperare in Deo videor, languidus & torpeſcens; nil niſi terrena cogito, non placet cæleſtia meditari, orare non delectat, ſed fabulari; triſtitia implebitur cor meum, & cantica mea verſa in lamentationem. *Amos 8.* Numquid mare ego ſum? ſi dixero, Conſolabitur me lectulus meus, & reuelabor loquens mecum in ſtrato meo; terreor per ſomnia, & cogitationibus ipſis horrore concutior. quamobrem tædet animam meam vitæ meæ, parce mihi Domine: nihil enim ſunt dies mei. *Iob 10.* *Iob 7.*

ANGE-

Angelvs. Quare triſtis eſt anima tua,& quare conturbas te? Tentatio te apprehendit,& venit ſuper te tribulatio; ſed animæquior eſto,& ſcito hoc primum,tentationem eſſe quam iam pateris. *Pſal.41.*

Homo. Non æſtimo equidem; aut certè grauior eſt quàm vt vincere queam.

Angelvs. Nónne ſentis rem in ſpecie bonam tibi proponi à diabolo,& quaſi oſtendi; (nemo enim intendens, vt dicit Philoſophus, ad malum vel minora bona operatur) & hâc velut illecebrâ ad peccatum detrahi, perturbarique te dicis, anxium eſſe & inquietum? hoc eſt tentari,& à concupiſcentiâ tuâ abſtrahi,& allici. En ab Euâ tuâ proponitur tibi pomum: caue ne accipias per Deum immortalem: latet ſub melle venenum, venenum aſpidum inſanabile. Ægyptia mulier ſeu caro te inuitat,vt caſtus Joſeph fuge: aut velut Thamar allicit, aut vt Dalila importunitate & frequentiâ cogitationũ fatigat, aut velut Agar rebellat; vigila & ora, ne intres in tentationem. forſan ſe iungit hoſti tuo mundus ſeu peccator, exemplo & verbo prouocans, & vel piè volentem viuere perſequitur, vel creaturæ ſeducit amore: quippe, vt Sapiens, factæ ſunt in odium & tentationem & muſcipilam pedibus inſipientium. Ergo ad Deum confugias ſupplex, & aduerte quid, & quo fine ea proponat, Deique gratiâ innixus, ſuperare hoſtem poteris. *Signum tentationis* *Deut.32.* *Gen.39.* *Gen.38.* *Iud.16.* *Gen.21.* *2. Tim.3.* *Sap.14.*

Homo. Vix id ſperare audeo, quid enim agam? ſi locutus fuero, non quieſcet dolor meus; & ſi tacuero, non recedet à me: nunc oppreſſit me dolor meus,& ad nihilum redacti ſunt omnes artus mei. collegit hoſtis furorem ſuum in me, & infremuit contra me dentibus ſuis, aperuit ſuper me os ſuum, & exprobrans percuſſit maxillam meam, concluſit me Deus apud iniquum, & manibus eius me tradidit. Ego ille quondam opulentus repentè contritus ſum, tenuit ceruicem meam, confregit me,& poſuit me ſibi quaſi in ſignum,circum- *Iob 16.*

dedit me lanceis ſuis, & conuulnerauit lumbos meos; non pepercit, & effudit in terra viſcera mea: terra, ne operias ſanguinem meum, neque inueniat in te locum latendi clamor meus.

Fiducia in Deo locanda. *Pſal. 49.* ANGELVS. Ecce in cælo teſtis tuus & conſcius tuus in excelſis; immò verò tecum eſt in tribulatione, & à dextris tuis ne fortè commouearis. Inuoca, ait, me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.

Iſ.æ 36. *Iob. 6.* HOMO. Defecerunt oculi mei ſuſpicientes in cælum, excelſum, non eſt qui conſoletur me: clamo ad Dominum, & non exaudit; ſed ſagittæ eius in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum. *Ibidem.* Quis det vt veniat petitio mea? & quod expecto tribuat mihi Deus? quæ eſt enim fortitudo mea vt ſuſtineam? aut, quis finis meus vt patienter agam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea eſt. ecce non eſt auxilium mihi in me: & neceſſarij quoque mei receſſerunt à me: *Iob. 16.* ſemitam meam circumſepſit, & tranſire non poſſum, & in calle meo tenebras poſuit, deſtruxit me vndique, & pereo, & quaſi euulſæ arbori abſtulit ſpem meam: dereliquerunt me propinqui mei, & qui me nouerant, obliti ſunt mei.

Attende præuidentiam Dei. *Iob. 5.* ANGELVS. Nihil in terrâ ſine causâ fit, & de humo non oritur dolor. deprecare Dominum, & pone ad eum eloquium tuum: qui facit magna & inſcrutabilia, & mirabilia abſque numero, qui dat pluuiam ſuper faciem terræ, & irrigat aquis vniuerſa: qui ponit humiles in ſublime, & mœrentes erigit ſoſpitate: qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperant: qui apprehendit ſapientes in aſtutiâ eorum, & conſilium prauorum diſſipat: per diem incurrent tenebras, & quaſi nocte ſic palpabunt in meridie. porrò ſaluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem, & erit egeno ſpes, iniquitas autem contrahet os ſuum. Beatus homo qui corripitur à Deo: increpationem ergo Domini ne reprobes: quia ipſe

ipſe vulnerat, & medetur, percutit, & manus eius ſanabunt.

Homo. Sed veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me; quomodo exſurgam? quis me liberabit? quomodo potero reſiſtere tam longæ, tamque moleſtæ tentationi, & aduerſus mundi principes tenebrarum, ſpiritualia nequitiæ? *Pſal.68.* *Epheſ.6.*

Angelvs. Ecce ſtas in viâ ſalutis, diffide tibi, & confide in Domino, dabitque tibi petitiones cordis tui. Fidelis eſt Deus, qui non patitur vos tentari ſupra id quod poteſtis. nónne hoc credis, quæ Veritas ipſa, & Sapientia locuta eſt? *Fide Deo, non ſinet te tentari ſupra vires* *1.Cor.10.*

Homo. Credo vtique, quia veritas eſt Deus, & mentiri non poteſt; ſed eheu! quàm attenuata eſt virtus mea, dum toties me labi video, quodque nolo, hoc malum facere. Verumtamen credo, quia fidelis eſt, & non ſinet me tentari ſupra vires: nec niſi volens ſuccumbam: immò ſi voluero, faciam illius gratiâ cum tentatione prouentum. *1.Cor.10.*

Angelvs Rectè; ſiquidem væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo, & ideò non proteguntur ab eo: væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas, & quid facient cùm inſpicere cœperit Dominus? Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius; & qui diligunt illum, conſeruabunt viam illius. Qui timent Dominum, requirent quæ beneplacita ſunt ei; & qui diligunt eum, replebuntur lege ipſius. Qui timent Dominum, cuſtodiunt mandata illius, & patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius. Deprime cor tuum, & ſuſtine; inclina aurem tuam, & ſuſcipe verba intellectus; & ne feſtines in tempore obductionis, ſuſtine ſuſtentationes Dei: coniungere Deo, & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tuâ patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argen- *Eccl.2.* *Confidendum Deo.*

argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis. crede Deo,& recuperabit te,& dirige viam tuam, & ſpera in illum. Reſpice, fili, nationes hominum, & ſcito, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. *Hæccine firmâ*,&c. vt ſuprà pag.8.

Eccli.2. HOMO. Scio, ſcio, & credo, quia non eſt qui manſit in mandatis illius, & derelictus eſt; neque inuocauit
Iſaiæ 12. illum,& deſpexit illum,fortitudo mea,& laus mea Do-
Pſal.117. minus, & in nomine eius deſpiciam omnes inimicos meos.

Attende quis te tenet. ANGELVS. Attende verò quis ſit qui te inuitat vt deficias à ſemitâ rectâ. nónne teterrimum vitium, quod ex nunc priuſquam te captiuum teneat, animæ vires labefactat,eamque rebus terrenis immergit,captiuam reddit, & manifeſtè à ſalute ſuâ abducit? Illinc verò virtus ad ſe vocat, opem promittit, vt in amœnam cæli viam & palatium deducat, victoriis celebrem efficiat, tentationibus meritum augeat, diligentiam & humilitatem.
Apoc.2. Vide igitur,cui parere velis,aſpice & attende quod vin-
Matth.4. centi tibi dabitur manna. &, vt olim Saluatori, etiam tibi Angeli miniſtrabunt.

CHRISTVS. Imò verò, ſi ſuperaueris generosè tentationem, non tantum ab ea deinde libereris,ſed & alium in ea iuuare poteris, & aduerſus alia peccata munieris.
2.Cor.12. Nónne Paulus ait, Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, ne magnitudo reuelationum extollat me? Et verò ſua-
Peccati dura ſeruitus. deréſne alteri, peccato illi conſentire? nónne vides hîc velut illecebra,te in abyſſum trahi miſeriarum? ſcis enim eum qui facit peccatum, ſeruum eſſe peccati. O quàm dura ſeruitus eſt, quæ hominem tot tantiſque inuoluit calamitatibus! Cui verò ſeruitur? carni, & inexplebili ſenſuum cupiditati. Quemadmodum autem ſeruus, ſi
Vtile aperire alteri tentationem. dominari incipiat,intolerabilis eſt, ita caro veſtra. Citò autem tentationis ſcintillam excute, aperi amico fideli hoſtiles technas: væ enim ſoli,quia cùm ceciderit, non
Eccleſ.4. habet ſubleuantẽ ſe. Etſi ſi quiſpiam præualuerit contrà

vnum,

vnum, duo reſiſtent ei. Et: Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. *Prov. 18.*

ANGELVS. O quot gemitibus & lacrymis, ſi feceris, ſi conſenſeris, non factum non cogitatum optabis, & ſerâ forſan pœnitentiâ! quin igitur maturè ſapis? hodie ſi vocem Domini audieris, noli obdurare cor tuum. Quid dicam de iudicio illo terribili? nónne puderet te huiuſmodi cogitationem tuam toti orbi patefieri? Quid reſpondebis Domino, qui te iam per me monet? quid mihi, qui iam aſſiduè te exhortor? quid excuſare poteris?

HOMO. Certè nihil: video enim malum eſſe ſi hoc agam; & ſi verè ac ſincerè iudicare voluero, hoc pacto me legem Dei mei, & conſilium eius deſpicere.

ANGELVS. Si ergo in æternitatem cogitatione tranſieris, quid triſtius ibi erit, quàm momentaneâ voluptate æterna emiſſe tormenta, & perdidiſſe gaudia ſempiterna? Memorare ergo nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Neque exiſtimes te eſſe ſolum in hoc certamine: aſpice Sanctos, quomodo Antonij, Pauli, Tobiæ, aliique exerciti fuerint, & quàm ſint, eò quòd viriliter certauerunt, toto orbe nominati. nemo enim coronatur niſi qui legitimè certauerit. Imò Beatus, ait S. Jacobus, qui ſuffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Eſto verò poſt hanc vitam nulla ſupereſſet, nónne melius eſt animo tranquillo viuere, & beatè, quàm aut turpibus, aut aliis cogitationibus animam fœdari, inquietam & perturbatam reddi? Ecce, vt dixi, iam experiris quantas hoſtis moleſtias tibi creet, etiamſi nec dum intra animæ tuæ portas admiſſus ſit. Quid faceret, ô miſer! quam ſtragem ederet, ſi vt in capta vrbe cordis tui graſſari liceret? omnia ibi ferro flammaque vaſtaret.

Cogita æternitatē. *Eccli. 4.* *2. Tim. 2.* *Iacob. 1.* *Quies animi quærenda.*

CHRISTVS. Quid inueniſti in me iniquitatis, quia elongare te vis à me? Tranſite, ait Propheta meus, ad inſulas Cethim, & videte: & in Cedar mittite, & cõſiderate vehemẽter, & videte ſi factũ eſt eiuſcemodi, ſi muta- *Ierem. 2.*

uit

vit gens deos ſuos; & certè ipſi non ſunt dij: populus autem meus, & tu mutares gloriam tuam in idolum? Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer. Nónne meritò idolum vocatur id, propter quod me deſpiceres, qui te creaui & exaltaui, & laui in ſanguine meo? Anne vt voluptate breui fruaris, deſpicere potes omne cónſilium meum? & nihil valere apud te omnia beneficia mea, vt hoc vno quod dæmon offert potiaris; nihil promiſſa, vt fallacis mundi gaudiis ad momentum exultes? Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer. Nónne vides quàm illa fœda, quàm fluxa gaudia? enumera generationes ſingulas, & vide quot millia ſint, qui iiſdem inebriati fuerunt, & aut miſeri poſtmodum perierunt, aut multis lacrymis & doloribus vix tandem breuem voluptatẽ expiârunt.

Peccator eſt idololatra.

Præſentia Dei.

Denique memento te ſtare in conſpectu meo, Iudicis tui, Domini tui, Regis regum, & tu audebis illudere mihi, ſpernere iuſſa mea? Ego te hinc inuito æternis præmiis; & diabolus indè ſuppliciis. ego pro te ſanguinem fudi, & mortem ſubij, ille niſi mortem tuam ſpirat. ego te creaui; & ille deſtruere nititur; & præualere adhuc poterit? Ego permiſi, vt tentareris, vt probarem te, infidelis eſſes, nec ne. Vide igitur, vt coram me, & vniuerſâ curiâ meâ id oſtendas: aut citò veniam tibi, quaſi vir armatus, & effundam iram meam in te, & videbis quòd amarum ſit tibi dereliquiſſe Dominum Deum tuum. neque tibi promittas pœnitentiæ ſpatium: tot repentini aliorum caſus ſatis te monent, & dixiſſe me, Quâ horâ non putatis filius hominis veniet. Fruſtrà ergo tibi blandiris de ſpatio pœnitentiæ, qui coaceruas tibi iram & vindictam meam: neque potes tibi veniæ ſpem, & miſericordiæ magnitudinem proponere, qui iam ſponte coram me hortante, monente, comminãte, rogante, tantillum omittere non vis, aut facere. Iuſta ſunt iudicia mea, & omnes viæ meæ æquitas: & horrendum eſſe ſcias incidere in manus Dei viuentis. *Credo tibi*, vt ſupra. pag. 7.

Dei & diaboli Antitheſis.

Apoc. 3.

Ierem. 2.

Luc. 12.

Heb. 10.

Oratio

Oratio contra tentationem.

ETiamſi vehementer ſollicitet me iſta tentatio, ecce coram te, Deus meus, propono per gratiam tuam, nullâ ratione conſentire: & ſcio liberum eſſe me, neque compelli poſſe: ſed etſi fortè ſurrexerit aliqua cogitatio, proteſtor coram te, & curiâ tuâ, me ratum non habere, quod contrarium quocumque modo eſt decreto huic meo, & voluntati tuæ. Non eſt volentis, neque currentis, ſed (ſcio) tui miſerentis atque in te Domine, tranſgrediar murum, & ſpernam inſurgentes in me. Obſecro te, adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus meus. Non enim eſt tanta fortitudo noſtra, vt reſiſtere poßimus abſque te; ſed pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Tu dixiſti, Cum ipſo ſum in tribulatione; ecce tribulor, adeſto mihi vnica ſpes mea. Tentas me an verè amem te, & video non poſſe me tentari ſupra id quod poſſum; cùm omnia in pondere, numero & menſurâ ab æterno à te ordinata ſint. Cur igitur puſillanimis ero, cùm tu deſuper adſtes mihi, virtus mea & fiducia mea? O quantum illa creſcit voce illâ tuâ: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationẽ ſæculi. Veráne es veritas, & fallere potes, ô fidelitas? verè non potes. Exalta in fortitudine vocem tuam tu qui euangelizas Sion, ô anima mea, exalta, noli timere Ecce Deus noſter Chriſtus IESVS, *ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius omnibus dominabitur. Ecce merces eius cũ eo, opus illius coram illo. Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, & quidem verè, veriſsimè corpore & ſanguine ſuo, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Ita fac, amantiſsime* IESV, *ita fac, & ſonet illa vox tua in auribus meis, quæ de te Domino meo erat: Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, cõplacuit ſibi in illo anima mea, dedi ſpiritũ meum ſuper eum. Da mihi, obſecro, ſpiritum bonũ & ſuauem, ſicut tuus eſt: Et ſi dicat iuſtitia tua, non permanebit Spiritus meus in hoc homine, quia caro eſt; reſpondebit bonitas tua & fiducia mea: Scriptum eſt de te, ô amor, non clamabit neque accipiet perſonas, nec audietur vox eius foris: Calamũ quaſſatũ non conteret, & linũ fumigans, quod ſum ego, non exſtinguet.*

Actus firmi propoſiti.

Rom. 9. Humilitas cum fiducia in Deum.

Pſal. 17. Pſal. 26. 2. Par. 20. Iob. 17. Pſal. 90.

Præparatio ad Communionem.

Eſa. 40.

Eſa. 42.

guet. Conſerua ergo me, Domine, quoniam Deus meus es tu: vindica ſanguinem tuum de inimicis tuis. Agnoſce figmentũ tuum & fragilitatem meam, & fac me vas in honorem; nec ſinas me fieri vas in contumeliam magni nominis tui. Nolo exhibere membra mea arma iniquitatis, ſed anima mea ſeruiet tibi, & omnia interiora mea dicent, Domine, quis ſimilis eſt tibi? ſcio enim quia poſt tempeſtatem tranquillum erit, & cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. tunc lætabitur & dilatabitur cor meum, & cantabo tibi gloria mea: quia in nomine tuo ſpreui inſurgentes in me. Tunc in templo animæ meæ ſuſpendam ſpolia de inimicis meis, & idola voluntatis meæ ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum eſt; quoniam ex omni tribulatione eripuiſti me, & ſuper inimicos meos deſpexit oculus meus.

Rom.6.

Pſal.53.

Pici Mirandulæ ſpiritualis pugnæ arma. 12.

Quid mihi illudis voluptas breuis & exigua,
Cùm ſequantur dolor & anguſtia,
Supremum detrimentum animæ,
Sit hæc vitæ ſomnium & ſtultitiæ?

Ecce, mors propè latitat in ianuâ,
Reatus forſan erit ſine gratiâ,
Æterna pœna & retributio.
O quàm digna hominis conditio!

Pax dulcis mundæ conſcientiæ,
Tot dona Dei cæleſtis gratiæ,
Tormenta crucis Chriſti horrida,
Sanctorum geſta tot conformia,

Vbi tot ſunt animæ ſubſidia,
Niſi ſponte ruam ex dementiâ,
Niſi me tradam diræ inſaniæ,
Inanis erit per te orci potentia.
O IESV ſpes & amor meus, & omnia. Amen.

PRAXIS.

Regulæ duodecim Ioannis Pici Mirandulæ partim excitantes, partim dirigentes hominem in pugnâ ſpirituali.

PRIMÒ, ſi homini videtur dura via virtutis ob pugnam aſſiduam, aduertit plura eſſe in quauis viâ aliâ, dura, aduerſa, triſtia,

Secundò, conſideret in mundo diuturna bella, & æmuletur conſtantiam.

Tertiò, recordetur ſtultum eſſe credere poſſe ad cælum perueniri aliter, quàm per violentiam, cùm Chriſtus vim regnum cælorum pati dicat, & per crucem obtinuerit. *Via crucis eſt via cæli.*

Quartò, gaudeat conformari Chriſto: & cum ſenſibus ſuis vim faciet, cogitet cui parti crucis conformis ſit.

Quintò, confidat in virtute Chriſti, qui dixit: Confidite, ego vici mundum.

Sextò, vnâ tentatione ſuperatâ aliam expectet, cùm dæmon ſemper circumeat.

Septimò, non tantùm diabolus vincendus eſt, ſed faciendus cum tentatione prouentus, ac tentatio accipienda, v. g. ſuperbiæ, vt ad humilitatem adhortatio & inuitatio. *Superatâ tentatio virtutem oppoſitam confert.*

Octauò, dum pugnas, pugna quaſi perpetuam deinde pacem habiturus, quia ſæpè generoſis animis Deus hoc largitur: ſed cùm viciſti, geras te quaſi mox pugnaturus.

Nonò, fuge ſemper occaſiones peccati.

Decimò, principiis occurre.

Undecimò, cogita dulcius eſſe vincere tentationem, quàm peccatis conſentire: atque ita compara dulcedinem victoriæ, dulcedini peccati, non pugnam voluptati. *Victor non victus gaudet.*

Duodecimò, ne putes à Deo te derelictum, aut ei ingratum, iuſtos enim probare ſolet, ſed humilia in primis ſpiritum tuum, ne ruas in ſuperbiam. *Deus tentando nos probat.*

Aliæ praxes ac remedia.

PRIMÒ, obſerua præſentiſſimum eſſe remedium fingere ſeſe inter Chriſtum & diabolum, vti in imagine eſt, vtriuſq; in nos merita, affectum, &c. perpendere; & mox opem Domini implorare, atq; occaſiones vitare. Sic Lotho dictum, vt ſtatim è Sodoma egrederetur, & in monte ſaluum ſe faceret. Eoque item pertinet à tentatione eiuſque materiâ memoriam & imaginationem auocare; ſiue occupatione, ſiue cogitatione, quam aliquando quis abripi ſolet, vt eſſet caſus triſtis, aut admirabilis, vel eiuſmodi. Id maximè in carnis tentatione, ſcrupulis & moleſti- *Tentatus inter Chriſtum & diabolum medius. Gen 19. Animus in tentatione diuertendus.*

oribus tentationibus blaſphemiæ,&c.locum habet: vti etiam in minutis ac friuolis, quæ vt muſcæ, non gladio, non haſta, abigendæ, ſed leni flatu: aut certè negligendæ, vt canis latratus ab equite ſolet; ſuauiter enim equitat quem gratia Dei portat. Auertat ergo ſe ſuauiter, oculoſque ad Deum conuertat abſque perturbatione: & actu vno, ſi libet, contrariæ virtutis elicito, vel potiùs amoris Dei, qui omnia complectitur, pergat in viâ ſtadioque virtutis.

Matth. 26. *Oratio tentationis remedium.* *Ab.c.2.*

Secundò, confugiendum ad orationem. Orate, ne intretis in tentationem, ait Dominus: neque ab eâ deſiſtendum, donec redeat tranquillitas. Ita Dominus in horto orauit, donec ab Angelo confortaretur; neque deerit ipſe, ſi quis perſeuerauerit, quia veniens veniet, & non tardabit.

Pſal. 120. *Præſentia Dei tentationis remedium.* *1. Cor. 10.* *Deus 13.* *Deus probat nos.* *Pſalm. 26.*

Tertiò, mox vt tentatio ingruit, eleuandus ſaltem oculus in Deum præſentem, cum Dauid dicente: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Cogitatio autem ea ſic ſuſcipienda eſt: Ecce Deus videt hanc tentationem, & permiſit, certoque certiùs non patietur me tentari ſupra id quod poſſum; ſed in tantum, vt, ſi velim, facere queam cum tentatione prouentum. Tentat me Deus, & probat an ſim fidelis, vt ſi ſponſus ſinat tentari pudicitiam ſponſæ; Rex fidem ducis ſui: & ſi hîc ſciret ſe ſuperari non poſſe, niſi omnino vellet, & ſimul à Rege videri, qualiter putas ſe gereret? dic itaque cum Regio Propheta: Etiamſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum; dæmon ſiquidem violentiùs, vt femina, quo timidiores nos reperit, minuſq; Deo confidentes, inſultat: quique gigas & leo eſt torpido, fidenti in Deum nanus & formica apparet, vt in Vitis Patrum narratur.

Vita Patrum.

Patientia neceſſaria. *Gregor.*

Quartò, patientia etiam neceſſaria eſt: nam impatientia ſuperbiæ manifeſtum argumentum, iram Dei prouocat: vt apertè ait Gregor. Qui appetit plenè vitia vincere, ſtudeat humiliter purgationis ſuę flagella tolerare. Cum Deo enim contendere non poſſumus, nec dicere ei: Cur ſic facis?

Auguſt. *Crucifixus tentationi reſiſtit.*

Quintò, conſidera, Chriſtum velut crucifixum: ſtringe illum, eiuſque pedes oſculare, & lateri adhære: nihil præſtantius reperit S. Auguſt. quàm eum amplecti, intueri, & proteſtari, & auertere hoc pacto cogitationem: itaque cum aduerſario non contendere, ſed eundem contemnere: nónne enim potius eſt loqui cum Deo poſtulando adiutorium, quàm cum dæmone præliari?

Climach.

Sextò, cùm primum poteris, explica tentationem Patri ſpirituali: nullum præſentius remedium omnium ſanctorum Patrum iudicio, adeò vt Climachus referat olim Religioſos etiam tabellas circumtuliſſe, vt incidentes cogitationes

nes annotarent, quas deinde aperirent : additque,qui cæcum duce, paſtore gregem,viæ ignarum ductore,infantem patre ſuo, ægrotum medico, gubernatore nauim deſtituit & fraudat, vtriuſque periculum parat:qui verò ſine Patris auxilio contra ſpiritus nequam pugnare nititur,ab illis occiditur. Idcirco in confeſſione vtiliter tentationes aperiuntur ; non quod ſint peccata, ſed peccatorum ſemina : quæ hoc pacto opprimuntur in ſemine. Id tamen conſilii, nec ſcrupuloſis, nec mulieribus paſſim dederim, neque iis qui puſillanimes ſunt, vt minuta ſcilicet conſectentur.

Aperiendæ tentationes Patri ſpirituali.

Septimò, principiis obſtandum ſtrenuè, & portæ obſerandæ ſunt memoriæ ac voluntatis noſtræ ; atque,vt ita loquar, pes ſuſpendendus, id eſt, affectus,donec perſpicuè conſtet quid velle oporteat.Beatus,ait Propheta,qui tenebit & allidet paruulos Babylonis (ſcilicet prauos inſtinctus) ad petram, id eſt, Chriſtum IESVM.

Pſal.136.

Initio obſtandum & animus præoccupandus virtutis ſtudio.

Dici non poteſt, quantum præſidium, memoriam mox purgare noxiis cogitationibus, & vitare omnem admonitionem rei cupitæ: atqui,vt id rectè fiat,bonis ea cogitationibus ex iis quæ videmus & audimus efformatis, præoccupanda eſt virtutis ſtudioſo.

Octauò, occurrendum tentationi,& (vt dici ſolet) arma paranda in tempus belli. Conſiderabis igitur(quod iterum monui) ad quæ vitia ſis magis propenſus, v. g. ſuperbiam, &c. illiq; occurres. Primò,frequenter de eius turpitudine, & virtutis contrariæ pulcritudine cogitando. Secundò,de ea loquendo. Tertiò,actus contrarios humilitatis exercendo. Idem in aliis faciendum exiſtima.

Animi mala propenſio conſideratione refrenanda.

Nonò, vitanda omnis triſtitia & inquietudo animi:quia vti ortâ tempeſtate tenere curſum difficile;&,cùm ſeditione omnia commouentur, conſilia maturè capi nequeunt, ſed in arena,vt dici ſolet, neque hoſti commodè reſiſti: ita prorſus in anima contingit. Curandum igitur ante omnia. Primò, ne appetitu boni alicuius, aut odio mali inquietetur,oratio negligatur:committendaque omnia diuinæ prouidentiæ, & illius vna voluntas deſideranda : neſcis enim quâ viâ eundum, quid expediat. quid ergo meritò anxiè petis,aut times?aut de quo immoderatè gaudes,aut doles? id fortè maximè noxium, quod maximè appetis ; & contrà. Secundò, ſuauiter,ordinatè,non anxiè adhibenda ſunt ea, quæ neceſſaria maturè iudicantur, vt id quod optamus conſequamur. Tertiò,vtile erit,confeſſario aut amico,vulnus hoc aperire;neque ſi lapſus quis fuerit,ideò perturbationi locum dare conuenit, aut aſperius in ſe inuehi, ſed humiliter ad Dei thronum confugiendum, & gratiæ agen-

Animi quies conſeruanda

Nota.

Nota.

dæ, quòd grauiora quis non commiſerit Dei beneficio atq; manu ſuſtentante: quod alias procul dubio futurum erat.

Aliæ praxes, ſeu remedia contra vitia Capitalia.

Vita Christi eiuſque doctrina eſt antidotum contra omnia vitia.

CONTRA SVPERBIAM vide humilitatẽ Chriſti, & miſeriam ac malitiam noſtram; eiuſque auxilio implorato ſententiam aliquam animo verſa velut antidotum & æmuletum. Quid fui, ſum, & ero? Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.

Luc. 18.

CONTRA AVARITIAM valet paupertas IESV Chriſti, qui propter nos pauper factus eſt, cùm diues eſſet. Audi illum, & ſi credis aſſerenti, viciſti: Beati, ait pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. & rurſũ: Væ vobis diuitibus, qui habetis hic conſolationem veſtrã.

Matth. 5. *Luc.* 6.

EXPVGNA LVXVRIAM, intuendo Chriſti IESV puritatem: virgo enim fuit, virginem elegit matrem. Agnus immaculatus: & qui illum ſequuntur, quocumque ierit, virgines ſunt. Si verò voluptas trahat, audi pronuntiantem: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur: & dicito: O IESV crucifixe, ô vera delectatio, libera me, o dulcedo ineffabilis, per ſanguinem tuum à cæco hoc infami, inextricabili & æterno malo. Amen.

Matth. 5.

CONTRA INVIDIAM, Chriſti charitas ſtabit: qui pro inimicis mori dignatus eſt. Deum ergo ſic appella: O Deus meus, ex te, in te, & pro te ſunt omnia; da mihi charitatem veram: etenim in hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli tui ſumus, ſi dilectionem habuerimus ad inuicem.

DAMNAT GVLAM Chriſtus, in cruce felle & aceto potatus: aſpice in eum, & ſanabere, & audi dicentem: Beati, qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniã ipſi ſaturabuntur.

Matth. 5.

MODERARI IRAM diſce à Chriſto patiente, & tam longanimi ſuper innumeris hominum malis & blaſphemiis: ſic enim ille voluit: Diſcite, ait, à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

Matth. 11.

SI ACEDIA TE OPPVGNAT, conſidera IESVM baiulantem crucem, & quanta pro tua ſalute fecerit; audi dicentem; In laboribus à iuuentutẽ meâ.

In omni tentatione hâc oratiunculâ vti potes.

TEntas me, Domine, an amem te, neque tamen vltra id quod poſſum. Scio, quòd ſine gratia tua ſpernerem te, ô omne bonum, vt teterrimo hoſti placerem: æternùm luiturus; momentaneum gaudium, ac iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me.

Pſal. 118. Pſal. 26.

Alia remedia.

PRimò, manè cogitationes, verba, & actiones illius diei proſpice quoad potes: atq; eas ad Dei gloriam dirige, cum proteſtatione corã Deo, & curiâ ejus, & Angelo Cuſtode nominatim, quòd me minimo quidẽ peccato tantam maieſtatẽ offẽdere ſciẽs eo die velis, ac mortẽ potiùs obire. *Matutina deliberatio malum præveniens, vtilis.*

Secundò, conterere toto corde, & nominatim de peccato, ſi fortè aliquando commiſiſti ad quod tentaris, & abnega rem illam, quæ eſt occaſio & obiectũ peccati: hic enim eſt funis, quo quis trahitùr in interitum, præſcindendus omnino: nec refert an affectus & ſenſus maneat: voluntatem enim Deus inſpicit, ſeu in bono, ſeu in malo, quam & ſolam coronat aut damnat. Neque te commoueat hoſtis importunitas: nemo læditur niſi à ſeipſo etiam in hac pugnâ. *Contritio de præcedente peccato.*

Tertiò, accipe clypeum fidei, & illius actum exerce etiam recitando attentè Symbolum. dura ceruix eſſet, quæ tantis in eo recenſitis beneficiis non flecteretur: ideoque in hora mortis pronuntiari conſueuit: idque eſt quod Apoſtolus ſuadet, aſſumere clypeum fidei, in quo poſſumus omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Secundò, ſpei in Deum actum elice, & diffidentiæ tui. Tertiò, charitatis, quod breuiter ſic facies: Credo Domine, & in te ſpero; & toto cordè te diligo; ex te enim, & pro te, & in te ſunt omnia. *Actus fidei, ſpei & caritatis tentationes extinguunt.*

Quartò, inuoca Sanctos, qui virtute contraria claruerunt, & maxime B. Virginem, quæ verè caſtrorum acies ordinata. Per immaculatã conceptionẽ eam rogaſſe in gravi luxuriæ lucta, multis ſalutare fuiſſe, vſu compertum eſt. *Sanctorum inuocatio.*

Quintò, neminem iudica de vllo vitio: quia veriſſima illa ſententia: In quo tu alterum iudicas, in eo teipſum condẽnas, & ferè nemo eſt qui id expertus non ſit. Iuſto ſiquidem iudicio ſimili punitur tentatione, qui alium ſeuerè iudicat & damnat. Ita in Vitis Patrum, cùm adoleſcens durè à ſeniore, cui carnis tentationem aperuerat, correptus eſſet, ab eâdem pulſatus fuit ſenex, ac tantùm non ſuperatus miſericordes verò miſericordiam conſequentur. *Dignatus es*, &c. vt ſup. pag. 10. *Rom. 2. Alium facile de aliquo vitio iudicans in idem ferè ſemper incidit. Vitæ Patrum.*

IACVLATORIÆ.

DOmine vim patior, reſponde pro me. Iſaiæ 38.

In te, Domine, ſperaui, non confundar in æternum. Pſal. 30.

In nobis, Domine, non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos, ſed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos noſtros dirigamus ad te. 2 Paral. 20.

Pſal.58. *Deus in adiutoriū meū intēde; Domine, ad adiuuādū me feſtina.*

Pſal.59. *Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab inſurgentibus in me libera me.*

Pſal.53. *Deus in nomine tuo ſaluum me fac, & in virtute tua iudica me, quoniam alieni inſurrexerunt in me, & fortes quæſierunt animam meam.*

Pſal.30. *Illuſtra faciem tuam ſuper ſeruum tuum, ſaluum me fac in miſericordiâ tuâ.*

CAPVT XI.

De impedimento Acediæ ſubmouendo per ardens profectus & orationis deſiderium, ad quod excitandum ſeptem conſiderationes ſeu ſtimuli proponuntur.

Deſiderium feruens optimum orationis condimentum.

QVEMADMODVM fames non tantùm eſt optimum ciborum condimentum, ſed etiam vt corpus reficiatur plurimùm confert: ita deſiderium feruens, pietatis ſtudium & exercitationes pias mirificè commendat ac promouet, maximè verò orationem; cumque eam præcedit, magnâ condit ſuauitate, & fructuoſam animæ efficit. Hujuſmodi certè habebat Jſaias dicens, Anima mea deſiderauit te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te. Excute igitur torporem omnem in virtutis exercitiis: dilata ante orationem deſiderio os tuum, & implebit illud Dominus; & dabit tibi petitiones cordis tui.

Iſaiæ 26.

Pſal.81.

Si verò torpidus fueris, vide ne tibi accidat, quod viatori tardo & ignauo; is enim laborat & laſſatur, & in vrbem non pertingit, juxta illud: Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt in vrbem pergere.

Eccl.10.

Ad deſiderium hoc perfectionis acuendum cùm videbitur, juuare poterit aliqua ex his ſeptem conſiderationibus quæ ſubjicientur. Sic quoties remitti animum ad pietatis exercitia & torpeſcere ſenties, ex iiſdem collige vnde eum promptum & alacrem in diuinæ Majeſtatis obſequio reddas. Maledictus enim homo eſt qui facit opus Dei negligenter: hilaremque datorem diligit

Septem conſiderationibus id excitandum.

Ier. 48.

2.Cor 9.

Deus

Deus, neque ſibi ex triſtitiâ aut neceſſitate, ſed bona voluntate optat ſeruiri.

1 fine creationis & Dei præſentiâ propoſitâ.

Hanc vt habeas & augeas, primò ſæpè ſtatue ante oculos tuos creationis tuæ finem, atque ante omnia diuinam præſentiam, quâ nihil efficacius ad opera pia ſtrenuè facienda, & orationem rectè perficiendam. Pluribus hæc jam ſuprà c. 1. tractata ſunt, & infrà tractabuntur.

2 nouiſſimâ hac fortè horâ.

Secundò, attende ſeriò hanc forſitan nouiſſimam actionem, v. g. orationem fore, & occaſionem Deo opt. max. ſupplicem pro æternâ ſalute libellum offerendi.

3 malis circumſtantibus.

Tertiò, vide quot mala te circumdent, à quibus, niſi ad virtutem & orationis aſylum confugias, liberari non poſſis.

4 Sanctorum feruore.

Quartò, aſpice Sanctorum feruorem, eoque te languentem accende.

5 Eccleſiâ preces expetente.

Quintò, audi Eccleſiam matrem vndique ab hoſtibus oppugnatam, à te petentē ſtrenuos in virtute progreſſus & orationum ſubſidium; imò & Chriſtum Dominum, qui amore noſtri in Venerabili Sacramento nobiſcum permanere dignatus eſt, & exponere ſeſe mille injuriis, quibus eum quotidie improbi afficiunt, quaſque vitâ ſanctè inſtitutâ & oratione, bonâ parte poſſes auertere.

6 animabus Purgatorii ſuffragia poſtulantibus.

Sextò, neque minùs te excitabit animarum imploratio, quæ in Purgatorio detinentur, & orationum ſuffragium efflagitant. ô quàm piè & fructuosè vnam horam, ſi daretur, impenderent!

7 multitudine pereuntium.

Septimò, fac te videre animarum pereuntium numerum, & orationibus atq; omni pietate adjuuare contēde.

Exercitium ſupradicta motiua complectens.

DEfecit caro mea, & cor meum, Domine Deus meus, longè à ſalute meâ verba delictorum meorum. ô Domine, quando reſpicies, quando reſtitues animam meam à malignitate hoſtium meorum, & à leonibus vnicam meam? Ecce dereliquerunt me vires meæ: memorare, quæſo, quæ mea ſubſtantia, nónne ventus eſt vita mea, & forſitan illius extrema Pſal. 72. Pſal. 21. Pſal. 34.

 eſt

Iob.7. *eſt hora quâ licebit in tempore miſerendi alloqui te, ô Pater miſericordiarum,& operari pro te? Multiplicati ſunt qui tribulant me ſuper capillos capitis mei, qui oderunt me gratis,& inſuper timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ: non legere libet, non delectat, meditationes ſolitas non inuenio. Eheu! vbi eſt illa inebriatio ſpiritus? vbi mentis ſecuritas & gaudium, & pax in Spiritu ſancto? Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum, quando apparebo in conſpectu tuo, in concilio juſtorum,& congregatione Sanctorum tuorum caritate ſummâ ardentium: quo pacto ſuccurram Eccleſiæ matri opem poſcenti? quomodo ſolabor gementes in Purgatorio animas ſponſas tuas? quis mihi tribuat, vt auertam ab interitu ſuo precioſo ſanguine tuo redemptas, ad quas infernus dilatauit os ſuum!*

Bern. ſerm.4. in Cant.

Iſaiæ 38.

Pſal.110.

Feruoris propoſitum.

Obſecro, Domine, da mihi incenſum offerre dignum in conſpectu tuo,& vitam in melius inſtituere. Velociter exaudi me, quoniã defecit in me virtus mea, quoniam benigna eſt miſericordia tua. Da mihi operari cibum qui non perit, in vitam æternam. Da mihi pro te viuere,& laborare vſque ad defagationem;& ne, obſecro, ſinas vt prudentiores ſint filij hujus ſæculi filijs lucis in generatione ſuâ. Et verò qui quotidie paſcor cæleſti mannâ, & cibo fortium, ignauus eſſe potero? cui quotidie ex infinitâ, & ardenti charitate propinas tuum ſanguinem, poterit ſurrepere maledicta tepiditas? Ita Domine, ita Domine, ideoq; Apoſtolus tuus aiebat: Inter vos multi infirmi & imbecilles,& dormiunt multi. Reſpice verò bone IESV *ſpes mea, reſpice in me ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, & ne auertas faciem tuam à puero tuo, intende animæ meæ, & libera eam, propter inimicos meos eripe me: tu ſcis, Domine, improperium meum,& confuſionem,& reuerentiam meam: in conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulant me. Si reſpicere dignatus fueris, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic peribunt omnes peccatores, & inimici mei à facie tuâ;& exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Amen.*

Applicatio ad Communionem.

1.Cor.11.

Pſalm.68.

Pſal.67.

Medi-

Meditatio de tepiditate & acediâ.

ORATIO præparatoria ſolita.

COMPOSITIO LOCI. Aſpice ſupra te velut cælum apertum, atque ibi Beatos de momentaneo labore exultantes; infrà, damnatos de momentaneo gaudio vlulantes.

ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò damna acediæ: multam enim malitiam docuit otioſitas. Et Primò, tentationi omni exponit, quia triſtitiam adducit & paupertatem; quia dum tempus eſt, negligit ſeminare & operari. Secundò, eſt velut tinea virtutum ac meritorum, cùm omnia à tepido imperfectè fiant: homo enim inſtar limacis ad omnia tardus euadit, conſolationeſque ipſa ſpirituales areſacit, facitque plenum ſuſpicionibus, & deſideriis vanis: denique maledictus eſt homo qui facit opus Dei negligenter: vſque adeò vt talem dicat Dominus ſe euomere ex ore ſuo. quid infelicius? neque hoc tantùm, ſed & talenta quæ dederat, aufert à pigro, atque eadem habenti ac diligenti largitur. Aſpira vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ*, &c. ibid.

Tertiò, adducit acedia hominem in periculum lapſus grauis. nam, vt Caſſianus, non ſubita ruina credenda, ſi aliquis labi viſus, ſed ſenſim vitiis increbreſcentibus caſu miſerabili concidiſſe exiſtimandus eſt. Quartò, id quod longè grauiſſimum, periculum magnum eſt numquam emergendi ex tepiditate. Qui enim in peccatis eſt, adhuc conuerſionis fiduciam non amiſit: qui verò poſt conuerſionem tepuit, etiam ſpem quæ eſſe potuit de peccatore, ſubtraxit. Ratiò verò eſt, quia naſcitur ex tepiditate mala conſuetudo: &, vt Auguſt. dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas. Conſidera præterea feruentium gaudia, tepidorum moleſtias: coguntur enim portare pondus diei & æſtus, & tamen nequeunt ſolatia participare, cùm conſcientia perpetuò vrgantur, atque inter

Eccl. 33. *Acedia triſtitiam & paupertatem ſpiritualem parit.* *Acedia velut tinea animæ eſt.* *Deut. 15.* *Apoc. 3.* *Matth. 25* *Collat. 6. c. 7.* *Nemo repentè fit malus.* *Gregor in paſtor. c. 35.* *Tepiditati aſſuetus difficulter emēdatur.* *Lib. 8. Confeſſ. c. 5.* *Matth. 20*

Tepidus verè eſt miſer. *Ser.6 de Aſcenſ. Domini.*

mundi & Dei gaudia locati, neutris frui poſſint, deſideriiſque moleſtiſſimis ferantur; adeò vt Bernardus dicat: Num tibi horum tepidorum vita inferno potiùs appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante neceſſe habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minimè ſuſtentantur?

Haccine vera, vt ſuprà pag.7.

Matth. 3. *Feruida Chriſti Sanctorum exempla acediam noſtram expellunt.* *l.10.c.25.*

PVNCTVM II. Conſidera illa verba, Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur. Secundò, labores Chriſti pro tuâ ſalute ſuſceptos, pœnitentias, orationes, legis obſeruantiam, etiamſi non teneretur. Tertiò, Sanctorum labores, Apoſtolorum, Martyrum, pro ſuâ ſalute conſequendâ; & accingere ad opus, illud enim remedium optimum docet Caſſianus. Conſidera Quartò feruores eorum omnium qui Religiones ingrediuntur: vide pompam virginum mundo valedicentiũ. Quintò, vt omnia creata ſtrenuiſſimè laborent. Sextò, homines mundo deditos, honoribus & operibus inhiantes. Septimò, breuitatem vitæ noſtræ, quodque nox veniet fortè hodie, quando non licebit laborare. Octauò, quod hilarem datorem diligat Deus. Nonò, nouiſſima conſidera, & tempus irrecuperabile præterire: vnde ne ſimus hîc negligentes cariſſimi mei, vt non per infinita ſæcula pœnitentiam agere cogamur, ait B. Ephrem. *Aſpira* vt ſup.pag.8.

Feruor mundanorum in tẽporalia. *Vita breuis, ergò ſedulò laborandũ.* *2.Cor.9.* *Ephr.in 2. Domini Aduentu to.1.*

Haccine firmâ fide, vt ſupr.pag.7.

Prov.12. Ezech.16. Prov.21. Iob.5. *1.Cor.3.*

PVNCTVM III. Conſidera quomodo Scriptura inuehatur in otioſos. Qui ſectatur, ait, otium, ſtultiſſimus eſt: vnde etiam hæc iniquitas Sodomæ fuiſſe dicitur: & alibi: Omnis piger ſemper in egeſtate erit. Secundò, conſidera, hominem natum ad laborem, ſicut auis ad volandum, & vnumquemque propriam mercedem accepturum ſecundùm ſuum laborem. Tertiò, conſidera quid in hoc mundo vtile ac pulcrum, aut iucundum, in victu, veſtitu, quod ſine labore à nobis aut à beſtiis haberi

beri poſſit: imò omnia operantur, cælum & terra, Deus etiam ipſe. Pater meus vſque modò operatur, & ego operor, ait Dominus; & tu torpere & otiari auderes? Quartò, conſidera ſtagnantia & torpida omnia putreſcere, hebeſcere ferrum, & rubigine obduci, ſine vſu, &, vt Ambroſius, tentare otia, quos bella non fregerunt. Quintò, vide, vt periculum omnia perdendi merita adeant tepidi, ſicut & peccati grauiſſimi, & numquam mergendi ex torpore, vt ſuprà dixi, quia ſcilicet ſe ſanctos putant: deinde quia tentationibus omnibus otioſi expoſiti ſunt. hinc Matthæus: Dum dormirent homines, zizania ſuperſeminata ſunt: Iſraëlitæ ad idòlolatriam per otium illecti: Samſon victus, & Dauid ac Salomon ceciderunt. Sextò, Dominum attende operariis dare mercedem, non otioſis; & eum qui parcè ſeminat, parcè & metere. Septimò, præmium immenſum conſidera, & pudeat ob obolum mundanos ita ſtrenuos, te tam pigrum ob æternitatem. *Haccine vera*, vt ſupr. pag. 7. vel Oratio vt ſuprà. *Defecit*, &c. vt ſup. pag. 263.

Natura ipſa torporem horret.

Serm 11.

Caſſ collat. 4. *c.* 19.

Matt. 13.

Exod. 32.

Matt. 20.

Praxis ad teporem abijciendum.

CONſidera in ſecreto cordis tui ſigna tepiditatis. Primò, horrere difficultates, abiecto animo eſſe & puſillanimem in arduis, deſperare finē, & hinc otium quærere, tempuſque perdere. Secundò, diuinis non delectari, at facilè fatigari, frigidè Sacramentis vti, & abſque conatu ad feruorem; remiſsè orare, ac ſine attentione: vagis orationi intereſſe oculis, ſpuere, aliorum defectus notare, illis ſuos velare, fictè confiteri, verbum Dei grauatè audire, examinare ſe perfunctoriè. & ægrè colligere. Tertiò, zelum non ſentire, conſortia hominum quærere ad faſtidium leuandum; alios obſeruare, cenſere, ac iis obtrectare. Quartò, effundere ſe in corporis commoda, memoriâ repetere mundanorum gaudia, ad ea ſuſpirare, diuinos inſtinctus ad vitæ ſeueritatem non aduertere, vndique emendicare ſolatia, honorificè haberi velle, & honorifica affectare. Quintò, negligentem eſſe in iis quæ præcepti & conſilij, circumſtantias ac cærimonias facilè omittere, inconſtantem eſſe, diſciplinam grauiter ferre, ac

Sex ſigna tepiditatis

ac tardè obedire, indignari melioribus, putare quòd alibi meliùs proficeret. Sextò, excelſa vox, ſermo rigidus & ſuperfluus. Hæc ferè ex Bernardo Serm.6. de Aſcenſ. Caſſiano l.10. c.2.3.4. item l.12. c.25 26.27. Seraphinus Firmanus: Tepidus, inquit, dicit, Non eſt iam vita Sanctorum, verbaque mouet otioſa, captioſa, cauillis plena, curioſa, inania; ſecurè in dies recedit, teporem excuſat per diſcretionem, arrogantiam dicit maturitatem.

Alia ſigna ex Firmano.

Parua ſuperando alacriter paulatim acediam tollit.

Secunda, à paruis incipere vtiliſſimum, eaque conſtanter agere potiùs quàm multa complecti: ſic enim creſcit animus, & ad ardua comparatur.

Acediam tollit impoſita tibi neceſſitas.

Tertia, neceſſitatem ſibi imponere, vel voto pœnali, aut ſponſione, aut aliter. optima certè hæc neceſſitas ſecundùm Auguſtinum, quæ ad meliora compellit. Obſeruandum autem, hæc non inceptare quempiam oportere, niſi multâ præmiſsâ oratione, aut ſaltem crebriore, cùm nullum propè genus morbi difficiliùs curetur. Alias toto propè libro praxes reperies.

Dignatus es, vt ſuprà pag. 10.

JACVLATORIÆ.

Pſal.41. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum.*

Pſal.4. *Vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?*

Pſal.70. *Ne proiicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.*

Pſal.6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.*

Pſal.37. *Non eſt ſanitas in carne mea, à facie iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis, à facie peccatorum meorum.*

Ibid *Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem: totâ die contriſtatus ingrediebar.*

NONÆ IMAGINIS
ANNOTATIO.

Mors inſtat, vita fugit; quid ceſſas vjator?

COnſidera *A* tempus vitæ incertum, breve, volucre. Fingitur illud perſonâ grandæui ſenis; quia in ſingula momenta innouatur, conſeneſcit, labitur ſimul ac emoritur tempus. Vtere igitur quaſi mox tranſituro. Ejus fluxum horaria *B* clepſydra notat; ab hora autem & vitæ filo pendet æternitas; in quam mors nec opinantes rapit. Æternitatis hieroglyphicum veteribus eſt anguis circulum faciens; quia hic neque principium, neque finem habet: & ipſa à ſilo fragilis hujus vitæ dependet. Fugit hæc inſtar C fumi, bullæ, ſagittæ, nauis, fluminis, anis, cerui, ac verni floris: D meſſis inſtar decerpimur; ac velut E candela extinguimur, flatu minimo. Vigilandum itaque: nam *F* ſecuris ad radicem poſita eſt. Qui ſapiens, eſt cuſtodiet hæc, & viuet: agetque omnia quauis hora quaſi *G* nouiſſima foret, vt monet Angelus. Et meritò, hanc enim felix aut infelix *H* æternitas exceptura eſt.

CAPVT

CAPVT XII.

De ſecundo ſtimulo perfectionis; qui eſt de morte, ac fugacitate vitæ, meditatio.

PRAELVDIVM 1. erit contemplari ea, quæ in imagine proponuntur.

Secundum, petere gratiam, vt di[illegible]entem rationem temporis & occaſionis, quæ modò offeruntur, habere poſſis.

Vita hæc fugax. PVNCTVM I. O viator, vides, vbi ſtes, quàm fugiat vita tua, quæ te expectet æternitas? Obſecro te, quid moraris vel ad momentum conuerti? quem exſpectat æternitas, quem ſpectat Sanctiſſima Trinitas, & tota cæleſtis curia, adſpice vt omnia quæ circa te ſunt, fluant; adſpice & conſidera vitam hanc, diuitias, honores, ac voluptates inſtar nauis, fluminis, volucris, ſagittæ, fumi ac floris fugere. quod Salomon eleganter expreſſit: *Sap. 5.* Tranſierunt, ait in perſonâ impiorum, omnia illa tamquam vmbra, & tamquam nuntius percurrens, & tamquam nauis quæ pertranſit fluctuantem aquam: cuius, cùm præterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ eius in fluctibus: aut tamquam auis, quæ pertransvolat in aëre; cuius nullum inuenitur argumentum itineris: *Vanitas vitæ humanæ.* aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diuiſus aër continuo in ſe recluſus eſt, vt ignoretur tranſitus illius; ſic & nos nati continuò deſumus eſſe. Spes enim impii tamquam lanugo, quæ à vento tollitur; & tamquam ſpuma gracilis, quæ à procellâ diſpergitur: & tamquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tamquam memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis. Itaque dum tempus eſt, operemur bonum, & ambulemus dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant, & januâ clauſâ audiamus illud triſte: Neſcio vos. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Haccine firma fide*, ibid. *Galat 6. Ioan. 12. Luc. 13.*

Secundò, attende, quid de præteritis luſtris, annis, menſibus & tranſitoriis rebus, vbi tranſierunt, ſuperſit;

nihil

nihil ſanè, niſi benè vel malè factorum jucunda aut triſtis recordatio & æternitas. quocirca ſtatue, vtram hâc ex horâ perpetuam habere malis, & quo pacto jam orare, viuere, &c. Sanè nemo ſapiens vnâ horulâ epulari, recreari, honorari optabit potiùs quàm æternum. *Haccine vera.* vt ſup. pag. 7.

Quid de præteritis ſupereſt.

PVNCTVM II. Memoriâ repete caſus repentinos eorum, quos aliquando noſti, & attende ac appende tibi & cuiuis accidere poſſe, quod cuipiam; ac horam omnem velut vltimam ob oculos pone. Cæſarius ait, Omnis dies velut vltimus ordinandus eſt, tu etiam ad horam transfer: & cùm incertus ſis, quo loco te mors expectet, tu illam omni loco expecta; ſiquidem talem te judicat Deus, qualem te inueniet, cùm vocat, ait Cyprianus: atque ita ab horâ vnâ pendet longiſſima æternitas; hoc credis & non contremiſcis? *Credo tibi,* vt ſup. p. 7.

Cæſarius Omnis hora velut vltima habenda. Cyprian. Simile.

Sicut autem is, qui carceri incluſus, damnatuſque cum aliis ad mortem, videns hunc illumue à latere ſuo ad ſupplicium citari, non ludo fallit tempus, ſed rebus ſuis conſulit: ita facito. quòd ſi verò is veneno vitam finire deberet, eique ſeptem panes in dies ſeptem dati eſſent, quorum vnus foret veneno infectus; quo ſenſu, putas, quotidie panem ſumeret? Aut ſi adhiberetur quis epulo, in quo totidem fercula, vnum verò lethale; quanto ex mortis recordatione cum timore ea attingeret? Eundem affectum indue, & Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum, imò horam, vt tua omnia perfectè facias, juxta illud D. Tho. Alius, ait, eſt mos Dei, quo omnia opera ſua in ſūmo bene fecit; ſimiliter & nos diligentiam apponere debemus, vt ſingula opera noſtra, quanto vnquam meliùs poſſumus faciamus; ex omni virtute Domini noſtri JESV Chriſti, & cum omni deſiderio triūphantis & militātis Eccleſię, & ſub nomine Creatoris: quaſi tota ſalus noſtra, & omnis laus Dei, & vniuerſitatis vtilitas ex vno opere dependeat: quaſi numquam ad id opus reuerſuri, neque opus aliud poſtmodùm

S. Th. opuſ. de diuinis moribus.

Omnia perfectè facere oportet, Deumq; imitari.

dùm incepturi. Etenim densè cadunt velut in conferta turba mortales, mortis iaculis confecti. Mortem igitur omnibus horis impendentem time, & occaſione vtere, quæ nunquam, vbi ſemel abierit, reditura eſt. *O Rex regum*, vt infrà.

PVNCTVM III. Conſidera occaſiones rectè agendi quas iam habes, ac ſimul inſpirationem ad eas non negligendas: etſi etenim vita prorogetur, non tamen tempus in quo Dominus recordetur noſtri. ſiquidem ſi, poſtquam Dominus vocauit, occaſionem offerendo, ea à nobis negligatur, iuſtè etiam nos deinde negligit. Vocaui, ait, & renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit qui reſpiceret; ego quoque in interitu veſtro ridebo. Quid enim dignius, & quid iuſtius? Non audimus? non audimur: non reſpeximus? non reſpicimur. Qui ex Deo eſt, ait Veritas, verba Dei audit; propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Non audis ergo Deum ſic monentem? time itaque ne non ſis ex Deo. Audi verò etiam Samuelem Sauli ſic intonantem: Pro eo quòd proieciſti ſermonem Domini, proiecit te Dominus, ne ſis Rex ſuper Iſraël. Proiicere autem ſermonem Domini videtur, qui ad Dei vocem audiendam non ſe, vti debet comparat, torpidè ad orationem & opera pia procedit, atque ita ineptum ſeſe diuinis inſpirationibus reddit, quas tunc ei Dominus largitus fuiſſet, quibuſque forſan, & aliàs non, eſſet ſalutem conſecutus. Ait enim: In tempore accepto exaudiui te, dieſque noſtri non ſolùm numerati ſunt, quoad vitam temporalem, ſed etiam ſempiternam.

Prov. 1. *Vocationi Dei parendum.* *Ioan. 8.* 1. *Reg. 15.* 1. *Cor. 6.*

Exercitium pro actionibus piè ac rectè perficiendis.

O Rex regum & Domine dominantiū, numeraſti dies noſtros qui præteriri non poterunt, & ecce hoc N. tempus mihi pœnitētiæ cōceßiſti. Sed quamdiu hoc erit? Tu ſcis, amātiſsime IESV. *Quot ſunt dies ſerui tui, quādo facies etiā de me iudicium?*

Iob. 14. Breuitas vitæ.

iudiciũ? tu ſcis, & ſufficit mihi. Scio nõ eſſe meũ ſcire tempora vel momenta, quæ pater poſuit in ſuâ poteſtate, Saluator mi, Benedictus ſis in æternum. Sed redimere tempus meũ eſt, quoniã dies noſtri pauci & mali, cùm verò illud vbi elapſum fuerit, nullo precio redimi, aut recuperari induſtriâ aut diligentiâ poßit, te humillimè rogo, ô vita animæ meæ, da mihi vt redimã tempus, emptus à te precio magno. Da, dũ lux eſt, operari ſalutẽ meã. Quæ autẽ illa niſi tu lux vera, quæ illuminas omnẽ hominẽ, vt veniat ad te? Ambulabo igitur ex hoc nunc ſic N. N. coram te, dum lucẽ habeo, & aſcendam ad te. Ecce enim, ô panis Angelorum, factus es mihi panis viatori, vt ambulẽ in fortitudine tibi illius vſq; ad montem Dei mei Oreb, & ſuauißimos amplexus tuos. Surgo igitur cum Heliâ, nam grandis mihi reſtat via, vt perueniam ad te ad quem ſuſpiro. Applicatio ad Communionem.

At quot dies, quibus mercari poſſum vno verbo regnum tuum? quibus mereri gratiam tuam, & emere mihi à te aurũ ignitum charitatis tuæ? Eheu, vbi ſemel hoc momentum, hæc hora peregrinationis, quâ iam tibi reconciliari poſſum, & volo toto corde, tranſierit, ſcio, ſcio, recuperari non poterit. Vbi ſunt tot coæui & Sodales mei, & noti N. N? mors eos aut ſera, aut præmatura abſtulit, qui tamen ſibi ab ætate aut viribus multos annos promittere videri poterant. Sed improuiſum fore aduentum tuum illi didicerunt, & nos docuerunt, vt omni horâ & hâc eſſem paratus. Súmne igitur? & vectem habeo nuptialem charitatis tuæ? Certè Domine per gratiam tuã deſiderio deſidero amare te, adhærere tibi, & vnum eſſe tecum. Miſerere, & deſiderium hoc pauperis ſerui tui exaudi, quo deſidero te ſuſcipere quanto poſſum affectu, & ſic vitam & rationem meam inſtituere, & omnes actiones meas, quaſi ex quolibet opere tota ſalus mea, & tota laus tua, & vniuerſitatis vtilitas dependeret, quaſi nunquã ad hoc opus reuerſurus, quaſi nullum aliud poſtmodum incepturus. Itaq; ſic N. coram te ambulare volo, & perfectus eſſe, vt inueniam gratiam in oculis tuis. Nónne tempus eſt iam miſerendi, Domine, tempus miſerendi venit? Recordare igitur tot miſerationum tuarum erga me N. & citò anticipent nos miſericordiæ tuæ: Vanitas mundi.

Ecce inclinata eſt iam dies, ecce venit nox, quando ampliùs nemo poterit operari, venit nox, ſed aſpirat etiã dies æternitatis, quæ nõ habet occasũ, cùm te videbo, ô JESV, *vnicum deſideriũ meũ. Quando venies, ô ſol iuſtitiæ, ſpes mea vnica, vnica fiducia, vnica vita mea! Veni, veni citò, veni, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ, libera me à corpore mortis huius, vt in ſanctitate & iuſtitiâ iam ſeruiam tibi, & moriar, & viuam in æternum tibi, qui vixiſti mihi & mortuus es, & viuis, & me expectas, donec des mihi te, & retribuas mihi. Amen.*

Propoſitũ ſeruiendi Deo.

Praxis.

PRIMÒ, contemplari aliquando ex editiore, ſi res ferat, loco ea quæ Sapiens cap.5. de vanitate rerum humanarum eleganter diſſerit, cogitando quot in vrbe iſta vixerint mortales, & vbi iam ſint, &c. tum verò id magis afficit, cùm ruinæ apparent veteres, & caſus magnarum vrbium oculis, mentiq; obiiciuntur: hac conſideratione vitã tuam ordina.

Catalogum habe ac memoriam amicorum mortuorũ.

Secundò catalogum habere familiariũ & notorum, magnorum maximè virorum, quos dum viuerent, ſuſpiciebas, & videre vbi ſit homo, & opera eius: percontari quaſi ex iis quid de huius mundi rebus iam ſentiant.

Tertiò, percurrere qualibet hebdomada vel menſe vitã anteactam, & multa quæ euaſimus diuina miſericordia pericula; vt ex iis prouidi efficiamur & feruentes.

Vide occaſiones pietatis.

Quartò, quas occaſiones pietatis quiſq; habuerit & habeat percenſere, maximè ſi oculos ad alios retrò conuertat, & chartas geographicas conſideret; maximamque terræ partem & hominum, aut ignorantia aut malitia perire.

Quintò, aliquando percurrere actiones ſuas omnes die aliquo ſolemniori dũ, officio intereſt diuino, & ſecũ diſpicere, an non aliter eas in hora mortis feciſſe voluiſſet: hoc enim plurimũ illuminat intellectũ, & voluntatẽ accendit.

Cogita horam ſupremã in omni actione.

Sextò, ſæpiùs, cũ dubij hæremus, vt animus ab affectu liber ſit, & ſinceriùs iudicet, cogitare quid iã nos, ſi hæc hora mortis foret, egiſſe optaremus: certè facilè quis hac ratione induceret animũ, vt inimico condonaret, facilè torporẽ excuteret, Miſſam debitè audiret, conſcientiã diſcuteret &c.

Ordina omnes actiones tuas.

In actionibus verò ordinandis; hoc in primis obſeruandum, vt non tantùm definitæ ſint quoad modum, ſed etiam quoad tempus: & prouideantur bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram omnibus hominibus.

Septimò, ſententiã etiã illã D. Thomæ antè allatã conſide-

ſiderare plurimùm iuuerit: maximè, vt actiones vitæ præcipuas perfectè exequamur. *Dignatus es*, vt ſup. p. 10.

IACVLATORIÆ.

COnſiderando innumeros, qui hâc horâ æternùm pereunt, dic affectu magno:

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam. Pſal. 27.

Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas eum? Pſal. 8.

Memento, Domine, quia ventus eſt vita mea; contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris? Iob. 7. Iob. 13.

Ego dixi in dimidio dierum meorum, Ecce nunc cœpi. Pſal. 38.

Adiutor meus eſto, ne derelinquas me neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Pſal. 26.

DECIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Vide, quæſo, pericula tua, & ad pietatis & orationis aſylum confuge.

COnſidera quomodo *A* mundus, *B* dæmō, *C* peccatum cum *D* morte te perſequantur, & confuge ad crucifixum *E* Ieſum, amantiſſimè ad ſe omnes inuitantem, cum ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Ad *F* orationem quoq; ac Dei præſentiam velut ad aſylum te recipe: ſic magnus ille *G* Antonius, & plurimi Sancti viri, orationis armis de hoſtibus triumpharunt. *H* Moyſes eadem Amalecitas ſuperauit: hos imitare, ac magnis paſſibus ad Chriſtū contende, eiuſq; imitationem: omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

CAPVT XIII.

De tertio ſtimulo, timoris Domini, qui eſt Meditatio de periculis huius vitæ.

PRAELVDIVM I. ſeu COMPOSITIO LOCI, eſt qualis in imagine adumbratur.

PRAELVDIVM II. Oratio.

PVNCTVM I. Conſidera Primò te vndique cinctum hoſtibus eſſe, mundo, diabolo, carne, & peccato, eiuſque occaſionibus; neque vllo vnquam tempore aut loco eos ceſſare ad internecionem te perſequi. Credis? quid ergo facturus es? Secundò, eos eſſe potentiſſimos, vaferrimos & peſſimos, & ne quidem vnum eorum te poſſe abſque ſingulari Dei pręſidio & gratiâ ſuperare. Tertiò, aduerte, quomodo Angelos è cælo peccatum deturbarit, & deinde Adamum ex paradiſo, etſi illi in gratiâ & infinitis (vt ita loquar) præſidiis vallati eſſent. Omnē ergo operam adhibe, vt orationis fideique clypeo iacula excipias inimici, & extinguas. O Domine Deus exercituum, in nobis quidem non eſt tanta fortitudo, vt poſſimus huic multitudini reſiſtere, quę irruit ſuper nos; ſed cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc ſolùm habemus reſidui, vt oculos dirigamus ad te. *Credo tibi, &c.* vt ſup. pag. 7.

Hoſtes plurimi & potentiſſimi.

2. Par. 20.

PVNCTVM II. Conſidera ruinas bonorum, qui columnæ cæli videbantur, & Eccleſiæ Dei, poſtquā annos plurimos ſanctè pièq; vixiſſent, vti fecerat Hoſius, Lucifer Calaritanus, Origenes, Tertullianus, &c, tam multi Religioſi, qui à Religione & ſanctiſſimâ vocatione ſuâ, atque adeò etiam à fide perſæpè apoſtatârunt. O iudicia Dei abyſſus multa! Vide etiam, quàm multi penè vſque ad extremum vitæ multo te prudentiores & pietatis ſtudioſiores, tandem in ſuperbiam elati, per hypocriſim lapſi, miſeri perierint. Cauſam horum malorum ſi exquiras à Sanctis, eam ferè audies; ſinceram, puram ac feruentem orationem, & virtutis ſtudium homines

Attende ruinas bonorum.

eius-

eiuſmodi deſeruiſſe, & ſic tepiditate ſuâ Dei iram, eheu! prouocaſſe. Cùm autem non ſit peccatum, quod facit homo, quod non faceret alter homo, niſi Dei gratia adeſſet; humilis eſto in oculis tuis, & orationi & pietati diligenter incumbe: ſic B. Antonius de ſuis hoſtibus, ſic Moyſes de Amalech, & quotquot beati ſunt in cælis, de inferno triumphârunt. *Aſpira*, vt ſupra pag. 8. *Hæccine firmâ fide credo*, ibid.

Tepiditas cauſa ruinæ.

Exod. 17.

Pvnctvm III. Conſidera hæc verba Chriſti in cruce velut coram pendentis: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. O quàm dulcia hæc faucibus noſtris eloquia tua, ô bone Iesv! at quomodò veniemus ad te, niſi traxeris nos in funiculis Adæ, in funiculis caritatis? Trahe, quæſo, nos ad te, vt curramus velut cerui ad fontes aquarum, qui iam laboramus, & ambulamus vias difficiles & incertas; deduc nos in viam mandatorum tuorum, & ſemitas tuas edoce nos. onerati, eheu! ſumus multis peccatis; adiuua nos, & propter gloriam nominis tui libera nos; neque deſpicias nos, Deus ſalutaris noſter.

Matth. 11
Pſal. 118.
Ieſu Chriſti ſuauiſſima inuitatio.

Pſal. 78.

Exercitium, vt à multis vitæ huius periculis liberemur.

C*Ircumdederunt nos inimici noſtri vndique, & laqueum parauerunt pedibus noſtris, & anima mea turbata eſt valde: turbatus eſt à timore oculus meus, & inueteraui inter omnes inimicos meos. Quis deducet me in ciuitatem munitã? quis me liberabit de inimicis meis iracundis? Conuertere, Domine, & eripe animã meã, & saluũ me fac propter miſericordiã tuã, ô* Iesv, Iesv, *eſtne* Redemptor *mi, éſtne in morte, qui memor ſit tui? in inferno autẽ quis confitebitur tibi? erubeſcãt & conturbentur vehementer inimici mei, conturbentur & erubeſcant valdè velociter; quia exaudiſti* Domine *deprecationem meam,* Domine *orationem meam ſuſcepiſti.* Diſcedite *à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit* Dominus

Pſal. 56.
Actus agnitionis miſeriæ noſtræ.
Pſal. 6.
Pſal. 107.
Pſal. 6.

Actus fiduciæ in Deum.

Dominus vocē fletus mei. Non timebo millia populi circumdantis me, quoniam tu, Domine, vocaſti me, & ſuſcepiſti me.

Applicatio ad Communionem. Hom. 61. ad Pop.

Imò paraſti mihi menſam aduerſus eos, qui tribulant me, à quâ vt, ſeruus tuus Chryſoſtomus hortatur, tanquam leones ignem ſpirantes recedamus oportet, facti diabolo terribiles, & caput noſtrum reuoluentes. Quem verò ignem niſi caritatis tuæ! Tu enim Deus meus ignis conſumens es, & Deus qui ſolū exaudis per ignem: etſi enim diſtribuero in pauperes, facultates meas, & tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatē autem non habuero, nihil mihi prodeſt, nihil tibi cui viuo. Da igitur hanc mihi & ſufficit, & cur non ſperabo eam abs te, qui teipſum ſic dediſti naſcens in ſociū, conueſcens in eduliū, moriens pro me viliſſimo ſeruo tuo in pretium, & regnans daturus es in præmium? Fateor coram te & curiâ tuâ, debeo tibi me, & pluſquam me, ſed ecce perij, & æternùm, niſi porrigas mihi operi manuum tuarum dexteram.

Actus inuocationis.

Memento ergò Domine, memento, quæſo, quomodo feceris, & refeceris me, & paſcas me, & tot annis quæſieris me. Ecce ego, ego, ô IESV, *nunc te quæro, dū inueniri potes, & inuoco humillimè & amantiſſimè te dū prope es. De profundis clamabo ad te Domine, & ad abyſſū miſericordiæ tuæ. Exſurge Domine, exſurge Domine, ne vnquam dominentur nobis inimici noſtri, ſed ſciant quia manus tua hæc, & tu Domine feciſti eā, & factus es refugiū pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Sperent in te, qui nouerunt nomen tuū, quoniā nō reliquiſti quærentes te, Domine; ſed exaltaſti eos de portis mortis, vt annuntiēt omnes laudationes tuas in portis filiæ Siō. Tibi derelictus eſt pauper, & orphano tu eris adiutor, quoties in oratione confitebitur tibi, & extollet manus ſuas in ſancta, & benedicet tibi. Oculi enim tui in pauperē reſpiciunt, & propter miſeriā inopum & gemitum pauperū exurges, & ſeruabis nos; & cuſtodies nos à generatione hâc in æternū. fiat, fiat.*

Pſal. 9. Pſal. 10. Pſal. 11.

Praxis.

Ex aliorū miſeriis bona tua diſce.

PRIMÒ, vniuerſum orbē mentè decurre, die aliquo certo ac horâ, vt in Sacro ſolemni, vel Veſperis; & miſerias quas in corpore & animâ homines alij patiūtur, Deoq; grates agē, quòd ab iis liberum te eſſe ſingulari beneficio voluerit.

Secundò

Secundò contemplare aliquando mundum velut laqueis tectũ, vt eum vidit D. Antonius (laquei verò & decipulæ ſunt creaturæ, quòd earũ amore homo implicitus ab hoſte capiatur) & quo pacto iuuare te alioſq́; poſſis, & euadere.

Tertiò, corã Ven. Sacramento aliquoties per diẽ vel ſaltẽ ſemel te ſiſte, velut ante propitiatoriũ, imò velut in cælo cũ viua fide; & pugnas ipſi conſecra, victorias acceptas refer, gratiamq́ue pete, vt reſiſtere queas inſidiis diaboli, ac proteſtare te nunquã ratum habiturũ, neq; habere, ſi quid humana fragilitate ſubrepſerit. *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10. *Corã Ven. Euchariſtiâ pericula & victorias cõſidera.*

JACULATORIÆ.

DOmine Deus meus, in te ſperaui, ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me, & libera me. Pſal. 7.

Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me: apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Pſal 34.

Eripe me de manu inimicorum meorum, & à perſequentibus me. Pſal. 30.

Vt quid Domine receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione? Pſal. 9.

VNDECIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Æmulare Sanctos, & chariſmata meliora.

QVod ſi te torpentem tepidumq; eſſe videris, intuere quàm feruidè prompteq; precationi, & omni pietati incubuerint Sancti, *A* Benedictus, Auguſtinus, Dominicus, Bernardns, Norbertus, Bruno, Ignatius, Catharina Senenſis, Tereſa, aliiq; ſexcenti. Vide quã multi in *B* cœnobiis, in eremo Deum nocte dieq; laudent. en *C* Hieronymum pectus cruentantem, en *D* Stylitas in tempeſtatum procellis perſtantes; atque in primis *E* diuum Franciſcũ in Ieſu vulneribus colliqueſcentem. & heu! *F* peccator in mediis periculis obdormiſcit. audi, audi *G* Dominum dicentem: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

CAPVT XIV.

Meditatio de quarto ſtimulo ſanctæ æmulationis, qui eſt feruor Sanctorum.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine proponitur.
ORATIO, vt ſuprà.

Sancti magnam vitæ partẽ orationibus dabant. *Apoc.4.* *4.Reg.2.* *Leuit.6.*

PVNCTVM I. Conſidera Primò, quomodo Sancti dum in terris agerent, bonam vitæ partem orationi conſecrârint, pietatem diligentiſſimè coluerint. Ibant illi de virtute in virtutem, & requiem non habebant die ac nocte; ſed quærebant Dominum in toto corde ſuo, & curru igneo ac equis igneis Eliæ, id eſt deſideriis, ferebantur in cæleſtia. Omnia eorum ſacrificia ignis ille cõſumebat, quem Dominus venit mittere in terram, & voluit vehementer accendi, id eſt caritatis: ob eam ad ſolitudines & monaſteria, vt in imagine vides, conuolabant, vt in ſacro orationis otio Deo ſuo quietiùs fruerentur. Ea tu mente perambula, & vide quam diligentiam adhibeas, vt Deo coniunctus ſis. Aſpira vt ſup.p.8. *Hæccine firmâ fide credo, &c.* ibid.

3.Reg.18. *Mirum quanta orando impetrauerat.* *Miſeri mundani inter tot & tanta pericula ſecuri agentes.* *Paz to.1.l.5.p.2.c.6.* *Matth.16.* *Bern.ſer.2. de S.Andrea.*

Secundò vide, quanta impetrârint ſibi & aliis Sancti, nec non in omni elemento per orationem patrârint. oratione Elias pluuias ſtitit, & oratione reuocauit; alius ad ſanitatem ægros, alius mortuos ad vitam. Vide quanti Deus & orationem & pietatem facere ſolitus ſit. Tertiò, attende quantis in periculis mundani iaceant, ſecuri tamen, & inter medios hoſtes crudeliſſimos altùm dormiant, etiamſi Dominus inculcârit: Vigilate & orate, vt nõ intretis in tẽtationẽ. Ab inferiori parte, ait Bernard. timor nocturnus inſurgit, à ſiniſtris ſagitta volat in die, à dextris perambulat negotiũ tenebroſũ, à ſuperiori parte dæmoniũ meridianum inſurgit; nos verò tot ſerpentibus atq; hoſtibus circundati pernicioſiſſimâ ſecuritate & inertiâ torpemus, otio dormitamus in negotio maximè arduo, pigri ad ſpiritualia, prompti ad temporalia, ſegnes ad ſalutem, parati ad interitum. Quis miſerebitur incan-

Eccleſ.12.

tatori à ſerpente percuſſo, & omnibus qui appropiant beſtiis? Tu Domine, qui dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum eius tu mitigas *Hæccine vera,&c.* vt ſuprà pag. 7. *Pſal.* 88.

PVNCTVM II. Conſidera Primò, quanta ſolatia ex Deo & oratione perceperint Sancti, vt ſine tædio annos plurimos abſque omni humano ſolatio in ſolitudine multi perſeuerârint, alij in laboribus plurimis & periculis, atq; adeò in tormentis. non habet enim, ô Deus meus, amaritudinem conuerſatio tua, ſed in gaudio ſummo propinare ſoles de fontibus tuis, ô Saluator mi, vinum tuum, vinum germinans virgines, quo inebrias Sanctos tuos. Secundò, conſidera vanitatem omnis humani ſolatij: prætereunt enim omnia tanquam vmbra, &c. *Oratio ſumma Sanctorum voluptas.* *Omnis voluptas malorum dolorifica.*

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apiumq; par volantum,
Vbi grata mella fudit
Fugit, ac nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Boët. de Conſol.

At verò reliquiæ cogitationis & meditationis ſanctę diem feſtum agunt in animâ, quæ in Domino delectatur. Orando enim, inquit Bernardus, tuum bibitur vinum lætificans, vinum ſpiritus, quod inebriat, & carnalium infundit obliuionem. Et Auguſtinus vulneratus amoris telo aiebat: Dulciores ſunt lacrymæ orantium quàm gaudia theatrorum. Quid verò Propheta Dauid? Quemadmodum, inquit, deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te, Deus. Quid verò Dominus, qui diues eſt in miſericordiâ, his retribuit? id quod ipſe promiſit, Ego ſitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Quis mihi det, vt veniat etiam petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus? *Credo tibi,&c.* vt ſup. pag. 7. *Bern. ſer.* 18 *in Cant.* *Solatia bonorum.* *Apoc.* 21. *Iob.* 6.

PVNCTVM III. Conſidera, quomodo Sancti in cælo

noſtra pericula & labores contemplentur, & pro ſuâ erga mortales charitate ardentiſſimè pro nobis ſupplicent Deo; & quàm turpe ſomniculoſos nos in ſalute noſtrâ curandâ,& maximè in orando,corã eo comparere,ac tepidos in medio feruentiũ Cherubim & Seraphim! Vnde meritò certè Eccleſia cũ iis noſtras preces vt pater miſericordiarũ admitti iubeat,deprecatur. Secundo,quomodo ij in omni æternitate exaltent Dominũ in Eccleſiâ plebis,& in cathedrâ ſeniorum laudent. Itaq; etiam nunc id incipe,ô anima Chriſti ſponſa,ad quod perpetuò faciendum à Deo creata es, neq; committas vt vanis rebus & colloquiis temporis plurimum perdatur; orationi & pietati ſucciſiuum & exiguum ægrè concedatur.

Orantibus pro nobis Sanctis turpe eſt nos torpere.

Exercitium ad feruorem Sanctorum impetrandum.

Pſal.68. *OPeruit confuſio faciem meam,Domine Deus meus, quia extraneus factus ſum fratribus meis Sanctis tuis & peregrinus,quia diſsimilis filiis matris meæ Eccleſiæ tuæ. Video enim eos,dum viuerent,Spiritu ſancto & gratiâ plenos,numquam ab oratione ſpiritum relaxaſſe, operibus piis inſtitiſſe, ſollicitè ambulaſſe coram te. ô quot ſuſpiriis pulſabant portas palatij tui,& dulciſsimũ cor tuum,Domine* IESV! *quot deſideriis humilitate plenis penetrabant aciem ordinatiſsimã Angelorum tuorum! Centies ille per diem flectebat genua corporis ſui,& millies cordis ſui: iſte lacrymoſis oculis tacitus clamabat ad te afflictus & tribulatus,vt radius aliquis affulgeret à te ſole iuſtitiæ,& diſsiparentur nubes,id eſt,cogitationes iniquæ,quæ eheu etiam ſeparant me à te, & tribuli,& ſpinæ terræ cordis mei eruerentur,in quo ſeminaſti toties ſemẽ verũ;& irrigaſti illud ſanguine tuo ab vbertate charitatis piẽtiſsimi cordis tui. Ego verò multo magis miſer & miſerabilis,* Cant.3. *vt eos ſequar,ſuſpiro:& velle quidẽ adiacet mihi;ſed perficere nõ inuenio,niſi tu dederis mihi. Surgã,& quærã te vnũ quem diligit anima mea,ibo ad ſolitudinẽ, vt loqui digneris ad cor eius, & poſsit procedere de virtute in virtutẽ,donec videat te Deũ deorũ in Sion,donec inebrietur ab vbertate domus tuæ.*

Ad

Ad hoc, quæſo, Domine, deduc me in ſemitã mandatorum tuorum, in loco hoc horroris & vaſtæ ſolitudinis, vt cũ timore & tremore ſemper ſeruiam tibi; neque inter pericula ſecurus, neq; inter aduerſa puſillanimis. Hoc certè vehementiùs me terret, & omnino timoris acerbiſſimo gladio reuerberat cor meũ, quòd inter tanta pericula minùs timoratus, minùs exercitatus, minùs quàm neceſſe ſit ſollicitus inueniar, ſi quidẽ vnũ è duobus hæc ipſa negligentia noſtra probat, aut omnino traditos nos hoſtibus, & neſcire (quod auertere dignetur clementiſſima bonitas tua) aut ſi inter hæc conſeruamur, tibi, qui nos tueris, ingratos nimiùm reperiri. infrena igitur os meũ laude tuâ, vt benedicant tibi opera mea. Iubes enim ſemper orare, & non deficere. Vtinã igitur, dũ me fragilitas & inſtabilitas cordis mei nõ ſinit tecum loqui, opera ſancta & iuſta & pia benedicant nomini tuo: & cum cælis illis, quos ſemper velut præmiũ & palatium & regnum promiſſum in conſpectu noſtro eſſe voluiſti, enarrent gloriã tuam! Nónne creaſti me ad honorem, & laudem tuã? & ad hoc elegiſti me ante mundi conſtitutionem? quomodo igitur vagus mente ac oculis inhonoro te? & cùm odorem ac thymiama ſuauiſſimum Domino meo oblaturus ſum ex fonte impuri cordis mei, nefariæ etiam cogitationes aſcenderunt in cor meum?

Pſal. 35. Pſal. 118. Bernard. Affectus timoris Domini. Iſaiæ 48.

Quid faciam, cui vnctio orationis, & medicina contemplationis vertitur in culpã, in vulnera animæ meæ? cui oratio, ſolatium bonorum, triſtitiã parit? cui refugium miſerorum, irã prouocat? cui Angelorũ ſumma felicitas & cibus laus tua & oratio paulò longior, nauſea eſt & faſtidium? Imperfectum meum viderunt oculi tui, ne derelinquas, ne deſeras me; & ambulabo, & nõ deficiam; volabo, & non requieſcã, donec inueniã locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, nõ dabo ſomnum oculis meis, nec palpebris meis dormitationẽ, donec euigilet ad te cor meum, & rapiat me ad te omne deſiderium meũ, vt vnum tecum ſim qui quotidie pulſas ad hoc fores animæ meæ, & propterea temetipſum nobis immiſces, & corpus tuum in nos contemperas, vt vnum tecum efficiamur tanquam corpus capiti coaptatum; ardenter enim amantium

Pſal. 138. Pſal. 131. Applicatio ad Communionem.

id eſt, neq; deterret te, ô Maieſtas æterna, vilitas hæc mea, neq; charitatis tuæ lampades ignis atq; flammarum flumina peccatorum meorum obruent, neq; altitudo & profundum miſeriæ meæ, latitudinem & profundã abyſſum miſericordiæ tuæ. Vtinam igitur ſicut tu deſideras venire ad me, ita ego, ſitiens ſemper curram ad te, vt ceruus ad fontes aquarum, & bibam vt inebrier vel nunc vti millies concupiſco, à calice tantæ ac tam ſtupendæ benignitatis tuæ. Amen.

Praxis ad feruorem Sanctorum conſequendum.

PRIMÒ, ſanctos patronos, maximè menſtruos, conſtitue præſides orationum & actionum tuarum, v.g. recita cũ illis Pſalmos, affectumque illorum indue.

Secundò, eorum ſingulares virtutes ſtudioſè obſerua ac imitare: quod vt facere poſſis, vitas eorum ſedulò volue.

Cultus Sãctorum. Tertiò, eorum manibus frigidas orationes tuas Domino offer.

Quartò, viſita eorũ ſepulcra, reliquias, alioſq; ad eorum cultũ exemplo tuo & narratione eorũ quę geſſerũt, inuita.

2. Mach. 1 *Leuit. 9.* Quintò, orationis ſtudium diligenter complectere. Ignitum enim eſt eloquium Dei vehementer, ideoq; ſi tepidus es & frigidus, accede ad Dominum, loquere ad eum qui eſt ignis conſumens, tu qui es puluis & cinis.

Sextò, quemadmodum filij Iſraël diem habebant ſolẽnem ignis, ſiue Vrim, quo ignẽ cælitus miſſum ſibi gratulabantur, Deoq; gratias agebant: ita etiã nos oportet gratiis agendis pro iuſtificationis & vocationis gratiã, & illius caritatis qualibet horâ innouare atq; augere. Quid dulcius illâ eſſe poteſt? quid vtilius? exſuperat omnẽ ſenſum, & omne gaudiũ quod de te, Domine IESV, ſumit anima, quæ nõ præſumit de ſe, ſed viuit in te. *Dignatus es*, &c. vt ſup. p. 10.

IACVLATORIÆ.

Pſal 30. *QVàm magna eſt multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!*

Pſal. 137. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi, adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.*

Pſal. 41. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Pſal. 142. *Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.*

Ibidem. *Velociter exaudi me Domine, defecit ſpiritus meus.*

Pſal. 91. *Iuſtus vt palma florebit ſicut cedrus Libani multiplicabitur.*

DVODECIMÆ IMAGINIS
ANNOTATIO.

Miſerere Eccleſiæ matris, & probitate ac feruore tuo eam tueri conare.

COnſidera *A* Eccleſiam, velut matrem eſſe fidelium, illamq; à *B* dæmonibus, hæreticis, ac Turcis oppugnari ferro ac ſtylo, adeò vt magnã *C* mundi partem ab eâ diuertat ac diuellat dæmon. Vide eamdem petentem à *D* filiis ſuis opem orationum, ac vitæ emendationem flagitantem, etſi à *E* Spiritu ſancto *F* Angeliſque propugnetur. Id ipſum à nobis exigit Chriſtus Ieſus benigniſſimus Dominus noſter qui in *G* Venerabili Sacramento, amore noſtri ſe nobis impertiri, & nobiſcum eſſe vſque ad conſummationem ſæculi dignatus eſt, quamuis non ignoraret multis idcirco ſe onerandũ iniuriis, quas noſtrum eſt virtutum feruore auertere.

CAPVT

CAPVT XV.

De quinto ſtimulo charitatis erga Eccleſiam matrem, qui eſt meditatio de Eccleſiæ afflictione.

Chriſti amor erga Eccleſiam. PVNCTVM I. Conſidera Primò, quomodo Eccleſiã Dominus velut ſponſam ſibi pretioſo ſanguine ſubarrhauerit, adeoque amârit, vt pro ea mori dignatus ſit: ac proinde fideles eius ſeruos hoſtibus cinctam ſtrenuè propugnare, idque egregiâ virtute oportere. Secundò, attende quàm multi in eà ſancti & pij homines; quos quotidiana propè procella multarum aduerſitatum & perſecutionis exagitat. *2.Tim. 3. D.Leo.* Omnes enim qui piè volent viuere in Chriſto, perſecutionem patientur: neque deerit tribulatio perſecutionis, ſi numquam deſit obſeruantia pietatis. Atq; adeò repete, ſi placet, altiùs; neque in veteri teſtamento vllum Deo probatum inuenies, quem velut aurum anteà tribulationis ignis non repurgârit. *Aſpira,* vt ſup.p.10. *Hæccine firmâ fide*, ibid.

Perſecutio Eccleſiæ. Tertiò, attende quantas per orbem totum perſecutiones patiatur vniuerſa Eccleſia, tum à Mahometo, tum Ethnicis, tum vel maximè hæreticis. quæ regna hi non vaſtârunt? quæ ſacra non profanârunt? omnium tamen maximè à dyſcolis Prælatis: qui, vt dicit D. Bernard. *Bernard.* cùm miniſtri Chriſti ſint, ſeruiunt Antichriſto: honorati incedunt de bonis Domini, & Domino honorem non deferunt, vt Eccleſia meritò dicere poſſit: *Iſai.38.* Ecce in pace amaritudo mea amariſſima, amara priùs in nece Martyrum, amarior in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. *Eccleſiaſtici mali nocent plurimum.* Et Gregorius, *Greg.hom. 17.in Euang.* Nullum puto, fratres cariſſimi, ab alijs maius præiudicium quàm à ſacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit; quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus. Neque minùs tamen à Religioſis ordinibus peccatur, quorum multos

miſerè

miſerè diſcerptos & deformatos lugemus: quorum aliqui cùm ſal mundi eſſe deberent, infatuati ſunt; cùm eorum ſit angelicam vitam inter homines degere, & exemplo præire, ex ipſis ſcandala multa nata ſunt, atque etiam magiſtri errorum. *Aſtiterunt*, vt infrà pag. 288.

Pvnctvm II. Conſidera Chriſtum Jesvm ex infinito amore ſe Eccleſiæ ſuæ dediſſe in auguſtiſſimo Sacramento altaris, vt etiam ſic cum eâ eſſet vſque ad conſummationem ſæculi, ad præſidium, refugium ac ſolatium omnium fidelium. Jam vide quantis amore tui ſe expoſuerit ſimul iniuriis magorum, hæreticorum, qui eum non tantùm conculcare, ſed & mille indignis modis & blaſphemiis dehoneſtare conſueuerunt. Et vtinam hi tantùm! ſed, quod multo magis lacrymis dignum eſt, à Catholicis & Sacerdotibus aliquibus, & Religioſis improbis eadem patitur: vt meritò illud iterum dicere poſſit: His plagatus ſum in domo eorum, qui diligebant me; nam qui pro Domino ſanguinem ponere debuerant, hi ſunt qui eum oſtentui habuerunt, & eum rurſus ſibi crucifixerunt. Iam video quo pacto ſubditi Regis terreni, eum in mediâ acie pro ſe ſtantem iuuare & tutari, ſuis etiam corporibus oppoſitis conentur: & idem pro Rege tuo Chriſto Jesv facito, imò pro patre, pro redemptore, tanto benefactore & ſponſo animæ tuæ. *Credo tibi*, &c. vt ſuprà pag. 7.

Dominus Ieſus in S. Euchariſtia, præſentia ſua nos animat

Zach. 13.

Pvnctvm III. Conſidera quàm fortiter zelati ſint pro Deo & eius Eccleſia Machabæi, & poſt Domini mortem à principio pro eâ pugnârint Apoſtoli, Martyres & Doctores, & diui Athanaſius, Hieronymus, Auguſtinus, &c hæreticos ſcriptis, & quibus poterant modis perſequentes. Quantâ ſolicitudine, velut boni ſpeculatores in Eccleſiæ ſpeculâ conſtituti, vigilârint ſuper gregem ſuum: neque tantùm pro animabus, quod præcipuum eſt, ſed etiam pro immunitate Eccleſiæ fortiter ſtete-

Zelus Sanctorum.

ſteterunt, vt Staniſlai, & Thomæ Cantuarienſes. Secun-
Epheſ.6. dò, quanta hinc illis meritò gloria acceſſerit: non enim
de hoſtibus carnalibus triumphârunt, ſed de principi-
Quantum vnus vir zeloſus præſtet. bus mundi huius, & poteſtatibus tenebrarum. Tertiò,
quantum aliquis vir zeloſus poſſit, vti S. Dominicus,
Franciſcus, Ignatius, Xauerius. Certè duodecim Apo-
S.P.Ignat ſtoli modicum fermentum, pauci aliquot viri Religioſi,
plus aliquot millibus poſuêre operæ, & fructum colle-
gêre. Solitus ſanè S. Ignatius dicere, neminē noſſe, quā-
tum Deus per eum gratiâ ſuâ operaretur, ſi homo illâ
quæ iam conceſſa eſt, vteretur. Attende ergo matrem
2.*Mach.*7 Eccleſiam his te verbis compellantem: Fili, miſerere
mei, quæ te in vtero portaui, & lac dedi, & in ætatem
iſtam perduxi, peto, nate, vt aſpicias ad cælum & ter-
ram, & ad omnia quæ in eis ſunt, & intelligas, quia ex
nihilo fecit illa Deus, & hominum genus; ita fiet vt non
timeas propter eum carnifices vllos, ſed dignus fratri-
bus tuis effectus particeps, ſuſcipe mortem, vt in illâ
Luc. 1. miſeratione cum fratribus te recipiam. Illa enim nos
Domino regenerauit & paſcit, vt in ſanctitate & iuſti-
1.*Mach.*2 tiâ coram illo viuamus. Induamus ergo Mathathiæ ze-
lum, videntes contritionem populi noſtri. En ſancta in
manu extraneorum facta ſunt, templa noſtra ſicut ho-
mo ignobilis, vaſa gloriæ eius captiua abducta ſunt, tru-
cidati ſunt ſenes eius in plateis, & iuuenes eius cecide-
runt in gladio inimicorum: omnis compoſitio eius abla-
ta eſt, ſancta noſtra, & pulcritudo noſtra, & claritas no-
ſtra deſolata eſt. *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Exercitium.

Pſal.2. *AStiterunt Reges terræ, & Principes conuenerūt in vnū, aduerſus Dominū, & aduerſus Chriſtū & Eccleſiā eius:*
Thren.1. *ideò plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius, & vix eſt qui conſoletur eā ex omnibus charis eius. habitauit inter gentes, nec inuenit requiē: omnes perſecutores eius apprehenderūt eā, inter anguſtias filij eius. Idcirco ego plorās, & oculus*

& oculus meus deducens aquas, quia facti ſunt filij eius perditi quoniam inualuit inimicus. Iacuerunt in terrâ foris puer & ſenex, iuuenes & virgines ceciderunt in gladio. quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum! Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli! candidiores nazaræi eius niue, nitidiores lacte, rubicũdiores ebore antiquo, & ſapphiro pulcriores, Religioſi, inquam, aliqui apoſtatæ, & ſacerdotes eius. Denigrata fuit ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis. Propter peccata enim Prophetarum eius, & iniquitates aliquorum ſacerdotum eius iratus es, Domine, furore in populum tuum, & abominatus es hæreditatem tuam; & ecce qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Recordare, Domine, quid acciderit illi: intuere & reſpice opprobrium noſtrum. Thren. 4. Pſal. 105. Thren. 5.

Verè hæreditas noſtra verſa eſt ad alienos, & Aegypto plurimi dederunt manus; ſerui dominati ſunt noſtri, & non fuit qui redimeret de manibus eorum. Conuerte nos, Domine, ad te, & conuertemur, innoua dies noſtros ſicut à principio, auertatur ira tua à nobis, quia derelicti ſunt filij tui, & zelatores honoris tui pauci inter gentes. Exaudi, Domine, preces noſtras, & orationes noſtras, vt ſciat omnis terra, quia tu es Dominus Deus noſter, & quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper Iſraël, & ſuper me. Protector noſter aſpice Deus; & reſpice in faciem Chriſti tui, atque ô vtinam, Chriſte IESV, hodie, quando ſuſcipere te deſidero ardentiùs, & amantiùs quàm in omni vita meâ, vtinam omnes intelligant, quòd non ſit verè alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut tu Deus noſter, nõ tantùm obſecrationibus, ſed his N. & omnibus infirmitatibus noſtris, qui toties venis vt cures, vt ſanes, vt tucaris me. Si enim tu Deus pro nobis, & nobiſcum es, quis contra nos? Dicebat ille: fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicetur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? hæc & ego recordatus ſum, & effudi in me animam meam, dum toties te edo panem vitæ, & tamen non tibi

Applicatio ad Communionem.

vni viuo; toties bibo calicem ſalutis, & adhuc æger ſum. O vtinam, vtinam in vitâ meâ appareret benignitas tua in nos ex operibus noſtris, & te eſſe nobis columnam nubis per diem vanitatis, & ignis per noctem ſæculi hujus, Amen.

Praxis juuandi Eccleſiam laborantem.

PRIMÒ, ſtatas preces ſibi indicere, aut applicare pro Eccleſia, Principibus, & iis qui multùm obeſſe & prodeſſe bono publico poſſunt. Sic B. Ignatius ter pro Hiſpaniarum Rege quotidie coram Domino cum lacrymis ſupplicare ſe aiebat, cùm quidam eum commendaret.

Secundò, pro Religioſis Ordinibus; quia florere eos plurimùm Eccleſiæ intereſt: & hoc pacto per complura ſacra numiſmata particeps quis ſit meritorum, vt videre eſt in variis Indulgentiis.

Tertiò, Sanctos prouinciarum hæreſi infectarum, & Angelos earum præſides colere atque orare.

Quartò, conferre pro virili ad Seminaria, & catechumenos inſtituendos & promouendos, & eiuſmodi pietatis exercitia, aut per facultates, aut induſtriam.

Quintò, immunitates Eccleſiæ diligenter tueri, pro quibus etiam fortiſſimi Martyres occubuêre, vt D. Thomas Cantuarienſis, &c.

Sextò, de Eccleſiaſticis Prælatis honorificè ſemper loqui, eoſque venerari; adeòque id D. Franciſco cordi erat, vt diceret priùs ſe ſacerdotem obuium, quàm Angelum ſalutaturum fuiſſe, ſi vterque ſimul occurriſſet.

Dignatus es, vt ſuprà pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Pſal. 79. *DEus virtutum convertere, & viſita vineam iſtam.*

Pſal. 83. *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.*

Pſal. 105. *Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalutari tuo, vt lauderis cum hereditate tuâ.*

Ibid. *Saluos nos fac, Domine Deus noſter, & congrega nos de nationibus, confiteamur nomini ſancto tuo.*

DECI-

DECIMÆTERTIÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Miſerere animæ tuæ placens Deo, & defunctorum; ac ſtrenuè virtutem cole.

COnſidera vt *A* animæ in Purgatorio à virtute tua & precibus opem poſtulent; illis compatere, earumque petitionem, & *B* Angeli Cuſtodis admonitionem (vt ille *C* imprudens) noli deſpicere; quia ſicut illarum iudicium, ita erit & tuum. Eas itaque adiuua (vt hic *D* filius matrem) *E* ſacrificiis, *F* orationibus, & *G* eleëmoſynis. O quàm gratum de iis nuntium ferent *H* Angeli! Attende quomodo vel vnam *I* horam, ſi daretur, impenderent; & num opera tua ſic expianda non ſint, vtrùm ſint *K* lignum, fœnum, aurum, lapides precioſi. Admirare *L* Dei iuſtitiam iſta videntis ac permittentis.

CAPVT XVI.

De ſexto ſtimulo caritatis erga animas in Purgatorio exiſtentes, ſeu meditatio de Purgatorio.

PVNCTVM I. Conſidera, quomodo eſſes affectu damnatum te ſcires vt igni interires magnâ cum confuſione coram orbe terrarum vniuerſo, & quid non faceres vt illud genus mortis cum alio commutare liceret: ſanè nihil intentatum relinqueres. Et fieríne poteſt, vt quiſquam credat pro peccatis venialibus tam atrocia ſubeunda eſſe ſupplicia, & tam diuturna; eaque ſæpe parcendo verbo otioſo, aut aliâ quapiam paruâ mortificatione redimere non libeat? Conſidera, ſi parentes vel amicos videres in illis torqueri cruciatibus, quem ſenſum haberes: maximè ſi opem tuam gemitibus & ejulatibus miſerabiliter implorarent, an ridere & delicíari luberet? Audi igitur eos iam clamantes: Miſeremini mei ſaltem vos amici mei: & iuua quâ potes oratione, ieiuniis, eleëmoſynis. *Aſpira*, vt ſup. p. 10. *Hæccine firmâ fide, &c.* ibid.

Tormenta atrocia animarum.

Iob. 19.

PVNCTVM II. Percontare ex iis quæ patiantur & quare: & intelliges Primo, pœnam ſenſus tantam eos pati, quantam nullus vnquam maleficus, aut Martyr paſſus eſt in hâc vitâ, vt D. Gregorius & Auguſtinus aſſerunt; imò etiam grauiorem quàm vllus in hac vita pati poſſit, atque adeò, vt Cæſarius, maiorem quàm à crudeliſſimis tyrannis excogitari queat: & tamen quæ non malitia eorum adinuenit? Secundò, pœnam patiuntur damni, & ſi ſpes hic dilatæ affligunt vehementer animam, quantum exiſtimas eos percipere doloris, quòd amantiſſimi patris & ſponſi tanto tempore optatiſſimo adſpectu & amplexu fruſtrentur; eoque vel maximè, quòd paruo eam moram dum viuerent redimere potuiſſent; quam jam non niſi exquiſitiſſimis tormentis luere

Pœna ſenſus quanta Greg. in Pſalm. 37. Auguſt. de vera & falſ. pœnit. c. 18. Cæſar homil. 7. Pœna damni.

ſe concedatur? O quàm triſtis illa relegatio amicorum, filiorum, & ſitientium ad Deum fontem viuum, ad quem tot annis ſuſpirarunt & contenderunt: juſta tamen ſunt judicia Dei, & vera. Attamen vti eſt peccatorum inter ſe magnum diſcrimen, ita etiam pœnæ. De quibus Cyrillus ſic ait, eſſe quædam peccata ita leuia, vt ſtipulæ comparentur, cui proinde ignis illatus diu non poteſt immorari: alia verò fœno eſſe ſimilia, quæ & ipſa non difficulter ignis abſumat; ſed aliquanto tardius quàm ſtipulæ immoretur: alia verò eſſe quæ lignis conferuntur, in quibus pro qualitate criminum diuturnum ac grande pabulum ignis inueniat. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Pvnctvm III. Attende ob quæ crimina iſta patiantur, & videbis vel ob mortalia, quorum condonata eſt culpa; vel ob leuia, vt otioſa verba, negligentiam in rebus diuinis, &c. Secundò, quid illi de hujus vitæ voluptatibus & honoribus iam iudicent, exquire. Tertiò, quanta crudelitas eſſet huiuſmodi tribus verbis liberare nos poſſe, & negligere aut obliuiſci, & qualiter id te afficeret ſi earum loco fores. Enimverò, quid aliud requiritur quo eas liberare poſſimus, quàm pauculas preces recitare, eleëmoſynam dare, Indulgentiam iis applicare? O quàm ſedulò hæc illi præſtarent, ſi eis horula daretur pœnitentiæ, ad redimendum tam juſta & immania tormenta! Poſtremò iuſto Dei iudicio ſcias euenire, vt qui immites ſunt erga illas, tales etiam poſt mortem ſuam viuos erga ſe experiantur; & è contrario ita à diuina benignitate videri decretum, vt qui animam è Purgatorio liberat, propè de ſalute certus ſit: cùm gratiſſimæ ſint piæ illæ animæ, & non ceſſent in cælis orare pro eo, quem ſciunt tanta bona ſibi repræſentaſſe.

Cur iſta patiantur animæ.

Magnum ſalutis præſidium orare pro animabus.

Exercitium pro animabus Purgatorii.

O Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, miſerere animarum iſtarum, ſuper quas inuocatum eſt nomen tuum: perueniat ad te ſuſpirium earum,

aperi aures clementiæ tuæ, & oſtende eis faciem tuam, tot annis tantis deſiderijs petitam. Iuſta quidem ſunt iudicia tua, & non eſt iniquitas in eis; verùm miſericordia tua ſuper omnia opera tua. Parce, Domine, parce populo tuo electo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt irrideant eam inimici eius. Concede mihi gratiam, vt orationibus, ieiuniis, & piis operibus eas iuuare, & ad amplexus deſideratiſſimos perducere valeam. Scio equidem quòd, cùm venerint in regnum tuum, meminerint longè meliùs mei, quàm Ioſephi pincerna ille Pharaonis: ſed & meritò iuſto iudicio tuo eâ menſurâ mihi remetientur homines, cùm hac mortalitate ero defunctus, quâ eis menſus fuero.

Nihil ſane crudelius quàm audire illud: Miſeremini mei; & videre fidei oculis flammas voraces & tormẽta, nec dignari vel pauculis precibus, aut indulgentiis refrigerare tibi cariſſimas animas, & quibus ego plurimum debeo. O qualiter illas horas quæ mihi abeunt inanes, traducerent! quantum exiguo tempore quæſtum facerent pietatis! Quomodo te ſuſciperent accedentes ad menſam tuam, conuiuium pinguium & medullatorum, flumina de ventre earum fluerent aquæ viuæ, dum tu, Oceano bonorum, & fons vitæ eſſes in medio earum. Et ego eheu bibo ex hac aquâ, & ſitire iterum poſſum ciſternas diſſipatas? & quî poſſum bonitate tuâ redimere tormenta iſta? vereor ne negligentiâ meâ præparem illam mihi. Vtinam vel ex hoc momento incipiam reſtinguere illas flammas charitate tuâ! Vtinam velut Chriſtina mirabilis, & Odilo amabilis, tibi dignus ſim liberare eas per te de ore leonis, & repræſentare eas in lucem ſanctam! reſpice Domine ad hoc deſiderium meum, & animarum iſtarum, vt ego & illæ tibi viuant, & cantare incipiant tibi canticum nouum, miſericordias tuas fideles, & capere brauium, & videre immenſam caritatem tuam, & frui optatis amplexibus, & deſideratiſſimo vultu tuo. Cupio igitur per gratiam tuam ſic inſtituere vitam meam, & deliciis & vanitati ſæculi renunciare, vt non veniam in locum tormentorum eorum; ſed hoc corpore mortis exutus veniam ad te, ô deſiderium oculorum meorum, optata & millies deſiderata quies, gaudium, & gloria mea. Amen.

Applicatio ad Communionem.

Praxis

Praxis juuandi animas in Purgatorio.

PRIMO, curare quis poteſt, vt piæ fundationes non negligantur.

Secundò, ſtatas quotidie preces & eleēmoſynas ad hæc dirigere, quoties ſe in iter dat, & quoties in publicum prodit.

Tertiò, benefactorum & propinquorum memoriam facere rediuiuam, & pro animabus eorum orare. Eo fine varijs in oppidis nocturnus circuitor pro ritu id monere conſueuit.

Quartò, per cœmeterium eundo, *De profundis* recitare, aut alias preces, & quoties quis ante locum Juſtitiæ pertranſit.

Quintò, ſibi quotannis ſe ſuperſtitem fingere, & facere ſecretò obſequia defunctis præſtari ſolita, vti à pluribus feliciter admodum factum ſcimus.

Sextò, Indulgentias diligenter animabus applicare, & maximæ certè crudelitatis eſſe videtur illud negligere.

Dignatus es, &c. vt ſup. pag. 10.

JACVLATORIÆ.

IVſtus es Domine, & rectum iudicium tuum, ſed reminiſcere miſerationum tuarum antiquarum. Pſal. 118.

Vt quid, Domine, receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione? Pſalm. 9.

Vſquequo Domine obliuiſceris animas tuas in finem, vſquequo auertis faciem tuam ab iis. Pſalm. 12.

DECIMÆ QUARTÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Vide, quàm lata ſit via ad perditionem, & quot, ſi perfectionis ſtudioſus eſſes, animas liberare poſſes.

COnſidera magnum A pereuntium numerum: quos B dæmon inuitat, ac latitans ex inſidiis C ſagittat harum D vanitatum illecebris: E mundus trahit impellitq; per leges ſcilicet ſuas: & ſunt, prô dolor! qui F ſponte in infernum præcipites abeant; hos G adjuua exemplo, verbo, precibuſque. Eheu! vide quàm infida *H* peccatoris fiducia, tela ſcilicet aranearum, vt eſt Iob cap. 8. quâ inferni puteus prætexitur. vide vt *I* Angeli omnes ad zelum hortentur: immò ipſe *K* Rex noſter Ieſus iterum (ſi ſit opus) in terras, vt periclitantes *L* animas liberet, deſcendere paratus ſit, vt *M* Carpo quondam Epiſcopo monſtratum, vti refert S. Dionyſius Areopagita.

CAPVT XVII.

Meditatio de ſeptimo ſtimulo, zelo animarum.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine.
ORATIO ſolita.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, flammarum vortices & tormenta, quibus tot animarum millia perpetuò voluuntur, quibuſque erepta fuiſſent, & iam eripi poſſent plurima, ſi vel vnus aliquis vir Apoſtolicus iis conuertendis grauiter inſudaret. Secundò, ſuſpice & vide quantis laudibus Deum honorent beatæ animæ, maximo ſuo ſolatio & Dei gloriâ: quæ ſi tibi cordi forent, quantum illam augere, & de animabus mereri poſſes animaduerte; ſi generoſo animo ſenſualitatem, illoſque tuos prauos animi motus, N. edomares. Tertiò attende quanto in periculo ſit peccator: verè enim ſicut aranearum tela fiducia eius. *Hæccine vera*, vt ſuprà pag. 7.

Attende animarum pericula, & ſuccurre.

Iob 8.

PVNCTVM II. Quanta ſit Dei maieſtas, quàm digna vt ab omnibus colatur & ametur. Secundò, quantopere id ipſe deſideret, adeò vt exinauerit ſemetipſum, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, vt velut paſtor benignus ouiculam humeris ſuis reportaret. Tertiò, neque hoc tantùm, ſed inſuper grauiſſima tormenta, & mortem acerbiſſimam pati dignatus eſt, vt redimeret animas in ſanguine ſuo, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Quartò, neque id tamen ſuffecit immenſæ caritati eius, ſed, ſi ita neceſſe foret, iterum pro qualibet animâ de cælo deſcendere, & ejuſdem paſſionis calicem exhaurire dignaretur, vt ſalutem conſequeretur. vide an etiam zelum Dei in te habeas, & libenter te tuaque pro ſalute animarum, & Dei gloriâ impendas: an verò ne tantillum quidem de commoditate & exiſtimatione diſcedere patiaris, vt animæ Chriſti ſanguine redemptæ ſaluæ fiant. *Aſpira*, vt ſup. pag. *Hæccine firmâ fide*, ibid.

Philipp. 2.

O quanti animam Deus faciat.

Tit. 2.

1.Pet.5. *Dæmonum vigilantia te excitet.* PVNCTVM III. Conſidera Primò dæmonis improbam vigilantiam, quâ circuit tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret, & alios quaquaverſus mittit, vt animas perdant, & æternis ſecum ſuppliciis inuoluant. Excita torporem vigilanti illius malitiâ, & quandoquidem illi ſerui eius, ſeu homines ſeu diaboli, tam ſint ſtrenui in perniciem animarum; non patiare vt in iis iuuandis opera tua deſideretur. Secundò, vide quibus illecebris dæmon ineſcare ſolitus ſit miſeros mortales, nempe voluptate aliquâ momentaneâ, vel honore, quæ multâ adſpergũtur amaritudine, & nullo pacto exſatiãt.

Matt.25. Tertiò, expende illa verba, Quod vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſtis; & quo affectu proximo tantis in periculis cõſtituto ſuccurrere debeas; cùm Redemptor noſter ſibi fieri exiſtimet quod illi factum fuerit, vti hoc ipſum in nouiſſimo die coram vniuerſo orbe declarabit.

Exercitium zeli.

Iſaiæ 5. Matth.7. O *Chriſte* JESV, *Saluator mundi, qui redemiſti nos in ſanguine tuo, & dediſti precioſam animam tuam in mortem pro nobis; reſpice, quæſo, quia dilatauit infernus os ſuum abſque vllo termino, & lata valdè facta eſt via, quæ ducit ad perditionem, & plurimi ingrediuntur per eam: anguſta autem eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur ad* Thren.2. Thren.1. *illã. ideò defecerunt præ lacrymis oculi mei. & conturbata ſunt viſcera mea, effuſum eſt in terrâ iecur meum; quia facti ſunt hoſtes noſtri in capite, & inimici noſtri locupletati ſunt propter multitudinem iniquitatum noſtrarũ; & qui ſe debuerant ponere muros pro domo tua, principes populi tui, abierunt abſque fortitudine.*

Applicatio ad Communionem. O JESV *Redemptor mi, nónne verum illud eſt, quòd panis tuus quem paraſti mihi, confortat cor hominis, & vinum lætificat animam meam? quòd fortis eſt vt mors dilectio tua? eſt vtique & ea maximè quâ toties mihi naſci, toties mihi mori, toties in me reſurgere paratus es, & te dare mihi pignus ſalutis, & infinitæ charitatis tuæ. vtinam ea incenſus omnia contemnam propter te, & animam meam ponam pro proximo*

 meo,

meo, maximè inimicis meis! Offero eam tibi, Domine, pro his, & quibus placet, me totum tibi in holocauſtum, in tabernaculum infinitæ miſericordiæ tuæ, & locum habitationis tuæ. Tu enim dixiſti: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi, & æternùm ſpero mecum eris quia æternùm diligere te volo.

O vani filij hominum! ô cæci & tardi corde! Si pereat nummus, maria traiiciuntur; pereunt animæ innumeræ hæreditas tua, & non eſt qui recogitet corde. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte ſuper interfectos populi mei? Sed miſericordiæ Domini quod non ſumus conſumpti: quia non defecerunt miſerationes eius, & non repellet in æternum Dominus; ſi abiecit, & miſerebitur ſecundùm multitudinem miſerationum ſuarum. Verè enim dolores noſtros portaſti dulciſſime IESV, *& liuore tuo ſanaſti languores noſtros. Recordare quòd ſteteris, & ſtes etiamnum in conſpectu Patris, vt loquaris bona pro nobis; & aperi, precor, oculos cæcorum, vt cognoſcant & diligant te; aperi aures ſurdorum, vt audiant vocem tuam, ô Paſtor animarum noſtrarum, & miſerere omnium, quia non eſt alius qui pugnet pro nobis, niſi tu Dominus Deus noſter.* Iſaiæ 57. Ierem. 9. Thren. 3. Iſaiæ 53.

Praxis exercendi zelum animarum.

PRIMÒ, proximo prælucere exemplo, & diligenter quæ ad proximi, vt dici ſolet, ædificationem ſpectant obſeruare. Id verò Eccleſiaſticos atq; in primis Religioſos omnino facere oportet, vt videant homines opera eorum bona, & glorificent Patrem qui in cælis eſt.

Secundò, ſermones pios inſerere, colloquiaque praua, quæ mores corrumpere ſolent, impedire. Idem de cautionibus iudicium.

Tertiò, nullos in domum ſuam famulandi gratiâ admittere, niſi cum pacto, vt ſingulis minimùm menſibus confiteantur ac communicent. Idem valere poteſt in operis adlegendis, in militum delectu.

Quartò, beneficia corporalia homini conferre, vt aliquid ſpirituale impetres ab eodẽ. Sic S. Ignatius ad luſum inuitatus quẽ ignorabat, ea conditione luſit, vt victoris arbitrio victus aliquot dies viueret: itaque hominem ad exercitia ſpiritualia, & viã bonam perduxit. Sic alibi nõ priùs eleẽ- *Aduerte quæ ſint occaſiones pietatis.*

moſynam

moſynā dari vidimus, niſi poſt auditā Chriſtianæ fidei explicationem. Alibi verò Sodales Deiparæ opulentiores ſinguli pauperem deligebant, quem donarent eleëmoſynā poſt ſacram ſynaxin perceptam.

Quintò, infirmos, afflictos, carceres & noſcomia viſitare, iiſque pietatem commendare, nunquam enim paratiores ſunt ad haurienda ſalutis monita, quàm cum aduerſis premuntur, & re juuantur. Neque exiſtimandū hoc dedecere Chriſtianum; qui pauperum ſolorum ſuffragio, vt ita dicam, in judicio extremo ſciat ſeſe abſoluendum.

Aduerſitate vtere ad Zelum.

Sextò, libellos pios donare, & imagines & roſaria; nam & diuites, in aliis profuſi, hîc negligentes ſunt.

Septimò, catechiſmum, vt ſuprà dictum eſt, curare, & ſcholas ac domos pias pupillorum, viduarum, atq; in iis maiorem pietatis & animæ quàm corporis habere rationem.

Matt. 10.

Cur pecuniâ tuâ animas non emis?

Octauò, animarum zelatores alere: qui enim recipit & alit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetę accipiet. Sic Luſitaniæ Regina à S. Xauerio perſuaſa eſt, vt pecuniā in ſandalia dari ſolitam, animarum auxiliis applicaret. quippe hâc ratione qui concionatori, docere, catechiſmum tradere per ſe nequit, per alium ſæpè fructuoſiùs præſtat. Et quemadmodum qui miniſtrū hæreticū aleret ac fundaret, reus eſſet blaſphemiarū & perditionis animarū, quę inde ſequeretur, ita è contrario fieri omnino certū eſt.

Pij viri in militiam & Magiſtratum adlegendi.

Nonò, ſi quis in republica conſtitutus ad clauum à Deo eſt, vt Magiſtratum creet, militum delectum faciat, pietatis ſciat primam ſibi in ſe atq; aliis habendam eſſe rationem. Quis enim neſcit ad Magiſtratuum mores atq; exemplum alios ſeſe componere? Et ſi nemo tam improbus ferè reperitur, qui populum ac ſubditos ad impietatē adhortari, vel cogere velit, ſuaque ad flagitia ſimul verbo, & exemplo inuitare; certè non minùs conuenit euitare ſcandalū, publicumque peccatū. Si enim, quòd veriſſimū eſt, exempla trahunt, mouent verba; ſeriò cogitandum, quantū ſit flagitiū, quod plurimos pertrahit in lapſum, vnâque ruinâ inuoluit. Atq; hinc eſt, quod Scriptura dicat: Exiguo conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur; cùm non rarò contingat eos pietate minimè cæteris antecedere, quos dignitate præire videmus.

Sap. 6.

Decimò, quod in Magiſtratu valet, & eius electione, multò magis in militia, ſiue de ducibus agatur, ſiue de militibus. Si enim, præter militarē licentiā, trahat ad crimen ducis exemplum, fieri nequit, quin certum ſit pietatis exitiū. Cùm autem omne regnum in manu Dei ſit, & cui voluerit, det

Daniel 4.

Miles bonus quanti ſit.

det illud;atq; ab illo ſolo victoria ſperanda ſit perſpicuum eſt, ducis crimen,aut virtutem plurimum ad hanc momenti conferre. Si enim propter furtum vnius Achan,caſtra Iſraël fuſa fuerunt; quid, quæſo, futurum ſi dux furtis,rapinis, ſacrilegiis , luxuriâ atque ſuperbiâ iram Dei in ſe ſuoſque prouocet?Beniamitis caſtigandis,eduxerant caſtra Iſraëlitæ : at quia fortitudine & numero confidebant, bis fuſi fugatique ſunt. Quid futurum, ſi non præfidentiâ tantùm laboret miles , ſed omni propè vitio diffluat! Certè ex ducibus percunctari liberet, an à Deo putent victoriam impetrare improbos milites magis,quàm probos. Si hos;videre equidem debent, vt tales deligant,atq;quoad poſſunt,efficiant. nam cùm illi victoriâ ſuâ inſoleſcant , & propagent impietatis regnum ; quid intereſt Dei,hæreſis,an vniuerſa impietas latè dominetur? Corpus ſpectas in milite,nónne pluris animus?ignauo hominem corpore recuſas,ac debili, cur improbum animo,Deoque perduellem aſſumis? reipublicæ putas vtilem qui ſibi inutilis? tibi fidum,qui Deo infidus ? vitium vitio,igne ignem reſtinguere paras,pietatem propagare flagitio; virtutis regnum,per illius aduerſarios, Dei amicitiam, per inimicos eius;honorem illius, per hos qui eum crucifigunt,templaque animę ſuę & aliorum profanant? In ſacris Literis Rex Iuda victus eſt,quòd copias cum impio iunxiſſet : quid ſi ex improbis eas collegiſſet? Omitto,aut milites ſecurâ ac rectâ conſcientiâ eſſe fortes. Deumq; cum illis pugnare ; aut temerarios calcato Deo, eiuſque præceptis non ſibi, non reipublicæ, ſed ei cui ſeruiunt dæmoni,militare. Obſeruent igitur duces,quales ſint ipſi,quas habeant zeli occaſiones,& præclarè iis vtantur ; ne latiùs pietate regnet impietas: ſciantque paucos bonos plurimis malis Dei gratiâ ac fauore longè præſtare. Exempla vbiq; obuia: quis ambigat ? niſi qui Deum negarit vltorem eſſe malorum, bonorum remuneratorem ? *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10.

Ioſue 7. *Iudic.20.* *Milites boni deligendi.* *3 Reg.22.* *Improbus miles exitium reipub.*

JACVLATORIÆ.

TV autem , Domine, ne elongaueris auxilium tuum à me, ad defenſionem meam conſpice. Pſal.21.

Erue à frameâ Deus animam meam , & de manu canis vnicam meam. Ibid.

Vſquequo,Domine,auertis in finẽ:exardeſcet velut ignis ira tua? Pſal.88.

Domine,quando reſpicies? reſtitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam. Pſal.34.

CAPVT XVIII.

De exercitiis ad quæ proficientes ſtimulantur: quorum primum eſt Mortificatio.

Quid mortificatio.] PRimo aſpectu horridum nomen eſt, vt ſectio, vſtulatio: ſed ſi conſideratur vt medicina, quemadmodum verè eſt, gratior futura. Mortificatio enim nihil aliud eſt quàm ea exerciatio, quâ per Dei gratiam(abſque illâ enim nihil) quod in nobis ægrũ eſt, ſanum fit; quod prauum ac obliquum, rectum; quod obſcurũ, perſpicuum, quod in viâ virtutis, amarum, ſuaue & jucundum, denique, quâ paſſiones animi & corporis (quæ ſuâ violentiâ poſt peccatum oirginale eam perturbant & euertunt)ratione coërcentur; homo ſatisfacit pro peccatis, omnes tentationes vincit, ædificat proximos, orationes ſuas efficaces facit, ac tandem ad primæuam pacem & integritatem reuertitur. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Quæ eius diuiſio. Duplex eſt mortificatio: alia exterior corporalis, alia ſpiritualis. Exterior eſt, quâ corpus jeiuniis, & aliis auſteritatibus cohibetur, & ſenſus quinque iuxta rationis regulas componuntur: de quâ Apoſtolus, *1. Cor. 9.* Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prędicavero, ipſe reprobus efficiat. Spiritualis verò, quà affectiones animi & ſpiritus circumciduntur.

Quæ neceſſitas. Etſi autem oratio ſummopere commendetur, & velut prima virtus ab Aſceticis habeatur, tamen mortificatio *Rom. 8.* non minùs collaudatur. adeò vt Apoſt. dicat: Si enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini; ſi autẽ ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis: qui enim Chriſti sũt, carnem ſuã crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis *Gal. 5.* ſuis. Quemadmodum autem mortificatio ad orationem optima via eſt, ita oratio non tantùm ad mortificationem ducit, ſed impellit, & eam ſuavem efficit. Aſcende itaq; cum ſponsâ ad montem myrrhæ, ſeu mortificationis, & collem thuris, ſiue orationis, & exue veterem ho- *Cant. 4.*

mi-

minem,& indue nouum, qui ſecundùm Deum creatus eſt:ac quemadmodum ſerpentes pellem veterem inter anguſtias ſibi detrahunt,ita nos exuere mores veteres, iiſque ſponte noſtrâ facere oportet. Ita tamen, vt ab aliis etiam oblata mortificatio, velut de manu Dei ſit acceptanda eo animo,quo medicina à medici manu;quo ſubſidium ad hoſtem ſuperandum à fideli amico. *Credo tibi*,vt ſuprà pag.7.

Mortificandus autem imprimis eſt amor proprius,id eſt,quo quis ſuis nimiùm ſtudet commodis ; qui etiam poteſt obiectum habere res ſpirituales,quatenus vtilitatem & iucunditatem aliquam habent,iſque non minùs ſæpè noxius,quàm ille,qui circa ſenſuum oblectamenta,honores,opes,& alia bona temporalia verſatur. nam cùm perfectio noſtra ſit diuinã voluntatem in omnibus ſequi:ſi quis affectu illo in obedientiâ difficilior ſit, & ſuorum exercitiorum ac iudicii tenacior,æquè ac magis eſt noxius atque alius. *Quæ præcipuè mortificanda. Amor proprius.*

Effectus huius amoris narrantur ab Apoſtolo: In nouiſſimis,ait,diebus erunt homines ſeipſos amantes, cupidi,elati,ſuperbi,blaſphemi, parentibus non obedientes ingrati,ſceleſti, ſine affectione,ſine pace, criminatores, incontinentes,immites,ſine benignitate, proditores proterui,tumidi,& voluptatum amatores magis quàm Dei. Itẽ effectus eius,pudor ob naturales defectus,vilitamen parentum (nam de Dei offenſa ſolùm pudefieri oportet)excuſare defectum,tractare,quæ ad laudem noſtram ſpectant,de aliis contemptim,de ſe magnificè ſentire ac loqui;ea ſolùm quę dignitatem,quæque auctoritatem pariunt ac alunt,affectare;ſtudium adhibere, ac ſe coërcere in publicis, non priuatis; terrena curare, æterna neligere;honorificè habere,omittere opera pia ob iudicia hominnm,&c. *Qui effectus amoris proprij. 2.Tim. 3.*

Contraria autem in remedium adhibenda, vt ſunt honorem fugere,defectus diſcretè aperire,non ſe excuſare de ſe ſuiſque,niſi neceſſe;nunquam loqui, in iis quæ *Quæ remedia.*

ad

ad corpus, voluptuoſa & ſuperuacanea non expetere, ſed neceſſaria,& in iis (quod in ſe eſt) optare voluntate carere. Denique optimum remedium bonâ ac purâ intentione actuali aut virtuali omnia facere non propter proprium commodum, ſed Dei voluntatem, & proximi vtilitatem,&c. *Dignatus es*,vt ſup.pag.20.

Item mortificanda propria voluntas. Alter defectus mortificatione ſuperandus eſt, propria voluntas,lepra peſſima animæ noſtræ, quæ etiam bona opera vitiat ac corrumpit. Quare, aiebant Iudæi, *Iſaiæ* 58. ieiunauimus, & non aſpexiſti; humiliauimus animas noſtras,& neſciſti?reſponditque Dominus: Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.

Quid ea. Voluntas autem propria eſt,quæ non eſt nobis communis cum Deo & hominibus,ſed noſtra tantùm:quando quod volumus non ad honorem Dei,non ad vtilitatem fratrum, ſed propter noſmetipſos facimus; non intendentes placere Deo, & prodeſſe fratribus; ſed ſatisfacere propriis motibus animorum.

Quicius effectus. Varij autem huius effectus:ſi quidem,vt D. Auguſt.oſtendit,omnia peccata ex eo ortum habent. Eſt enim homo voluntatis proprię ſeruus,curioſus,inſtabilis,contentioſus,correctionis impatiens,plenus excuſatione& promptus ad eam,tenax iudicij proprij, & voluntatis, aliena imperia detrectans,in cõmunibus ſegnis, priuatis cõmmodis ſedulus. Credis hæc? *Credo tibi*,vt ſup.pag.7.

Quæ remedia. Remedium eſt Primò curioſitatem refręnare, ſtabilitatem colere,deniq; verbo vno contraria contrariis curare, & alterius ſequi voluntatem; etiamſi Superior non *1.Pet.2.* ſit. Nunquid enim dicit omnibus Apoſtolus: Subjecti eſtote omni creaturæ propter Deum? Hoc enim voluntatem propriam necat, ambitionemq; laudis ac honoris (prolem peſſimam propriæ voluntatis)exſcindit.

Item mortificandus ambitionis affectus. Tertiò,igitur extirpandus eſt ambitionis affectus,virus longè grauiſſimum,quod etiã fidem labefactat. Quomodo, aiebat veritas, vos poteſtis credere, qui gloriam *Ioan.5.* ab

ab inuicem accipitis? Nulla enim peſtis latiùs graſſata eſt, hodieq; graſſatur: ob laudem enim & honorem & famam fiunt pleraque ab hominibus, ab Ethnicis omnia: ſiquidem ſcientia, honores, opes, ſpecies, veſtium luxus, niſi ſpectator & laudator ſit, contemnuntur.

Statuendum igitur nullum honorẽ ac dignitatẽ, niſi maiorum iuſſio interueniat, aut ſpirituali Patri videatur, admittere: at verò illius affectum, nunquam. Dignitas (ſi obedientia, neceſſitas, aut vberior animæ noſtrę aliorumque profectus, & diuinæ gloriæ amplificatio ita requirat) aliquando acceptanda: verùm ita vt nullo pacto ei animus adhæreſcat. Quemadmodum enim de diuitiis dicitur, ita de honoribus iudicandum. Diuitiæ ergo & honores ſi affluant, noli cor apponere: imò honorifica aliis, in officiis, nominibus, locis, vltro ad imitationem Domini, defer; humilia elige: virtutes occule, quantum licet: iis operibus tua impende, quæ alios habent auctores: de rebus tuis ne loquere. Cauſæ honorem fugiendi ſunt infirmitas noſtra, & periculum vanitatis. ſi quis enim quos non habet appetit ardenter, quomodo eos quos habebit fortiter animo abnegabit? ſi priuatus & in humili ſtare aduerſum vanitatis ventum nequit, quomodo in excelſo locatus? vnde Bernardus verè paucos ait eſſe, qui alios regant cum profectu; pauciores qui cum humilitate. Imò Gregorius, impoſſibile ait imperfectos locum honori dare pro ſubditorum fructu, & non animo extolli. Ideoque omnes omnino Sancti honorem defugerunt, Gregorius, Chryſoſtomus, Martinus, Auguſtinus, Fulgentius, Nicolaus. Vide P. Ariam lib. de mortificatione. Quid verò tu cenſes?

Quæ remedia.

Pſal. 61.

Humilitatis praxis.

Honores vt fugiendi.

Bern. ſer. 2. in Cant.

Greg. in l. 1. Reg.

Quartum malum mortificatione ſanandum, eſt proprium iudicium, altera lepra, vt Bernardus ait, animę noſtræ. Quod autem eſt proprium iudicium? quando verum certumque illud eſſe iudicas quod Superiori, vel (ſi Superior non ſit, aut ſententiam & voluntatem non declaret) aliis viris prudentibus minimè videtur. Arrogantiæ

Itē mortificandum proprium iudicium.

Baſil in Reg. breu. q. 123. gantiæ enim eſt, vt Baſilius, nolle maioris partis ſententiæ acquieſcere. & Bernardus : Quæ maior ſuperbia eſſe poteſt, quàm ſi vnus ſuum iudicium præferat vniuerſæ congregationis iudicio, quaſi ſolus haberet ſpiritũ Dei? *Bern. ſer. 2. de reſurrect.*

Quæ remedia. Ad hoc iuuat aduertere ignorantiam noſtram, cuius magnum verè pelagus eſt; opinionum varietates & paſſiones quibus excæcatur ratio, & quoties experientiâ compererimus, nos falſos & errore deluſos fuiſſe. Sicut autem in Eccleſiâ, Republicâ, omni congregatione, hoc vitium omnium eſt malorum diſſenſionumque origo; ita etiam gratiſſimum eſt Deo abnegationis huius ſacrificium. Itaque aliorum voluntati & iudicio tuum libens accommoda: vt ſis filius pacis, & Dei optimi Patris tui. Delige verò Patrem ſpiritualem, cuius prudentiâ te regi permittas; neque tamen omitte propterea aliorum conſilia humiliter exquirere, etiam inferiorum; imò & monita libens admitte: neſcis enim, vt Iob loquitur, vnde tibi oriatur lux in tantis ignorantiæ tenebris. *Credo tibi*, &c. vt ſup. pag. 7.

Meditatio de Mortificatione.

COMPOSITIO LOCI. Conſidera coram te Chriſtum Dominum in cruce omnibus membris vulneratum.

PUNCTVM I. Conſidera Primò in Adamo ſtatum naturæ integræ, quomodo tum corpus animæ ſubiacebat, paſſiones rationi, ipſa Deo: ita vt homo liberè contemplaretur, Deiq; voluntati in omnibus conformis eſſet, &c. Secundò, per peccatũ omnia inuerſa eſſe : neque id minùs fœdum, quàm ſi membra ſurſum deorſum eſſent locata. Tertiò, quòd ſi homo viuere iam velit ſecundùm rationẽ, id eſt, vt homo (quod eius vnicum eſt & ſummum bonum) non vt beſtia, mortificatione vti debere: multò magis ſi Chriſtianè, ſi Religioſè: neq; in ſæculum relabi. Aduerte itaque, per mortificationem hominem *Per peccatum corrupta natura eſt.*

reſtitui

reſtitui ſtatui primæuo, cùm per eam rationi pareat, legibus & Deo: & contrà, fugiendo eam, ægrum manere ac inſtar bruti, &c. proinde eam diligenter quærere, & amplecti conſtitue. *Aſpira*, vt ſuprà pag. 8. *Haccine firmâ fide*, ibid. *Mortificatione inſtauratur.*

PVNCTVM II. Conſidera Primò, mortificationem, voluntatem, intellectum, aliaſque potentias facere ſanas, integras, perfectas; ita vt rationi pareant, & vetus homo crucifixus in ſeruitutem redigatur. Secundò, quòd viator nemo poſſit perfectè deſiderio cæleſtium bonorum inflammari, niſi diligens ſit in reprimendis cupiditatibus corporis, etiam licitis & neceſſariis. Tertiò, quod tota iudicio ſapientium, philoſophia, ſapientia & felicitas hominis in mortificatione poſita ſit: nã homo immortificatus ſemper plenus eſt pœnitentiâ, ſemper vt mare, aut velut in cibro, vt ait Macarius, agitatur: mortificatus verò in pace ſummâ eſt, atque cæleſti vitâ fruitur, humanis rebus ſuperior: neque proſperis, neque aduerſis frangitur. Quartò, conſidera Sanctorum ſolatia, quietem, etiam in magnâ auſteritate, & perpetuâ mortificatione. Quintò, conſidera quæ paſſiones te magis fatigent, quibus faciliùs valeas corrumpi, & proponas examine particulari eas tollere. *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7. *Tota ſapientia in mortificatione.*

PVNCTVM III. Conſidera quàm gratum ſit Deo mortificationis ſacrificium; ideò namque Dominus IESVS, etiamſi glorioſus eſſet, coërcuit gloriam, quæ ex animâ in corpus redundaſſet, idque vt tolerare pro nobis acerbiſſima tormenta & mortem poſſet; cui proinde humani generis tribuitur redemptio. Secundò, B. Mater illius, & Ioannes Baptiſta, atque Apoſtoli plurimis aduerſitatibus exerciti fuerunt; quorum vnus ſic loquitur: Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & colaphis cædimur. Martyres verò quo amore & ardore patienti tyrannos vrſerunt, vt ſeſe quibus poſſent modis affligerent? Tertiò, omnibus Sanctis Dominus hunc ſpiritum mortificationis etiam in minimis *Chriſti Ieſu & Sanctorum exemplum.* *1. Cor. 4.*

inſpiraui, vt patet in B. Aloyſio & aliis: adeò vt Deo ſit gratius negligere florem, condimentum, cibum, aquam, vti Dauid, Deoque offerre, quàm mortuum ſuſcitare. *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7.

2. *Reg.* 23.

PVNCTVM IV. Conſidera, quàm glorioſum nobis ſit per hoc exercitium imitari Chriſtum Dominum tanta paſſum toto vitæ ſuæ tempore: gloria enim magna eſt ſequi Dominum, & præceptum eius eſt; Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Neque vllum certius ſignum eſt amicitię cum Chriſto IESV, quàm crucem cum eo ferre, qui eſt Rex noſter, & Dominus, ac caput noſtrum. Sic Dauide nudis pedibus egrediente, nullus equum conſcendere voluit. Vrias noluit diuertere in domum ſuã, cùm Ioab & arca eſſent ſub pellibus: & quomodo Chriſtianum non pudebit ſub cruce militare, & eam horrere? ducem ac caput habere ſpinoſum, & ſe eſſe delicatum?

Eccli. 23. *Matth.* 16 *Gloria noſtra mortificatio eſt.* 2. *Reg.* 15. *Matth.* 16 3. *Reg.* 21. *Greg. hom.* 34. *in Euang.*

PVNCTVM V. Conſidera mortificationem eſſe ſatiſfactionem pro peccatis. Sic Achab, Dauidem, alioſque Domino ſatisfeciſſe Scriptura commemorat. Hinc Gregorius: Cogitandum ſummopere eſt, vt qui ſe illicita meminit quæſiſſe, quibuſdam etiam licitis ſtudeat abſtinere, quatenus per hoc conditiori ſatisfaciat. Sic B. Magdalena, & omnes pœnitentes fecerunt. Sciebant enim Deum omne peccatum punire vel hîc, vel in futuro; niſi nos ipſi puniamus. atque ita, vt in Niniuitis monſtratũ, per mortificationem tum à malis huius vitæ, tum futuræ liberamur.

Greg. *Luc.* 7. *Ionæ* 4.

Exercitium pro ſpiritu mortificationis impetrando.

QVis mihi tribuat, benigniſſime IESV, *vt ſequar te, & veſtigia pedũ tuorum? Video te in laboribus à iuuentute tua, & vulpes habere foueas, & volucres cæli nidos, te autem, Domine mi, nõ habere vbi caput reclines: & quorſũ hæc, niſi vt doceas me exemplo tuo, carnis delicias nõ amare, ſed mortificare*

Pſal. 87. Matth. 8. Coloſſ. 3.

ficare membra mea quæ ſunt ſuper terram? Et quem non inuitabit amor tui, & ſuauiſſima illa vox, Exemplū dedi vobis, vt, quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis? O ſuauitatē! ô gratiam! ô amoris vim! Tu ſummus omnium, imus factus es omnium: quis hoc fecit? amor dignitatis neſcius, dignatione diues, affectu potens, ſuaſu efficax. quid violentius? triumphat de Deo amor; & me ſuperare non poterit? amorem mei non poterit extinguere amor Dei mei? Ioan. 13. Bern. ſup. Cant. ſer. 64.

Scio quòd qui non odit patrem & matrē, inſuper & animam ſuam, non poteſt tuus eſſe diſcipulus. Si igitur te ſequi volo, ecce odiſſe me debeo, & perdere animam meam, vt inueniam eam. Et quid eſt odiſſe me propter te, niſi amare te? quid eſt perdere me, niſi te inuenire, id eſt omne bonum? ſi abnegauero vanitatem, dabis veritatem; ſi ſtultitiā repulero, ſapientiam; ſi mundi & hominum fallacem fauorem, tuam gratiā, vt diuinæ fiam conſors naturæ; & maximè quoties ad me venire dignaris, & paſcere me, & quieſcere in me; ſi mundi flores reſpuero, regni tui ſempiterni hæres ero; ſi delicias, gaudio quòd nec oculus vidit, neq; auris audiuit, neq; in cor hominis aſcendit, fruar in te. Da vt guſtare illud nunc incipiam, & deſipiant mihi omnia, quæ tu non es, da vt in te pane Angelorū omne delectamentum inueniam, & ſic deteſter omne creatum ſolatium ex corde, ita inueniam te omne bonum. Luc. 14. Applicatio ad Communionem.

O quàm dulcis eſt fructus, quē de Cruce tuâ & imitatione colligere nos iubes? Aſcendam igitur in montē myrrhæ & in collē thuris, & præ amore tuo faciam, vt manus meæ diſtillent myrrham primā: cupio enim tuus eſſe ex toto corde meo. Qui autē tui ſunt, carnem ſuā crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentijs ſuis. Crucifige igitur, Domine, carnē, circūcide præputiū cordis mei, vt in numero filiorum tuorū eſſe poſſim. Tu, Domine IESV, *Saluatoris nomē ſuſcipere noluiſti niſi circūciſus: ego ſalutis recipere non poſſum, niſi ſignaculo iuſtitiæ, fidei, & imitationis tuæ, verâ mortificatione à filijs ſæculi ſeparatus. Da mihi, quæſo, gratiā, Deus meus, vt pro te alligari & mori paratus ſim; & gaudere, ſi quādo dignus fuero pro nomine tuo contumeliam pati. Da ſemper circumferre mortifi-* Cant. 4. Gal. 5. Mortificatio facit filiū Dei. 2. Cor. 4.

cationem tuã, ô JESV, *in corpore meo; ſi enim complantatus factus fuero ſimilitudine mortis tuæ, ſpero quòd miſericordiâ tuâ ſimilis etiam reſurgam in gloriâ per gratiã tuã. Amen.*

Praxis mortificationis.

Conſecra Deo mortificationes certas.

PRIMA, præter eas quas ſuprà habes, erit, certo numero, v.g. quinariò ad honorem vulnerum Chriſti, mortificationes offerre, præſertim in materiâ illâ, de quâ examẽ particulare inſtituitur, neque ceſſare quoaduſque illud præſtiteris. Quemadmodum enim Dauid amore Michol, donec centum capita Philiſtinorum collegiſſet, quibus ei deſponſa fuerat à Saule, nõ ceſſauit eos perſequi; ita, vt anima noſtra diuino amore digna ſit, de paſſionibus, amore noſtri, cæteriſque hoſtibus aliquot victorias referre debemus.

Vni tuas Chriſti meritis.

Secunda eſt, omnes illas cum Chriſti paſſionibus vnire, & ſic diuinæ Maieſtati offerre, velut in compenſationem, & vt membra capiti noſtro, duci milites, ac filij parenti ſimus conformes.

Tertia, catalogum occaſionum mortificationis colligere vtile eſt iis, qui Chriſti crucem in corpore ſuo ſemper & ſtigmata eius cupiunt circumferre.

Certa corã Deo, & curiâ cœleſti.

Quarta, cogitet in difficili pugnâ theatrum eſſe mundũ, & coram Deo, vt generoſus miles ardua habeat in votis, & glorioſum putet commiſſum ſe potiùs cum forti armato, quàm imbelli lixa.

Creatura venenum. *Prou.* 23.

Quinta, ſæpè cogitet creaturam vinũ eſſe, pincernã qui propinet dæmonem, in fundo cyathi colubrum, & fontem malorum omnium, iuxta illud Sapientis, ne intuearis vinũ, cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. *Dignatus es*, vt ſupr. pag. 10.

JACVLATORIÆ

Pſal. 30. *VIriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.*

Pſal. 49. *Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua; omnes qui in circuitu eius adfertis munera.*

Pſal. 2. *Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ iuſtâ.*

Pſal. 43. *Propter te mortificamur totâ die, facti ſumus ſicut oues occiſionis.*

Prou. 16. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium.*

CAPVT XIX.

De Paſſionibus edomandis.

QVemadmodum in parte ſuperiori animæ omnis mali fons eſt voluntas & amor proprius, ac iudicium proprium; ita in inferiore paſſionum, quę alioquin indifferentes ſunt, immortificatio. Motus autem animi dicuntur paſſiones, eò quòd appetitus ſenſitiuus commotus imaginatione alicuius boni, vel mali, impreſſionem ſeu immutationem in corpore faciat. Duplex eſt autem ille appetitus, concupiſcibilis & iraſcibilis. Concupiſcibilis, qui circa bonum vel malum abſolutè verſatur, has ſex paſſiones habet. Amorem boni repræſentati, ex quo deſiderium ſi non adſit; & gaudium, ſi pręſens ſit, promanat: ſi malum ſeſe menti offerat, mox odium illius; inde fuga, ſi abſens ſit; poſt dolor, ſi pręſens, exoritur. Iraſcibilis verſatur circa bonum & malum, quatenus ardua ſunt: cuius paſſiones ſunt quinque. Spes de bono arduo: audacia contra malũ, quod ſuperatu difficile: deſperatio de bono, quod acquiri nequit: timor à malo, quod vinci non poteſt, vti & ira. Paſſiones iſtę pro obiecto habent ea, quæ ſenſibus percipiuntur; bona inquam mundi huius, quæ aut vtilitate, aut gloriâ aut voluptate continentur. Si quis igitur affectum à temporalibus ad æterna transferat, paſſionum ſuarum dominium nanciſcetur; hæ ſiquidem ab illo omnes commouentur. Qui enim non amat temporalia, non deſiderat, non diffluit gaudio, ſi affluant: rurſus, ſi contraria accidant, id eſt mala, ea non odit, ſed, vt Chriſti ſeruus, crucem amat, vt verè vtilem, ſalutarem, glorioſam ac iucundam: non fugit, ſed ſequitur; non triſtatur immodicè, ſed cum Apoſtolo in cruce Domini gloriatur, per quam ipſi mundus crucifixus eſt, & ipſe mundo. Similiter ſpem ſuam cùm in bono æterno totam collocârit, bona mundi huius aſpernatur: malum arduum vitat quidẽ, quatenus ratio dictat, non tamen audacia perturbatur: nihil deſperat, aut ti-

Quid paſſio.

Vbi inuenatur.

Sex paſſiones appetitus concupiſcibilis.

Quinque paſſiones appetitus iraſcibilis.

Quæ paſſionum obiecta

Quæ remedia.

Galat. 6.

met, quia nihil concupiſcit. Vides remedium omnium paſſionum, eſſe proprij amoris ac creaturæ euacuationem, quã amor Dei conſequitur? Fac igitur ante omnia, vt temperatus in te omnino ſit omnium huius mundi bonorum amor: idq; fiet ſi æterna cogites, & hæc fluxa eſſe multis permixta doloribus, ac fieri nõ poſſe, vt quis hîc illis fruatur, & poſtmodom æternis. vnde dictũ Epuloni: Fili, recordare quia recepiſti bona in vitâ tuâ. Difficile id quidem, maximè in initio, ſed Chriſti exẽplo carnem crucifigere oportet, ſenſuumque voluptates ſpe cæleſtium abnegare: ipſoq; vſu mortificatio ita dulceſcet, vt non mors, ſed vita eſſe credatur. Obſerua quod dictum eſt, amorem temporalium, ſeu voluptatis aut commodi alicuius, cauſam eſſe perturbationum: trahit enim vnumquemque ſua voluptas, atque vti in ſaporibus & cibis, eorumque guſtu euenit; ita in aliis, varij variis oblectantur.

Amor mundi eiiciendus ex animo.

Lucæ 16.

Curioſitatis mala.

Curioſitas autẽ inprimis refrænãda in viſu, auditu, &c. vt Guilielmus Pariſiẽſis rectè docet. quãtu enim eius ſit violentia, patet in omnibus, ſeu triſtibus ſeu alijs ſpectaculis, quibus quantum homo ineſcetur, docet Alipius apud D. Auguſtinum: etenim cùm ſemel in theatro ſpectaſſet, poſtea vix auerti potuit. Beatus verò Hugo Lincolnienſis Epiſcopus totos annos quinquaginta mulierem non âſpexit: nec S. Franciſcus vllam de vultu nôrat. Quòd ſi metuebant viri ſancti induti loricam fidei, galeam ſalutis, & omnem armaturam Dei, quid nos pumiliones inermes, de quibus toties hoſtis triumphauit, formidare nõ debeamus? Sic & auditus coërcẽdus à fabulis, inutilibus, nouis; ſic odoratus, cæterique ſenſus ſancto ſui odio, & Chriſti amore mortificandi. Neque tantùm in magnis, ſed etiam paruis; quid enim magnũ à turpis rei aſpectu abſtinere? ſed à licitis & paruis ſe continere plurimum eſt. Sic Dauid hauſtum è ciſternâ Bethlehem aquam effudit, & Deo ſacrauit; qui enim in modico fidelis non eſt, & ſe ſuperare nequit, neque etiam

1. Theſſal. 5.

Mortificatio in paruis laudata

2. Reg. 23.

Lucæ 16.

iā in maiori id poterit. Anima autē ſic mortificata, velut pluma ſicca, cęlū petit; aliàs madida terreno vapore deorſum tendit. Fitque demum animæ, in hâc ablactatione, conuiuium grande, vti fecit olim Abraham in filij ablactatione, id eſt ſpirituali mortificatione. Non enim inuenitur Deus in terra ſuauiter viuentium. Vt verò ea quæ dicta ſunt altiùs imprimantur, meditationes de his ſubnexas vide. *Aſpira*, vt ſuprà pag. 8. *Haccine firmâ, &c.* *Geneſ. 21.*

Meditatio prior de paßionibus edomandis.

COMPOSITIO LOCI. Statue te coram Deo, & imaginare velut te circumdari canibus; vel belluas plurimas in corpore tuo pugnantes, & æternam perniciem minitantes.

ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, hominem à Deo ſic creatum eſſe, & donatum omnibus ſuis membris, potentiis & paſſionibus, vt ad Dei gloriam, & ex eius voluntate, omnibus iis (quia omnia illius ſunt) vtatur, niſi æternùm, non in illo ſolùm membro, &c. ſed toto corpore malit cruciari. itaque præteritam vitam, quando exhibuiſti membra tua ſeruire iniquitati, deteſtare, & te omniaq; Deo offer. Conſidera Secundò, ſolas has paſſiones ferè æternæ damnationis cauſam, & omnium eſſe peccatorum fontem, ſi malè domitæ ſint; imò etiam morborum corporis, & malorum temporalium. pauci enim bonis & manſuetis ſunt infeſti. Tertiò, vide quas perturbationes faciant, nimirum omnes eaſque maximas, vt patet diſcurrenti per ſingulas; ita vt ſicut corpori morbos, & mortem humorum adfert perturbatio, ita animæ paſſionum. Quare te ad eas edomandas excita, quantum tibi vita & ſalus ſempiterna curæ & cordi eſt. *Haccine vera, &c.* vt ſuprà pag. 7. *Paßionum violentia omnium morborum cauſa.*

PVNCTVM II. Conſidera Primò, quàm ſuauis ſit pax & quies in eius animâ, qui illas domitas habet; vt patet in Adamo. nihil hic timet, ſperat; perpetuâ animæ, &

ſæpè corporis ſuauitate,quiete, ſerenitate fruitur; quem tanti ſapientes omnes fecerunt, vt omnia,etiam Ethnici, præ hâc contempſerint; quam tanti omnes mortales, vt omni ſtudio ad eam contendant. Quorſum enim mortales implere ventrem, cupiditatem, ambitionis deſideria explere, curioſis opplere rebus intellectum exoptant, niſi vt dicere poſſint animæ ſuæ: Quieſce hîc? Sed fruſtra; cùm ſaturari anima his nequeat:& quamuis omnia poſſideret, nullius tamen certam ac diuturnam ſcit eſſe poſſeſſionem, vſum, aut fructum, tantumq́ue proinde in humano pectore timoris, quantus fluxæ rei eſt amor atque cupiditas. Secundò, conſidera quòd nullus tam ſit dirus hoſtis, tortor crudelis, qui te cruciare ita aſſiduè poſſit, atque hæ paſſiones, cùm intrinſecæ ſint, perpetuæ atque peruigiles: immò nihil ferè nocere poteſt tibi dæmon, niſi harum velut miniſterio vtatur.

Omnes quietē animi vbique quærunt.

Tertiò conſidera,hominem ad hoc creatum,vt omnibus creatis dominetur, & ſubter eum ſit appetitus eius; per has verò paſſiones, cuiuis illum rei etiam viliſſimæ ſubiici,ſi videlicet ei non ſecundū voluntatem Dei afficiatur.vnde talis quaſi amens Deum ſępè, & animæ pacem,æternam gloriam,& omne bonum abiicit, vt illam conſequatur;& ſi petatur,cur ita inſaniat, ſe ſponte cruciet?reipsâ ait,Aliter res iſta quàm cupio, agere me non permittit, illi pareo,aliter non poſſum: conſequi illam debeo. Perſæpè autem viliſſima ea res eſt,à qua ſi prohibeatur aut vi,aut lege,aut mandato, manus tradit hoſti, murmurationi ſe ſubſternit, ac bonorum omnium ſuorum oblitus,miſeram trahit vitam; fortunatiſſimus, ſi voluiſſet,futurus.O infeliciſſimum & abiectiſſimū, qui tot tortoribus ſe dedit in rei viliſſimæ gratiam, & gloriam æternam perdit! quamuis autem non ſemper damnetur, tamen gloriam quam haberet, ſi in eo ſe viciſſet, perdit æternam. *Aſpira.* vt ſ.p. 8. *Hæccine firma fide.* ibid.

Dæmon paſſionibus noſtris nos oppugnat. Geneſ.4.

PVNCTVM III. Conſidera Primò creaturas omnes, & vide

& vide quomodo ſi vni per amorem adhæreſcas, mox deſideria, ſpes, timores, feruor, zelus, audacia, ira, ſi quis obſiſtat, in te impetum faciant; & rurſus odium contrarij, triſtitia cum deſperatione boni. quòd ſi habeatur bonum optatum, amor, zelus, extaſis, vnio, inhæſio. nam priùs amatur res aliqua, quæ amorem ſui quaſi formam imprimit amanti, velut ignis alij calorem. hunc ſequitur deſiderium, cum ardore & feruore & languore, ſi frui optatis non liceat; dehinc ſpes, timor ac deſperatio, ne bonum conſequatur, interueniunt; item ira & zelus & audacia, ſi quis obſtet; & rurſus odium, fuga mali, & triſtitia ex carentiâ boni. ſi autem conſequatur, naſcitur delectatio valdè trahens, feruor, languor, extaſis quâ eſt amans in re amatâ, liquefactio cordis, vt bonum ſubintret, viua inhæſio & zelus, timor perdendi, ſpes & deſperatio retinendi, odium, fuga & triſtitia de malo contratio. & ſic perpetuò agitatur paſſionibus ſex concupiſcibilis, quæ ſunt amor, deſiderium, gaudium, item odium, fuga, triſtitia; & rurſum iraſcibilis, quæ quinque numerantur, nempe ſpes, deſperatio, timor, audacia, ira. Cùm igitur quæuis res, etiam viliſſima, tot te modis agitare poſſit, abnega omnem creaturæ inordinatum affectum, & in vno Deo omnem amorem colloca, fonte omnium bonorum. *Domine Ieſu Chriſte*, vt inf. pag. 324.

Quanta perturbatio ex amore res creatæ.

Amor omnis in deū conuertendus.

Meditatio poſterior de iiſdem.

COMPOSITIO LOCI, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, Deum vt ſummum bonum & omnis boni fontem, vbique tibi adeſſe, vbiq; operari, in quo ſit ſumma quies tua, & vide an res vlla ab eo te abſtrahere poſſit, quam optes habere aut iam habes, & retinere; an verò cū Apoſtolo dicere queas: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Vt verò cognoſcas cui rei afficiaris, vide quid ſæpiùs verſes animo tuo, eaque quā ſit vilis, amara, turpis, fugax, agnoſce. Secundò, quomodo non ſatiet, ſed irritet magis & torqueat, attende.

Deus vbiq; adeſt.

Creatura non ſatiat.

Rom. 8.

Tertiò,

Tertiò, quàm turpe illi ſe ſubdere, & ob eam ſic velle agitari. Quartò, quòd, ſicut nemo ab orbe condito in vllâ re hactenus quieuit, neque vnquam quieſcere in creaturâ vllâ potuit, ita etiam tu non poſſis in iſtâ, quodque certè neque in morte voles hanc ita dilexiſſe, neque in iudicio *Aſpira*, vt ſup. pag. 7. *Haccine firmâ fide, &c.* ibidem.

Dæmon amore creaturæ nos vincit. Quintò, quomodo dæmon velut aranea ſedeat in omnibus creaturis, vt ſagittet amore earum rectos corde, vt patet in Euâ parente noſtrâ à ſerpente delusâ. Cogita verò te primò à dæmone, poſtea ab omnibus ſupradictis paſſionibus, deſideriis, ſpebus, deſperationibus, auerſionibus, timoribus, irâ, antequam habeas, & poſtquam habueris, agitandum; ſi dæmon vllius rei amore te vulnerauerit, & ſimilem ſibi effecerit, Similes enim, ait Propheta, illis fiant qui faciunt ea. *Pſal.* 113. Neque refert parua, an magna res ſit. multi enim pereunt & opprimuntur arenâ, vt ait Gregorius, qui grandia vitarunt. *Gregor.* Sextò, conſidera quid ab iſta re tibi deſideres; voluptatem? atqui nónne animus paſſionibus perturbatus verè eam non guſtabit, ſicut ægro cibi non ſapiunt? & ecce meliorem in Deo ad manum habes ac paratam. Cur eâ non frueris ſine noxâ? *Nota.* *Credo tibi*, vt ſuprà pag. 7.

Beneficia Dei attende. PVNCTVM II. Conſidera Primò, quo modo Deus fons omnis boni, in te hactenus continuò miſericordiæ ſuæ riuos per beneficia innumera ſiuerit & ſinat fluere: itaque in eo omnes paſſiones merge, ſit ille timor tuus, vt Jacob aiebat, ſit ille ſpes tua, cùm ſolus iuuare poſſit: ſit amor tuus & deſiderium cùm ſit omne bonum? nihil oderis, niſi quod ei repugnat, qui omnia continet, & ſolus bonus eſt: cùm neque quidquam nocere poſſit, ſine eo; neque quidquam te extra eum beare. *Stultitia filiorum ſæculi.* Conſidera Secundò, quid ſit quòd hæc tu & plerique omnino homines non apprehendant. Faſcinatio oculorum & intellectus, & inſania maxima: cùm enim pacem & quietem in creatis habere nequeas, & nihil hîc

per-

perfectè, vel diu habere poſſis, quæ dementia te nolle habere, viliſſimis rebus abnegatis, omnia, id eſt, Deum poſſidere per amorem, hîc & in æternum! Tertiò, etſi habere poſſes, & frui omnibus creatis aliquamdiu; tamen ſi pacem quæras, nónne omnino aliquando ea abnegare oporteret? Cùm enim omnibus creaturarum deſideriis id ſolùm agatur, vt animus quietus ſit, idq; fieri omnino nequeat; tum quia extrema gaudij ſemper luctus occupat; tum quòd vnâ re habitâ, creſcat alterius deſiderium, vt in hydropico; tum quòd innumeræ ſint creaturæ, & fruſtraneus idcirco omnino labor; abnegare omnia, etiam ſeipſum neceſſe eſt, vt tranquillitas & pax animi inueniatur: ſi tamen ea tibi, vti omnibus propoſita eſt. Accedit, quòd dum habetur, vnà cum poſſeſſione eiuſdem timor naſcitur, eoque maior, quo res carior. quare igitur omnibus abnegatis, per compendium pacem nō quæris cum Deo & in illo? Cur non erubeſcis, aut detrectas fœdam ac turpem mendicitatem à creatis cum opprobrio & moleſtiâ ſummâ exercere? *Aſpira,* vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ, &c.* ibid.

Abnegatio neceſſaria.

Pvnctvm III. Conſidera quæ opus ſint ad paſſiones animi tui ſuperandas, id eſt, hoſtes tuos crudeliſſimos. Primò, certè neceſſarius eſt generoſus animus, qui iſtis rebus terrenis & vanis ſubdi nolit. Secundò, ſenſuum cuſtodia diligentiſſima; per hos enim, vt portas hoſtes intrant, qui longè facilius repelluntur, quàm expelluntur. Tertiò, cogitare Deum, omne bonum, ſibi adeſſe, & in eum omnes affectus conuertere. Quartò, vanitatem & vilitatem rerum omnium aſſiduè expendere. Vide deinde quorſum in Baptiſmo mundo renunciaueris; certè vt ſæcularia fugeres, non tam corpore quàm deſiderio, firmaque voluntate ſeruiendo Domino, omnibus diebus vitæ tuæ. *Dignatus es,* vt ſup. pag. 10. vel *Domine* Jesv, vt inf. pag. 324.

Remedia paſſionum.

Medi-

Meditatio prima de Odio ſui.

COMPOSITIO LOCI erit, cogitare teterrimam vo-raginem, velut puteum abyſſi, omnia mala eructantem, talis nempe eſt amor ſui.

ORATIO, vt ſuprà.

Luc. 14. PVNCTVM I. Conſidera Primò illa verba: Qui non odit patrem & matrem, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Secundò, quomodo is qui aliquem odit, erga eum afficiatur, & quòd ita etiam qui ſe odit, erga ſe affectus ſit. nam in malis illatis ſibi gaudet, & inferentes amat, vti contra hoſtem ſuum conſpirantes: alios ſibi blandos, vt hoſtem fouentes, non magnopere amplectitur. Tertiò, vide quàm innumera deſideria amor hic gignat in te, & quàm ampla ſit ſeges odium hoc exercendi, ac deteſtare hunc amorem tui, dicens cum Seneca: Maior ſum, & ad maiora genitus, quàm vt mancipium ſim mei corporis. His te excita, ô viator, & aſpera amplectere, eoſque qui ea tibi offerunt; & contrà ſuauia aſpernare. *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Amandi qui nos exercent.

Senec. ep. 66.

Amor ſui.

PVNCTVM II. Conſidera Primò omnia peccata, & per conſequens omnia mala mundi, naſci ex ſui amore. Nemo enim honoris ambitione, aut luxuriâ peccat, niſi quia commodum ſuum amat: vnde qui perfectum odium ſui habet, liber eſt ab omnibus peccatis. Secundò, attende & appende, ô Chriſtiane, eundem amorem tui Chriſtum tuum crucifixiſſe. Nónne verè Apoſtolus dixit, peccator ſibimetipſi filium Dei crucifigit? quare odio tui ſatisfac Deo, & Chriſto IESV pro te ex infinitâ charitate crucifixo. Nónne ſatis eſt ſemel eum pro te mortuum, vt ei viuas, & beatus ſis? Tertiò conſidera amorem ſui, velut teterrimam lepram, & diaboli characterem; odium verò ſui Chriſti diſcipuli notam, vt in Sanctis, eorumque geſtis apparet. *Credo tibi*, vt ſuprà pag. 7.

Origo malorum.

PVN-

PVNCTVM III. Conſidera, cui iraſci ſoleant homines; ſcilicet hoſti capitali: talis eſt voluntas tua, & amor tui. Eſt enim proditor venenũ propinans, ſuperbiſſimus & truculentiſſimus miſerorum oppreſſor, bellorum omniũ in animâ tuâ & ſeditionis auctor, ſpoliator bonorum, Dei & animæ interfector. hæc omnia amori ſui tribuere quiuis poteſt, ac ſic eum deteſtari.

COLLOQVIVM cum Chriſto crucifixo, qui nos ſic dilexit, vt à planta pedis vſque ad verticem non eſſet in eo ſanitas. *Domine Ieſu Chriſte*, vt inf. pag. 324. *Iſaiæ* 1.

Meditatio II. de Odio ſui.

COMPOSITIO LOCI, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Chriſtum IESVM, conculcatum ab impiis in domo Caiphæ, quamque hoc longè peius faciat amor ſui; & quàm indignum, viliſſimum mancipium, id eſt carnẽ, Deum, Regem regum peſſumdare; & tu eum amas, & non ſuccuris? tu hæc vides, & aut rides, aut non lacrymaris? Secundò, tuum hoſtem crudeliſſimum eſſe carnem, & quàm turpe, eam velle pro amico, qui ſanguinem ſuum nobis dedit, diligere; inſidiatorem admittere, Dominum excludere; viliſſimæ rei, vtpote vermi fœtido, carni tuæ, plus honoris & fauoris tribuere, quàm ſummæ Maieſtati. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firma*, &c. ibid. *Amor ſui Chriſtum poſſumdat.*

PVNCTVM II. Conſidera, Regem ſapientiſſimum Chriſtum IESVM, qui cùm poſſit alijs mille modis ſaluare mancipium; tamen ad oſtendendam immenſam charitatem, voluiſſe pro mancipio, & quidem ſibi iniurio, mori, & omnia quæ homo pati poteſt, tolerare, vitam humilem & pauperem agere. Túne hæc credis, & intelligis? Secundò conſidera, mancipium illud contrà quærere vbique ſua commoda, vt poſſit Regi & Patri inſultare. Tertiò, etiam filios ex Rege conceptos id eſt pia deſideria, in gratiam hoſtis adulteri trucidare.

Quartò

Quartò, amantiſſimum tui Regem quaſi abs te opem poſcere, ad vlciſcendum hoſtem ſuum, & tuum; te verò, non tantùm eam non præſtare, ſed hoſtem fouere, in deliciis habere, cum eo Regis tui cædem (crucifigit enim ſibi Deum, vt dixi, peccator) tractare. hæc omnia amori tui, ac ſenſualitati applica, & deteſtare, ac vehementi amore complectere Deum omne bonum tuum: *Domine* IESV, vt inf. pag. 324.

Heb. 6.

O quàm turpe ſpiritū ſeruire carni!

PVNCTVM III. Conſidera Primò, te conſtare animâ pretioſiſſimâ, & corpore viliſſimo. Secundò, quàm turpe ſaccum vermium, corpus inquam tuum, quod eſt velut brutum, dominari animæ tuæ: & quanta ſtultitia, pro æterna animæ ruinâ, hoſtem momento recreare, & corpus ſimul cum animâ, perdere in gehennæ ardoribus perpetuò cruciandum! *Hæccine vera, &c.* vt ſup. p. 7.

COLLOQVIVM, vt ſuprà.

Meditatio III. de odio ſui.

Amor ſui dæmone peior.

COMPOSITIO LOCI, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, quot dæmones nobis inſidientur, quæque mala hominibus paſſim inferant. Secundò, nullum tamen adeò potentem & infenſum quàm amorem tui, neque quidquam tibi in mundo magis nocere. Tertiò, omnes alios vinci, ſi amorem tui viceris. Deteſtare eum igitur, & recreationes, voluptatis illecebras, carniſque blanditias, ac ſimul attende quàm bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde. *Credo tibi,* &c. vt ſuprà pag. 7.

Animæ voluptas propria quærenda.

PVNCTVM II. Conſidera Primò, breuiſſimam eſſe ſenſuum voluptatem, & quanto diuturnior & potior ea, quâ anima de Deo & virtute percipere poteſt: præſertim cùm anima tantopere afficiatur eâ recreatione, quæ iumenti ſui eſt. Secundò, attende impoſſibile vtrâque frui; hîc ventrem, & ibi implere mentem. Tertiò, etiamſi omnia concedas, tamen tantum irritamentum

fore,

fore non ſatiandos appetitus, ſed plura petituros; & quæ dementia hoſti tribuere, vt plura tribuas,& ſeruitutem indies duriorem ſibi facere? *Haccine vera*, vt ſ.p.7.

Quartò, quòd ſi voluptatem hanc momentaneã reiicias, ęternam te habiturum,& in pręſenti etiam ex rectè facto maiorem, quàm ex voluptate iucunditatem.

PVNCTVM III. Conſidera Primò, quàm cæcus ſit carnis affectus, quàm turpis, & quanto cum diſcrimine quis ſe cæcæ & furioſæ carni mancipet, eius ductum ſequatur, cùm lumen rationis homo habeat. Secundò, expende carnem, & eius amorem omni virtuti repugnare, cùm ea ardua ſit, ac radix illius, vt vulgò dicitur, amara; illa verò ſemper commoda ſectetur. Tertiò, conſidera quantum in amore Dei creſcere cupias, tantum in hoc decreſcendum; nec poſſe vtrumque in animâ conſiſtere. Quartò, conſidera quomodo Chriſtus IESVS carnem ſuam odio habuerit, & expende hæc verba: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: & videbis adeò neceſſarium eſſe odium ſui, vt Religioſi ac verè pij nomen non mereatur, qui non imitetur. Vide iam an dicere poſſis, Chriſto confixus ſum cruci; & excita te ad amorem Domini tui.

Carnis affectus cæcus:

Matth.16.

Galat.2.

Domine IESV, vt infrà pag.324.

Meditatio prior de Curioſitate, inſigni progreſſus in viâ Domini impedimento.

COMPOSITIO LOCI erit conſiderare animam noſtram velut arcem, habentem portas quinque, quibus plurimi hoſtes inſidientur.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, qui actus curioſitatis ſint ex S.Bonauentura. Curioſus, ait, non curanda curat, neceſſaria negligit, & ſui oblitus aliena conſiderat, notat & explorat: ſi quod inſonuerit verbum, anhelat ſollicitus ad ſciendum, & honeſtate poſtpoſita id

Bonav. ſpe. diſcipl. c.5.
Signa curioſitatis.

ab inuitis, & celare forſan volentibus inuerecundè requirit; locis ſibi non conceſſis, congregationi, & collocutionibus Fratrum ſe ingerit non vocatus; cùm eum abeſſe putaueris, adeſt impudens lateri, adeſt auri, vt nec ſecretum valeas occultare ſermonem: obſeruat angulos, vagis circumſpicit oculis, hæret ad ſingula quæ occurrunt, communes obſidet tranſitus, ſuperuenientium & forenſium gaudet occurſu; rumoribus & ſæcularibus verbis hauriendis & referendis intendit; res ſibi non deputatas curioſè reuoluere non quieſcit. Secundò, quàm turpia hæc ſint attende.

DOMINE JESV CHRISTE, vt inf. pag. 324.

PVNCTVM II. Conſidera ſigna domitæ curioſitatis eſſe, nec domi nec foris oculos inconſideratè conijcere, niſi vel ob neceſſitatem, vel honeſtam recreationem (numquam tamen in mulieres figendus eſt aſpectus) aliena non explorare, ex obiectis piam aliquam conſiderationem capere. Secundò, finge te Chriſtum Dominum, vel beatam Virginem videre per omnia cõtinentem: & vide quàm illis moribus diſſimilis ſis, & ad imitandum te accende.

Credo tibi, &c. vt ſup. pag. 7.

Senſus cur dati à Deo

PVNCTVM III. Conſidera Primò, hanc vitam, & ſenſus datos, vt Deum cognoſcamus, & ea conquiramus quæ nobis neceſſaria ſunt ad ſalutem; vnde colligendum, quantum erret qui animam affectibus fœdis, & noxiis imaginibus rerum deturpat. Secundò, conſidera hoſtes nullâ ratione ingredi in nos poſſe, ſeu arcem animæ noſtræ, niſi per curioſitatem ſenſus noſtri indebitè pateant. Tertiò, quòd, ſicuti facile eſt, contra hoſtes extrà poſitos ſeſe tueri, ita ſenſibus cuſtoditis omnia intus fore ſecura. Quartò, breuiſſimum eſt tempus vitæ noſtræ. Vnde ſeriis & vtilibus quibus cælum comparetur danda opera; & quàm turpe malle de nominibus diſputare, noua inquirere, videre velle, &c. quàm animam inferno eripere, & ſe noſſe. *Haccine vera*, vt ſu. p. 7.

Temporis habenda ratio.

Medi-

Meditatio poſterior de eadem.

COMPOSITIO LOCI, & ORATIO, vt ſuprà. *Fructus curioſitatis.*

PVNCTVM I. Conſidera Primò, quid ex omnibus curioſis hactenus viſis vel auditis habeas. Secundò, quid haberes ſi longè plura & omnia noſſes, ſi te ignores & Deum ac viam ad illum. Tertiò, attende perfectè nihil ab hominibus percipi poſſe, ſed omnia velut per tranſennam videri. vnde nullius animalculi naturam omnino capimus. Quartò, cogita inquietudinem ſummam curioſi, pericula & moleſtiam:& contrà quietem eius qui in Deo vno omnia habet, & ſtudet curioſitati coërcendæ. Audi Sapientem: Propoſui in animo meo quærere & inueſtigare ſapienter omnia, quæ fiunt ſub ſole. hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum, vt occupentur in eâ: & agnoui quòd in his quoque eſſet labor & afflictio ſpiritus, eò quòd in multâ ſapientiâ multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & laborem. *Eccl. 1.*

Aſpira, vt ſup. p. 8. *Hæccine firma*, &c. ibid.

PVNCTVM II. Conſidera Primò, quàm ſtultum, te aliena friuola curare, dum de vitâ tuâ agitur, eaque ſempiternâ. Credis & intelligis, & ſapis? Secundò, eum ſapientiſſimum in cælo fore, qui cùm S. Benedicto ſapienter indoctus fuerit, rerum, ſcilicet, curioſarum. Conſidera Tertiò, omnem delectationem, quam ex creatis haurire potes, in Deo pleniſſimè te reperire, & puriſſimè. Quartò, fruſtrà te conari ſatiare animam inſaturabilem viſis & auditis, cùm nec ſatietur oculus viſu, nec auris auditu. Quintò, conſidera vt curioſitatem Bethſamitarum Dominus punierit morte, in omnibus qui arcam adſpexerant. Sextò, in Paradiſo Euam curioſitate tentatam ac victam, nos in hoc miſeriarum pelagus deturbaſſe. *Aliena ſtultè curat curioſus, ſua negligit.* *1. Reg. 6.*

Hæccine vera, vt ſup pag. 7.

PVNCTVM III. Conſidera Primò, fruſtrà aliquem *Sēſus mortificandi.*

conari ad contemplationem aſcendere, niſi refrænet ſenſus
Cant.6. ſuos, ideoque dictum ſponſæ: Auerte oculos tuos: illi
enim me auolare fecerunt, & quantum id damnum ſit,
Prou.25. attende. Secundò, numquam curioſè perfectionis Dei,
Ratio mãdati nõ eſt inquirenda eiuſque iudicia & facta ſcrutanda. Scrutator enim maieſtatis opprimetur à gloriâ: nunquam, vt in fide fit, rationes quærendas eſſe præcepti, vt propter eas operemur. Dæmonis hæc eſt vox & inueſtigatio: Quare præcipit vobis? At verò ſilet Abraham, nihil inquirit, nec quò eat, cùm abire iuſſus è terrâ ſuâ; nec de filij ſtirpe, cùm eum
Iſai.2. ſacrificare iuberetur; neque Iſaias, cùm nudus incedere; nec Jeremias, cùm catenis grauatus; nec Ezechiel, cùm vt in latus incumberet, mandatum accepiſſet.

COLLOQVIVM fiat ad Deum, in quo omnes Sancti omnia vident, cum affectu magno amoris & abnegationis omnis affectus erga res curioſas.

EXERCITIVM.

DOMINE JESV CHRISTE, *in quo omnes theſauri ſciẽtiæ & ſapientiæ abſconditi ſunt; vtinã nouerim te, nouerim me, & nouerim voluntatem tuam: illa enim ſola ſcientia ſufficit mihi, quâ in æternum ſapientiſſimus eſſe poſſum, & cognoſcere te, videre te, ac poſſidere in te omnia; eo plura ac perfectiùs, quo minùs me hîc vana curioſitas in diuerſa diſtraxerit: vnum enim eſt neceſſarium, & hæc eſt vita æterna, vt vnũ*
Eccli.3. *te cognoſcamus. Haccine vera ſunt? haccine viuâ fide credo? & quaſi crederẽ, ſic viuo, cogito, loquor, & operor corã te, & in te ſpero, ô ſpes vnica, & te amo, ô infinita bonitas hîc mihi præſentiſſima? Credo, Domine, adiuua incredulitatẽ meã, ſpero in te ſolo, & ſcio, non confundar, vanitas enim vanitatum, & omnia vanitas, & ſicut amore tui ſuper omnia doleo, quòd offenderim te, ita toto corde amo te ſuper omnia. Et an aliquid N. vltra me ſeparare poterit à te, ô* JESV, *ô vita, ô amabiliſſima charitas, ô omne bonum Deus meus, Deus cordis mei & omnia! Quid nũc, anima mea, quæro altiora & fortiora me ſcruta-*

ſcrutari? cur oculos conuertam ad vanitatẽ, & nõ ad te ô IESV, *vnde ſolùm veniet auxiliũ mihi? Sed, eheu! dum per negligentiã terra cordis inculta ſpinas & tribulos germinat, quia in ſeipsâ non inuenit requie, foris cogitur euagari anima noſtra; & dũ à ſui circumſpectionẽ torpeſcit, incuria ſui curioſã in alios facit. Et verò ſpectacula vana & ſcientia, quid corpori præſtant, quidue animæ? Satiari enim nõ poteſt, neq; in vllâ creaturâ quieſcere, ſed in te ſolo, in quo omnia ſũt. O felix anima, cui tu vnus es omnia, & quæ in te videt omnia, & à te accipit, & ad te dirigit omnia Deus cordis mei, & omnia.* Bernad. ſerm. de 7 donis. Idem. ſerm. Cler.

Praxis.

SCRVTARI quiſque debet primò, quo maximè oblectetur, & trahatur, vt mortificationẽ adhibeat. Deinde obſeruare voluptatẽ, vti notum eſt, per ſenſuũ portas ingredi: itaq; ad eas maximè excubandum, vt in limine primo hoſtis repellatur, v.g. offert ſeſe viſui aliquod obiectum delectabile, mox amor, ac deinde concupiſcentia ſeu deſideriũ inardeſcit: & luctâ magnâ opus vt ſuperetur: ſi autem deſiderium ſeu ignis iſte, ſeu ſerpentis caput non admiſſum, ſi inimicus clauſis oſtiis ab acceſſu prohibitus fuiſſet; in pace anima permanſiſſet: ſed cùm fieri nequeat, quin in vſu rerum humanarũ; maximè ſi portæ illæ nõ cuſtodiantur, ſubrepat hoſtis; explora illum, an amandus ſit: vide dolonẽ, quo, te, vt Joab Amaſã, perimere cupit, aſpice ſub veſte, ſub ſpecie creaturæ ſagittantem hoſtẽ. ſic enim moderaberis facilè affectum; neq; ſpecies te decipiet, neque in obiectum laqueum, ſeu muſcipulã trahet: ſed ſi eâ re ſit vtendum, ſeparabis precioſum à vili, aculeum, ſiue quod noxiũ eſt, à melle: quodq; tibi non libet ſolùm, ſed etiã licet ex creaturâ vſurpabis. Magnum verò diſcrimẽ inter iuſtum & impium in eiuſdẽ rei vſu: ille temperatè atq; inuitè eâ vtitur, & æterna habet in deſiderio: hic fertur vt equus & mulus abſq; intellectu, æternaque ſunt illi in faſtidio.

Explora quo delecteris, & cuſtodi portas ſenſuũ.

Hoſtis latet ſub creaturâ.

Vſus rerum varius.

Poſtquã ergo ſic quis reſtitit amori inordinato creaturæ, ſuoq; euaſit etiam periculo cautior; reuocare licet & iuuat illud in memoriã, ſibiq; repræſentare, ac rurſum generosè repellere id quod malum eſt. Et quanquã hæc pugna cogitationum vtilis ſit, quâ quis ſe diſponit ac parat ad futura, animo ſuo corã Deo repræſentando præterita; quòd ex actibus his naſcatur virtutis habitus; longè tamen vtilius in occaſione ſeſe exercere, v.g. quando ſe offert vel quæritur,

Mortificationis quærenda occaſio.

occaſio iniuriæ,contemptus,inediæ,incommoditatis, mortificandi guſtus,cupiditatis &c.Neq; illud quod dictũ eſt de cogitatione reuocãda,valet in re carnali,aut graui odio, aut ſimili affectu vehementi : in illis ſiquidẽ victoria fuga eſt,ſeu auertere cogitationẽ & omnẽ illius admonitionem.

Meditatio vtilis. Praxis alia mortificationis paſſionũ hæc eſt.Primò,meditatione frequenti animum à voluptate & ſenſuum oblectamentis,tanquã iis quæ infra hominis dignitatem ſunt,alienum reddere.Huc ſpectant meditationes de vitiis capitalibus.

Oratio crebra. Secundò,habere conſiderationes certas in promptu , & exempla,quibus ſe,vna cum prece,in occaſione ſuſtentet, animumque lapſantem ac nutantem roboret & confirmet.

Affectum ſuſpendere. Tertiò occaſione ſe offerente ſuſpẽdere primò affectũ, ſeu pedem aut manum,ne ſtatim iniiciatur,& explorare an bonũ,an vtile quod offertur.Quis prudens in tenebris manum aut pedem temerè ponet, vbi ſpinæ, vbi ſordes , vbi contagionis multa pericula?

Quartò , implorato Dei auxilio ex eius amore & odio noſtri,contrarios actus virtutis facere:ſi verò res neceſſaria ſit,aut vtilis, bona intentione eam admittere , non ſola voluptate.

Quintò,reuocare poſt victoriam cogitationẽ præteritã, & luſtrare vnde periculum & lapſus;ac prudenter aliquoties coram Deo & curia eius(vt dixi.) refutare; vnã occaſionẽ,vel plures quærere, & aliquo numero Domino conſecrare,ac ſic capitibus Philiſthinorum[id eſt,mortificationis actibus]amorem Dei promereri.

Dignatus es,vt ſup.pag.10.

CAPVT XX.

Deliberatio de mediocritate tenendâ , auxilio primo in viâ Dei.

ANIMA. O Sapientia æterna, ô via, veritas & vita, JESV Chriſte , dirige greſſus meos in ſemitis tuis, & errantem ouem reduc ad ouile tuum. Ecce velut in biuio hæreo ; illinc ſeſe aperit ad honores via ; hinc ad tutam & quietam vitam ſemita : illuc mundus & amici,aut protrudunt aut prouocant , huc mea me felicitas & exemplum tuum inuitat , & verò , aſpirante gratiâ tuâ , ſequendum eſſe mihi propono. Nónne enim ſerui

tui ſumus & filij ?atque idcirco æquum, vt hoc tantùm ſpectemus quid in tuâ familiâ, id eſt Eccleſia, à nobis fieri velis, quia tua voluntas ſola ſancta, beneplacens & perfecta. Tu ſiquidem pro munere, ad quod vocas, ſolus potes largiri vires & gratiam; eamq́ue tum largiri ſoles, quando quis non ſumit ſibi honorem, ſed à te, ſi quando vocatur tanquã Aaron, eum ſuſcipit. Hæc enim vna beatitudo noſtra ex voluntate tuâ viuere, & operari. Quis enim homo eſt, qui ſciat viam ſuam, quam tenere debeat? Neſcit, neſcit homo finem ſuum, neſcit viam in quâ ambulet. Ergo doce me facere voluntatem tuã, & vias tuas edoce me, & gratiam largire, vt ſequar, & perſeuerem vſque in finem, & ſaluus fiam. *Rom. 12. Deus dat gratiam ſecundùm munus. Eccleſ. 9. Pſal. 142.*

CHRISTVS. Verumtamen conſiderare te oportet, & cùm ſignatum ſit ſuper te lumen vultus mei, rationis trutinâ expendere, quam viam eligas: ſic enim accedes ad me, & illuminabere; ſic aſcendes ad montem Domini tui, & docebo te vias meas, & ambulare diſces in ſemitis meis. Attende verò primò, quid ſit honor & dignitas, fama & nominis celebritas, ob quam multi, Ethnici potiſſimùm, vitam etiam libenter prodegerunt; certè nihil aliud, quàm teſtimonium excellentiæ, quod quibuſdam cærimoniis externis exhibetur, ſicut laus verbis. quæ autem excellentia eſt vera niſi virtutis? *Ratio audienda & homini. Quid honor. Quid laus.*

Aſpira, vt ſup. p. 8. *Hæccine firma*, ibid.

HOMO. Nulla alia, quin & ea ſola nobilitas, etiam Ethnicis, & ſolæ veræ opes: nam opes per ſe non eſſe honore dignas, neque nobilitatem, patet: ſicut nec haſtæ, nec arma ſunt honor militis; ſed obiectum ſunt & inſtrumentum. ſi autem miles neque haſtam ferre, neque vibrare, niſi in ſuum & cognatum ſanguinẽ nequit, dedecori illi eſt potiùs & damno; honori verò ſi iis benè vti nouerit & vtatur. *Quæ vera nobilitas.*

CHRISTVS. Idem vides de omnibus bonis externis dicendum. quis enim perduellem, improbum, diuitem

ſeu nobilem non iudicat honore indignum? illis igitur neque honor verus opibus aut ſplendore, neque famulorum, etiamſi bonorum, agmine paratur. Imò verò non magis his tales illuſtrantur, quàm ſi gemma in ſe malè colorata inter alias pulcras, aut inter pulcerrimas aues noctua collocetur, aut inter opulentos & ſplendidos pannoſus: hæc enim omnia æſtimanda ſunt, non prout oculis patent hominum, ſed vt oculis meis, quibus omnia patent.

Externa nō reddunt hominem meliorem.

HOMO. Video perſpicuè: quæ rei alicui, aut homini non inſunt, eum meliorem reddere non poſſe, neque venuſtiorem; ſed verâ ſapientiâ (quâ viri in omni republicâ illuſtres euasêre) verâ pietate, iuſtitiâ, fortitudine, honoris contemptu, honor meritò paratur: ab illis etiam ſuos Ethnici celebrârunt Scipiones, Alexandros, Catones, Cæſares. Qualiter verò tu æſtimes, qui pauperes dicis beatos, & perſecutionem patientibus regnum tribuis, & contemptibilia mundi eligis vt confundas fortia, & cùm in formâ Dei eſſes, temetipſum eximaniſti formam ſerui accipiens: Tu, inquam, æterna ſapientia & verbo & exemplo nos miſeros & cæcos mortales docuiſti.

Nota benè.

CHRISTVS. Vides igitur, honorem, dignitatem, non eſſe niſi vanam alterius imperiti æſtimatoris æſtimationem, quam an habeas, ſcire nunquam poſſis, quamque indies millies, ſi velit, alter deponere poſſit. Dixi imperiti æſtimatoris: nam prudentior homini nihil tribuit, ſed mihi cuius ſunt bona omnia: dignitates verò per ſe deſpicit, etſi tamen iure meritoque omnem poteſtatem in aliis veneretur, maximè ſi virtutum illi videat coniunctam.

Vanitas honoris mundani.

HOMO. Si verò ea deſit, cùm virtuti honor deferatur, cærimonia illa illuſio potiùs eſſe videtur, perinde ac ſi nigro dicatur quòd ſit albus, & claudus rectus prædicetur. Sæpè autem fit (quæ maxima calamitas eſt) vt virtus parto honore deperdatur; cùm honores mu-

tent

tent mores, vt dici ſolet, ſed raró in meliores, vt in Saulé, Salomone, & omnibus ferè Regibus Juda apparet: atque adeò bonis hiſce ferè mali gaudent, iiſque potiuntur. Exiſtimo ſanctâ tuâ prouidentiâ id fieri ne moveantur pedes iuſtorum dum pacem & gloriam peccatorum vident; de quibus Propheta tuus dixit: Exiſtimabam vt cognoſcerem hoc, & labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium tuum, & intelligam in nouiſſimis eorum. *Aſpira*, vt ſup. *Haccine firmâ, &c.* pag. 8.

Christvs. Sanè, ſi homines dignitatum onera expenderent, non facilè eas alicui inuiderent; quid enim illi qui iis honorantur, aut onerantur potiùs, præſtare non debent? ſanè id quod dux militi, præire ſcilicet virtute, & robore, ſæpè protegere, fortè etiam alere, vt paſtor, imò & animam pro ouibus exponere. Nónne enim periculo paſtoris oues pereunt & rapiuntur? Adde ingratitudines, murmurationes, æmulationes, eoque maiores, quò ſæpè magis integrè munus geritur, ita vt millena beneficia etiam à parente collata, vno negato omnia obliterentur. Sollicitudines vide, quibus etiam ſe grauari meus Apoſtolus aiebat, & neminem ſcandalizari, quin etiam vreretur; neminem infirmari, quin etiam infirmaretur. Jam conſidera, ſuaderéſne alteri vt ad honores hos graderetur? Nónne diceres dementiam, honoris, id eſt incertiſſimæ rei, cauſâ, ſe aliis mancipare, obnoxium facere vt omnibus iis ſatiſfiat; cùm tamen impoſſibile ſit, vnum aliquem omnibus, aut per omnia vel vni ſatisfacere? Nónne ergo egregia tibi inſipientia videtur, cùm poſſit homo quietus & tranquillus vitam agere, tempeſtati ſe committere? clauum etiam ſuſcipere imperitum in tempeſtuoſo mari, & gratis pro omnium capitibus vadem ſe ſtatuere, cum ſecurus in naui ludere poſſit? Quis in acie attolli ſupra omnes vult, vt ab hoſtibus appetatur? Quis pro aliis (quod omnes in dignitate, quique aliorum curam gerunt, patres familias, aliique faciunt) ſpondere,

Dignitatũ onera.

Incommoda.

2. Cor. 11.

Nemo placere poteſt omnibus.

Pericula ambitionis & vanitas

Nota ſimile.

re, qui ipſe ſoluendo non ſit? alterius ſarcinam ferre, qui ſuam nequit? me Deum ſuum pro aliis placare velle, cùm pro ſe non poſſit? alium ignotâ ſibi viâ ducere, & quæ ignorat ſæpè docere? alium è luto extrahere, cui ipſe non rarò altiùs inhæreat? *Haccine vera*, vt ſup.p.7.

HOMO. Hæc video omnia omni dignitati communia, ſeu ſæculari ſeu Eccleſiaſticæ, huic tamen magìs: ideoque longè ampliùs ab eo qui te Dominum timet, fugiendam eſſe. O dementiam! ô inſaniam mortalium, hæc ſcire, & palpare, & non ſapere!

CHRISTVS. Porrò ſi in horâ mortis jam te eſſe fingas, & hæc enarrata conſideres; nónne obſtupeſces, poſſe fieri, vt aliquis ad dignitates & honores adſpiret, niſi

Qui honores ambiendi. ſit inſipiens? Et ſi in iudicio te ſtatuas, quem ſenſum horum habiturus es? ibi veri honores humilibus decer-

Math.19 nentur, & qui reliquerunt omnia, ſedebunt ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël: de quibus Bernardus ſeruus meus dixit: Hæ ſedes ſunt ambiendæ, hæc pulpita toto conatu exquirenda; at humana ambitio humi tantùm locatas ſedes quærit, in cælo

In iudicio nō quid, ſed qualiter geſtum ſit attenditur. conſtitutas non nouit. Infelix ambitio quæ magna ambire non nouit! O quàm perſpicuè toti orbi tum vanitas ambitioſorum, & honorum etiam non ambitioſè quæſitorum apparebit; neque petetur in illo theatro, quis quid geſſerit muneris, ſed qualiter geſſerit quod ſibi impoſitum fuerat: ibi pauper & inglorius honorabitur à me, ſuperbus & opulentus deſpicietur, & eiula-

Sap.5. bit dicens: Ecce hi ſunt, quos habuimus in deriſum, ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei. Et verò ſi honores quærendi, cur non potiùs momentaneum contemnendo, æternos amplecteris & certos?

Credo tibi, vt ſup.pag.7.

Honores breues huius vitæ. HOMO. O quoties hîc honores adepti, vix eos adſpexerunt, & perierunt! ſpreuerunt alij, & æternos à te nacti fuerunt! Sic narratur de viro religioſo, qui cognouit ſe damnandum grauiter fuiſſe, ſi Epiſcopatum ſuſcepiſſet,

cepiſſet, & te audio dicentem: Potentes potenter tormenta patientur. Quanto potiùs eſſet, nomen ſcriptum eſſe in vitæ libro, in faſtis æternis, quàm in mundo hoc, mortis theatro, perituris mox vocibus reſonare? Quid verò eſt, quòd Sancti omnes tam ſollicitè refugerunt honores, adeoq; etiam mori petierunt potiùs quàm ſuſciperent? Aut illi errarunt, aut ego ſi ſecùs facio. *Sap.6.*

Credo tibi &c. vt ſup. pag. 7.

Christvs. Expendebant illud, rapinam eſſe, Deo ſoli honorem & gloriam debitam ambire; atque altè illud imbiberant: Qui hominibus placent, confuſi ſunt, Deus ſpreuit eos. *Honores ambire rapina.* *Pſal.52.*

Homo. Imò tuus Chryſoſt. Mirum, ait, ſi aliquis rectorum poteſt ſaluari, etiamſi neceſſitate compulſus officium ſuſceperit, vt Saul, vt Aaron: de quo illud: Nemo ſumit ſibi honorem, niſi qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Et verò ſi appetat, eo ipſo videtur indignus dignitate, quo ipſam ambit: inſuper gratiâ tuâ, ô Deus, & auxilio, cùm tamen illo maximè indigeat; tu enim ſuperbis reſiſtis, & humilibus das gratiam. atque ita omnes ſecum periculo ſubditos exponit. *Chryſoſt. ſuper ep. ad Hebræos. c. 13. hom. 34* *Hebr. 5.*

Christvs. Hoc eſt quod metuebant tantoperè Sancti, & amici mei maximè, dum ſe in hoc ſæculo velut exilio, aut carcere, aut pœnitentiæ loco eſſe conſiderabant, ideoque cum timore & tremore ſalutem ſuam operabantur: vbi ambitioſus non ſuam tantummòdo graui periculo, ſed etiam exponit alienam.

Haccine vera, vt ſup. p. 7.

Homo. Imò Ethnici prudentiores, me confundunt, honorum culmina fugientes, & priuatam vitam eligentes, beatum illum appellantes, qui procul negotiis & publico foret. Quot enim caſus, ruinæ, ſtrages magnorum? vt verè ſtare in excelſo diu vix quiſquam poſſe videatur. Pax certè, vt video, ſuauiſſimum bonum animæ noſtræ, nunquam ab ambitioſo, raròetiam ab honoribus pleno poſſidetur; ſerui ſunt omnium, *Pace caret ambitioſus*

omnium-

Vide Greg. 4. Moral. omnium iudicia metuunt, inuidiâ & cupiditate torquentur. Cùm verò omni Chriſtiano ad quietem internam & publicam quoad poteſt, & veram libertatem tendendum ſit, quantum ſtatus permittit; planè *Ambitionis mala.* ambitio maximè deteſtanda, vt video, & fugienda eſt. vnde enim in conſiliis etſi prauis, pertinacia? vnde detractiones, adulationes? ferè omnia ex ambitione naſcuntur, aut honorum, aut vanæ opinionis; & grauiſſimo ſcelere, ſæpè ob punctum, vt dicitur, honoris, reſ-*Bern. 3. de Conſideratione.* publica tota, multorumque ſalus periclitatur, boni impediuntur, fouentur mali, Deique gloria & honor deſpicitur. O ambitio, exclamauit rectè Bernardus, ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? nihil acerbiùs cruciat, nihil moleſtiùs inquinat, nihil tamen apud miſeros mortales maius eſt ac celebrius. *Credo tibi, &c.* vt ſup. pag. 7.

Matth. 11 CHRISTVS. Sed quid magis valet quàm quod ego præbui humilitatis exemplum? Diſcite, dixi, à me, quia mitis ſum & humilis corde. vis tu meus diſcipulus eſſe? *Luc. 11.* ergo audi & ſequere; audi, Væ vobis hypocritæ, qui amatis primas cathedras, & vocari ab hominibus Rabbi.

Gregor. Ambitio apoſtaſia. HOMO. Imò audio ambitionem à ſapientibus etiam apoſtaſiæ ſpeciem vocari, & æſtimari: ſic ſanè tuus Gregorius: Toties in apoſtaſiæ crimen Prælatus labitur, quoties præeſſe delectatur. & rurſus: Quoties hominibus præeſſe deſidero, toties Deum præire affecto: humiliauit enim ſemetipſum Dominus, factus obediens vſque ad mortem: & fierine poteſt, vbi tu Deus te humilias, homo ſe exaltet?

Haccine vera, vt ſup. pag. 7.

CHRISTVS. Si iam commemorem beneficia quæ largior homini, vt humilis ſit & obediens mandatis meis; quid magis æquum, quàm vt me imitetur? quid magis rationi conſonum? ſed, quod indigniſſimum eſt, qui non habet niſi propoſitam ſibi vanitatem, beneficiis

neficiis meis eam accendit, illiſque in odium mei vtitur.

Homo. O vanitas vanitatum! quæruntur, eheu! fruſtrà aquæ iſtæ, neque enim ſitim explent; tu verò ſola ſatietas, tu ſolus ſufficis. vtinam, ô fons vitæ, ſic ſaperent homines, vt potiùs ſitim à te tolli omninò & eſuriem optarent, quàm illius fomenta, id eſt, res deſideratas poſtularent!

Christus. Porrò quàm indignum hominem aliis præeſſe velle, ex hoc diſce: quid ſi enim in aulâ Regis vile mancipium coram eo vellet munia diſtribuere, ſibi potiora deligere, an æquum, an gratum foret? *Turpe ſeruum velle dominari.*

Homo. Tuum certè eſt, ô Sapientia, quæ attingis à fine ad finem fortiter, omnia ſuauiter diſponere. Tuum eſt familiam tuam regere; ſummi architecti, lapides ordinare; per te Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Et quæ impudentia, viliſſimum homuncionem hîc tantum ſibi aſſumere, vel præſumere, vt audeat familiam tuam ordinare? certè aut derogare ſapientiæ tuæ ambitioſum, aut bonitati diſſidere planè video. Tu noſti quos elegeris, & in manu tuâ corda Regum & Principum. Fiet ſemper, & fiat in omnibus ſanctiſſima voluntas tua.

Christus. Nónne & tibi mea in Joſepho prouidentia manifeſta euaſit? attende vt illum è carcere euexi ad regnum, & Dauidem de pòſt fœtantes aſſumpſi? Te itaque mihi committe, & omnem ſollicitudinem proiice in me: neque te deſeram in æternum.

EXERCITIVM.

Non eſt conſilium contra te, Domine, tibi ergo me totum committo, omnemq́; ſollicitudinem in te proiicio, tu ſcis quos elegeris; ſufficit mihi inuenire gratiam in oculis tuis; neq́; quidquã de manu tuâ requiro, ſed iacto in te cogitatum meũ, & cum ſollicitus ſis mei, omnem mei curam in te proiicio. Tu noſti quid expediat gloriæ tuæ, nolo quidquam aliud, quàm Reſignatio.

quàm fieri ſanctiſſimam voluntatem tuam; ſed in vocatione quâ vocatus ſum permanebo, & recumbam in nouiſſimo tecũ loco, donec dixeris mihi: Aſcende ſuperiùs. O vtinam hîc latere poſſim, & fulgere in cælo; hîc eſſe paruus, & ibi magnus? imò etiamſi magnus non forem, nunc melius mihi eſt tecum humilem vitam agere, quàm habitare in tabernaculis peccatorum; melius tibi notum eſſe, quàm vulgo; tibi ſimilẽ, quàm mundo; veſtigia tua ſequi, quàm Luciferum imitari, in humili ſtare, quàm ex alto ruere; tibi aſſimilari, quàm omnem mundi gloriam poſſidere. Peream potiùs, quàm ego ambitione meâ impediam ſana conſilia, excludam fortiores, prudentiores & me meliores, aut iis detraham, aut primas depoſcam.

Pium propoſitum.

Pſal. 115.

Proteſtor corã te, Domine, & curia tuâ cæleſti, ſeruus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ; meliuſq; eſſe noui ſeruire tibi, quã vanitati; perire, quàm peccare in conſpectu tuo. Fiat igitur in omnibus ſanctiſſima voluntas tua, & concede mihi gratiã, vt portare poſſim improperium tuum, & eligere abiectus eſſe in domo tuâ, ncq; vlli velle placere niſi tibi. Ambitio enim ſubtile malum, ſecretũ virus, peſtis occulta, doli artifex, mater hypocriſis, liuoris parens, vitiorum origo, criminum fomes, virtutũ ærugo, tinea ſanctitatis excæcatrix cordiũ, ex remediis morbos creans, generans ex medicina languorẽ. Quantos hæc peſtis nequiter ſupplantatos, turpiter deiecit, vt cæteri quique, quos latuit occultus effoſſor, ſubitò expaueſcerent ad ruinã! quantos trudi fecit in tenebras exteriores, veſte ſpolians nuptiali, & virtutum exercitio, & fructu pietatis euacuans!

Bernard. ſerm 6. ſuper Pſal. Qui habitat.

Gloria certè in confuſione eorũ, qui ſic terrena ſapiunt. Nõ veniat anima mea in conſilium eorũ, quid deſpiciunt conſiliũ tuum, ô Sapientia æterna. In nidulo meo moriar, & aſcendã in palmam, & apprehendam fructus eius. Quæ autem illa, niſi tu arbor vitæ, & vita mea? Inclinaſti enim te à ſummo cælorũ, & inclinas brachia tua, vt amplectar te; & ego, ego miſer, accedã ad cor altũ vt exalteris à me? non permittas dominari mihi ſuperbiam, Domine mi, cui ſeruire toto corde deſidero, & cum ex intimo corde tibi dedicẽ hoc templum cordis, oculi tui ſint die ac nocte aperti ſuper locum iſtum habitationis tuæ,

Applicatio ad Cõmunionẽ.

vel

vel melius viliſſimi hoſpitij tui, quod nõ dedignaris, etſi cæli cœlorũ te nõ capiãt; neq; deſpicis, ô ter maximè Deus, etſi anguſtum; neq; auerſaris etſi per ſuperbiam immundum, tu qui mitis es & humilis corde. Eheu quid magis indignum? quid deteſtandũ ampliùs? quid grauiùs puniendum, quã vt videns te Deum cæli, paruulum factum, vltrà apponat homo magnificare ſe ſuper terram? Intolerabilis impudentia eſt, vt vbi ſeſe exinaniuit maieſtas, vermiculus inſletur & intumeſcat. Bernad. ſerm. 1. de Natal. Domini.

Credo tibi, vt ſup, pag. 7

CAPVT XXI.

Meditatio de Superbiâ.

COMPOSITIO LOCI. Conſidera & imaginare coram te barathrum inferni, omneſque inferorum cruciatus ab vnâ ſuperbiâ eſſe profectos.

ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, ſuperbiam eſſe appetitum inordinatum excellentiæ in temporalibus aut ſpiritualibus, quo quis maiorem ſe facit, & fieri vult quàm re ipsâ ſit: id verò tam ſtolidum, quàm ſi pumilio indignetur, quòd gigas eſſe negetur, aut veſtis huius ſibi non aptetur. Ideoque aptè Chryſoſtomus homil. 59. in Matth. Nihil certè arrogantiâ atque ſuperbiâ peius, quæ mentis quoque vires naturâ hominibus conceſſas ita deiiciat, vt amentes ex prudentiâ ac animo ſtolidos efficere videatur. Nam ſi quis, cùm ſtaturâ cubitum non ſuperat, inſtar montium, imò altiorem ſe putet, ac ideò ſe quaſi montes exceſſurus erigat, nullum aliud argumentum ſuæ inſaniæ quæremus: ſic cùm inflatum videris hominem, qui meliorem ſe cæteris arbitretur, contemnique opinetur, ſi cæteris hominibus conferatur, nullum iam aliud ſignum vecordiæ hominis exquiras: tanto quippe ridiculoſior illis eſt, qui naturâ inſaniunt, quanto ipſe ſibi ſponte hunc morbum iniecit. Et poſt pauca: Certè quaſi vile mancipium & miſerum captiuum diabolus eum abduxit,

Quid ſit ſuperbia.

Chryſoſt. hom 59. in Matth.

Dementia ſuperbi.

Superbus diaboli mancipiũ.

agitat-

agitatq; verberibus, & mille contumeliis quocumque velit. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Haccine firma*, ibid.

Secundò, cogita oriri illam ex ſui ignorantiâ, & verâ ſtultitiâ, vt ex allato exemplo patet. Hinc fit vt multa ſibi deberi falsò exiſtimet, multa licere, atque ita nec legibus paret, neque beneficiis gratitudinem reddit; quia nemini ſe debere exiſtimat, cùm tamen debeat omnibus; imperia excutit, leges ac regulas parui pendit, aliis imperare affectat, imperiosè agit. Conſidera igitur pro remedio qui hæc legis, quid tibi arroges, quid ambias, quid tibi poſt tot peccata deberi exiſtimes. Vt autem id noueris, vide etiam atque etiam quid fueris, quid ſis, & eris.

Cuiuis omnia mala accidere poſſunt.

Tertiò, conſidera, nullum eſſe in mundo malum animi, aut corporis, quod tibi contingere non poſſit; imò, ſi rectè iudices, non debeatur. nónne enim æquum eſt, vt Creatori à te illatam contumeliam omnis vlciſcatur creatura? Admirare igitur Angelos, ac Deum inprimis, te tolerare, quem factis ipſis blaſphemas, & contere-

Contritio.

re Chriſtum etiam Dominum, qui talem abs te moribuſq; tuis ſuſtinet contradictionem, & in ſuâ ſcholâ humilitatis ignauiam, & illiberalitatem, ac cordis duritiem, quòd ipſi pulſanti renuas aperire. Sic ad creaturas cæteras digredere.

Credo tibi, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM II. Conſidera te, vt creaturam, Deo parere debere; vt Chriſtianum, Eccleſiæ; vt ciuem, Reipublicæ: imò, ſi rectè iudicas, omnibus obſtrictus es. nam qui Deo per peccatum eſt iniurius, omni etiam creaturæ conſequenter eſt contumelioſus; vnde ergo gloriari potes? Secundò, cogita talem te verè eſſe, qualem æſtimat Deus. Expende igitur, qualis coram eo ſis, ob opera mala plurima, bona pauca, eaque imperfecta, vt meritò te vlceri comparare poſſis. Tertiò, compara te cum beſtiis quoad corporis qualitates; nónne reperies te iis longè inferiorem? ingenio verò non ſolùm

Vide quaTenus coram Deo ſis.

ſum dæmonibus inferior es, imò etiam peior, ob frequẽtem poſt tot ac talia beneficia recidiuam. Quid ergo futurum, ſi damnatis ob pauciora longè quàm tua ſint crimina, te comparaueris? quid, ſi Ethnicis tam ſedulis in virtutis ſtudio ac dæmonum profundo cultu? *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM III. Conſidera quàm Deo ſit odioſa ſuperbia. Primò, ex Scripturæ teſtimonio, quæ vbique ſuperbos ac oculos ſublimes deteſtatur. Odibilis enim coram Deo eſt & hominibus, & initium omnis peccati ſuperbia: qui hâc infecti ſunt, deſpicit eos Dominus mẽte cordis ſui. Neque tantùm Deo odioſa eſt, ſed omnibus: adeò vt Scriptura dicat melius eſſe humiliari cum mitibus, quàm diuidere ſpolia cum ſuperbis. Certè, vt Auguſt. nulla ferè eſt pagina ſanctorum librorum, in quâ non ſonet quod Deus ſuperbis reſiſtit. *Deo odioſa ſuperbia.* Eccli. 10. *Aug. doct. Chriſt. l.* 3. *cap.* 13.

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

Secundò, conſidera ſupplicia ſuperborum hîc & in futuro. O quàm terribile exemplum Luciferi, Adami, Amani, Nabuchodonoſor, &c. Tertiò conſidera ſeruitutem duram ſuperborum, vitamque angoribus & ſollicitudine plenam, timoribus & ſpebus variè conturbatam, eamque penitus deteſtare. *Credo tibi*, vt ſup. p. 7. *Eſther.* 7. *Dan.* 4.

Quartò, conſidera ob grauiſſimum peccatum ſuperbiæ, iuſto iudicio hominem tradi in ſeruitutem luxuriæ, ac aliorum vitiorum omnium. ſiquidem bonorum ſpoliatrix eſt ſuperbia; atque, vt Gregorius, vitiorum regina ſuperbia; cùm deuictum planè cor ceperit, mox illud ſeptem principalibus vitiis, quaſi quibuſdam ſuis ducibus deuaſtandum tradit; eſtque euidentiſſimum ſignum reproborum, vt humilitas electorum. Conſidera poſtremò ignominiam ſuperbi in die nouiſſimo: iudicium enim duriſſimum his qui præſunt, fiet, exiguo autem conceditur miſericordia, quando potentes potenter tormenta patiuntur. O quàm dura erit ſubſannatio, quâ dæmones ſuperbo inſultabunt, *Baſil. Conſt. mon. c.* 10. *Lib.* 31. *Mor. c.* 17. *Greg. l.* 34. *Mor. c.* 18. *Superbiæ ignominioſæ, ſignumque reprobationis.*

 dicentes.

dicẽtes; Tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus, detracta eſt ad inferos ſuperbia tua! O IESV, p. 343.

Meditatio de Humilitate.

COMPOSITIO LOCI. Imaginare te velut recens ex nihilo creatum, nudum atque inermem, omnibuſque deſtitutum, coram Deo ac curiâ eius, & ante te plurima peccatorum præcipitia, poſt te & vndique plurimos hoſtes impellentes, ſubtus infernum apertum, ſuprà cælum & cæleſtem curiam te ſpectantem.

ORA Dominum, vt tibi veram humilitatem cordis largiatur.

PVNCTVM I. Imaginare te, vt in loci compoſitione iam dictum, & diù inſiſte, & demum aſpira dicens: *Haccine firma fide*, vt ſup. p. 8.

Humilitas quid ſit. Deinde, conſidera humilitatem eſſe virtutem, quâ homo ex ſui cognitione ſibi vileſcit, humilemque verè ſeſe exiſtimat, ex eo quod eſt ex ſe; quid verò illud? vtique nihil: ex nihilo enim homo eſt, & in illud relaberetur, niſi nos ſuſtentaret Dominus, qui portat omnia verbo virtutis ſuæ; imò in longè peius quàm nihilum volueretur, id eſt, peccatum, omnium malorum grauiſſimum. *Galat. 6.* Nunc vide, an ſic te æſtimes; ſi enim aliquid exiſtimes te eſſe, cùm nihil ſis, ipſe te, vt loquitur Apoſtolus, ſeducis. *Homo nihil habet à ſe.* Credis hoc & verè? Secundò, cogita, cùm tu nihil à te, quid ab alio habeas, à Deo, hominibus, cæteriſque creaturis. detrahe illa & ſepara à te aliena, eſſe, tuum viuere, & intelligere; redde ea: & quid ſupererit tibi? nihil ſanè. *1 Pet. 5.* ibi igitur ſiſte, vt te ipſum noueris, & diſcas humiliare te ſub potenti manu Dei. *Humanæ miſeriæ.* Tertiò, conſidera te ipſum vt aliquid es, diem ortus tui, vitam & exitum illius, & cognoſces verè viliſſimum ac miſerrimum eſſe in omni ætate. Quid enim fuiſti? nihil. Age verò, quid nunc es? inſpice corpus, quid niſi ſaccus ſtercorum, ſcaturigo ſordium & vermium? inſpice animam; ſecundùm intellectum, plenam erroribus & multâ igno-

tâ ignorantiâ, vt penè de nullâ re bonâ rectè iudicare poſſit; ſecundùm voluntatem, ad omnia bona ſegnem, ad praua verò plurimùm pronam & inclinatam. Nónne enim omnium peccatorum capitalium in te fomitem habes, ac radicem ſæpiùs pullulantem, & concupiſcibilis paſſiones ardentes experiris? iraſcibilis verò in bono ſegnes? Quid dicam de memoria? eheu! quàm multâ vanitate fœdatur? Quartò, aſpice, quæſo, iterum iterumque mala quæ te circumſtant, vt in Loci compoſitione dictum eſt, præcipitia peccatorum in quæ hodie incidere potes, præterita verò ſicut onus graue grauata ſuper te, dæmones vndique te oppugnantes, infernum ſubtus te hiantem, cælum apertum, ac iudicem exſpectantem. *Haccine vera*, vt ſ. p. 7. *Pericula.*

Quintò, conſidera quid futurus ſis: certè ſecundùm corpus poſt tempus breue, morboſque, & miſerias exhauſtas plurimas, eſca vermium, vſque ad diem nouiſſimum. Subſiſte pauliſper, ô lector, & deſcende in ſepulcrum viuens. Quid tunc proderit ſuperbia, gula, luxuria, &c? Deinde quid ſecundùm animam futurus ſis, nempe poſt errores & longam ſpiritus afflictionem, & peccata, morte mulctaberis, & reus ad Judicem trahetis, ſalutis incertus, eiuſque ſententiâ cremandus, vt minimùm (pauci enim plenè hîc purgantur) in Purgatorii ignibus. Et fieri poteſt vt extollas in altum cornu tuum, ac loquaris aduerſus Deum iniquitatem, tu vapor ad modicum parens, qui hodie es, & cras non comparebis? *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ fide, &c.* ibid. *Quid futurum poſt mortem.* *Pſal. 74.* *Iacob. 4.*

PVNCTVM II. Cogita te ex te nec poſſe, nec ſcire quidquam, ſed Deum omnia operari in omnibus; te verò inſtar pueri, qui nec ſe attollere, tueri, ſtare, nutrire, neque hæc ab alio poſtulare poſſit. Credis hoc & adhuc ſuperbis? & vnde? diſce ab amantiſſimo IESV mitis eſſe, & humilis corde, omnia illi, tibi verò nihil adſcribe. ille enim lux eſt illuminans omnia, tu velut laterna in quâ ſi lumen ponatur, non lucet ipſa, ſed lumen: imò verò *Hominum ignorantia.* *Matth. 11.* *Homo inſtar laternæ.*

verò hoc ipſum obſcurat,quòd arbitrio Domini vbiuis locari poteſt. Diſce ergo eſſe humilis corde, ab humillimo IESV. Huccine redacti ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi in te,Domine mi,vt hoc pro magno diſcamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itáne magnum eſt, eſſe paruum, vt niſi à te qui magnus es fieret,diſci omnino non poſſet? ita planè; non enim aliter inuenitur requies animæ,niſi inquieto timore digeſto,quo magna ſibi erat, quando ſana tibi non erat. *Credo tibi*, vt ſup.p.7.

Aug. de S. virginitate.

Imperfectio hominum.

PVNCTVM III. Conſidera aliarum perfectiones creaturarum, quodque præ cæteris nihil habeas, ſed plurima tibi quæ alij habent deſint, & in multis ab iis ſupereris, etiamſi forſitan in vno ſuperes. Quid igitur in victu,veſtitu, (quem nemo precioſum petit niſi vt videatur)officio,loco tibi conueniat,attende; ne, ſi iam plus tibi tribuas,digniori quid præripias in bonis,in honore, munere, in iudicio confundaris, & iubearis nouiſſimum locum tenere. Inuenies certè,ſi rectè attendas,omnia infima tibi conuenire.

Hæccine vera,&c. vt ſuprà pag.7.

Itaque ſicut rideremus,ſi viliſſimus ruſticus præ Rege ſeſe extolleret,aut ſi quis magnum ſe putaret, quòd in monte ſtaret; ſic nónne meritò ridebere ſi altiora te quæſieris, ſi te propter dona Dei extuleris, Chriſto ſe humiliante & miniſtrante? Gaude igitur,vti Sancti omnes,tui contemptu; fateare eum tibi deberi, aliis honores, priuilegia, omniaque officia: tu de nullo querere, de quo omnis creatura meritò, ſed inprimis Deus grauiſſimè queri poteſt. Et tu ſi te velim æſtimes, nónne foret indignum, ſi talis nolis haberi, dici, tractari? hypocriſis iſta foret & iniquitas; ſi enim alios meliores & ſapientiores iudicas, nónne eos honore præuenire, non contriſtare, non iudicare, ſed de omnibus bene te ſentire ac loqui oportet,& iis optima quæque deferre? tibi deteriora eligere, nulla priuilegia vendicare, numquam

dolere

dolere ſi alius tibi præferatur, de te ſentiat malè.

Credo tibi, &c. vt ſup. pag. 7. O Jesv, vt inf. 343.

Secunda Pars.

Pvnctvm IV. Conſidera multitudinem peccatorum tuorum quæ in contumeliam Domini perpetraſti, & diſce eſſe paruus in oculis tuis. Si oppugnet & eleuet vanitas, horum memoriâ te libra, & recole grauiſſima quæque, ob quæ æterna ſupplicia promeritus es; de quibus etſi fortè reconciliatus, nunquam potes eſſe ſine metu, cùm neſcias amore an odio dignus ſis. *Peccatorũ multitudo* *Eccle. 9.*

Credo tibi, &c. vt ſup. pag. 7.

Secundò conſidera in quanta peccata adhuc cadere poſſis, non eſt enim peccatum quod facit homo, quod non faceret alter homo, niſi creator hominis ruentem in præceps ſuſtentaret. in lubrico enim ſtamus, & præcipiti monte, & eheu! vndique impellimur; at vel maximè pondere noſtro. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7. *Aug. hom. 25. d. 50. homil.*

Tertiò conſidera quòd certus non ſis an vllum Deo gratum opus feceris. quis enim nouit ſenſum Domini? & ecce iuſtitiæ noſtrę ſunt velut pannus menſtruatæ, & cùm omnia fecerimus, ſerui inutiles ſumus. An forſan donis Dei extolleris? audi, quantum creſcunt in te dona, tantum creſcit donorum ratio. Túne eam dignè reddere potes? Quid ais? Quartò, conſidera nihil te poſſe boni præſtare per te, ſed eſſe velut terram proferentem ſpinas, niſi ſemen in te ſit gratiæ Dei; age verò, quoties illud ſuffocaſti, & cùm centeſimum reddere deberes, minimũ tuliſti? Quintò, actiones tuas percurre, & nullam deprehendes, in quâ te arguere non queas, aut non queat ille qui ſcrutatur corda & renes. *Neſcimus an vllum opus Deo gratum.* *Rom. 11.* *Iſaiæ. 64.* *Lucæ 17.*

Aſpira vt ſup. p. 8. *Hæccine firmâ fide*, &c. ibid.

Pvnctvm V. Conſidera tantam eſſe neceſſitatem huius virtutis, vt abſque illâ nulla alia Deo accepta ſit; Niſi enim efficiamini ſicut paruuli, ait Veritas, non intrabitis in regnum cælorum. Fundamentum ſiquidem *Humilitatis neceſſitas.* *Matth. 18*

eſt turris ſpiritualis, & per humilitatem ad ſublimitatem adſcendere oportet; quia hæc eſt via, & non alia præter ipſam: qui aliter vadit, cadit potiùs quàm aſcendit; quia ſola eſt humilitas, quæ exaltat; ſola quæ ducit ad vitam. ita Bernardus. Chryſoſtomus verò ait, Ipſa mater eſt, & radix, & altrix, & fulcimentum, & vinculum bonorum, ſicut ſuperbia malorum; nihil humilitate potentius, fortior eſt petrâ, ſolidior adamante. Quid verò tu ſentis, & reipſe oſtendis te ſentire? Secundò, conſidera humiliantis ſe orationem ſemper exaudiri. Reſpexit, ait Dauid, in orationem humilium, & non ſpreuit precem eorum. Imò ad nullum alium reſpicit, Ad quem enim ait, reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos? Deus autem ſuperbis reſiſtit.

Bern. ſer. 2. de aſcenſ. Domini. *Chryſoſt. hom. 20. in Acta.* *Pſal. 101.* *Iſaiæ 66.* *1. Pet. 5.*

Haccine vera, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM VI. Conſidera te ſtare in theatro vniuerſi, & coram cæleſti curiâ; iam tu decerne, an verè æternùm ab ea, an à verme falsò & ridiculè ad momentum laudari malis. Secundò, conſidera omnem Chriſtianæ vitæ perfectionem in humilitate conſiſtere: hæc eſt hominis ſublimitas, hæc gloria & magnificentia, verè cognoſcere hoc quod magnum eſt, & illi conglutinari, & gloriam à Domino gloriæ quærere: hoc tu credis, & de honore es ſollicitus? Tertiò, attende Chriſti exempla, qui humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, vt tu viueres in æternum. *Credo tibi, &c.* vt ſup. p. 7.

Philip. 2.

Quartò, perpende veritatem huius ſententiæ, Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur; & qui ſe exaltat, humiliabitur. Quintò, percurre exempla Sanctorum qui gloriabantur in cruce Domini: exultabant, quia digni erant pro nomine eius contumeliam pati. Eligebant affligi, ſicut Moyſes, cum populo Dei magis, quàm temporalis regni habere iucunditatem. Poſtremò, conſidera magnum Dominum non niſi ab humilibus honorari, quodque cum ſimplicibus ſit ſermocinatio

Luc. 14. 18 *Actor. 5.* *Hebr. 11.* *Prou. 3.*

eius, nihilque illi eſſe tam amicum, quàm ſi quis ſe minimis annumeret.

EXERCITIVM.

O IESV humillime, Creator & Redemptor mi, nónne ex nihilo creaſti me, & redemiſti me in ſanguine tuo, ac proinde totus tuus ſum ego: memoria, intellectus, voluntas, & omnia tua ſunt opus manuũ tuarum, & quodcumq; his bonum gratiâ tuâ operor, tuũ eſt; ſed mihi hæc data à liberali manu tua, vt iis vtar rationẽ strictã redditurus. Si ergo hæc omnia acceperim, & verè ſim villicus malus, quid gloriari poſſũ, niſi in infirmitatibus meis, aut quomodo aliis me præferre! Eheu! poterónе tibi reſpondere vnum pro mille talentis & gratiis tuis? An de vno peccato velut propitiato poſſum eſſe ſine metu? ſcio me reũ æternæ mortis fuiſſe, ſed de verâ pœnitentiâ ignoro, & num amore an odio dignus ſim. Video etiam innumeras miſerias & caſus ac peccata, in quæ hodie ſic N labi poſſum. nõ eſt enim peccatũ, quod facit homo, quod non faceret alter homo, ſi tu deeſſes Deus meus Ecce velut infans, nec ſtare, nec lapſus ſurgere, nec edere, nec tueri me poſſum in medio hoſtiũ deprehenſus & inter anguſtias plurimas. Verè, Domine, iure ac meritò agnoſcere me debeo ob iſta viliſſimum; ſic de me ſentire, loqui, me tractare, & velle ab aliis cenſeri tractari; illos verò vt meliores ſapientioreſq; habere & exiſtimare. Contemptus ſui. Eccli. 5. Eccleſ. 9.

Sed ecce, Domine, doleo vehementer, quòd cùm talis ſim, tã infirmus, tã miſer, præ me alios vitupero præferri iis me meũq; ſenſum volo, peccata excuſo, celo, æſtimari cupio, ac facta mea laudari, vituperari horreo, de publicis vehementer corã vermibus terræ ſollicitus, de priuatis coram te ſecurus. Nónne ſi ſic egero, meritò erubeſcã corã toto orbe terrarum ſupremo die, & abominabilis tibi ero, deſpectus & contemptus, fur gloriæ tuæ deprehenſus, cum æternâ ignominiâ meâ! O Domine, ecce ego puluis & cinis, quomodo audeo coram te attollere in altũ cornu meum? vnde mihi hæc inſania, vt audeam hominum laudem captare, tuam ſpernere qui me in gehennam hoc momento perdere potes? An ignoro vtra verior, melior ſit? Contritio

Superbia. *& cur, quæſo, ſuperbio, aut quid vmquam ſuperbia mihi profuit, aut gloria vana mundi huius? An meliorem me faciet alterius error aut fucus, ac ſimulatio mea? imò deteriorem facilè, cùm veram æternamque laudem Sirenes iſtæ ſi audiantur, eripiant, & æternum reponant in iudicio vituperium.*

Lucæ 14. *O inſaniam filiorum Adam! curritur, laboratur, ſtudetur, ſuadetur, vt fumus acquiratur, vt à vanitate quis illudatur. Nónne firmâ fide credo, quòd qui ſe exaltat, humiliabitur? Si honorē igitur peto; certè humiliationē flagito & vituperium; nónne ſolus honor is eſt, quē tua bonitas, & Sancti, in quorū conſpectu ſto, habent & habebunt in die illo iudicij? æternus hic, momentaneus ille; verus hic, falſus ille; magnus hic, verè minimus eſt ille; deniq; ad ſalutē hic, ille verò ad interitum, velut venenū melle illitum, propinatum ab hoſte vero, aut hoſtiliter amico. Ergóne venabor vltrà amorem & fauorem hominum, id eſt vermium terræ, de quo numquam certus eſſe queo? quem vt fumum nequeo retinere? Et tuas laudes ſpernam, ob vanitatem illam ſub diaboli regno me conſtituā, & diſcipulus tuus, ô humillime* IESV, *eſſe renuam, & gratiam quam humilibus dare ſoles, & conuerſationem tuam quam ſimplicibus & humilibus nequis negare, aſpernabor?*

Ecce infrà, ſuprà, intra me pericula ſunt; imò anima mea malorum omnium fons & origo, vti corpus eſt morborū, quod vt video de ſordibus natum, ſordibus plenum, in ſordes abibit.
Pſal. 39. *Quò verò anima mea? Tu ſcis* Domine: *multiplicatæ enim ſūt iniquitates meæ ſuper capillos capitis mei, & bona ſi quæ fe-*
Contritio *ci, omnia, vereor, infecit aut amor mei, aut voluntas mea.* Doleo *vehementer, ô infinita bonitas, maximè quia retribui mala pro bonis; quòd pro gratiâ tuâ & donis iniurias repoſui, quoties vanæ gloriæ ſeruus ſui. nihil eſt tibi carius humilitate, nihil acceptius modeſtiâ, nihil peroſius gloriâ & ſtudio homi-*
Tertull. de virg. *nibus placendi. Hæc eſt enim præcipua conſeruatrix, & quaſi cuſtos quædā virtutū omnium, nihilq; eſt, quod nos ita hominibus gratos ac tibi* Deo *meo benigniſſimo faciat, quā ſi vitæ merito magni, humilitate infimi ſimus. Humillime* IESV, *qui humilitatem meam ab ortu vſq; ad mortem tuam docuiſti, qui*

Sama-

Samaritanus & opprobrium hominũ pro me factus, & ad me abyſſum miſeriarum tã amanter quotidie dignaris venire, & me tibi vnire vt mutet in te, & creſcã in te; quia cibus es grãdium. Tu ſic recumbes in nouiſſimo, & ego optabo in ſummo? Tu deſcendere vis ad vilitatẽ meã, & ego recedam à Maieſtate tuá? Non ita Domine mi, nõ ita Redemptor mi, ſed viliſſimus vermis vilior ero poſthac coram te, humilis per gratiam tuã in oculis meis, tu enim deſpicis ſuperbos mente cordis tui, & exaltas humiles amicos tuos. Talis eſſe volo, & gratiâ tuâ opto voluntatem iſtam ſanguine meo ſignare, vt in pace fiat hodie locus tuus in corde meo in æternum. Amen.

Praxis humilitatis exercendæ.

PRIMA erit, aliquando gradus ac ſigna humilitatis, inferiùs ponenda percurrere, & ad ea ſe examinare.

Secunda. Seſe, vt in Meditatione dictũ, conſiderare vndique cinctum periculis: quæ conſideratio admodùm fructuoſa, & vbique in tentatione obuia.

Tertia. Idẽ fieri poterit, conſiderando ſeſe velut puerũ, infantẽ, omnibus expoſitum ærumnis, & nudum præſidiis; aut velut laternã, vt in Meditatione expoſui. Hâc conſideratione in omni vanæ gloriæ occaſione vtendum eſt, & habendus iis qui te laudat quaſi qui aut errore, aut dolo, Deo fruſtrà detrahat quod tibi tribuere velle videtur, & te participẽ ſui ſacrilegij efficere in cõſpectu eius; aut certè qui boni operis æternã tibi gloriã nitatur odio aut ignorantiã eripere, & velut coronã de capite tuo, vt falſam & merè imaginariã reponat, tibiq; miſerrimè imponat atq; illudat. *Modus vanã gloriam ſuperandi.*

Quarta Habere in numerato ſuas imperfectiones, earũque alphabetum, quod percurrat, vbi vanitatum aura blanditur. Quòd enim aduerſus præcipitẽ irã Imperatori cuidã ſuggeſtum, vt alphabetum recenſeret, priuſquã ſententiam ferret; id hîc imitari non erit inutile, idemque vel leuiter aliquoties in die inſpicere. *Habeto alphabetum imperfectionum tuarum.*

Quinta. Confeſſio ſincera & frequẽs optima praxis erit.

Sexta. Cõſiderare ſe vbiq; eſſe velut in theatro, & è cęlo ſpectantẽ Deum ac Beatos; hîc ranunculum aliquẽ coaxare vanitatis. Hoc valebit aduerſus vanã gloriam, animique tumorẽ ex rectè factis aut donis Dei naſcentẽ: queadmodum & illud, quàm ſit indignũ acceptis à Deo beneficiis, eiſdẽ illi contumeliam facere; ſi honorem det, eum inhono- *Nota vanè hominis impietatẽ.*

rare;ſi ſoletur,Spiritū Sanctū contriſtare ; ſi liberalitatem erga nos exerceat, etiam quod illius eſt, nobis vendicare: quid enim aliud ſuperbus agere videtur, quàm accipere à Deo dona, & mox eadem per vanitatem hoſti tribuere in Dei deſpectum,aut eiſdē Deum impetere;exaltari à Deo, & illum deprimere ? ideoq́ue per Iſaiam queritur:*Filios enutriui & exaltaui,illi autem ſpreuerunt me ?*

Eſai.1.

Aſpira,vt ſup.pag.8.*Hæccine firmâ*,ibid.

Modus humiliter loquendi.

1.Cor.15.

Iuuerit etiā non mediocriter,ſi numquam inter loquendū quis ſibi aliquid tribuat, ſed diuinæ bonitati adſcribat, à quà omne donū;fiatq; id quod monet Apoſtolus: ſi quis loquitur,quaſi ſermones Dei:ſi quis miniſtrat,tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus,ideò numquā vſurpet,Ego hoc feci,ſed Dei gratiâ hoc factum eſt:ſic Apoſtolus, *Non ego,ſed gratia Dei mecum.*

Septima. In iis quæ obuia ſunt,obſerua vbiq; humilitatis documēta;quid enim vallis abundans frumento,quid ariditas & ſterilitas in monte,aliud docent quā humilitatē,&c.

Septuplex ruina tibi impendet.

Octaua. Aliquando contemplari ſeptiformem ruinam; Prima eſt,tui ſimilium qui fœdè lapſi ſunt;Secunda,Gentilium;Tertia,infantium ante Baptiſmum;Quarta,deſperantium;Quinta,præſidentium;Sexta,perfectorum; Septima, penè perſeuerantium.*Hæccine vera*,vt ſup.pag.7.

Nona. In aliis aliquas virtutes notare,eaſq́ue ſibi imitādas proponere,nulli ſe anteponere.

Admonitorem habe.

Decima. Admonitorem habere amicum & fidelem, qui non ſeruiat auribus,ſed veritati.

Vndecima. Humilitatis opera ac obedientiæ , exemplo Chriſti Domini exercere. neq; quiſquam eſt tam magnus, quin ſæpè debeat alienæ parere ſeruientium ſibi voluntati; faciet cum fructu,ſi libenter virtutum occaſione vtatur.

Duodecima. Libenter in viâ comitis & ſocij,in negotiis conſilio & voluntati acquieſcere , nunquam de ſe ſuiſq́ue rebus ad oſtentationem loqui.

Homil.22. Modeſtiæ & humilitatis quomodo ſtudendum.

Accipe alias è S.Baſilio homilia de Humilitate.Quónā pacto,inquit,ad ſalutarē hanc animi humilitatē, pernicioſa ſuperbiæ elatione relicta,deſcendemus?ſi perpetuo ſtudium modeſtiæ exerceamus,&c. Vide ne in ſermone arrogantiā vſurpes ſophiſticā,neq; dictionē oſtentes ſuperbā, ſed in omnibus ſplendori ac magnificentiæ detrahas;comis erga amicū,manſuetus erga domeſticū;patiens erga temerarios,humanus erga humiles;patronus afflictis,inuiſens in dolore conſtitutos,in ſumma neminē contemnens : ſuauis in appellatione,alacer in reſponſione, dexter & expoſitus vniuerſis,neq; tua ipſius celebrans encomia,neq; alios qui

hoc

hoc faciant ſubornans, neque inhoneſtã de proximo famã admittens,& virtutes tuas ac prærogatiuas, quantum fieri põteſt,obtegens,peccatorũ verò gratiâ te ipſum accuſans, nec expectans vt ab aliis reprehendare:vt idẽ facias quod iuſtus, qui in principio ſermonis ſe ipſum accuſat, & ſis qualis erat Iob, quem non puduit vrbis tumultuationem, propriam contra ſe deprædicare ruinam. Ne ſis increpando moleſtus ac ſeuerus, neque ſtatim aut cum animi commotione quemquã reprehendas,[reſpicit enim hoc contumaciam quamdã.] Neque propter modica delicta condẽnes aliquem, quaſi rigidus iuris exactor: ſed eos qui deliquerunt complectare,& ſpiritualiter inſtruas,quemadmodum admonet Apoſtolus: conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Et tantum ſtudij impendas,ne apud homines glorioſus habeâre, quantum impendunt alij, vt glorificentur, ſiquidem Chriſti memor fueris. At prælatus es aliis,& homines te glorificant;par eſto ſubiectis,non tanquam dominans in cleris,vt Apoſtolus inquit,neque ſæcularibus Principibus te conformes.qui namq;primus eſſe cupit,omnium hominum ſeruum eſſe iubet Chriſtus. *Nota.*

Aduerte gradus ſuperbiæ, & ad hoc te examina, & ſingulos deteſtare Primus,nolle puniri ob peccatum; Secundus,ferre impatienter punitionem; Tertius, nõ ferre ſi erraſſe dicaris; Quartus,agere vt alij credant te non erraſſe; Quintus,nolle fateri;Sextus,non dolere;Septimus, defendere peccatum. *Gradus ſuperbiæ.*

Gradus ex D. Bernardo. Primus, curioſitas: Secundus, leuitas animi: Tertius,inepta lætitia: Quartus, iactantia: Quintus,ſingularitas:Sextus,arrogantia:Septimus, præſũptio:Octauus,defenſio peccati:Nonus,ſimulata confeſſio: Decimus,rebellio:Vndecimus,libertas peccandi: Duodecimus,conſuetudo peccandi. *Idẽ ex D. Bernard.*

Actvs. Primus, magni pendere ſe:Secundus, ad alta ſe dignum profiteri:Tertius,alta appetere;Quartus, velle ab aliis magni fieri:Quintus,dolere ſi non:Sextus,præferre ſe aliis,& meliorem putare: Septimus,Superioribus non parere:Octauus,nec Deo quidem obedire. Explora an hæc in te ſunt,& deteſtare. *Eiuſdem actus.*

Nota gradus humilitatis.

Primus,cognoſcere vilitatẽ:Secundus,dolere: Tertius, fateri:Quartus,facere vt credant alij: Quintus,pati vt dicant:Sextus,pati vt velut viles tractemur:Septimus,optare vt ſic fiat. Statue te coram Deo, & hos conſcende ſanctis deſideriis. *Humilitatis gradus.*

A.S.Be,

A.S.Benedicto hi aſſignantur.

Idẽ ex D. Benedicto. Primus,timor Domini;Secundus,reſignatio; Tertius,obedientia;Quartus,obedientia etiã in arduis;Quintus,mala & alia aperire Superiori;Sextus, ad omnia ſe indignum æſtimare;Septimus, omnibus ſe inferiorem ex animo exiſtimare;Octauus, communia ſeruare,non eſſe ſingularem; Nonus,tacere donec rogetur;Decimus , non eſſe ad riſum promptũ;Vndecimus,pauca & rationabilia modeſtè loqui; Duodecimus, corde & corpore præ ſe ferre humilitatem. Horum occaſiones attende & propone.

Eiuſdem actus. ACTVS Primus.Vilipenſio ſui ; Secundus,putare ſe ineptum ad omnia;Tertius,nolle æſtimari;Quartus,vilem velle ſe haberi;Quintus,dolere magni fieri;Sextus,aliis ſe cõferendo inferiorẽ reputare; Septimus, reſignare ſe totum; Octauus,ſubiicere ſe hominibus omnibus propter Deum; Nonus,amplecti quod humilius eſt. Vel ſic;Primò , nihil dicere vnde laudẽ conſequatur;Secundò,non gaudere cùm laudatur; Tertiò, non facere quidquam ob reſpectum humanum;Quartò,non ſe excuſare;Quintò, vanas cogitationes procul pellere ; Sextò , omnes ſibi ducere ſuperiores; Septimò , benè accipere humilitatis occaſiones. *Hæccine vera*,vt ſup.pag.7.

Signa humilitatis ex Caſſiano.

Signa. Primò,mortificatum eſſe;Secundò,aperire omnia Superiori ; Tertiò,omnia eius arbitrio facere; Quartò, obedientia in omnibus & manſuetudo;Quintò, non inferre malum,& illatũ pati;Sextò, nihil agere ſine exemplo aut regulâ ; Septimò, omni vilitate contentum eſſe , & inutilem operarium ſe exiſtimare;Octauò, ſe ex corde putare omnibus inferiorem;Nonò,cohibere linguam,& modeſtè loqui;Decimò,non facile ridere.

Alia. Vel hæc.Primò,nolle laudari;Secundò, ſimplicẽ in moribus eſſe;Tertiò,bona de ſe dicta non agnoſcere, aut, ne ea perdat,quia cognita timere;Quartò,minus putare de ſe quàm dicantur; Quintò, in proximo videre quòd plus habeat ſeſe;Sextò,accuſare ſe;non negare;Septimò,non excuſare,& correctionem admittere libenti animo;Octauo, neſcire virtutes ſuas;Nonò,humanâ contemnere;Decimò, pro perſequentibus orare & iis benefacere.

Praxis

Praxis pro ſui cognitione R.P.*Roberti Sotvvelli.*

Quid fui, Domine? quid ſum? & quid ero? fui nihil, nihil ſũ, & ero fortè nihilo peius. Fui cõceptus in originali peccato, ſum plenus peccato actuali, & quis ſcit an ero condẽnatus pœnâ gehennali? fui miſerabilis in ingreſſu, ſũ miſerabilior in progreſſu, miſerrimus ero in egreſſu. fui ſperma fœtidum, ſum ſaccus ſtercorũ, ero eſca vermiũ. Cùm nihil eſſẽ, fui ſine periculo damnationis, & ſine ſpe ſalutis: & iã ſũ in ſpe dubiâ & graui periculo: ero aut ex re ſperatâ felix, aut ex periculi ſucceſſu infeliciſſimus: ſic fui, vt damnari non poſſem; ſic ſum, vt ſaluari vix poſſim; ſic ero, vt in æternũ damnatus, aut in æternum ſaluus. Quid fuerim ſcio, quòd fui peſſimus: quid ſim neſcio, quia de gratiâ incertus: quid ero ignoro, quia de ſalute dubius. Quod fui, Domine, ignoſce; quod ſum, corrige; quod ero, dirige: dirige, inquam à malo præterito, in bono præſenti, ad præmiũ futurum. Amen.

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ fide*, &c. ibid.

IACVLATORIÆ.

Nouerim me, nouerim te; vt amem te, & contemnam me. Aug. l. 2. Soliloq. cap. 1.

Tua eſt, Domine, magnificentia, & gloria, & victoria, tua ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. 1. Part. 29

Quis ſum ego, Domine Deus, & quæ domus patris mei, vt præſtares mihi talia? 2. Reg. 7.

Quid eſt homo, quia magnificas eum, & apponis erga eũ cor tuũ? Iob. 7.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Pſal. 112.

Quid tibi ſum ipſe, vt amari te iubeas à me, &, ni faciam, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? O quàm excelſus es Domine! ſed humiles corde ſunt domus tua. Aug. lib. 1 Conf. c. 5.

Non veniat mihi, Domine, pes ſuperbiæ; ibi enim ceciderunt omnes qui operantur iniquitatem. Pſal. 35.

CAPVT XXII.

Meditatio I. de obedientiâ humilitatis filiâ.

COMPOSITIO LOCI, videre vniuerſum; Chriſtum Dominum, B. Virginem, & Angelos, & creaturas omnes Dei nutui parentes, & tu audes repugnare?

Quàm neceſſaria ſit in omnibus ſubordinatio.

PVNCTVM I. Conſidera, diuinam Maieſtatem, etſi vbique præſens ſit, tamen noluiſſe gubernare hæc inferiora, niſi per ſuperiora, vt patet in cælis, Angelis & hominibus. Conſidera Secundò, ſubordinationem illam adeò neceſſariam, vt, quemadmodum in cæleſtibus orbibus contingit, inferiorem à ſupremo non niſi per immediatum moueri; ita neque homo à Deo eiuſq; voluntate gubernetur, niſi ille cum Superiore ſuo eiuſque voluntate coniunctus ſit. Primus enim orbis, ſiue ſupremus hac in re eſt diuina voluntas, regula omnium bonarum voluntatum: huic proxima illius quam ipſe delegit, Superioris ſcilicet, omnis enim poteſtas à Deo eſt, & à Deo ſingulari curâ gubernatur, cùm per Superiores cómunitas regatur, cuius meritò cura maior eſt Deo quàm ſingulorum. *Hæccine verá*, vt ſup. pag. 7.

Deo maior certè cura communitatis quàm ſingulorũ.

Conſidera Tertiò, omnia creata Deo parere; atque erubeſce eſſe ſolum te rebellem, cui tamen omnia data ſunt à liberaliſſimo Domino, vt pareant tibi, & tu vni viciſſim pareas Deo. Conſidera Quartò, quàm ſit indignum hominem voluntati diuinæ, id eſt Superioris, non parere: ſiquidem talis, vt equus, non fræno, ſed ſeſſori reſiſtit. qui enim poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; atque ideò Scriptura dicit, Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, morte morietur.

Rom. 13.
Deut. 17.

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ*, &c.

Obedientiæ perfectio & dignitas

PVNCTVM II. Conſidera dignitatem & perfectionem obedientiæ. Primò, quia coniungit nos optimè Dei voluntati, vt quaſi errare homo nequeat; quid tibi optatius eſſe poteſt? Secundò, nos totos Deo tradit in holocauſtum, veluti ſi arbor, non fructus tantùm, daretur; quippe executionem, voluntatem & iudicium, quod difficillimum eſt, tradit. vide an talis ſis, ſcilicet vt cadauer, baculus ſenis in manu Superiorum tuorum quiſquis ſis, & quocumque in ſtatu, & vide vt vel coactè hanc expleant milites in omnia pericula omni horâ parati. Tertiò, ſcito quòd obedientia ſola virtus eſt,

quæ

quæ virtutes cæteras (iuxta id quod S. Gregorius) menti inſerit inſertaſque cuſtodit. idque tum quòd omnes actus virtutum iubeantur, tum quòd ipſa humilitatis, patientiæ, fidei & charitatis actus virtute contineat; imò per ipſam vt notam, omnes aliæ virtutes in Sanctis, etiam extaticis probentur. Quartò, conſidera locum illum Scripturæ, Melior eſt obedientia quàm victimæ; & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum. quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare; & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. Victimas Gregorius corporis caſtigationem & deuotionem interpretatur; Et obedientia, inquit, victimis verè præponitur, quia per victimas aliena corpora, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. *Greg. l. 35. Mor. c. 10.* *Obedientia nota veræ ſanctitatis.* *1. Reg. 15.*

Haccine vera vt ſup. pag. 7.

Expende item illa verba Saluatoris noſtri: Qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit. Siue enim Deus, vt Bernardus, ſiue homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obſequendum eſt curâ, pari reuerentiâ deferendum. ideoq; hortatur Apoſtolus: Quodcumque facitis, ex animo operamini, ſicut Domino, & non hominibus. *Luc. 10.* *Bernard. de præcept. & diſp.* *Coloſſ. 3.*

Credo tibi, &c. vt ſuprà pag. 7.

Conſidera Quintò, obedientiâ omnes tentationes & pericula ſuperari; iuxta illud, vir obediens loquetur victorias; operaque inſuper noſtra valdè nobilitari, & meritoria fieri, ac noſtras orationes efficaces. Obediet enim Deus orationibus noſtris, ſi obedientes fuerimus Præpoſitis noſtris. Sextò, obedientia, vt Climachus, eſt abnegatio animæ, corporis proprij voluntaria mors, vita ſine ſollicitudine, nauigatio ſine damno, ſepultura voluntatis, vita humilitatis, & quaſi ſiquis dormiendo iter faciat: ſecurus enim eſt, ſiue faciat, ſiue omittat, quandoquidem Deo ſe tradiderit. *Prou. 21.* *Gregor.* *Gradu. 4.*

Creator meus, vt inf. p. 356.

PVNCTVM III. Conſidera quantæ tenebræ ſint hominum, *Obedientiæ commoda.*

Digitized by Google

minum, quanta cæcitas, quàm incertæ prouidentiæ noſtræ, vt nemo ſciat quid expediat, ideoque verè beneficium eſſe magnum, bonum ducem nanciſci, & potiſſimùm Deum, qui ita intendit nobis, perinde ac ſi ſoli eſſemus, vt verè dicere liceat: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit. Nam vt Deus per Sacramenta ſanctificat, ita per homines homines regit, & per internuntios ſuos ſuam voluntatem indicat: habes non ſolùm tu Religioſe, ſed omnis ſubditus, Arcam Domini Superiores ſuos, quam in omni re interroget. Secundò attendo nullam artem ſine magiſtro facilè addiſci, ita neque artem Deo ſeruiendi. Aduerte autem multo magis vitam ſpiritualem peritum ducem requirere, magnamque eſſe ſtultitiam ſcito, rerum incognitarum facere experimentum tuo periculo, cùm aliter poſſis: ideoque Climachus ait, rudem hac duce perfectionem attingere, ſine eâ peritiſſimum facilè errare. Quartò, conſidera vtilitatem ſinceræ obedientiæ: ſi quis enim ſincerus & obediens ſit, ſtatim etiam grauiſſimas tentationes, potiſſimùm carnis, euaneſcere ſentiet, atque per eam ſanari. Quintò, quanto amore & obſeruantiâ Superiores colendi, cùm ſint patres noſtri, vicarii Dei, rationem reddituri pro animabus noſtris. Obedite, ait Apoſtolus, præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri; vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.

Auguſt. l.5. Conf. c.11. *Pſal.22.* *Exod.25.* *Grad 4.* *Obedientia tentationes vincit.* *Hebr.13.*

Haccine vera, vt ſup. pag. 7. vel *Creator meus*, vt infrà p. 356.

Meditatio II. De Obedientia.

COMPOSITIO LOCI. Conſidera, Deum omnia creantem, & ſuæ voluntatis exequendæ dantem præceptum.

Obedientia.

PVNCTVM I. Conſidera, ô viator, Dei voluntatem ſequi-

ſequi vt regulam perfectiſſimam, eſſe beatitudinem noſtram; imò eſſe beatius quàm eſſe matrem Dei, vt B. Auguſt. vnde Dominus, cùm mulier illa dixiſſet, Beatus venter, qui te portauit; ait, Quin imò beati qui audiunt verbum Dei,& cuſtodiunt illud. Secundò, Chriſtum aſpice promptiſſimè veniſſe vt faceret voluntatem Patris ſui; factum obedientem vſque ad mortem, non ſolùm Deo Patri, matrique ſuæ, ſed & hominibus impiis, Auguſto ſcilicet, imò immanibus etiam tortoribus, & tu negas ipſi & Superioribus parere? Ita verò eam dilexit, vt diceret cibum ſuum eſſe facere voluntatem Patris. Vide an Domino IESV ſimilis ſis, itaque auide atque ſi cibum quæras, in omnibus optes fieri Dei ac Superioris voluntatem. Tertiò, conſidera hæc verba, Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei, ipſe meus frater & ſoror & mater eſt. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Hactine firmâ.*

Luc.11.

Ioan.4.

Matth.12.

Quartò, conſidera vt B. Virgo filium ſit imitata, vt Apoſtoli, quos omnes Dominus per Bethaniam, id eſt domum obedientiæ, ad montem Oliueti duxit, cùm aſcenſurus eſſet in cælum. Eſt enim obedientia perfectiſſima dependentia à prouidentia diuina, quam per Superiores experimur. Quintò, attende veri obedientis eſſe, non ſpectare quis ſit Superior, an doctus, an indoctus, quandoquidem ipſa Sapientia æterna nos regat. Sextò, eiuſdem eſſe id omne velle,& optimum id iudicare quod ſtatuit Superior, ſicut fit in rebus fidei, quaſi ipſum mandatum ab ore Domini proficiſceretur. Vnde Hieronymus, Credas tibi ſalutare quidquid Superior præceperit, nec de maiorum ſententiâ iudices; tuum officium eſt obedire, & implere quæ iuſſa ſunt, dicente Moyſe: Audi Iſraël & tace. qui enim propter rationem obedit, ſibi obedit & rationi, non Superiori, neque obediens eſt; quemadmodum qui ob rationem ſolam credit, fidelis eſſe non poteſt. Septimò, incommoda quæ ex huius defectu oriuntur. Primò, homo nititur

Obediens à Deo dependet.

Hier. epiſt. ad Ruſt.

Vide incommoda.

titur propriâ ſuâ prudentiâ, quod ſtultum eſt: via verò ſtulti, vt Sapiens ait, recta eſt in oculis eius; qui autem ſapiens eſt, audit conſilia. Judició certè repugnante nemo obedire diu poteſt; talis enim murmurat, temerè Superiorem iudicat, ſe illi præfert: ideoque obedientia illa non eſt virtus patientiæ, ſed velamentum malitiæ. Accedit Secundò, concordiam perire, pro quâ æquum eſt membrum capiti potiùs, quàm contrà caput membris conſentire. Conſidera, vt aduerſus hæc preces, quamque graue ſit hominem & maximè Religioſum, qui vt baculum & cadauer ſe fore obtulit, & obedientiã pro regulâ vitæ habet, hîc deficere; quantaque ſuperbia ſit vllum hominem ſe in ſuâ re ſapientiorem Deo aut meliorem putare. Si enim ſecùs arbitratur inobediens, cùm ſciat Deum mandare, cur obedientiæ refragatur? *Creator meus*, vt infrà pag. 356.

Prou. 12. *Incommoda propria prudentiæ.* *Bern. ſerm. 3. de circumciſ.* *Inobedientia concordiam tollit.*

PVNCTVM II. Conſidera Primò, quòd obedientia voluntatem propriam lepram peſſimam animæ deſtruat: lepra quippe eſt, facitque vt bona bona non ſint, Deumque oppugnat, ac vniuerſi ordinem à Deo conſtitutum perturbat. Secundò, quòd hæc portam aperiat grauiſſimis tentationibus & perturbationibus: neque vllo certè vitio tam præcipitem diabolus monachum pertrahit ad mortem, quàm ſi ſuo iudicio ſuaſerit definitionique confidere: idem valet in aliis. Obediens verò, propriaque voluntate carens, tranquilliſſimo in portu nauigat. Conſidera Tertiò, quàm ſit graue, maximè ſi vouiſti, non parere, cùm ratio, creatio ac redemptio, vocatio & conſeruatio nos obſtringat. Ideò Baſilius, Quicquid eo (Superiore) neſciente facis, furtum ac ſacrilegium eſt, tibique exitium, nullam autem vtilitatem apportat, eſto, tu id bonum iudices: nam ſi bonum, cur non in aperto? Conſidera Quartò, ſi non obedias, neceſſariò aut carni aut dæmoni parendum eſſe; & vide quàm ſtultum, ſuaue Chriſti iugum cum tam dirâ ſeruitute commutare. *Credo tibi*, vt ſ. p. 7.

Obedientiæ fructus *Bern. voluntas propria lepra eſt.* *Caſſ. coll. Abb. Moyſis.* *Baſil.*

PVN-

Pvnctvm III. Conſidera Primò conditiones obedientiæ,& an eæ in te ſint. Primò,debet eſſe integra,etiam in minimis ; turpe enim pro tantillo detrahere holocauſto. Secundò, prompta, vt ſimus ſicut Angeli veloces & ad nutum parati ; ſiue enim Deus, ſiue homo mandatum aliquod tradiderit,pari profectò obſequendum eſt curâ,pari reuerentiâ deferendum. Tertiò, ſimplex,purè propter Deum,non ob commoditatem. Hinc perfectè obediens nullum in præceptis diſcrimen facit, fortiſque eſt in arduis tolerandis,patrandis,appetendis. Quartò,perſeuerans;Quintò,alacris;Sextò,humilis; Septimò,ex amore & deuotione;Octauò,cùm gaudio ſpirituali. Conſidera Secundò exempla Sanctorum verè obedientium, vt magni Abrahami,eiuſque præmium; Joannis Monachi,&c.& pudeat nos prudentiæ noſtræ: etenim ſi quis etiam minùs ſpirituali obediat,tamen,vt Climachus, non iniuſtus eſt Deus vt eas animas fallat, quæ cum fide & humilitate alterius iudicio ſe ſubmittunt. Tertio vide pœnas inobedientis Adami, Saulis, Prophetæ illius in Bethel;& contremiſce. Aduerte autem Sanctorum omnium ſummum bonum & ſolatium eſſe in omnibus ſcire & exequi poſſe diuinam voluntatem; eiuſque obedientem verè participem eſſe. An verò tibi dulce eſt parere? an murmuras ſi quis petita neget, & voluntati tuæ repugnet? conſidera ſine obedientiâ nullum meritum eſſe,quis enim remunerat ſeruum non operantem pro ſe,nec ſecundùm voluntatem ſuam? Obedientia verò opera etiam indifferentia veluti virgula Midæ inaurat. Poſtremò vide, cùm tot nominibus Dei ac Domini tui ſis,quàm graue ſit murmurare,nolle obedire,vt patet in Coré,Iſraëlitis,Maria ſorore Moyſis:vt verè à Baſilio dictum ſit,Præmium maius debetur obedientiæ,quàm rectè facto cum continentia.

Conditiones obediētiæ.

Bernard. in tract. 2. de præcep. & diſpenſ. ferè initio.

Obediens non fallitur Gradu 35.

Gen. 3.
1. Reg. 15.
3. Reg. 13.

Num. 16.
Num. 12.

EXERCITIVM.

CReator meus, & Redemptor meus, Dominus meus, & Deus meus, ecce ego creatura, ſeruus, filius, infinitis titulis tuus ſum, vt obediam Maieſtati tuæ. ſed eheu! etſi omnia tibi obediant, & hæc mihi dederis vt obediam tibi; tamen inſtar prodigi ſubſtantiã accipio & parere recuſo; quaſi prudentior te ſim, & iis quos vt me regerent conſtituiſti. Hinc vagor incertus conſilij, & ſollicitus viuo, qui poſſum ſecurus, ſi in te iactarẽ cogitatum meũ. Psal. 54. *Quid enim ſcio quid expediat mihi? certè noui hoc vnũ vt obediã tibi & Superioribus meis, & inſtar Abraham offeram voluntatẽ meam primogenitum meum, & libertatem; id certè hodie facio in conſpectu tuo, & curia tuæ, ac in omnibus obedire volo: Superiores ſiue ſæculares, ſiue ſpirituales agnoſcere pro vicariis tuis, eoſq́; amore omni ſincero & reuerentiâ colere, non iudicare iuſſa eorum. neſcit enim iudicare, quiſquis perfectè didicit obedire.*

Philip. 2. *Bone* IESV, *qui ex amore mei factus es obediens vſque ad mortẽ crucis, atq́; ex iis quæ paſſus es, obedientiam didiciſti, & docuiſti exemplo & verbo tuo, dicis: Non mea voluntas fiat, ſed tua.* Luc. 22. *Egóne igitur dicã, etſi dura, etſi aduerſarios mihi immiſeris, Non tua, ô Deus, ſed mea fiat? repugnando, excuſando, & murmurando, quoties ſenſualitas & proprium iudiciũ aliud ab obedientiâ ſuaſerunt? Tu dicis: Non quæro voluntatẽ meam, ſed eius qui miſit me,* Ioan 5. *& animã tuam ponis pro me; ego verò niſi ſenſui, niſi palato meo placeat quod iubetur, vt placeam tibi repugnabo, & vbiq́; quæram toto corde & animo voluntatẽ meam: Nõ ita, ſed ecce iam tibi offero eam in victimam & holocauſtum. In æternum nec in paruo, nec in magno eâ vtar abſq́; ſanctiſſima voluntate tua. Nemo enim ſibi viuit, ſed tibi, qui pro nobis viuere & mori dignatus es, vtinam verò ego iam ſincere dicere poſſim, Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.* Galat. 2.

Applicatio ad Communionem. *Quid enim iuſtius, quàm vt tibi viuam, ô vita mea, & qui manduco te, viuã propter te? Et verè ſi hoc credo, te eſſe, & viuere in me, cupere mecum eſſe æternũ, quantũ exultare debeo,*

& ama-

& amare te, cùm tu Deus meus charitas in medio mei es, & cibus & potus meus. Vtinam viuam in te, & ſpiritu tuo agar, & filius tuus ſim, & tu hæreditas mea! Dicebat Boor, Ruth, vt cum meſſoribus intingeret buccellam ſuam in aceto, & vt colligeret liberè ſpicas, & illa mox adorauit eum ſuper terrã. Tu verò iubes in ſanguine tuo nõ buccellam, ſed animã meam lauẽ, & in aceto memorialis paſſionis tuæ, & frumentum toto pectore colligam Electorum. Et quoties? quoties quiſpiam etſi improbus Sacerdos te vocat; toties enim obedis voci hominis, & tibi non erit paratum cor meum, vt faciam voluntatem tuã, & patiar quod tibi viſum fuerit? Et verò quid mihi beatius, quàm prauam voluntatẽ meã, quæ me toties perdidit, & perdit quoties eam ſequor, exuere, & tuam induere, quæ regula eſt omnis bonæ voluntatis? O Sapientia æterna dirige me in ſemitam mandatorum tuorum, & doce me facere vnicam voluntatem tuam: neq; enim alias mercedem exſpectare poterò à te, ô Pater familias, qui me vocaſti in vineam tuam, cùm operarios es vocaturus, ſi ſecundùm meam, & non tuam voluntatem operatus fuero. Da mihi Domine gratiam, vt cognoſcam & faciam eam toto corde Amen. Ruth. 2. Pſal. 26. Matth. 20

Praxis obedientiæ exercendæ.

NOTA hæc quæ de obedientia dicta ſunt, videri magis ad religioſos, quàm ad ſæculares pertinere. verùm ad vtroſq; inſtruendos eadem valent. Neque minùs ſæculari quàm religioſo vtilia ſunt.

Prima verò praxis eſt, conſiderare diligenter, quos qualibet in re tibi Deus dederit ductores ac Superiores; deinde eorum mandata ac præcepta, legeſq; inueſtigare & obſeruare. Nulla virtus latiùs patet, nulla vtiliùs exercetur.

Secunda. Parentum, Maiorum, Præceptorum iuſſis ſtudioſè parere, etiã in minimis. Hinc B. Catharina Senenſis domi in patre Chriſtum, in matre B. Virginem intuebatur, eiſq́ue pientiſſimè obediebat.

Tertia. Manè dum actiones noſtras diſponimus, eas omnes ad normam legum ac voluntatis Superioris, id eſt Dei, componere.

Quarta. In omnibus dubiis primò Deum ſupplici prece, deinde Superiorem adire cum magnâ reſignatione.

Quinta. Ad mandata quæ grauiora accidere poſſent, animum præparare.

Sexta. Frequenter illud in corde reuoluere: Qui vos audit, me audit, id eſt, ſapientiam, bonitatem & potentiam infinitam, cui reſiſtere nemo poteſt.

Septima. Numquam conari Superiores in ſuam ſententiam pertrahere, ſed rationes exponere cum reſignatione.

Dignatus es, vt ſup. pag. 10.

JACULATORIÆ.

1. Reg. 2. *LOquere, Domine, quia audit ſeruus tuus.*

Actor. 9. *Domine quid vis me facere?*

Pſal. 118. *Leuaui manus meas ad mandata tua, quæ dilexi: & exercebar in iuſtificationibus tuis.*

Pſal. 115. *O Domine, quia ego ſeruus tuus: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ.*

Pſal. 110. *Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi, facta in veritate & æquitate.*

Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.*

CAPVT XXIII.

Deliberatio de moderandâ cupiditate bonorum, ſecunda in viâ perfectionis auxilio.

1. *Tim.* 6. HOMO. Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus: Nudus *Iob.* 1. egreſſus ſum de ventre matris meæ, & nudus reuertar illuc in matrem omnium. Interea, eheu! luctamur hîc inter deſideriorum vndas, ſpinæque diuitiarum vrunt & trahunt. Felicitàs putatur multa poſſidere; ſed quanta infelicitas Deus meus, pro felicitate amplecti infelicitatē. Diuitiarum enim amor inſatiabilis, longeque ampliùs deſiderio torquet animam, quam refrigeret vſu ſuo; vtpote quarum ac quiſitio laboris, poſſeſſio timoris, amiſſio plena doloris inuenitur.

Cupiditas eſt animi carnifex & tortura.

Bern. ſer. de conuerſ. ad Cleric.

Hæccine vera, vt ſup. p. 7.

Paupertas verò grauis eſt, multaque ſecum incommoda, multa impedimenta virtutis adferre videtur, & beata quidem eſſe dicitur, ſed omnibus odioſa, quid eligam

eligam ignoro: Dirige me CHRISTE IESV Redemptor mi dux viȩ, & vitæ meæ, ne radix malorum omnium cupiditas errare me faciat à viâ æternitatis & fine creationis meæ. Scio opes parandas eſſe ad vitam ſuſtentandam mortalem, ſed vereor ne ſollicitudo huius ſæculi virtutis opprimat ſemina, & diuitiis ſi potiar, apponam cor meum. *1.Tim.6.*

CHRISTVS. Ideò vidê quem terminum conſtitueris deſiderio quærendi & augendi opes. Nónne enim fatigat ſe ſuperuacuo labore viator, qui terminum viæ nullum ſibi proponit? Quòd ſi cupiditatem ſolam audias, certè terminum nullum inuenies: illa enim ſanguiſuga ſemper dicens affer, affer: impletur autem numquam. *Cupiditas refrenanda. Prou.30.*

HOMO. Sic vulgò video cupiditati laxari fræna, & ſi multas opes congerere potuerint, multas largiri decernunt; iuxta illud Tobiæ monitum: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire. *Tob.4.*

CHRISTVS. Nónne hoc eſt ad incertum portum nauigare, cupiditati vela pandere, & fœdi ſeſe periculo naufragij exponere? definias ergo deſideria, neque plus opū poſtula, quàm vt neceſſitati ſubuenias tuæ, ac Chriſtianam in proximo exerceas charitatem, idque ſecundùm ſtatum ac vocationem tuam. Cur tu togam ſtaturæ tuæ non aptam, cur onus humeris tuis impar quæris? & cuius gratiâ? ſi nihil hinc auferes, hîc verò vltra victum & amictum nihil habere ſit neceſſe, quid fruſtrà te torques? an vt cum damno animæ tuæ moriturus paſcas alienum corpus?

Credo tibi, vt ſup. pag. 7.

HOMO. Sed neſcio, quomodo perpetuò deſiderio torqueamur, creſcatque illud ſemper, & amor diuitiarum quantum ipſæ augeſcunt.

CHRISTVS. Credis hoc, & demens augere vis opes? ſi vis te diuitem facere & contentum, non pecuniæ eſt

adiiciendum, ſed cupiditati detrahendum, ſitis enim reſtinguenda, non verò dolia illam fouentia quærenda: neque mirum tamen diuitiis auctis augeri earum protinus deſiderium. nam ſi creſcant opes, familia ferè augetur, & ſic nónne tantum paupertas creſcit, quantum opes? perinde enim eſt, ac ſi quò vas aquæ magis impleas; eò plura facias epiſtomia. quia quo quis plus acquirit, in plures id abit, & proinde eo etiam pluribus eget. hinc qui volunt fieri diuites in hoc

1.Tim.6. ſæculo, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & noxia, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Credis hæc, & diues fieri optas? credis inquam, hæc, & cupiditatem omnium malorum radicem non tantùm non extinguere, ſed & accendere quotidie conaris? Quis miſerebitur tui? Nónne qui amat periculum, peribit in eo? Túne Salomone meo ſapientior, qui me ſic rogabat: Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo neceſſaria, ne fortè ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & periurem nomen Dei mei? Itaque etiam tu ſtatue cupiditati tuæ modum, & prouentum tibi neceſſarium bonis artibus non anxiè, ſed moderatâ ſollicitudine quære, & à me poſtula. nónne ego ſolus ſum bonorum omnium fons, & origo, & hæc credis?

Cupiditas radix malorum.

Eccleſ.3.
Prou.30.

HOMO. Equidem ſi nos mortales opes propriùs inſpiceremus, & fulgor earum non perſtringeret oculos noſtros, non tanti perituras opes tuâ gratiâ faceremus.

CHRISTVS. Rectè: Quid enim ſunt opes? an agri? & hi terra; dignúmne vt cæleſtem animum ea occupet? & Quid veſtræ opes? pecunia? Fulua certè terra vel alba, quâ ſi cælum mercari poſſis, beatus es; ſi verò illis apponas cor tuum, vtique de terrâ es, quia terram amas; & vtilitatem ex opibus non capies, niſi illis ſuperior diſpergas, & des pauperibus, & iuſtitia tua maneat in ſæculum ſæculi. Hunc ſcopum tibi propone, & velut prudens

Vide quid ſint opes.

Pſal. 111.
Æternæ opes quærendæ.

prudens negotiator vende omnia quæ habes, & eme agrum illum, quo perpetuò frui poſſis. Victus, veſtitus, & habitatio neceſſaria terminos anguſtos habent; intra eos conclude deſideria tua; quæ ſi naturalia, finita ſunt, & hæc ipſa dixi fore vt adiiciantur quærenti primùm regnum Dei. Credis hoc? *Matth.* 13. *Matth.* 6.

Credo tibi, vt ſup. p. 7.

Quòd ſi adiecero tibi longè amplius quàm opus habes, caue in primis cor apponere: etenim diſpenſator à me conſtitutus es: & paratum te eſſe oportet omni horâ non opes tantùm erogare, ſed & vitam abnegare ſi iuſſero; potiùs quàm me, qui tibi vitam & omnia largitus ſum, offendas. *Diues diſpenſator eſt*

HOMO. Sanè libenter [illegible] præſtare nos oporteret; cui enim veſtis, aut res alia commodatò data eſt, æquum vt domino repetenti promptè reſtituat, ſi gratus eſſe voluerit. Nos verò nónne hoc pacto à largâ manu tuâ omnia accepimus? Tu enim ſolus Dominus, nos ſerui, & tua ſunt omnia, Dominus vniuerſorum tu es. *Turpe reddere nolle commodatum.*

CHRISTVS. Sic Job affectus erat cùm diceret: Si putaui aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea, ſi lætatus ſum ſuper multis diuitiis meis, & quia plurimum repetit manus mea. Diſce ergo cor tuum cæleſtibus apponere: diſce quid ſint terrenæ opes, quàm verè à me ſpinæ dictæ ſint, quę tantoperè vrunt & pungunt, etſi procul poſitæ, ſoloque affectu & oculo vel leuiter attingantur. *Iob.* 31. *Cor à diuitiis abſtrahendum.*

HOMO. O quantum, Deus bone, neceſſaria nobis eſt tua gratia, vt communem illam maledictionem euadere poſſimus: omnes enim quæ ſua ſunt quærunt. Aufer quæſo à me concupiſcentiam prauam, & ab auaritię peſte me libera; tu enim es ſpes mea à iuuentute meâ, in te proiectus ſum ex vtero, de ventre matris meę tu es protector meus: adjuua me, & ſaluus ero. *Philip.* 2. *Pſal.* 21.

CHRISTVS. Scis quo fine creatus ſis, quo fine creatæ ſint opes, & quidquid in orbe terrarum eſt? vtique vt *Finem tuũ & di-*

vitiarum intuêre. te adiuuerit ad finem tuum conſequendum, ideoque opes, nónne hactenus quærendæ ſunt tibi quantùm ad finem conſequendum vtiles futuræ?

Luc.6. *Marc. 10.* HOMO. Eheu! Domine, quæ vtilitas ex illis eſſe poteſt, cùm dixeris, ô æterna Veritas; Væ vobis diuitibus. & rurſum: O quàm difficile eſt diuitem intrare in regnum cælorum! imò facilius eſſe camelum tranſire per foramen acus, quàm diuitem ad illud peruenire.

Haccine vera, vt ſup. p. 7.

CHRISTVS. Vtiles tamen eſſe poſſunt ſi benè diſpenſes, & cælum tibi nummo emas: ſed aliena Primò reſtitue: Deinde illis largire quibus charitatis lege teneris; Tertiò, pia opera promoue, vt templa, hoſpitalia, Religioſas domos, quibus rebus optimè diuites æternum nomen ſuum efficiunt. Quartò, pauperes quotidie ale, atque ex ſubſtantiâ tuâ fac eleëmoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere; ita fiet, vt nec à te auertatur facies mea. & iterum dico: Ab inope ne auertas oculos tuos, propter iram; & non relinquas quærentibus tibi retrò maledicere. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem illum qui fecit illum. Conclude ergo eleëmoſynam tuam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo, honora me Dominum tuum de tuâ ſubſtantiâ & de primitiis omnium frugum tuarum da pauperi, id eſt mihi: & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt. Quis ſapiens, & intelligit hæc? Túne credis, & primitias frugum tuarum negas mihi? Neſcis viduam Eliæ eleëmoſynam contuliſſe, & farinam ſimul & oleum toto famis tempore non defeciſſe? Sanè niſi pauperibus meis, id eſt mihi, opum tuarum partem ſic credas, nihil magis noxium eſt opibus, quia ærugine ſuâ inficiunt hominem, & grauant aſcenſuros in montem Domini, & luctantes cum hoſte nudo vehementer impediunt. Imò nihil honeſtum, benignum, liberale auarus cogitat; nec ſibi

(Marginal notes: *Tobiæ 4.* *Eccl.29.* *Prouerb.3.*)

ſibi ex pecuniâ, neque aliis vtilitatem ex eâ capit. auaro enim nihil eſt ſceleſtius, nulluſque ſeruus infelicior. Cur ita? quia pecuniæ obedit per omnia, omneſq; eius ſentit affectus, pro eâ ſe vendit, & omni vitio ſe deturpat, torquet, &c. Quid? hoccine ergo alteri ſuadere poſſes, vt opibus, quibus ad breue ſpatium vti poteſt, totus incumbat, animo oculiſque in terrâ verſetur? Quemadmodum enim is qui multis ſarcinis oneratus eſt, difficillimè iter arduum facit; ita diues. diuitiæ enim verè onus ſunt. *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ*, &c.

Eccli. 10. Diuitum ſumma infelicitas.

Homo. O quanto potius longè eſt modeſtè viuere & lætari, quàm immodico opum amore æſtuare, & perpetuò laborare, ac infirmari languore peſſimo, qui non ſeneſcit, neque vllâ ætate ſanantur!

Christvs Quid tibi proderunt opes in horâ mortis? quid tunc auferes, quando omnia relinquenda erunt? quæ nunc paraueris cuius tunc erunt? vides quanto labore quæratur, & quàm paruo, vel nullo tempore iis frui liceat? Age quanto prudentiores qui certò ſcientes ciuitatem diripiendam eſſe, opes ſuas in æternam cæli manſionem per manus pauperum præmittunt, vt, cùm hinc expulſi, nudi & egeni fuerint, ibi reperiant æterna tabernacula! & tu hæc credis, neque ſapis? appende igitur quomodo in iudicio iniquitas auaritiæ maximè declarabitur. Quis, precor, diues ibi laudabitur? nónne qui animo pauper fuerit, plurima tribuerit, omnia relinquere paratus, ſi ita mihi viſum ac placitum fuiſſe intellexiſſet? Quis ibi niſi liberalis in egenos & afflictos laudabitur? quis ibi niſi auarus damnabitur, & in res vanas prodigus? Tu verò quibus annumerari optas. *Haccine vera*, vt ſup. p. 7.

Opes in cælum præmittendæ.

Homo. Dum hæc recogito mecum, tremore concutior ad vocem hanc tuam, ô Saluator mi. O quàm erit ergo acerbum audire, Eſuriui, & vt delicioſè viueres, noluiſti me paſcere; ſitiui, & vt inebriareris, ſitim meam leuare detrectaſti; nudus eram, & vt multifariâ

veſte

veſte ſplenderes, tegere me recuſaſti; multiſque rebus in membris meis indigui, ſed quia tibi libebat ludere & illudere opibus, non valuit deprecatio pauperis, quam ego

Bernard. Eleëmoſynarũ commendatio.

tamen verè ore eius pronuntiaui: credis hoc? Clamant nudi, clamãt famelici, & conquerũtur. Nobis, inquiunt famę & frigore miſerabiliter laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel extenſa in perticis, vel plicata in manicis? noſtrum eſt quod effunditis, nobis crudeliter ſubtrahitur quod inutiliter expenditis; inueniunt otioſi quo delectẽur, nõ inueniũt miſeri quo ſuſtententur. Nec ferè ſe ſolos, ſed poſteros diuites eodem malo inuoluunt, quos in exempla trahunt maiorũ; & difficillimè ſuadeas

Matth. 19

malè parta dimittere. Audite cupidi, Amen dico vobis, ait Veritas ipſa, quia diues difficilè intrabit in regnum cælorum; imò & facilius eſt camelum tranſire per foramen acus. Et quis non contremiſcat? *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ*, &c.

CHRISTVS. Verè miſerrimus hominum eſt, qui quantumcumque creſcat opibus, numquam ſatiatur, neque fortunâ ſuâ contentus eſt, ô quanta vanitas! ô quanta inſania! ô quanto ſatius eſſet æternas parare opes!

Aug. ſerm. 9. in Nou.

nónnne momento hîc viuitur, momentoque tranſit omnis mundi gloria, & quæ paraſti cuius erunt? Diues & pauper occurrerunt ſibi. in quâ viâ? niſi in iſtâ vitâ? natus eſt diues, natus eſt pauper, occurriſtis vobis, pariter ambulatis viam. Tu noli premere: tu noli fraudare. Ille eget, tu habes: feci autem ambos ego Dominus, per eum qui habet iuuo egentem: per eum qui non habet probo habentem.

Diues non videtur credere.

HOMO. Neſcio verè, ô JESV, æterna veritas, neſcio, an dici poſſit eos verè credere, qui hæc cogitant: & tamen per omnem vitam de opibus terrenis, & vix de cæleſtibus tractant: ſudant & laborant à diluculo in ſeram noctem pro terrenis, & vt æternas opes, gloriam, præmia habeant, vix vilem extorquere pauper nummum poteſt? Quis hunc auarum dicat, qui regnum nummo

nummo emere poteſt, & negligit?

CHRISTVS. Verè inſania omnium hæc maxima eſt. Nónne enim certa mors eſt? nónne hîc momento, ibi in omnem æternitatem te viuere oportet? nónne millies ampliùs tamen laboras, vt hîc laxè habites, lautè viuas, fundos & domicilia habeas? Age verò, dic: tantúmne, vt in æternâ habitatione commodè tibi ſit, induſtriæ & ſtudij ponis? Dic mihi quem hîc ad momentum cenſum habeas? quem ibi, expende: & ſi te, vt debes, dementiæ ſummæ & incredibilis damnas, reſipiſce tandem. Hoc verò magis attendere debes, quòd niſi hæc terrena contempſeris, fieri non poſſit vt æterna regna & gaudia emas. *Curandum vt in cælo diuites ſimus.*

HOMO. *Credo tibi*, vt ſup. p. 7.

CHRISTVS. Eme illa vili nummo, & ſimul redime æternas pœnas, aſpice, & audi, quomodo inſipientiam ſuam auari in inferno teſtentur eiulatu perpetuo. Verè dixit Eccleſiaſtes: Contra ſanguinem ſuum inſidiantur, & moliuntur fraudes contra animam ſuam. Hoc eſt quòd omnes Sancti mei opes contempſerunt, profuſi in pauperes, in loca ſacra, & Deo ſacras perſonas; impiorum verò viſcera iis vbi poſſunt detrahunt, contra id quod ſcriptum eſt, Noli prohibere benefacere; ſi potes, & ipſe benefac. *Prouerb. 1.* *Prou. 27.*

HOMO. Hæc & infideles credunt, & ego quid dicam, qui video quòd etiam Philoſophi multi opes contempſerunt, quòd intelligerent ſapientiæ ſtudio eas incommodas eſſe, atq; animi quietem ad illud neceſſariam prorſus tollere. Nam, vt Bernardus, non oneroſa modò, ſed limoſa quoque ac glutinoſa nimis ſubſtantia noſtra videtur; & facilè cor humanum omnibus quæ frequentat adhæret. *Bernard.*

CHRISTVS. Quid ego Sapientia æterna fecerim, ignoras? nónne ego pauper eſſe volui, cùm diues eſſem? beatos pauperes prædicaui, Matrem & Apoſtolos tales elegi, pauperes in hoc mundo, diuites in fide? *Iacob. 2.*

Quid

Quid verò videtur? egóne Sapientia æterna errare potui? ſi non potui, errat certè mundus, qui ita quærit opes, ac ſi præcepiſſem; ita auaritiæ ſtudet, ac ſi paupertas omnium malorum grauiſſimum foret. Erras verè ſi anxiè proponis opes coaceruare, iiſque non parere te exiſtimas, cùm famelicos exſatiare abnuis, & mihi tribuere. Ego promitto omnibus, qui propter me reliquerint domum aut agrum, centuplum in hâc vitâ, & vitam æternam. Quis autem credit mihi? Túne? quis mihi fœnerari optat? ſanè arguere me falſi debet, qui non credit, aut fateri quorumcumque hominum fidem & ab iis lucellum minimum potiùs eſſe, quàm id quod ego promitto. Sed & Religioſos hæc tangit parabola, qui amore mei omnia deſeruiſſe videntur, & reculis paruis ita aliquando adhærent, vt difficulter ab iis auellantur, tanto filiis ſæculi miſeriores, quòd his velut crepundiis illudat diabolus, illis mundus maioribus inſultet. O vtinam meminiſſent diei quâ egreſſi ſunt de terrâ Ægypti! illinc à me regnum petere poterunt mercedem, dicentes, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te?

Promiſſio pauperi facta à Deo.

Auarus Deo non credit.

Religioſus adhærens terrenis, quā miſer.

Et quidem ſi ego meis non proſpicerem, eſſet quòd de ſe ſolliciti forent mortales: verumtamen eis aſſerui dicens: Nolite ſolliciti eſſe dicentes; Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirunt: ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis. Quærite ergò primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis; nolite ſolliciti eſſe in craſtinum. Sed quæ multorum eſt diffidentia, quo plus illis tribuo, eo minùs mihi confidunt, magiſque ſolliciti ſunt: neque tantùm, quod vetui, in craſtinum anxiè ſunt ſolliciti, ſed in annos, quibus victuri non ſunt.

Theſaurus diuinę prouidentiæ. Matth. 6.

Hæccine vera, vt ſup. p. 7.

HOMO. Sic illudit nobis, Domine JESV, & imponit præſtigiis ſuis dæmon, quaſi ſatiari auarus animus, qui

Auari animus non ſatiatur.

qui ſpiritus eſt, pecuniâ, & terrâ iſta poſſit, aut conquiſcere. Ignis fateor ille numquã dicit, Sufficit; tam enim ei deeſt quod babet, quàm quod non habet. O quanto erant prudentiores Sancti de tuo obſequio ſolliciti, vbique ſecuri, tranquilli, omnia in te habentes, qui hîc beatam vitam, & poſt hanc tecum æternam conſecuti ſunt!

CHRISTVS. Quos tu imitaris? quorum exitus placet? quorum præmium?

HOMO. Sequar te, Domine IESV, quocumque ieris: tu Rex meus & Deus meus. Tu veritas, tu bonitas, tu Sapientia es & omne bonum meum.

CHRISTVS. Et quamuis illorum nihil eſſet, neque opes, onus, & ſpinæ; neque paupertas, beatitudo; nónne ſufficit quòd hæc mihi placeat? nónne expedit magis meum, Dei ac Domini tui conſilium ſequi, quàm hoſtis fallaciis, technis & ſpinis, quo nomine verè opes appellaui, implicari & irretiri, & animam ſuam pro tantillo venalem habere? nónne mea ſunt omnia, & vos diſpenſatores omnes? cuius verò arbitrio diſpenſari ea oportet, nónne meo? Verùm, vbi quis auaritiæ ſemel mancipatus eſt, me proiicit. eſt enim illa idolorum ſeruitus, pluſque valet imperium nummi quàm meum, plus ille me honoratur; quòd ſi verò illum aut creatum quid eripiã, ſæpe idolum, in quo homo animo fornicatur, querimoniis omnia plena ſunt; & iniuriam facere videor. *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ*, ibid.

Conſilium Dei audi.

Gal. 5.

HOMO. O potentiſſime Deus, cùm per gratiam tuam cupiditatis mala cognouerim, deteſtor eam in conſpectu tuo; ac primò ſtatuo iuxta vocationem meam: ſic meum cor ab omni affectu immodico terrenarum rerum abducere, vt te ſequar; deinde moderatè ea quæ mihi neceſſaria, quærere, & piè viuere, ac fiduciam in te collocare; non ita inſanire, quin te, Domine, honorem de ſubſtantiâ meâ, ſeu potiùs tuâ. Tua enim verè petis per pauperem, dicíſque mihi, Da mihi ex eo, quod dedi

Propoſitum pium.

Deo redditur quod ſuum eſt.

dedi tibi;de meo quæro,& mihi donas?da mihi, & reddo:habuiſti me largitorem, fac me debitorem, habeam te fœneratorem : pauca mihi das, plura reddam ; temporalia mihi das,æterna reſtituam. Itaque quantum de bonis à te largè conceſſis potero, iudicio prudentis tibi in paupere reſtituam ; & in æternum mihi conſeruabo; numquam differã debita diſſoluere,aut defraudare mercedem operarii, libens in pia opera, & ad tuum cultum largus ero;omnia enim tua ſunt.Denique cùm diſpenſator fidelis eſſe debeam , numquam aliud agam quàm ſecundùm ſanctiſſimam tuam voluntatem & beneplacitum tuum. Amen.

Orationem vide infrà:*O Rex regum*,&c.p.374.

Meditatio de Auaritiâ.

COMPOSITIO LOCI. Conſidera omnes homines velut montem conſcendere,& Chriſtũ Regem præire pauperibus,pauperes Chriſtum facilè ſequi,alios dæmonem vel etiam CHRISTVM JESVM nudum, ſed ſi ſarcinatos relabi.

ORA,vt Dominus aperiat cor,vt intelligas paupertatis pretium , quam Dominus coluit ab vtero vſque ad mortem.

Quid ſit auaritia.

PVNCTVM I. Conſidera quid ſit auaritia, nempe pecuniæ & rerum huius mundi inordinata cupiditas , quâ homo ita afficitur illis , vt impotenter ferat iis priuari, quærit ſuperflua & curioſa, etiam aliquando cum damno alterius , & anxiè ſeruat. Secundò, quàm fœda ſit. Primò,ratione obiecti,& quomodo homo pecuniæ , id eſt terræ metallo vili ſe tradat, adeò vt idolorum ſeruitus appelletur: Et tamen quis pecuniâ melior eſt , quis beatior,cùm extra nos ſit ? Quid ergo ? quòd vanitatis aliquid nanciſcatur , & dicatur opulentus , hoc habet auarus,præter victum enim & amictum, & hoc vanitatis ludibrium habet nihil.

Galat.5.

Haccine vera,vt ſup.p.7.

Secun-

Secundò, dignitatem hominis attende, qui ad hoc natus vt amore ſuo Deum omne bonum complecteretur, & quàm turpe, ſi ille per auaritiam in caduca & peritura ſe abiiciat, & viliſſima corpora ſuæ animæ præferat. Tertiò, turpis auaritia ratione modi acquirendi, cùm hominem adigat ad viliſſima lucra ſectanda, etiam cum infamiâ, per lites, mortis diſcrimina, & curas inexplicabiles, vt nullum tempus, nullus locus vacuus iis ſit, inque mille partes animus diſtrahatur. Quartò, quia æquali curâ & anxietate conſeruare parta neceſſe eſt. Quintò, quod omnium, etiam Ethnicorum, iudicio auarus abiectiſſimus habeatur, vtpote qui frui bonis nequeat, & acquirendo ſe oneret. *Auaritia fœda & indigna homine.*

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM II. Conſidera; quis tandem finis acquiſitionis. Primò, ſibi proponit auarus pacem, & ecce quantum creſcit nummus, (& idem eſt in ceteris terrenis) tantum creſcit amor, vt in hydrope; non eſt enim pax impiis. Secundò, ſperat commoda carnis; vt benè veſtiatur, ſplendidè epuletur, & dic, quæſo, nónne ob iſta diues ſepultus dicitur in inferno? Et verò quid conferunt diuiti opes, niſi victum & veſtitum? nihil enim aliud præſtant; verùm & pauperes hæc habent. Quid ergo præ illo diues? vnum ille habet, quòd vbi multæ ſunt opes, ſint multi qui deuorent eas, quodque prætereà ex deliciis morbos plurimos nutriat; quos frugales non nôrunt, & inſuper (quod dolendum maximè) inſtrumenta gulæ, luxuriæ, & omnium malorum, id eſt, mille furcas habeat ad æternam calamitatem, nullumque ferè in lubrico habeat retinaculum. Quid ergo ſupereſt diuiti, vnde inaniter intumeſcat de opibus? *Quàm inſatiabilis eius ſitis. Iſaiæ 48.* *Vitia multa ex diuitiis.*

Credo tibi, &c. vt ſup. pag. 7.

Attende verò opes veros honores non parere, cùm ſint homine inferiores, & nihil in ſe habeant dignitatis. Conſidera deinde, in quàm multos diaboli laqueos incidant, qui volunt diuites fieri in hoc ſæculo: radix *1. Tim. 6.*

Matth.21 enim omnium malorum cupiditas. Primò, orare nequeunt, ibi enim eſt cor eorum, vbi theſaurus eorum. Secundò, ab operibus pietatis alieni ſunt, cùm ſemper egeant. & ſatiari numquam poſſint. Tertiò, per fas & nefas acquirunt, & iniquè acquiſitis ita afficiuntur, vt prope impoſſibile ſit ad reſtitutionem cogere. Quartò, morientes, ob rationem reddendam, pauperes defraudatos, opes deſerendas, velut in deſperationem aguntur. Itaque, ô homo, veluti ſi in ſummâ tempeſtate eſſes periturus, niſi abiiceres opes, iam proiice; & diuitiæ ſi affluant, noli cor apponere, vt ad æternum portum peruenias. Noli ergo, cùm alteri omnia relinquenda, illi gaudium creare, tibi tormentum, non reſtituendo; & ſi ſaltem in morte aliquid abnegandum aut reſtituendum, noli tam enormi tuo damno differre.

Auari ſtultitia. PVNCTVM III. Conſidera ſtultitiam auari & conquiſitoris huius ſæculi, qui Deo in paupere, æternæ inquam Veritati, centuplum promittenti & vitam æternam, ea quæ certò alioquin ei ſunt peritura dare recuſat, & contrà mundo fallaci, & hominibus credit exiguo & momentaneo lucro. Secundò, quanta ſtultitia, quòd cùm tantùm diſpenſator ſit, Domino recuſet reddere, & dilapidet alterius bona, redditurus ſtrictam rationem. *Cur ô diues non vis eſſe cum Chriſto pauper.* Tertiò, mirum certè quod quiſpiam hic eligat eſſe momento diues cùm tot miſeriis, & in futuro perpetuò pauper, potiùs quàm in æternum cum gloriâ maximâ diues, & hîc tecum, benigniſſime IESV egenus. Quartò, quòd res viles tanti faciat, vt puer crepundia, cùm Chriſtus & omnes ſapientiſſimi nihil fecerint. Quintò, quòd animam toto mundo precioſiorem pro quâ mortuus eſt Chriſtus, tantillo vendat, vel ſaltem imperfectam relinquat, & pauperem in alterâ vitâ; & ſic opes longè pluris quàm ſe æſtimet. Sextò, quàm ſtultum, quòd Domino promittente omnia adiicienda, ſi quæratur primò regnum cælorum, hoc negligat & prorſus contra faciat, & quaſi diffidat eius bonitati. Conſidera,

quomodo

quomodo Dominus punierit hîc auaros, & quidem Achan iuſſerit ob furtum lapidibus obrui, Jeſabelem vineam Naboth concupiſcentem, Ananiam & Saphiram de precio oblato detrahentes, & Judam proditorem dirâ morte multârit. *Ioſue 7. 4. Reg. 9. Actor. 5. Matth. 27*

O Rex Regum, vt inf. pag. 374. vel *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ fide credo*, &c. ibid.

Meditatio de Paupertate, cuius affectus omnibus neceſſarius.

COMPOSITIO LOCI, erit Chriſtum videre cum Diſcipulis miſerè veſtitum, famelicũ, pauperculum pagos & villas obeuntem, & nos velut peregrinos eum ſequentes.

ORATIO. Pete vt poſſis cognoſcere dignitatem paupertatis, & eam in tuo ſtatu complecti.

PVNCTVM I. Conſidera 1. paupertatem eſſe duplicem, vna eſt quâ homo etſi opulentiſſimus ita animo comparatus eſt, vt potiùs, quam Deum offendat, paratus ſit: vitam degere pauperem, opes partas omnes relinquere. Hæc verò, ô Lector attende, tibi, & omnibus ad ſalutem neceſſaria; cuius defectu multi egeni reipsâ pauperes, ſed animo diuites valdè, & auari ad malas confugiunt artes, furta, vſuras, iniuſtias, quia paupertatem ferre nequeunt, vel diuites ne in eam incidant, eaſdem ſectantur, imò naufragium fidei faciunt potiùs quàm bonorum. Alia paupertas, quæ reipſa abdicat omnia, & à Domino ſuadetur, non verò præcipitur. Nunc ergo expende paupertatem eſſe rerum omnium externarum ſaltem in animo abdicationem, quæ hominem totum ordinat exteriùs & interiùs circa illas. Primò, in intellectu ponit veram, qualem Deus habet, illarum æſtimationem; oſtenditque verè eſſe caducas, viles, noxias. Secundò, in affectu contemptum & faſtidium, denique in opere plenam, ſi Dominus ad perfe- *Quid ſit paupertas.*

ctionem vocauerit, abdicationem. Vide an hæc in te ſentias, quanti tu eam facias, an ſis etiam hodie paratus omnibus carere, ſi ſalus animæ id poſceret, aut neceſſitas flagitaret. *O Rex Regum*, vt infrà pag. 374.

Aug. lib. 2. de civ. Dei. c. 13. Conſidera Secundò, quòd ſicuti cupiditas eſt radix malorum, & fundamentum Babylonis, vt Auguſt. ita paupertas ſpiritus ac contemptus diuitiarum radix bonorum, & parens quædam generatioque virtutum, fundamentum cæleſtis Jeruſalem, & prima beatitudo, maximè tamen ſi reipſa quis eam ſequatur. *Ambr. in 5. in Luc.* Ratio eſt, quia remouet inſtrumentum vitiorum diuitias, quæ ſuperbiam, gulam & alunt & tuentur; & bene viuendi adfert *Matth. 19* quandam neceſſitatem ac facilitatem: cùm iudicio Sapientiæ æternæ facilius ſit camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Credis hæc ô pauper & non exultas? ô diues, auare, & non horreſcis? attende præterea paupertatem expiare *Iſai. 48.* peccata, iuxta illud, Elige te in camino paupertatis, & liberum reddere ab occupatione rerum terrenarum, vt *Aug. ſerm. 28. de verbis Apoſt.* ſoli Deo vacare quis poſſit. O felicitas magna Chriſtianorum, quibus datum eſt, vt paupertatem precium faciant regni cælorum! non tibi diſpliceat paupertas tua, nihil eâ poteſt ditius inueniri.

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

Paupertas Deo gratiſſima. PVNCTVM II. Conſidera gratiſſimos Deo eſſe ſpiritu & re pauperes, cùm paupertatem ſibi JESVS copulârit, & in ſe tantopere dilexerit, diuitias verò vt quiſquilias, ſplendidaque omnia naſcens, viuens & moriens ſit auer-*2. Cor. 5. Luc. 9.* ſatus: qui cùm diues eſſet, factus eſt pro nobis egenus, vt non haberet vbi caput reclinaret, matremque elegit & diſcipulos pauperes. Et ſanè nónne credendum tibi videtur eum dignum ſe ſtatum elegiſſe? cur ergo tu in tuo *Phil. 3.* gemis, aut eum times? Sic & Sancti, qui cum D. Paulo omnia arbitrabantur vt ſtercora; gaudebant fame, ſiti, & nihil habere, adeò vt B. Franciſcus ſanctè pauperioribus inuideret. Tu ergo vide ne ditioribus, vti mundani & molles

Digitized by Google

molles Dei ſerui, qui omnes conatus & ſtudia ad opes referunt, vt ſplendidè, carè, curioſè, commodè ſint in victu, veſtitu, habitatione, vnde amicis & diuitibus libenter adhereſcunt; loca & munia refugiunt, in quibus paupertatem poſſent experiri. Contemne iſta, vt vir crepundia, & æternum animum & cor in æternis habeto; noli miles Chriſti aſpera horrere, quæ dux amplectitur.

Credo tibi, vt ſup.pag.7.

Conſidera Secundò, excelſum verè ſpiritu pauperis animum, quo ſuper omnia hæc terrena eminet, vt ne verbo quidem vix ſuum quid dicere velit, cùm aliena ſciat & fluxa, cauetque ne fortè iis ipſe adhæreſcat. Tertiò, quàm ſit glorioſum in quouis ſtatu paupertatem ferre poſſe, cùm omnes ferè mortales, quæ ſua ſunt quærant, ob innatam cupiditatem, & commoditatem rerum ac ſpeciem; vnde exclamat Sapiens: Beatus vir qui poſt aurum non abiit; quis eſt hic, & laudabimus eum? quanta itaque gloria, eum affectum, quo omnes abripiuntur, laici, Eccleſiaſtici, & tepidi Religioſi, ſuperare? Vnde Chryſoſt. Anima pauperis fulget vt aurum, ſplendet vt gemmæ, ſicut Angelus ita conuerſatur, non ſubiacet dæmonibus, aſſiſtit Deo. Quartò, quòd, vt Paulus ait, verè pauperes nihil habentes, omnia ſint poſſidentes; &, vt olim Climach. monachus nudus eſt mundi dominus, viroque forti totus mundus diuitiarum eſt. Credis hoc, & adhuc concupiſcis? Quintò, conſidera quod is qui reliquerit reipſa omnia, & ſecutus fuerit Dominum, centuplum in hac vitâ accipiet, & ſedebit ſuper ſedes duodecim, iudicans duodecim tribus Iſraël, cùm Reges ſtabunt, & Monarchæ trepidabunt. Vide, ô Religioſe, an verè dicere poſſis, Ecce nos reliquimus omnia, neque animus tuus reculis adhæſerit, qui magnanimiter antea omnia deſpexerat.

Eccli. 31. *Chryſoſt. Homil.*47. *Matth.* *Emolumenta paupertatis Euangelicæ.* 2.*Cor.*6. *Matth.*19

Aſpira, vt ſup.p.8. *Hæccine firmâ*, &c. ibid.

Diuina prouidentia erga pauperes. PVNCTVM III. Conſidera prouidentiam Dei erga pauperes ſecundùm illud Pſalmiſtæ, Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono. non pauperibus vt nobilibus de ſuo prouidet Dominus in tempore, illum habent œconomum, vt beatus populus, cuius Dominus Deus eius. Secundò, quòd ipſi ſciunt certò iubilationes, nihil metuunt, nihil ſperant, curis vacui, paucis contenti, in quo etiam Epicurus felicitatem poſuit; non nauſeabundi, vt diuites, ſed ex petrâ melle ſaturantur, & cùm tam gaudeant nihil vel parum habendo, quàm omnia poſſidendo, nucleum ſine cortice habent: nam quærentibus Deum hæc omnia adiiciuntur, vt Paulo, Danieli, Eliæ, & infinitis viris bonis, ac omnibus Religioſis, vnde hi fiduciâ pleni vtramque ſortem ſecuri exſpectant, neque bonâ fruſtrari, neque aduersâ grauari metuunt. O beatos! quouis ire etiam ſine viatico parati ſunt, de nullâ re ſolliciti quàm de Dei gloriâ, animarumque lucro, quia Dominus ſollicitus eſt eorum.

Pſal. 33.
Pſal. 143.

Exercitium paupertatis omnibus vtile.

2. Cor. 8. Eccli. 31. *O Rex regum, & Domine dominantium, ô Saluator mi, qui cùm diues eſſes, pro me egenus factus es, vt tuâ inopiâ nos diuites eſſemus; concede mihi, vt numquam poſt aurum abeam, nec ſperem in pecuniæ theſauris, in incerto diuitiarum, neque anxiè diues fieri quæram, cùm deſideria iſta nociua & inutilia mergant homines in interitum & perditionem. Vbi ſunt enim qui argentum theſaurizant & aurũ, in quo confidunt homines? exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt. Idcirco ego, Domine* IESV, *pro honore & amore paupertatis tuæ, cuius voluiſti me per Prophetam tuum recordari, offero diuinæ Maieſtati tuæ quæcumque de manu tuâ accepi: neque retinere volo, aut detrahere quidquam cum Ananiâ de hoc holocauſto, nec ſollicitus eſſe animæ meæ, quid manducem; neque corpori meo, quo induar. Pater enim meus es tu, & noſti quia his omnibus indigemus: quæram igitur primùm*

1. Tim. 6. Bar. 3. Matth.

primùm regnum tuum, & ſcio ô bonitas, ô veritas, quia ea omnia adiicies mihi. Qui enim poſſes non adiicere mihi tua, cùm digneris quotidie te tradere mihi? & quid ego negare poſſim tibi ex omnibus quæ dediſti mihi, ſi tu illa ipſa & te mihi tribuis? O Deus, ô Deus, & Abyſſe bonorum, fac, obſecro, vt tu vnicum ſis deſideriũ meum! Abſit à me vt apponam cor meum terræ fruſto, imò replere coner illud terrâ, quando hodie Rex cæli & terræ paratus es me replere gratiâ & diuinitate tuâ, & diuinæ conſortē facere naturæ. Cur adhærebit in terrâ venter meus, quando à te, benigniſſime JESV *mi, & corde tuo & voce dulci, & ſanguine & morte ad cæleſtia tua regna vocatus ſum? Ecce, video, vt iis fruar, & te ipſo paſcar, tu Rex cæli & terræ omnia reliquiſti amore mei, & non habuiſti, ô dulciſſime Redemptor, cui cælum ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum tuorũ, vbi caput reclinares. Reclina igitur ô* JESV *ſpes mea, obſecro in corde meo, paratũ enim cor meum, & declina precor ad manendũ, quoniam ecce adueſpefaſcit dies iſta mortalitatis, & ſuſpirat anima mea ad diem illũ æternitatis tuæ.*

Applicatio ad Communionem.

Iſaiæ 68. Matth. 8.

Ecce, ecce illa N. abnego, & coram te renuntio omnibus, quæ poſſideo, aut poſſidere poſſum potiùs quàm vel in minimo diſpliceam tibi. In te enim habeo omnia, & extra te nihil volo. Quomodo ergo deinceps ego aliquid iniuſtè ad momentum retinebo, vnde æternùm crucier? quomodo precioſis vtar, quando tu, Rex meus, amore mei vilibus? vbi eſſet frons mea, ſi videns te amore mei pauperem & nudum, ego veſtiri appetam ſplendidiùs quàm ſtatus exigat meus? congregare argentum, & te inopem non imitari? ſcio enim quia ſatiari cupiditas non poteſt, ſed, quò plus adiicitur, plus eam irritari. Pudet me vehementer, cùm audio Philoſophos ſua proieciſſe, & me ſollicitum viuere, filium tuum, cui prouidus parens ſollicitè, & perpetuò inuigilas.

Da mihi, quæſo, gratiam, vt omnem ſollicitudinem meam proiicam in te, & animo verè pauper ſim. Beatos enim dixiſti pauperes, & eorum eſſe regnum cælorum, diuites autem dimittis inanes. Cur ergo nolim eſſe beatus, & euadere triſtiſſimum illud Væ vobis diuitibus? Qui enim verè ſerui tui ſunt, ſunt ſicut egentes, multos autē locupletantes, tanquam nihil

Matth. 5. Lucæ 1. Lucæ 6. 2. Cor. 6.

Num. 18. *habentes, & omnia poſſidentes. Intereà nihil cum Leuitis poſſident, nec habent partem in terrâ: ſed dixiſti eis: Ego pars, & hæreditas tua. Ideò etiam venis quotidiè, & mihi te das & paciſceris reipsâ, vt ſim tuus: & cuius ero, ſi non tuus? qui creaſti me, & ſic emiſti, & ſic paſcis, & ſic tibi coniungis? & poterit me quicquam ſeparare à te? quidquid id eſt, mors eſt quæ me ſepararet à te vitâ meâ. Et poſſet id fieri? Eheu! poteſt, ſcio, ſi me reſpicio. Attamen dico, & volo, & cupio vnus eſſe tecũ; mihi enim pauperi & miſero, & eſurienti, & ſitienti, tibi, ô omne bonum, ô ſalus, ô panis vitæ, & fons aquarum viuentiũ; tibi adhærere verè mihi bonũ eſt, & ponere in Domino Deo meo ſpem meam in æternum, in æternum, & vltrà. Amen.*

Deſiderium vnionis cum Deo.

Pſal. 72.

Praxis ad paupertatem amandam.

Quid ſæculares præſtare debeant.

PRIMA. Siue ſæcularis, ſiue Religioſus, recenſeat & enumerata habeat quæcumque poſſidet, videatque an quid iniuſtè retineat, aut Superiore inſcio, ſi Religioſus eſt, aut ſuperfluum, vel nimis curioſum, idque quotannis ſemel & iterum, omniaque Superioris poteſtati reſignet ac tradat.

Quid Religioſi.

Triſte certè eſt & commiſeratione digniſſimum, Religioſum, qui orbem ſpeſque omnes ſuas deſeruit, roſario, libello, ſcalpello adhæreſcere. eoque turpius illud, quò glorioſiùs de mundo triumphârat. Ideò nonnullis in more poſitum, vt catalogum rerum ſuarum habeant; eumque non niſi bonâ conſideratione præmiſsâ adaugeant.

Praxis pro ſæculari.

Secunda. Modeſtiam in habitu ſeruet, ceteraque ſupellectile: quidquid verò ſplendori ſuo detrahit, ſi ſæcularis eſt, aut commoditati, id tribuat Chriſto pauperi, & nuda membra Chriſti eo tegat, quo parietes velarentur.

Alia.

Tertia. Quemadmodum Thomas Morus feciſſe fertur, poteſt quiuis alterius curę ſe committere, vt ſibi proſpiciatur, & datis contentus eſſe: quod filiis familias, ac filiabus, ac maximè Religioſis conuenit, qui gaudere debent, ſi paupertatem experiri digni ſint. neque ferendum certè vt conquerantur, pauperesque ſe velint, ac ſibi nihil deeſſe, cùm diuitibus etiam deſint plurima.

Altera.

Quarta. Cùm ſtatus & dignitas veſtem ſplendidiorem requirunt, poteſt paupertatis & perfectionis amans interiora vilia amare, vt de S. Carolo Borromæo memoratur, & plurimis aliis etiam ſæcularibus.

Nota.

Quinta eſt, exemplo Chriſti pauperes non auerſari, ſed libenter præ diuitibus, qui ſuam conſolationem habent, eis

opem

opem ferre, ad colloquium admittere, per ſe vel ſuos ſolari. Et certè quamuis hoc diuitibus omnibus, etiam Principibus, vſu venire poteſt; maximè tamen Religioſos decet. Intolerabile ſiquidem eſt, paupertatem profitentes, & eius in ſe amorem, ac pauperis Chriſti ſequelam, pauperes faſtidire, diuitibus adulari. Venit enim Dominus pauper, & pauperes elegit, & miſſum ſe pauperibus euangelizare teſtatus eſt. & tu, Religioſe, Chriſti imitator, eos minùs complecti, aut etiam quandoque ſpernere audes? immemorem certè te declaras inſtituti & profeſſionis tuæ, quodque paupertati alimenta, & beatitudinem tuam debeas.

Pauperes non negligendi, minimè à Religioſis.

Sexta, Examinare ſe quo in gradu quiſque ſit. Sunt autẽ ſecundùm Bonauenturam; Primò, relinquere temporalia; Secundò, amicos ſæculares & tẽporales; Tertiò, ſeipſum. Vel Primò, pro tranſitoriis non laborare; Secundò, non appetere; Tertiò, reſpuere & tantùm coactum admittere. Vel Primò, omnibus contentum eſſe; Secundò, neceſſaria tantùm admittere; Tertiò, iis etiam velle carere. Vel Primò, nil ſine licentiâ accipere prærogatâ; Secundò, dare; Tertiò, nihil ſuperflui habere; Quartò, in iis quæ vtenda ſunt, pauperrima optare; Quintò, gaudere cùm neceſſaria deſunt. *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10.

Gradus paupertatis.

De gradu virtutis.

Examen quo defectus Paupertatis Religioſis potiſſimùm explorari poteſt.

Hi autem ſunt Primò, neceſſariis nolle carere; quòd verè pauperis; Secundò, commoda amare; Tertiò, ſua non cuſtodire; Quartò, ſuperflua coaceruare, & petacem eſſe, nec dare libenter; Quintò, viliora reſpuere, & parcitatẽ odiſſe; Sextò, precioſa & affabrè facta in iis quibus vtitur exquirere; Septimò, vti re aliquâ affectu proprietario, ita vt grauatè pateretur auferri; Octauò, per cuniculos agere vt iis vti poſſit; Nonò, contra Superioris voluntatem abſcondere, obſeruare aliqua, vel habere apud alium quidpiam; Decimò, transferre ſine venia, diſpenſare, accipere, aut dare, vel vſurpare ex domo per epicias.

Examen Defectuum circa paupertatem, vtile etiam ſæculari.

Septima Praxis. Conſiderare ſæpe iuuat inſatiabile eſſe cor hominis, & auaritiam nunquam dicere, Sufficit. fruſtrà itaque hominem opibus, honoribus augendis inſudare; numquam enim cupiditati magis ſatisfaciet: cur igitur fruſtrà ſe fatigabit? cùm, ſi voluerit eam moderari, ex nunc contentus eſſe poſſit, quod omnia bona (vt vulgo verè dicitur) ſuperat? O quàm vtile hoc eſſet multis, quibus res domi anguſta, animi verò ampli! quibus quia cum paupertate

Quomodo paupertas diuitibus amplectenda.

non bene conuenit, inquieti alienis inuident, ſordidè quærunt quæ poſteà prodigant, alieno ſe grauant ære creditoribus atque amicis graues; & cùm omnia fecerint, inde colligunt vituperium & dolorem, vnde famam, quietem & honorem ſperârant. Verè enim ſpes impij tamquam lanugo, & tamquam ſpuma gracilis, quę à procellâ diſpergitur. *Sap. 5.*

IACVLATORIÆ.

Pſal. 61. *Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere.*

Eccli. 31. *Beatus diues, qui poſt aurum non abiit; nec ſperauit in pecunia theſauris.*

Matth. 16 *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis.*

Prov. 30. *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi, tribue tantùm victui meo neceſſaria.*

1. Tim. 6. *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quòd nec auferre quid poſſumus.*

Matth. 19 *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.*

2. Cor. 8. *Propter vos egenus factus eſt* JESUS, *cùm eſſet diues, vt eius inopiâ vos diuites eſſetis.*

Matth. 8. *Vulpes foueas habeant, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput ſuum reclinet.* (bis?

Matth. 19 *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo, erit nobis?*

Luc. 14. *Qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Exercitium ſeu conſideratio de Bonorum Vſu, & diſpenſatione pro diuitibus, &c.

Iob 1.

Vnde habeantur bona.

CONSIDERA Primò, vnde, cùm nudus in hunc mundum veneris, tibi hæc bona acceſſerint: & cognoſce à Deo tibi data, non vt dominus ſis, ſed vt diſpenſator: rationem enim redditurus es villicationis & negotiationis, & talentorum vſque ad nouiſſimum quadrantem. An paratus es? hodie enim forte omnium erit tibi reddenda ratio, an iuſtè, an vtiliter, an ad Dei gloriam illius bona diſpenſaueris.

Quæ eorũ reddenda ratio.

Secundò, an obſtrictus ad rationem ſic reddendam ſub pœnâ non tantùm capitis, ſed æternæ damnationis, non debeat eſſe ſollicitus pro bonâ adminiſtratione? quæ autem bona eſt? nónne ea ſola, quæ fit ſecun-

dum

dùm voluntatem Domini? quæ autem eius voluntas, & quo fine hæc eum tibi dediſſe putas? certè vt iis ſalutem æternam acquireres, alios ad eandem perduceres, & ad Domini tui obſequium & laudem. ſi quis verò bonis ad luxum & voluntatem, & animæ graue detrimentum vtatur, Deique contemptum, quà fronte ad Dominum veniet, & rationem reddet? Attende iam qualis ſis diſpenſator, an fidelis, an verò & tuam & aliorum ſalutem bonis his perdideris, Domino contumeliam feceris, & quaſi tua eſſent, iis vſus ſis: imò eo deteriùs forſan vixiſti quo plura tibi contulit bona bonus Deus. Quid ergo? nónne tibi dicet: An oculus tuus, & cor *Matth.20* tuum nequam eſt, quia ego bonus ſum? cur mihi retribuis pro bonis mala, & odium pro dilectione. *Aſpira*, vt ſuprà pag.8. *Hæccine firmâ*, ibid.

Conſidera Tertiò, vnde contingat hæc in ſæculi di- *Diuitum inſania.* uitibus inſania, vt ſibi quid vis libere & licere putent: *Auguſt. de verb. Domin. ſer. 37* & verum ſit illud Auguſtini, ſæculi potentiam eſſe impunitam nequitiam. & videbis id accidere ex obcæcatione, quâ præcipitia non vident, ſed velut equi effrænes in ea ruunt, vel in anguſtâ trabe ambulantes ſe iactant, & ruunt. auri enim fulgor & adulatio, quæ opes conſequitur, faſcinat diuitem, & tumidum reddit. Vnde *1.Tim.6.* Apoſtolus diuitibus præcipiendum aiebat, ne altum ſaperent, præſtantiores enim ſibi videntur propter opes: quaſi verò equum ſtrigoſum & claudum phaleræ aureæ præſtantiorem redderent. Nónne autem præſtantia hominis vera in anima eſt? Quid ſi enim ſtultus auro ſplendeat, & niteat margaritis? ſanè non eo melior vel præſtantior. Age an quiſquam prudens mallet eſſe minùs prudens aut ſapiens, & magis diues? Imò verò diuites cæteris ferè deteriores ſunt. Vnde Sapiens: Beatus *Eccli.31.* diues, qui inuentus eſt ſine maculâ, quis eſt hic, & laudabimus eum? qua qropter & Salomon petebat à Domino: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi. Et ſi Sa- *Prov.30.* pientia æterna pauperes beatos dixit, eſuriētes lugentes, *Matth.5.*

patientes

Diuitum arrogãtia. *Iob.21.* patientes propter iuſtitiam; cur diuites ſe propter diuitias beatos dicunt, tenentque tympanum & cytharam, crapulâ & ebrietate ſe onerant, largi in ludo & conuiuiis vſque ad inſaniam? cur vos in pauperes auari, & vt eos *Luc.14.* iuuetis, inopes eſtis, aut videri vultis? cur, ſi ſuadet Dominus, cùm facis conuiuium, voca pauperes, vos eos deſpicitis? Si humilitatem commendat, cur verbo læſi, verbere, immò alterius morte, vos vindicare vultis? ſi pacificos laudat Dominus, cur faſtu pleni ad duella pronolatis, & propter iuſtitiam pati nihil vultis? Vide quanta diuiti humiliandi ſe ſit cauſa. Inter vinctos, qui de ſuſpendio certior, humilior eſt alio de veniâ prope certò: at qui diues de gehennâ quò certior eſt, eò magis *Luc.6.* ſuperbit. Quid enim dicit Veritas? Væ vobis diuitibus, væ qui habetis conſolationem veſtram: væ vobis qui ſaturati eſtis! Amen dico vobis, quia diues difficile intra- *Matth.19* bit in regnum cælorum. Iterum dico vobis, faciliùs eſt camelum per foramem acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Vide an hæc vera putes; an ita viuas, ac ſi putares eſſe certiſſima. Aſpira vt ſup. pag.8. *Hæccine firmâ fide, &c.* ibid.

Diuitiæ ſpinæ. *Eccli.31.* Conſidera innumeras ſpinas diuitias gignere: non enim fruſtrà à Domino ſpinæ appellantur. Vnde Sapiens: Multi dati ſunt in auro caſus: & facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum. væ illis qui ſectantur illud, & omnis inſipiens in eo capietur. Hæcne credis, & vltrò in laqueos te abiicis?

Eccli.41. *Diuitum mors.* Iam vide quis exitus & mors ſit diuitum. O mors, ait ille, quàm amara eſt memoria tua homini habenti pacem in ſubſtantiis ſuis! quid verò poſt mortem? reuertitur in terram communem matrem omnium, vti nudus *Iob.27.* egreſſus erat. vnde Iob: Si comportauerit impius argentum vt puluerem, & ſicut lutum præparauerit veſtimenta; præparabit quidem, ſed iuſtus veſtietur illis, & innocens argentum diuidet. Quæ ergo habes; cuius erunt? at familiæ erit ſplendor. eheu, & animæ tuæ inde tormen-

tum.

tum. Lautiùs viuent amici : & tu fortè ideò bibes calicem furoris Domini. O ſtulte, an tibi familia non eſt in cælo? quamdiu, vt ſperas, ibi habitabis, qui tam ſollicitus eras vt ſplendidè hîc viueres? quamdiu hîc tua familia ſtabit, immemor tui, aut ſi memor, fruſtrà, & quo ſplendidior, eò ſæpè deterior.

Conſidera Quartò, quomodo deinceps diuitiis ad ſalutem vteris, & audi Dominum, qui tibi eas dedit; qui id ſuadet, imò mandat, vt primò animæ tuæ conſulas : *Diuitiæ ad quid vtiles.*
Facite vobis amicos de Mammonâ iniquitatis, vt recipiant vos in æterna tabernacula : honora Dominum de ſubſtantiâ tuâ : peccata tua eleëmoſynis redime. Ecce quomodo Deum placare poſſis. imò & ſeptuplum & centuplum promiſit; ſed, eheu! in ludum, in conuiuia & luxum pecunia non deeſt; pro animæ ſalute, pro eius victu, pro Dei cultu quoties deficit! Quanto ſatiùs, cùm momentum tantùm ſit vita veſtra, æternos ſibi facere theſauros in cælo, quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Statue ergo honorare Dominum de ſubſtantiâ tuâ : ante omnia tamen iuſtitiæ & creditoribus fac ſatis. ô quàm triſte, quàm turpe te, ô diues, alieno ſplendore veſtiri, & pauperum creditorum audiri gemitus in cælo, cùm exultas illorum bonis & ſanguine in terrâ. Conſidera, an in horâ mortis, & in iudicio iſta non ſint tibi futura in ſingultum. Deinde, prouide familiæ tuæ ſecundùm rectam rationem; non ſecundùm leges ſæculi : Chriſtianus es, Chriſti lege, non ſæculi iuraſti viuere. *Luc.16. Prov.3. Dan.4.*

Poſtremò, honeſtæ etiam licet recreationi aliquid tribuas. Vbi hæc legeris, & intellexeris te bonorum tuorum non eſſe dominum, ſed diſpenſatorem, vide quomodo hactenus diſpenſaueris, & an talem tu diſpenſatorem habere velles. Attende, quantum ludo & luxu, cùm magno animæ detrimento, abſumpſeris, & Dei iniuriâ. Secundò, quot quantaque bona opera illis feciſſes ſi voluiſſes; quantumque ex iis thuſaurum moriturus *Diuites bonorum tantùm ſunt diſpenſatores. Alearum deteſtatio.*

in cælis haberes. Atqui non tenebaris. An forſitan ludere & prodigere debebas cùm ſcires talem reddendam rationem? Tertiò, vide quàm ſecurè & quietè, viuat bonus diſpenſator: non illum ſollicitum creditor agit, non anxium habet rei familiaris anguſtia, ab omnibus colitur, & gratus eſt, vbi alius plurimis vti obſtrictus eſt, ita iis ſupplex eſſe cogitur.

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

Conſidera, vnde contingat hæc ſtultitia, vt plus quiſque gratis expendat, quàm habeat in bonis: vnde iſta inquam prodigalitas? cauſa eſt Primò, quòd putet ſeſe bonis pro arbitrio poſſe vti; quod falſum. vnde monet Sapiens, Benefac humili, & ne déderis impio: ſi benefeceris, ſcito cui benefeceris. Diues autem hoc non conſiderat, & malè beneficia & opes collocat. Paria autem ſunt, ait Hieronymus, dare hiſtrionibus, & ſacrificare dæmonibus. Secunda cauſa eſt gula, propter quam Eſau primogenita ſua dedit pro lenticulâ, & abiit parui pendens quod primogenita ſua vendidiſſet. Ita multi in conuiuiis prodigi, ſtultè vno die multo parta tempore diſtribuunt, & ſe exhauriunt. Et cùm dicat Scriptura: Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; tales de modico multum tribuere volunt, ſed non Deo. Tertia eſt ſuperbia, quâ ſe maiorem & ditiorem, quàm ſit, haberi cupit, & (vt ita dicam) plus vult ferre quàm poteſt, etiamſi ſe diſrumperet. Vide quanta ſit inſania. Vide precor, quàm vanum ſit à paraſitis hodie laudari, & cras rideri; hodie largiri, & cras animam debere; poſſe Deo ſeruire ſecurè, & in omnibus gratificari, & inquietam tamen vitam ducere, & ſepè perditam, dum loculi vacui peſſima ſuggerunt conſilia, & amici ollares ea fouent.

Eccli. 12. *Vide ô diues vbi & quomodo expendas.* *Hieron.* *Nota.* *Geneſ. 25.* *Tob. 4.*

Remedium in promptu eſt, quod monet Sapientia æterna; Primò, ſedere nimirum, & computare ſumptus, ne cenſum ſuperent; Secundò, generoſo eſſe animo, & ſcire vbi vera gloria, quæ non famulorum turbâ; ſed

Quiſque ratione ſubducere debet.

b ni

bonâ vitâ; non ſumptu, ſed prudenti diſpenſatione metienda eſt. *O Deus*, vt infr. pag. 387.

Meditatio ſeu conſideratio de Bonorum diſpenſatione.

PVNCTVM I. Conſidera, quorſum bona hæc à Deo ſint data, nempe vt iis non aliter quàm ad eius gloriam & tuam ſalutem vtaris. Expende an ita feceris. Secundò, ſcias non licere ocioſa relinquere, &, vt ille Matth. 25. talentum abſcondere, ſed mandatum nobis eſſe, vt negotiemur dum veniat Dominus; idque ad maximam eius vtilitatem, ſi ſerui fideles eſſe velimus & collaudari; vt ille Matth. 25. qui quinque talentis acceptis, alia quinque ſuperlucratus fuerat. Cogita, quæſo, an non tu ſic velles tua bona adminiſtrari; an non ſemen, quod facis, fructum adferre centuplum; atque ita collige, meritò Dominum præcipere, vt ſic bonis tuis vtaris, vt fidelis diſpenſator inueniaris. Aduerte deindè, illa tua quæ appellas, tua non eſſe, ſed Domini, ac proinde diſce tuo arbitratu & commodo de iis nefas eſſe diſponere: neque te eſſe fidelem, ſi, cùm poſſis centum annuè (vt ita dicam) lucrari, octoginta tantùm Domino reddas; viginti verò in proprios vſus & vanitatem expendas: vt ſeruus ille Lucæ 16. idem autem facit quiſquis ad Dei gloriam non purè bonis ſuis vtitur, ſed ſuam etiam quærit, aut certè vanitatem.

Cur bona hominibus à Deo data.

Matth. 25

Diſpenſator es, vide vt fidelis.

Lucæ 16.

Aſpira, vt ſupr. pag. 8. *Haccine firmá*, ibid.

PVNCTVM II. Conſidera tres claſſes hominum, ſeu ſeruorum, ſeu mauis filiorum. Prima eorum eſt, qui bona domini, vel patris, expendunt ad eius contumeliam, vtque bellum illi inferant. eiuſmodi ſunt, qui bonis ad luxuriam & faſtum abutuntur, & ſodales & amicos exemplo & aliter ad huiuſmodi inuitant, vel iis illa largiantur qui id faciunt, vt commodiùs faciant, & ſic ære ſuo hoſtes Dei fouent. Nónne enim illos comparare aptè poſſumus his qui à patre vel domino pecu-

Tres claſſes vtentiũ bonis.

niam accipiunt, vt eis ſeruiant, eoſque tueantur: quique eâ acceptâ, ſicarios & latrones in necem patris, ſeu domini conducunt, quorum etiam ſe duces conſtituunt?

Matth.6. Alia claſſis eſt eorum qui Deo ſeruire volunt & mammonæ, vti Samaritæ Deo & idolis, Domino & ſibi negotiantur. Hi, vbi herus ponit inſignia ſua, illic etiam propria collocant: ſi hero duodecim debeantur, ſex ſibi capiunt; gloriæ, inquam, vel vtilitatis partem. Hi ſunt, qui in conſpectu Dei dicunt ei, ſe velle partim eius voluntatem, partim ſuam adimplere in bonorum vſu. Tertia claſſis eſt eorum, qui ſciunt ea, quæ poſſident, prorſus aliena eſſe, eaque Domino offerunt, vt iis ad arbitrium vtatur, & ſollicitè quærunt, quomodo iis maximam voluptatem, honorem & gloriam conſequi Dominus poſſit. Hi ſunt verè reſignati, & qui inuenti ſine maculâ, poſt aurum non abeunt: hi ſunt, qui, vt Chriſti ſint diſcipuli,

Luc.14. renuntiant omnibus quæ poſſident, vt Luc. 14. præcipitur. Vide in quâ claſſe hactenus fueris & eſſe velis. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Stricta bonorum ratio danda in die iudicij.

PVNCTVM III. Conſidera, rationem bonorum maximam habendam & reddendam eſſe in die iudicij: de eorum enim diſpenſatione ita Matth. 25. agitur, quaſi aliarum ibi rerum ratio nulla haberetur. Secundò, conſidera quomodo cupiditas humana in hoc mundo ad ſumma tendat, & pecuniam in cibum, veſtem, domum, agros, non niſi optimè collocari optet, & quæ dementia in æternitate, neque de optimâ manſione, nec de victu aut veſtitu, magnoperè curare? Nónne ſtultus putaretur mercator, qui cùm poſſet eodem pretio comparare precioſam margaritam, multò deteriorem ſciens ſibi vel hero emeret? Aliter Sapientia æterna

Matth.13 docet, dicens: Simile eſt regnum cælorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: & inuentâ vnâ pretioſâ dedit omnia ſua, & comparauit eam. Expen-

Lucæ 16. de hæc coram Deo, & ab eo lumen & gratiam pete, & dole, quòd tu filius lucis non tam fueris prudens in

gene-

generatione tuâ, atq; filij huius ſæculi, qui aſſiduè quærunt quomodo plus fructus & honoris & commodi ex pecuniâ colligere, ex agro, ex arte ſuâ, &c. queant, & ad hoc mare & terram obeant; tu verò vide an exemplo, vel neſcio quo motu actus, vbi poſſis centuplum accipere, octoginta cupias; vbi poſſis certò collocare; plurimis periculis tua & te exponas. *Imitari ſæculi filios.*

COLLOQVIVM erit, quo te tuaque diuinæ Maieſtati offeras, hoc vel ſimili modo: O fons bonorum omnium, à quo omnia mihi bona venerunt, quorum ego me fateor ſolùm diſpenſatorem, offero ea, id eſt tua tibi: tua enim ſunt, & vehementer opto ea ad honorem nominis tui impendere. vtinam ſcirem quo pacto id meliùs præſtare poſſem! certè vt fidelis ſeruus promptè id facerem, per gratiam tuam ad maximam gloriam tuam. Amen. *O Deus meus*, vt inf. pag. 387.

Meditatio ſecunda de eadem.

PVNCTVM I. Conſidera in diſpoſitione bonorum primò quærendam Domini voluntatem; quidquid enim contra, vel præter illam impenderis, te reddere cum vſuris oportebit. quocirca vt in aliis rebus Deum ſuppliciter roga, vt tibi voluntatem ſuam aperiat: ita Joannes Patricius Romanus ſollicitè quæſiuit in quod opus pium Deipara erogari ſuam vellet hæreditatem: quæ ei oſtendit ſibi fore gratum, ſi in eccleſiam ſuas facultates expenderet, & hoc inſigni miraculo declarauit. Vt autem voluntas Dei tibi cognita ſit, reſignato animo eſſe oportet; neque enim reuelat illis Deus voluntatem ſuam, quibus decretum eſt propriam ſectari. Hoc eſt quod per Prophetam queritur Deus: Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt; quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei non dereliquerit; rogant me iudicia iuſtitiæ; appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti; humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? ecce in die ieiu-

In diſpoſitione bonorum diuina voluntas inueſtiganda.

Vide breuiarum 5. Auguſti.

Iſaiæ 58.

nii veſtri inuenitur voluntas veſtra. *Credo tibi*, vt. ſ. p. 7.

Quæ eleëmoſyna optima.

PVNCTVM II. Vt autem ratiocinando quænam ſit voluntas Dei aſſequaris: Conſidera, quæ eleëmoſyna melior ſit. Eſt verò illa, quâ Dei honor maximè propagatur, vnde hæc ſunt piorum vota, vt optent ſuis facultatibus & aliis modis efficere, vt omnes Deum agnoſcant & ament; atque adeò, ſi cælos nouos creare poſſent, & Angelorum hierarchias in Dei laudem perpetuã, id ſanè præſtarent. Cùm verò Deus à iuſtis & bonis maximè honoretur, ſi quis, vt id illi commodè præſtent, ſua conferat, id Deo acceptiſſimum eſſe apparet. Bonorum verò duo genera ſunt: vnum eorum, qui vt Chriſtum ſequi poſſint, & meliùs illi ſeruire, ſponte ſuâ abdicant. Et quantopere Rex huiuſmodi ſibi deuotos milites à ſubditis ſuis ali deſideret, manifeſtum eſt. Aliud genus bonorum eſt eorum, qui aut ſorte, aut vitio ſuo, aut coactè ſiue ex neceſſitate pauperes ſunt: quibus ſi tua conferas, omninò rectè etiam feceris. quanto tamen gratior Deo ſit eleëmoſyna cæteris paribus illis potiùs, quàm his collata, liquet. Inter hos duo item alia genera reperies; vnum, quod ſibi viuet, & Domino ſeruit: aliud, quod inſuper complures ad Domini obſequium adducit, nomen eius celebrat, imperium propagat & tuetur.

Diuites procuratores ſunt.

Et huiuſmodi Religioſos nonnullos eſſe, omnibus notum. diuites autem procuratores eſſe videntur, opibus ad hoc donati, vt operarios eiuſmodi ad obſequiũ Domini adducant. quo verò illi aptiores & perfectiores, eò meliùs rem Domini agunt; magis certè quàm iis, qui incerto euentu erudiendos ad miniſterium multo labore adſciſcunt. Id ex militiâ ſumpto exemplo clarius euadet. Quis enim Rex non mallet exercitatos milites, quã prorſus tirones? quis non mallet aſſcriptis à ſe in militiam annonam præberi, quàm tirones legi, qui incertũ an futuri militiæ apti? denique quos ſapientiſſimus dux magno ſtudio delegiſſet è millibus, hos meritò quiuis aptiores militiæ eius, & gloriæ propagandæ iudicaret.

Qui pauperes præ aliis alendi.

Applica

Applica hæc Chriſto Regi, clero & Religioſis,& aliis qui proximi ſaluti vacant: his enim teſſera militiæ vocatio eſt,alij quicumque aluntur,hoc fine aluntur,vt tales, vel ſimiles aliquando euadant. ſic etiam gratius eſſet Regi, naucleros pro ſuâ claſſe ali & conquiri, quàm epibatas & ſentinarios; ſiue architectos potiùs quàm viles operas. Quàm verò glorioſum ſit Deo & homini, laudatores Dei, propugnatores fidei, complures architectos & naucleros in dubio hoc mari & naufrago vndique colligere, luce clarius exiſtit: ſic enim eleëmoſyna latiſſimè diffunditur, eiuſque fructus, cùm vni corporalia præbentur, vt multis ſpiritualia tribuantur; imò etiam corporalia. denique hoc certum ſit; eleëmoſynam ex omnium Theologorum conſenſu potiùs ac priùs meliori tribuendam. Vnde Hieronymus contra Vigilantium explicans illa verba: Facite vobis amicos de Mammonâ iniquinatis. Num, inquit, iſti pauperes, inter quorum pannos & illuuiem corporis flagrans libido dominatur? non, ait, ſimpliciter pauperes; ſed, pauperes ſpiritu beati appellantur: in vulgi pauperibus ſuſtendandis nequaquam intellectu; ſed eleëmoſynâ opus eſt; in ſanctis pauperibus, beatitudinis intelligentiâ, ſicvt ſcriptum eſt: Beatus; qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus.

Hier. contra Vigilant. c. 5. Luc. 16.

Pſal. 40.

Oblatio quâ diues verè fit pauper & beatus, & illud, væ diuitibus, euadit.

O Devs *meus ecce hæc bona mihi largitus es, ô infinita bonitas; ſed veréne bona ſunt? O bone* Jesv, *tu æterna veritas dic mihi, obſecro; quia audit ſeruus tuus; & ecce væ, ais, vobis diuitibus qui habetis hîc conſolationẽ veſtrã; væ vobis & bona ſunt hæc? eheu infelix ego homo, cui tu ob iſta væ minâris, ô fons bonorũ, imò addis: Amen dico vobis, quia diues difficile intrabit in regnũ cælorũ; & rurſum: Facilius eſt camelum tranſire per foramen acus, quã deuitẽ intrare in regnũ tuũ, hæccine ergò bona, hæccinè vera ſunt, ô æterna veritas?* Matth. 19

ritas! & illa bona ſunt, ô æterna bonitas! quomodo bona: an quia tibi ſummo bono acceptos nos reddunt? ſed elegiſti, vt ait Apoſtolus tuus, pauperes in hoc mundo. & num fortè iis meliores ſumus diuites? Eheu ſi diues fueris inquis, non eris immunis à delicto: omnes qui volunt diuites fieri in hoc ſæculo, incidunt in tentationes & laqueos diaboli; & multos perdidit aurum & argentũ, ſed fortè diuites meliùs ſeruiemus tibi? Verùm audio, Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ; nõ poteſtis? nõ poſſumus? & bona ſunt hæc? veruntamen aliquando conuertes nos ad te: quid? nónne aſſeris quòd qui amat aurũ, non iuſtificabitur? nihil enim eſt iniquius quàm amare pecuniã & beatus vir qui poſt aurũ nõ abiit, nec ſperauit in pecuniæ theſauris; & Beatos ais pauperes ſpiritu, & meritò, quoniã ipſorũ dixiſti eſſe regnum cælorũ. O vox Domini confringentis cedros! vox Domini reuelantis condenſa! An huic credo Deus meus? veréne credo tibi ô æterna veritas? veréne credo ſapientia æterna? ſi vera ſunt, ſi certa, ſi indubiata reſponſa tua, nónne væ mihi miſero, quẽ bona fluxa, ad vitæ huius momentum retinenda ſeparare poſſunt à te ô omne bonum! Quid faciam tibi ô cuſtos hominum, quare poſuiſti me contrarium tibi? ſcio quid faciã, honorabo te de ſubſtantiâ meâ, quid aio? tua, inquã. Quid enim intuli in hunc mundũ? diſpenſator quidẽ tuus ſum ſed eheu! ſi ponas rationes cum ſeruis tuis, quis fidelis inuenietur? Scio quid faciã: anguſtiæ mihi ſunt vndiq; & iactor in naufrago mari. Potiùs quã pereã æternũ, proiiciã omnia, & tu mihi reſtitues hæreditatẽ tuam. Anguſta eſt via, potiùs quàm excludar à te, in æternum libentiſſimè exuam omnia, & ſcio, ſcio inueniam omnia.

Eccl. 11. — 1. Iac. 6. — Luc. 16. — Eccli. 31. — Ibid. — Matth. 5.

Sequi te nemo omninò ſeu ſæcularis ſeu Religioſus poteſt, niſi qui renuntiauerit, ſaltẽ animo, omnibus quæ poſſidet. nemo? Renuntio ergo omnibus, & volo & rogo, & humillimè rogo & obſecro te per viſcera miſericordiæ, vt poſſim eſſe diſcipulus tuus. O Domine, ô ſalus noſtrâ, ô vita noſtra, tu nõ delectaris in perditione & morte noſtra; aufer ergo à me concupiſcentiã, & ſuſcipe hoc deſideriũ meũ quo animo meo omnibus renuntio, re ipsâ etiã paratus facere potiùs quã te offendam, & pauper eſſe potiùs cum Lazaro, quàm cum Epulone

Lucæ 14. — Renuntiatio rerum temporalium.

diues

diues, itaq; cor meũ & omnia mea, id eſt, tibi tua offero, diſpone de iis vt tibi placet; ſi enim tua ſunt vti ſunt, iniquus ſum ſi velim arbitrio meo, de tuis diſponere, O Domine dominantium. Si igitur tollas per vim hominũ & iniuriam, aut aliter à me bona, ſuſtinebo, & humiliter dicam cum Iobo, Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſit nomen Domini benedictum. Si petas à me tua per pauperem, reddam libens, nam tuũ repetis, & pro tuâ charitate infinita promittis centuplum, & non credã tibi? & potero vñquã à me vllũ triſtẽ dimittere? nequaquam; ita propono coram te, & curiâ tuâ. Quidquid cognouero ratione, aut prudentiũ conſilio, aut ſanctâ inſpiratione, fore pro maiori tuâ gloriâ (nõ meâ) id faciam, deſerenda ſemel iã affectu per gratiã tuã deſero, perdenda iam perdo, vt ea inueniã, iam abrenuntio omnibus vt tuus ſim diſcipulus. Mundus hæc non nouit, cuius eſt hic congregare, familias ornare, & domos multiplicare. Ego verò ſeruus tuus ſum, & diſpenſator fidelis eſſe cupio: Quod pro maiori gloriâ tuâ, pro ſalute meâ pro animarũ lucro magis eſſe cõſpexero, magiſq; ex voluntate tuâ, faciã; reddenda enim erit ratio, & à me petes cur nõ dederim ad vſurã talenta tua, neq; enim fallere te poſſũ, & ſcio quid à ſeruo meo velles; ſcio quid à me tu velis; dixiſti enim oportere pecuniã meã dare ad vſuram, & ſi dedero tibi, etiã centuplũ reddes, ergo me & omnia toto corde do tibi, & ecce iã affectu pauper ſum; Ecce reliqui omnia & ſequor te, quid ergo erit mihi? Tu mihi Deus meus & omne bonũ: tu mihi eris omnia, qui dediſti mihi vitã tuã, corpus & ſanguinem tuum, & omnia. Reddo tibi me, & hæc omnia, credo enim & firmâ fide, quòd à te accipiã centuplum, & vitã æternã poſſidebo. Credo tibi quia veritas es, potiùs quàm homini mendaci. Credo tibi quia bonitas es, & vinci nõ potes liberalitate; etenim quæ verè tua ſunt, ea reddimus tibi. O Deus cordis mei, ſuſcipe ea, ſicut corde ſincero offero: vt quando placebit tibi, re diuitem, ſed affectu pauperem, recipias in æterna tua tabernacula. Amen.

Praxis.

HÆc facilè colligi poteſt ex iis quæ ſuprà dicta, pauca tamen accipe, &

Cauendum ne aliena quis poſſideat. Primò, recenſe bona tua, & vide num quæ mixta ſint aliena; ne hæc, velut tinea, tua conſumant, ne verò tuis fur appropiet, tranſmitte crebrò manu pauperis in cælum, ibi domum, ibi agros compara æternos.

Secundò, delibera cum prudentibus, quomodo impendere tua maximo lucro poſſis pro tuâ tuorumque ſalute.

Æmulare filios ſæculi. Tertiò, ſæcularium mercatorum induſtriam non tantùm æmulare, ſed, ſi potes, cùm de æternitate agatur, ſupera.

Quartò, vt illi rationes ſubducunt lucri temporalis, ſic tu ſpiritualis.

Quintò, vt illi certos inſtitutores habent, ſic tu pauperes; quibus compares tibi æterna tabernacula. Vt illi nō vno in loco, ſed vbicunque poſſunt, colligunt pecuniæ fructum, ſic & tu collige vndecunque liberalitatis theſauros.

Dignatus es. &c. vt ſup. pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Pſal. 72. *QVid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram?*
Pſal. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei.*
Pſal. 8. *Et quæ eſt exſpectatio mea? nónne Dominus?*
Pſal. 141. *Portio mea Dominus ſit in terra viuentium.*
Matth. 16 *Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?*

CAPVT XXIV.

Deliberatio de delectationum appetitu moderando, tertio auxilio in viâ Dei.

Sap. 4. HOMO. O quàm pulcra eſt caſta generatio cum claritatè! immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines: cùm præſens eſt, imitantur illam; & deſiderant eam cùm ſe eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum præmium vincens. Sic ſonat in auribus vox tua dulciſſima, Chriſte IESV, & afficit intima cordis mei; verumtamen cùm in omni vitæ genere dederis, ô Bonitas infinita, vnde gaudeat cor hominis, & rurſum intonet Apoſtolus tuus: Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concu-
Galat. 5. piſcentiis ſuis; quid faciam, ô magni conſilij Angele, ô

Sapientia ęterna? trahit me voluptas periculoſa eſca, quâ multos aduerſarius ineſcat & in interitum rapit.

CHRISTVS. Fili, dixi ego veritas: Qui non odit patrem & matrem, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Credis hoc? Nónne vides, quia tranſit mundus & concupiſcentia eius, & tranſit velut vmbra? ô ſi amaritudines quibus condiuntur mundana gaudia, deguſtares? clamares vtique mortem in ollâ eſſe, neque edere ex eâ, neque bibere poſſes de calice hoc, cuius fæx non eſt exinanita, ex quo bibunt omnes peccatores terræ. Quid enim ſunt voluptates corporis & ſenſuum, videre, audire, ſentire? nihil aliud quàm momentaneum aliquod gaudium, idque de re extra vos longè poſita, quæ vobis tantummodo per ſolam ſenſuum cognitionem coniungitur, neque tamen vnquam verè poſſidetur. Imò attende, & vide quàm vana ſit voluptas & omnia. Ecce licèt Rex eſſes, & tamen regnum te poſſidere ignorares; nihilo felicior eſſes, quàm ſi eo careres. Vel è contrario, ſi fingeres te Regem eſſe, vel regnum habuiſſe, eodem modo te fictio, ſicut res ipſa vera afficeret. Hinc qui ſe beatum putat, etiamſi verè miſer ſit, gaudet, vti beatus: Qui verò ſe miſerum putat, miſer eſt, etiamſi bonis omnibus affluat: vt auaro inter opes accidere ſolet, & ambitioſo inter honores, & delicioſo inter delicias, quarum extrema maior amaritudo ſemper occupat. Vbi verò ſis ſi attenderes, in valle ſcilicet lacrymarum, exilio, carcere, putas liberet deliciari tibi, quem lictor ad portam, vt ducat, expectat? *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ*, &c.

Luc. 14.
Voluptates amaritudine condiuntur
1. *Ioan.* 2.
4. *Reg.* 4.
Pſal. 74.

HOMO. Magnam omnino ſentio vim eſſe voluptatis: eheu per eam video columnas cæli & ſtellas cecidiſſe, & totus contremiſco. Adamum vnius pomi voluptas, Eſauum pultis cepit, & perdidit: & quos non libido ſupplantauit? Dauidem ſanctiſſimum, ſapientiſſimum vicit Salomonem, & fortiſſimum Samſonem ſuperauit; Video, Domine, nemo continens eſſe poteſt,

Gen. 25.

nemo deliciis,nemo vitiis abſtinere,niſi tu dederis.

Haccine vera,vt ſup.p.7.

Voluptatis & abſtinētię effectus CHRISTVS. Hoc eſt ſapientiæ initium & ſalutis, ſcire & cognoſcere quòd non ſitis ſufficientes aliquid ex
2.Cor.3. vobis tanquam ex vobis cogitare. ſufficientia enim omnis veſtra ex me eſt. Vide tamen quid ad ſalutis optatum finem conferat voluptas, quid abſtinentia. illa hominem eneruat, mollem facit,& velut in viá viatorem quidem momento reficit, ſed ſæpè tardantem cæleſti patriâ excludit.quis enim facilè modum voluptati ponit? in tam lubrico loco quis conſiſtit? & vt poſſit, non inuenitur ſapientia in terrâ ſuauiter viuentum.
Iob.28. Finge hominem qui cum Salomone nihil deneget oculis ſuis, & abeat in viam concupiſcentiarum ſuarum; quid in illo, niſi imaginem prodigi reperies? Videre omnia ardet, & ſitim non reſtinguit; audire, & ſemper plura auet cognoſcere; vult guſtare, & rurſum guſtata deſipiunt; trahitur in omnem patrem, & vt Euripus agitatur: modò videre vult,modò audire, modò ambulare: viciſſitudo in omnibus placet, non tamen placat appetitum, ſed accendit vt oleum camino additum, nulla ibi virtus,non modeſtiæ decor, non temperantiæ ſplendor,non tranquillitatis cæleſtis imago; ſed multis dominis ſeruitutem ſeruiens, in partes trahitur, nullique ſatisfacit, nuſquam quieſcit, ſibi grauis, ſibi ipſi diſplicet & faſtidio eſt.hoc vnum agit,& nihil agit,quando inutilibus ſe onerat & exonerat. Et quemadmodum turpe foret vni colori* & ſapori omnem intendere ſollicitudinem; ita etiam variis: varias etenim cupiditates induere non eſt laudabile, ſed magis vituperio dignum. Ille autem id agit, & variis ſeſe ſubdit, ac quaſi brutorum formam induit, qui gaudet vt canis de luxuriâ, de voracitate & voluptate vt porcus exultat.
Pſal.31. Nónne id monebat Propheta meus dicens, Nolite fieri ſicut equus & mulus?

*Haccine vera,&c.*vt ſup.pag.7.

Homo

Homo. O quanto melius eſſet generosè ſeipſo eſſe maiorem, & terrenis his excelſiorem animum gèrere! Quis libero amico eam perpetuam ſeruitutem ſuaſerit, tot vincula, tot compedes, quibus ſi non in interitum, in mille moleſtias trahatur? At verò qui in his temperatus eſt, nullius niſi tui Domine Jesv indiget, liber eſt libertate ſanctâ, & tibi propiùs accedit, qui nullius omnino indiges: & quemadmodum ſi quis omnia in ſe haberet, felix eſſet; ita proximè ad felicitatem accedit, qui gratiâ tuâ pauciſſimis indiget, eaque accipit de manu tuâ, cùm de nullis, non cibo ventris ſui, non potu, non recreatione ſollicitus ſit; ſed quomodo placeat tibi. ille quouis ire, & in cælum cogitatione cùm libet, abire poteſt, non iſtis illigatus quæ aggrauant & deprimunt animam noſtram. *Voluptates, vincula.*

Christvs. Cùm verò ad mortem venerit homo, quantam putas abſtinuiſſe etiam licitis iucunditatem, ſummamq́ue pariet in eius mente fiduciam? & capiet dulciſſimum ex eo ſolatium, eò quòd ſponte pridem amore mei dimiſſum ſit, quod tum neceſſariò dimittere oportebit. Quàm gaudet tunc, qui multa negauit oculis ſuis, qui pepigit cum iis fœdus ne cogitarent de virgine! tum enim clarè videt nihil eſſe omnia mundi gaudia, & ludibria, & pro nihilo ferè omnes homines inſanire & perire. *Iob. 31.*

Homo. Sed tamen, nónne licita multa in hoc genere ſunt, ô æterna Sapientia?

Christvs. Sunt vtique, ſed diligenter cauendum eſt, ne, dum relaxare animum vultis, ſoluatis omnem harmoniam, & quaſi concentum quendam bonorum. Sanè neceſſe eſt recreari corpus, & animi arcum non perpetuò tendere. verùm eæ recreationes eligendæ, quæ ab illicitis longiùs diſſident: ne qui in confinio peccati ambulat, & periculum amat, pereat in eo. Vide etiam vt qui illicitia multa commiſiſti, etiam à licitis aliquibus abſtineas. cuius enim ſub vexillo militare te profiteris? *Animus interdũ relaxandus.* *Amb. l. 10. Officiorũ.* *Eccli. 3.*

nónne meo Domini tui crucifixi? Et tu mundo talem te probare poteris, ſi indulgeas cupiditatibus tuis?

HOMO. O dulciſſime IESV, & quidẽ, ſi voluptas placet; nónne magis debet æterna? nam, ecce, ſi hanc viſus vel auditus vitauero, æternam mihi promittit. Et quomodo, ſi hæc credimus, non libentes mortificamus carnem cum vitiis ac concupiſcentiis ſuis? *Galat. 5.*

Credo tibi, &c. vt ſup. p. 7.

Sanctorum ſolatia. CHRISTVS. Nónne hoc Sanctos meos in eremo ſolitarios, conſortio & ſolatio hominum vt ſponte ſe priuarent effecit? ſæpè toto vitæ tempore, ſæpè annis multis auſteritatis & ſilentii obſeruantiſſimos, ſeueros ſenſuum cuſtodes? quod iam multis ſæpè cohortationibus, regulis ac ſtatutis à Religioſis aliquando aut vix, aut non poteſt impetrari. Quid cauſſæ eſt?

HOMO. Tu noſti, Domine, imperfectum & tepiditatem noſtram, odibilem quidem tibi, ſed & ſanabilem. O quàm rectè ad hoc quidam per te dixit: Si ſpectaculis interioribus non careres, nunquam ad exteriora exires, ſiue vacares, aut voluptate abſtrahereris, quæ quantumcumque fœda, tamen trahit. Nónne ideò vix, ô IESV, vix poteſt videri in multis detractionis & maledicentiæ emendatio, eò quòd ſolùm pruritus, eheu, quiſpiam ſit, & delectatio in alterius vlcere, ſordibuſq; fodicare? Qui verò viri virtutum fuerunt, carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis ſuis. Ideò Dauid aquam effundens olim ſacrificauit toto corde tibi, & Moyſes grandis factus elegit magis affligi cum populo Dei, quàm temporalis regni habere iucunditatem. Paulus verò tuus caſtigabat corpus ſuum, & in ſeruitutem redigebat, ne fortè, cùm aliis prædicaſſet, ipſe reprobus efficeretur. Similiter & omnes Sancti tui quo Spiritu ducti? quo impulſi? Quid verò magis pudere Chriſtianos debet, quàm quod Ethnici etiam oculos à formâ præſtantiore, & aures à petulanti ſermone, & manus ſæpè ab auaritiâ abſtinebant, qui paulò plus cordis habebant? *2. Reg. 23.* *Hebr. 11.* *1. Cor. 9.* *Ethnicorũ modeſtia.*

bant? Jam verò, Domine JESV, quaſi cum Epicuro laxaſſes habenas omni voluptati, ſic multi paſſim proruunt in ſenſuum curioſitates & oblectationes: & eheu, ſi negentur, grauis illis afflictio, & tamen diſcipuli tui dici & haberi volunt. Ethnici voluptatis regnum cum virtute conſiſtere non poſſe aſſerebant; neque in Republicâ voluptuoſos, qui ei ſeruirent idoneos, ſed probroſos. Quid verò de Chriſtianis multis dicemus? Domine JESV, ô Sapientia æterna, an confiteri fratres poteris coram Patre tuo, quos adeò degeneres vides ab exemplo tuo? quid enim nos aliud totâ vitâ docuiſti, quàm deliciarum affectum moderari? eligiſti enim quod carni moleſtius eſt: id ergo melius, id vtilius, id magis eligendum, & quiſquis aliud docet, vel ſuadet, ab eo tamquam ſeductore cauendum eſt.

Voluptas Chriſti exemplo fugienda.

Bern. ſerm. 1. de Nat.

Quare tam pulcer cælorum aſpectus.

Credo tibi, &c. vt ſ.p.7.

Nónne etiam idcirco tot innoxias voluptates & oblectationes in pulcerrimo cælorum aſpectu dediſti nobis, totque quotidie producis liberaliſſimâ manu tuâ herbarum & fructuum genera? vt ſaltem velut in Paradiſo Adamum oportuit, abſtinentiam à paucis & paruis libentes tibi dicaremus. Sed ô inſaniam! quærit homo gaudium & quietem, vbi certò inueniri non poteſt, in fœdo lacu ſcilicet vanitatis: an enim ſatiatur vnquam oculus viſu, vel auris auditu impletur? Et certò ſcitur, quod qui biberit ex lacu voluptatis, ſitiet iterum, & magis ſitiet, ita vt ipſamet in tormenta oblectamenta vertantur, deſideriumque naſcatur bibendi, & habendi intolerabile & inſatiabile. Quando, ait guloſus, euigilabo, & rurſus vina reperiam? & licet voluptas, vt ait Bernardus, videatur eſſe medicamentum, tamen facit ad infirmitatis augmentum, ipſumque medicamentum in vulnus vertitur.

Eccleſ. 1.

Bernard.

Aſpira, vt ſup. p. 8. *Hæccine firmâ fide credo*, ibid.

CHRISTVS. Vnde Sapiens meus meritò aiebat: Inueni amariorem morte mulierem. quod ad omnem

Eccleſ. 7.

meritò

Iob.20. meritò voluptatem transferre potes, in quâ pereunt robuſti Iſraël, & cùm ſatiati fuerint, arctantur, & omnis *Seneca.* dolor irruit ſuper eos. Ebrietas enim vnius horę hilarem inſaniam nónne longi temporis tædio penſat?

Oratio. HOMO. Itaque ſi delectari libet, delectari in te, Domine, cupio, & ſcio dabis mihi petitiones cordis mei: & ſi medico præcipiente ob valetudinem aliquibus abſtineo, quanto magis propter te, Deus meus, qui tam ſeverè eam voluptatem in parente noſtro caſtigaſti, & in nobis filiis eius etiamnum poſt tot ſæcula caſtigas? Te- *Iob.21.* neant alij tympanum, & citharam, & gaudeant ad ſonitum organi; ego verò delectabor in te, Domine, & replebis me lætitiâ cum vulto tuo. Viuant licet ſęculi filij in deliciis: meliùs longè mihi adhærere Deo meo, & voluptas mihi maxima erit propter te carere voluptate, vt guſtare poſſim & videre, quàm ſuauis ſis, Domine Deus meus, & diligere te ex toto corde meo, quod totâ animâ meâ in æternum deſidero, ô gaudium noſtrum, ô pax & requies mea ſola & vnica, Amen.

Meditatio I. De Caſtitate.

COMPOSITIO LOCI. Erit ſpectare Chriſtum Dominum, quem B. Virgo, & tot myriades virginum in cæleſti palatio ſequuntur.

Præſtantia caſtitatis. PVNCTVM I. Conſidera præſtantiam huius virtutis, quantam animo pariat tranquillitatem & felicitatem: adeò vt Philoſophus Plato diceret hominnm vitam *1.Cor.7.* fore inſtar deorum, ſi abſque vxoribus homines eſſe poſſent. Secundò, contrarij vitij moleſtias: nam verè omnino experiuntur tribulationem carnis voluptatum amatores. Tertiò, collige dignitatem illius ex precio quod pro ea ſapientiſſimi dederunt. Quot enim virgines & Sancti, pro hac ex Chriſti amore vitam prodegerunt? Aſpice Agnetes, Catharinas, Barbaras, & totum virginum chorum. An hos, an mundum falli putas? Quòd ſi martyrium iis defuit, domeſticum quæſierunt,

id eſt;

id eſt mortificatione durâ, & aſperâ vitâ ſeruare puritatem ſtuduerunt. Collige Quartò precium eius ex difficultate, quâ totus ferè mundus ſuperatur: vnde etiam cùm tanta foret ac ſupra naturam, conſilij Deus opt. max. non pręcepti eſſe voluit. Conſidera Quintò, quòd ſit ſignum prædeſtinationis, ideoque caſtos vaſa honoris appellari. *Hæccine vera*, vt ſup. p. 7

Caſtitas eſt ſignum electionis.
1. Theſſ. 4.

PVNCTVM II. Conſidera priuilegia caſtitatis. Primò homines Angelis ſimiles facit, imò, quia hi ſine corpore ſunt & luctâ, caſti ſuperiores iis ſunt, iuxta S. Bernardi ſententiam. Secundò, ab Angelis caſtus cingitur & cuſtoditur; vt pueri illi in camino, & percipiunt quaſi ventum roris flantem, ac reſtinguentem ardorem libidinis. Tertiò, Deo gratiſſimus eſt caſtus, eiuſque deliciæ, vt Baſilius ait, ſunt, eſſe cũ caſtis. hinc B. Virgo electa è millibus, B. Joannes præ cæteris dilectus. Quartò, anima caſta deſponſatur à Chriſto in fide & miſericordiâ, & ſuauitate ſpirituali pro carnali perfunditur; vt centuplum verè in hâc vitâ accipiat, cùm innumeris miſeriis liberetur, & plurimis bonis cumuletur, ideò eunuchis Dominus promittit nomen melius filiis & filiabus, & quòd ſors illorum erit in templo Dei acceptiſſima.

Priuilegia caſtitatis.
Baſil. l. de vera virginitate.
Oſeæ. 2.
Iſaiæ 56.

Aſpira, vt ſup. p. 8. *Hæccine firmâ fide*, ibid.

PVNCTVM III. Conſidera caſtitatem aptiſſimum facere hominem amori Dei, ob libertatem quâ fruitur; alligatum verò vxori corporis ſui poteſtatem non habere: qui enim ſine vxore eſt, cogitat quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo; qui cum vxore eſt, diuiſus eſt. Secundò, quia anima caſta Chriſtum ſponſum habet in cælo, Verbum Dei in ipſo ſinu Patris; ipſe enim virgo virginem elegit. Tertiò, attende quòd ſimiles Deo faciat: incorruptio enim facit proximum Deo, & ſpeculũ mundum. Credis hoc & adhuc te trahit vana voluptas, & à Deo retrahit? Quartò, quod ſacrificium ſit, quo, vt dicit Origenes, nihil Deo eſt gratius, nihilque ad illum nobis conciliandum aptius. Quintò, quòd vt D. Hier. marty-

Effectus caſtitatis.
1. Cor. 7.
Caſta anima Chriſti ſponſa.
Amb. l. 1. de virgin.

Lib.1.de virgin. martyrio caſtitas comparetur; immò Martyres faciat. Sextò, quòd præmium virginibus ſummum tribuat in cælo, vt ſequantur agnum quocumque ierit, & cantent *Apoc.14.* ei canticum nouum. Conſidera deinde, quantâ curâ ea gemma ſeruanda ſit ob innumera ferè pericula; quam *Magnâ curâ ſeruanda caſtitas.* fugienda propterea omnis occaſio, & familiaritas cum diſpari ſexu. Attende verò humilitatis tibi cuſtodiã eſſe *Bern.ſerm. 1.in feſt. SS.* adhibendam; & vide quo pacto id facias. Præterea obſerua ſedulò, & diligenter cole obedientiam, qui talem inuenit anima inferiorem ſuum, vt Bernard. qualem ſe exhibuerit Superiori; & rebellionem carnis dicit arguere inobedientiam. Quartò, voti creba renouatio etiam iuuerit plurimùm eos qui illud nuncupârunt.

O Beatiſſima, vt inf.p.400.

Meditatio II. de Caſtitate.

COMPOSITIO LOCI, Conſidera Beatiſſimam Virginem ſtipatam virginibus, in cælo coruſcantem.

Quomodo peccetur contra caſtitatem. Signa caſtitatis. PVNCTVM I. Conſidera peccata contra hanc puritatem Angelicam; Primò, cogitatione impura; Secundò, verbo quocumq; modo huc vergente; Tertio, quinque ſenſuum blanditiis. Signa autem caſtitatis ſunt: Primum, oculos, linguam & aures habere benè cuſtodita. Secundum, magnâ parcitate iis vti, quæ ſenſibus delectabilia, & reiicere mollia. Tertiũ, puritas in ore. Quar- *Greg.11. Mor.c.8.* tum, puritas in amicitiis, vitando mulierum familiaritatem, colloquia & munuſcula. Quintũ, fuga omnium quę huic virtuti aduerſantur, vt iræ, ſuperbiæ, conſortiorũ. *Folia lilij caſtitatis.* Sextum, puritas in cogitationibus & motibus, in ſomno & vigiliâ. hæc folia ſunt lilij caſtitatis.

Immunditiæ fœditas. PVNCTVM II. Conſidera vitij turpitudinem, videndo corporis noſtri originem, quod eſt fœditatum & mille morborum ſeminarium fœdiſſimum, & vermium denique pabulum. Fige ibi oculos, & colliges vitij fœditatem, adeò magnam, vt natura ipſa ſemper latebras quærere docuerit. Attende contrà, animæ dignitatem,

& cre-

& crede certò eius delicias longè puriores: & deteſtare corporales vt illis fruaris, & ad cæleſtes animum tranſferas. Secundò, conſidera effectus huius. Hi ſunt cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, affectus præſentis ſæculi, & horror ac deſperatio futuri. Denique præ cæteris omnibus hominem ad omnia indigna cogit hoc vitium, & eſt, vt B. Job, ignis vſque ad perditionem deuorans. Tertiò, vide in quot mala ruant homines hoc igne ſuccenſi, in quot famæ, virium animæ & corporis detrimenta. Beſtiis illos omnino ſimiles facit, etiam iudicio Ethnicorum: eſtque inexplebilis prorſus libido, & inextricabilis. Conſidera Chriſtum Dominum quaſi coram te oculis & toto habitu corporis ſpirantem hanc virtutem, & deinde Sanctos eius: vide vt oculos ſeruârint, curioſitatem oderint, occaſiones omnes vitârint, tentationes vicerint, vt S. Bernardus, Benedictus, Thomas, Edmundus, Xauerius; & contrà, quàm graues ruinæ fuerint eorum, qui minùs circumſpecti fuerint, etiamſi ſancti, vt Dauidis, Salomonis, Samſonis, & aliorum de quibus Auguſtinus, Credos Libani, duces gregum ſub hac peſte luxuriæ cecidiſſe reperi; de quorum caſu non magis ſuſpicabar quàm de Ambroſij vel Hieronymi impudicâ turpitudine: & tu audes in ætatis flore, pleno ventre, corpore benè curato, in mediis periculis caſtum & purum te ſperare?

Greg. l. 31. Mor. c. 17. *Luxuriæ effectus.* *Iob. 31.* *Ruina multorũ in luxuriam.* *De verb. Domini.*

Haccine vera, vt ſup. p. 7.

PVNCTVM III. Conſidera, quomodo Deus in hoc mundo punierit iſtud vitium. Primò, diluuio vniuerſali; Secundò, Sodomæ euerſione; Tertiò, viginti quatuor millium Iſraëlitarum deletione, filiorum Heli perditione, Salomonis exitio, Dauidis perſecutione à filio inſtitutâ, Samſonis ruinâ, &c. Conſidera deinde pœnas, quibus ob momentaneum quod delectat, æternùm crucientur impuri in inferno. Cogita, luxurioſe, cogita, obſecro, frater, pœnas illas & flammas, & his turpes

Impudicitiæ pœna. *Gen. 7. & 19.* *Num. 25.* *1. Reg. 4.* *3. Reg. 11.* *2. Reg. 15.* *Iudic. 16.*

cum

cum gratiâ Dei extingue; deſcende in ſtagnum ardens, & animum refrigera ardoribus ſempiternis. Aſpice, & dic obſecro, hæc credis? & tamen præ Chriſto eligis diabolum, præ vitâ mortem, pro momentaneo gaudio æternum luctum? Credis? credis? & non ſtupes? & non liqueſcit anima tua amore eius, qui pro te mortuus eſt, vt in æternis deliciis viueres in æternum?

EXERCITIVM.

O Beatiſſima Virgo, & omnium Regina, ſpes noſtra poſt filium tuum vnica, reſpice quæſo benigniſſimo oculo tuo luctas noſtras, & prælia filiorũ Adã: tu vides quomodo mediis in fluctibus & hoſtibus viuamus, imò nobiſcum hoſtem portemus, & nutrire ac fouere cogamur carnẽ noſtram, cùm nemo carnem ſuam odio habeat. Et quis euadere poterit tyrannidẽ illius? Ecce Dauidem ſanctiſſimũ virum, & ſecundùm cor Dei, ſapientiſſimum Salomonem, fortiſſimũ Samſonem ſuperauit. Quis igitur vincere poterit? O quot millia bellua iſta vorauit, & in infernũ hac etiã horâ præcipitauit! O quot in iudicij die ſecreta hominum pateſient flagitia, quorum pietas videbatur eſſe conſpicua! hæc enim eſt vniuerſitas iniquitatis, quæ inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehennâ. O infelices nos! Anima mea, quam tam dirus premit hoſtis, & nullo vmquã tempore deſerit, deſcende in infernũ, & ſi libet torreri æternùm, vt momento corpori indulgeatur amariſſima voluptas, perge, neque occaſiones vita, ama periculũ, & peri in eo.

Verum fræno potiùs illud compeſce, & erige te ad ſponſum tuum, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. Prou. 8. *Qui & hodie paratus eſt cœnare tecum, & præbere tibi cor ſuũ. Et poterit fieri, ô amator hominum, ô Saluator mi, vt potiùs libeat mihi volutari in porcorũ volutabro, quã amplexibus tuis, & gaudiis frui Angelorum, quàm ſimilem eſſe illorum? Recordare, ô anima, Creatoris tui, & nobilitatis tuæ, & noli degeneri animo, vt corpori ſeruias, crudeliter te iugulare, ſed fuge, fuge: in fugâ ſalus eſt, & victoria; in aſperis dulcedo, in duris ſuauiſſimũ ſolatiũ. O Angele Cuſtos, qui me dignaris cuſtodia tuâ, ô cæleſtis*

Applicatio ad Communionem.

leſtis paranymphe animæ meæ, auerte quæſo ſemper oculos, ne videant vanitatem, ne oculus meus deprædetur animam meã; percutiat me timor Dei mei, & trahat me funiculus charitatis eius, & fac ſemper reuerear oculos eius, & præſentiam tuã, ne vnquam irrideant me inimici mei. O IESV *dilectiſſime, amore tui millies mori malo, quàm tibi fidem in Baptiſmo datam, & toties renouatam vel leui peccato violare.*

O Redemptor mi, ô dulciſſime IESV, *caſtiſſime ſponſe animarum noſtrarũ, cuius frumentum electorum & vinum germinat virgines; tu noſti, quia nemo, nemo poteſt eſſe caſtus, niſi tu dederis. Concede igitur mihi gratiam per caritatẽ tuã, quâ ab æterno dilexiſti me, vt occaſiones diligentiſſimè vitem, & amore amoris tui libidinis ardorẽ extinguere poſſim. Monuiſti enim nos: Qui amat periculum, peribit in eo: ego verò amare illud nolo, & amari non cupio, niſi abs te, nec amare aliquid extra te. ſi fecero, tu mihi teſtis eris, & conſcientia mea, neque erit quod excuſem: quia ſcio, ſcio, ibi ceciderunt fortes Iſraël, & fugerunt abſq; robore ante faciẽ perſequentis, cum ignominiâ ſempiternâ. Nónne mihi amor tuus omni melle dulcior, & morte fortior, & flammis omnibus potentior, quẽ aquæ nullæ poſſunt extinguere, nec flumina obruere? Ecce amantiſſimè* IESV, *Deus meus, proteſtor còram te hodie, quia thorũ animæ meæ immaculatũ ſeruare volo, neq; templũ tuũ animã meã vnquã profanare, ſed te quotidie in eo ſuſcipere. Vtinã non dimittas me, neque ego te, donec benedixeris mihi, & emarcuerit neruus concupiſcentiæ meæ! Abſit, abſit vt corpus meum membrũ tuũ, faciã membrũ meretricis, & peccem in illud, & in te amantiſſimũ Dominũ meũ. Tu enim pro me toto corpore vulneratus es, & ego corpori meo delicias quæram? Tu mihi cor & animã tuã dediſti in mortem ex amore mei, & ego ob voluptatem æternum doliturus te mihi crucifigã, & contriſtabo? In æternũ, Domine, non declinabo à mandatis tuis, per te, Saluator mi, ſpes mea, & fortitudo mea. Pone te vt ſignaculũ ſuper cor meum, vt nullum præter te diligam: annulo tuo ſubarrha me, & ſanguine tuo orna genas animæ meæ, quia tibi ſoli ſeruo fidem, & tibi me totâ deuotione committo. Amen.*

Zachr. 9.

Eccli. 3.

1. Cor. 6.

Ambroſ.

Praxis caſtitatis conſeruandæ.

Optimum remedium fuga. *Eccli.3.* *Cyprian. de ſing. Cler. Baſil in conſtit Monaſt. cap.4.*

PRIMA. Fuga occaſionum: ſi enim vſpiam, verum hîc eſt, Qui amat periculum, peribit in eo. ideoque S. Cyprianus aiebat, guſtandum cum mulieribus, non continuandam eſſe præſentiam. Baſilius verò, Danda eſt opera, vt ſi fieri poſſit, mulierum colloquia funditùs fugiamus, ſi id non poſſit, in eo enitendum eſt, vt quàm rariſſima illa, & quàm breuiſſima fiant. Neque exiſtiment ſæculares, Religioſis hæc tantùm conuenire, nôrunt enim an ipſi in periculis magis ſint tuti, quàm ii quos aſſidua armat pietatis exercitatio. Certè de R. P. Franciſco Borgia refert Ribadeneira, eum, cùm in ſæculo verſaretur, & feminæ eſſent viſitandæ, id non niſi poſtquam cilicio ſe armaſſet, facere ſolitum.

Secunda. Prauas ſuborientes cogitationes confeſtim expellere & auertere, numerando aut feneſtræ rhombos, aut tabulati tigilla, aut ſyllabas verſus alicuius, aut eiuſmodi animo verſando, casúſue triſtes aut admirandos.

1.Cor.9. Tertia. Caſtigare corpus, maximè ieiuniis: his enim materia ignis illius ſubtrahitur. Caſtigo, aiebat Apoſtolus, corpus meum, & in ſeruitutem redigo.

Familiaritas vitanda. *Eccli.33.* *Otium vitandum.* *Ezech.16.*

Quarta. Nolle peculiariter à ſexu diſpari diligi, aut coli, imò nec aſpici; familiaritatemque omnem reſcindere, & viſitationem etiam Confeſſarij, niſi neceſſitas aliud poſtulet, vti Sancti facere conſueuerunt. ideoque non abſque diſcrimine aliâ inceditur viâ, ſermones longi ſeruntur & crebri, atque adhæreſcit animus ſenſim ſine ſenſu, Licèt enim vno eodem vti confeſſario, Sanctorum ſit conſilium, affici tamen illi, abſentem multùm requirere, periculo non caret, & plurimùm in viâ ſpirituali nocet.

Quinta. Otium diligentiſſimè vitare. Multam enim malitiam docuit otioſitas. Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ait Propheta, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius, & filiarum eius.

D. Bonav. lib.2. de Profect. cap.27. *Signa amoris carnalis.*

Sexta, Attende ad ſigna carnalis amoris, quæ S. Bonauentura collegit. Primum eſt, otioſas fabulas & inutiles confabulationes miſcere, cùm ſpiritualis dilectio ędificatoriis collationibus paſci ſoleat. Secundū, inſolentia geſtuum & morum: ſpiritualis amor ſedatus, cautus oculos ſeruat, & membra omnia ſub norma diſciplinæ. Tertium, inquietudo cordis, nata ex abſentia eius quem diligat, cogitando quid agat, vbi ſit: ſpiritualis dilectio hæc non curat. Quartum, impatientia condilecti; zelare, ſi alteri loquatur, eiuſque exquirat conſilia. Quintum, ira & conturbatio ex leui cauſa. Sextum, crebra munuſcula, & faſciolas, & zonas, & prægu-

prægustatos cibos, & dulces ac ſuaues amoris litteras ſanctus amor non habet. Septimum, inordinata diſſimulatio vitiorum, vt etiam mutua vitia diligant. Hæc ille. *S. Hier. ep. 2. ad Nepotianum.*

Septima praxis & cautela optima; multorum probata experientia eſt, alium non temerè iudicare de hoc vitio, familiare enim eſt, vt qui de eo alium iudicat, iuxta illud Apoſtoli, in eo ſeipſum condemnet: hoc enim non niſi ex ſuperbiâ manat, quę ſæpè non aliter ſanatur quàm lapſu in luxuriam. Exempla huius moniti vide in vitis Patris. *Temerarium iudicium ſedulò caue. Rom. 2.*

Octaua eſt, diligentiſſima ſenſuum cuſtodia: ab illorum incuria omne malũ in animam illabitur. Huc pertinet turpes omnes & nudas imagines ex domo ſua eliminare: ſi enim quod turpe eſt, iuxta Apoſtolum, non debet nominari inter Chriſtianos, quanto minùs ſpectari ab iis? ſed vbique ferè, eheu! videas eiuſmodi irritamenta proponi. Si eſca, ait Paulus, ſcandalizat fratrem meum, non comedam carnes in æternum: ſi oculus, ſi pes ſcandalizet, iubet Dominus abſcindere eum, & proiicere abs ſe. Quis verò iſtis perſuadeat, Veneris inſtrumentum, elegantem, ſed nudam picturam vt proiiciant: non vis artem perire; & ſanguine Chriſti emptas animas perdere non formidas: doles imagines corrumpi eximij artificis, & Dei imagines fœdari ac, gehennæ addici non vereris? O IESV quàm fruſtrà his dixiſti, Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur! Tũne, tũne, ô dulciſſima Domina, benignis intueri oculis cum filio potes domum illam, in quâ luxuriæ pabulum omnibus intrantibus, & inuitamenta nequitiæ, perditioniſque illecebra proponitur? Quorſum enim fœda imago Chriſtiana atria deformat? num vt herus ſit memor flagitij pàtrandi; & ſpectator aduena cupiendi? an vt artem ſpectet & ſalutem perdat? Dubio procul his aſtare dæmonem crediderim, intrantiũ oculos huc conuertentẽ, vt animas venetur incautas, & ſub dulci melle ingerat venenũ. Quid de pictoribus ſentiã, hæc tacitè loquuntur: non ſunt hæc idola opera veſtra, ſed ingenioſam pedicam animarum per vos earum hoſtis effecit. ſi hic genius veſter magis fauet, ingenium profitemini veſtrum. illi in quauis animâ ſæpè turpia pingere non licet, ſed à vobis in tabulâ perpetuâ & præſtanti ſuæ cupit exſtare monumenta nequitiæ, & de animis victorias, quibus effecit vt membra Chriſti membra fierent meretricis. Si doceres & pingeres, quâ patria arte expugnari poſſet, quâ fiſcus expilari, nónne proditionis eſſes reus, & ſacrilegij ſi in templo talia proponeres? Quid igitur neſcis *Cuſtodiã ſenſuum habe. 1. Cor. 8. Matth. 5. Marc. 9. Imagines turpes quàm noxiæ. Matth. 16 Quo fine turpes habes imagines. Dæmon adſtat turpibus vt venator eſcæ. Pictores quid peccent.*

ſcis animam arcem eſſe, & Chriſti domicilium, & eâ maximè parte infirmam quâ carni coniungitur? neſcis templum eſſe Dei, cui tu tales infers imagines? Si tentator deſit, tu vices eius obis, quâ potes, artifici manu & ſtudio.

Dæmonis vices obeunt.

Omittere etiam nequeo, quin moneam laſciuam omnem lectionem eſſe vitandam, & curioſitatem moderandam. Quid quæris ſcire quod facere eſt nefas? vix Ethnici cultores Veneris hæc probabant, & laudabit Chriſtianus? At venaris linguarum peritiã: & ſcilicet mores perdis atque animam. Diſcere vis bene loqui, & malè viuere? imò malè loqui, & malè viuere? Ex abundantiâ enim cordis os loquitur in amore, & quorſum iſta leguntur, niſi vt narrentur; & diſertus eſſe videatur in amore, & ſæpè etiam verſatus in officinâ nequitiæ; vt fallatur tempus precioſiſſimũ, & pereant animæ; vt ſit in medio earum puritatis hoſtis, quando illius amator, filius Virginis, per inepta & obſcœna verba faceſſere iuſſus eſt.

Lectio laſciua peſtilens & ſermo.

Dignatus es, vt ſup. pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Pſal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.*

Pſal. 37. *Non eſt ſanitas in carne meâ, à facie iræ tuę: non eſt pax oſſibus meis, à facie peccatorum meorum.*

Ibidem. *Domine, ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te nõ eſt abſconditus.*

CAPVT XXV.

Meditatio de Modeſtiâ.

Modeſtiæ bona.

MODESTIA corporis ad animi tranquillitatem & ordinationem mirè omnium ſapientum iudicio conducit: de eâ igitur, qui proficere deſideras, ſeriò cogita, eamque omni cum diligentiâ complectere ac ſæpè de eâ meditare.

COMPOSITIO LOCI erit, coram Domino te aſpicere, ac ſi recens creatus eſſes, & corpus cum membris accepiſſes, vt iis ad gloriam Domini vtereris, & arma eſſent iuſtitiæ, non iniquitatis, vt Apoſtolus loquitur.

Roman. 6.

Quid ſit modeſtia, & quomodo contra eam peccetur.

PVNCTVM I. Conſidera modeſtiam virtutem eſſe, quæ decorum in moribus & geſtibus, potiſſimùm nutibus oculorum ſeruat, habitâ ratione perſonæ, loci & temporis. Peccatur contra hanc ruſticitate, mollitie, petulantiâ & affectatione: attende percurrendo actiones

ſuas, an per eam & regulas eius ordinati ſint motus tui; an maturitas, humilitas & pietas in eis eluceant; an oculi benigni, non torui, non vagi, non ſublimes, quos deteſtatur Dominus; caput rectum ſit, modicè inclinatum, non leuiter mobile, labia modicè clauſa; tota facies denique hilaris, greſſus, in quo ſecundùm Ambroſium ſit ſpecies auctoritatis, tranquillitatiſque veſtigiũ cum ſimplicitate; veſtes mundæ, manus quietæ; vox non remiſſa, fracta, agreſtis, ſed ſuauis, ſuccum virilem reſeruans; ſermo non cum perturbatione, ſed placidus, beneuolentiæ plenus & gratiæ: verbum enim dulce multiplicat amicos, & verbum melius ſæpè quàm datum. Appende & vtere hoc ſalutari monito: & alibi, Oratio, ait Ambroſius, ſit pura, ſimplex, dilucida, manifeſta, plena grauitatis, non affectata; diſceptatio ſine irâ, monitio ſine aſperitate, hortatio ſine offenſione. Et verò dici nequit quantum iuuent hæc, ad virtutem & collectionem animi, nimirum compoſiti mores, & quies corporis, nullumque abſque cauſa, neq; tum quidem cum leuitate mouere membrum. Huc etiam ſpectat eutrapelia, quæ iocis modum ponit, de quibus Seneca: Urbanitas tua ſine dente ſit, ioci tui ſine vilitate: nam & illi vtpote animi remiſſio, nonnumquam ſunt neceſſarij, ſicut & ludus. Hìc cauendum tamen ait Ambroſ. ne ſoluamus omnem harmoniam, quaſi per quemdã contemptum operum bonorum. Ridere verò, ô Religioſe, & rideri, ſæcularibus relinque, grauitas perſonam tuam decet, non puerilitas, non ſcurrilitas. Tobiam imitare, qui etſi eſſet iunior, laudatur à Deo quòd nihil puerile geſſerit. O Jesv *ſuauiſſime*, vt inf. pag. 411.

Prou.6. *Lib.1.Offic.cap. 1. 19.& 20.* *Cap.19.* *Eccl.6. cap.20.* *Seneca. Vrbanitas quæ laudata.* *Hieron.ep. 8.cap.7.* *Tob.1.*

Pvnctvm II. Conſidera, quantopere hæc virtus colenda ſit. Primò, ex immodeſtiæ turpitudine, quæ oculos omnium intuentium offendit, ſicut è contrà modeſtia omnes ad amorem trahit. Secundò, quia valdè à Spiritu ſancto redarguitur. Pro eo, ait Propheta, quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo,

Immodeſtiæ turpitudo. *Iſaiæ 3.*

lo decaluabit Dominus verticem earum. Sapiens verò: Homo apoſtata, qui non conſentit cum Deo, vir inutilis graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur. Commendatur autem crebrò modeſtia, vtque omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in nobis. Modeſtia, ait Apoſtolus, veſtra nota ſit omnibus hominibus. & Dominus JESVS: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.

Prou.6. *1.Cor.4.* *Philp.4.* *Matth. 5.*

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ fide*, ibid.

Tertiò, conſidera hinc fieri à prudente iudicium de interioribus; ex viſu ſiquidem cognoſcitur vir, & amictus corporis, & riſus dentium, & ingreſſus hominis enunciant de eo. ſi enim, vt Ambroſius, vox quædam animi eſt motus corporis, membra indomita animum ſignificant indomitum. vnde etiam Nazianzenus prædixit, Iulianum exitio orbi fore. hinc collige modeſtiam non fictam eſſe oportere, ſed vt S. Thomas, ab interiori procedere, conſiderando Deum vt patrem & magiſtrum vbique præſentem.

Eccli. 19. *L.1. Offi.* *Nazianz.* *2.2.q.168 a.1.ad 3.*

PVNCTVM III. Conſidera quòd vti nihil magis offendit homines quàm immodeſtia, ita contra nihil magis modeſtiâ allicere ad pietatem, cùm exempla trahant, verba vix moueant. O quanto præſtat ſic cum B. Franciſco concionari! adeoque vt fruſtrà verbo dicat, qui facto longè potentiùs & immodeſtiâ contradicit. Ideò hortatur mulieres Apoſtolus modeſtiâ (quæ locuples eſt in conſpectu Dei) viros qui verbo non credunt, conuertere. Sanè cùm Thaumaturgum homines viderent tam modeſtum & humilem, magis ſe ob mores ac modeſtiam quàm miracula credere profeſſi fuerunt, atque eum diligere: ſine quâ nulla amicitia, maximum hominis bonum, durare poteſt. vnde diſce ad omnes omnino hæc monita pertinere. Tertiò, conſidera mores leues animum corrumpere, vt colloquia praua. vnde Baſilius: Studeamus modeſtiæ: nam ſtudiis

Modeſtia allicit mirificè ad pietatem. *1.Pet.3.* *Ser. de humil.*

& exer-

& exercitiis aſſimilatur anima & qualia facis, talis formatur & figuratur. Quartò, quod paſſiones etiam omnes, ſi exteriores actus comprimuntur, velut ignis ſuffocentur, idque facilè. Quintò, conſidera ſine hac omnem deuotionem perire, atque velut è rimoſo vaſe omnem effluere. Sextò, immodeſtiam ſaltem maculoſum hominem, etſi alioquin bonum, facere. quod autem maculas habet, hoc in ſacrificium Deo acceptum offerri nequit. morum leuitas poteſt quidem aliquando eſſe in bono ad horam, ſed in deuoto numquam, dummodo, ait Bonauent. ſit douotus.

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

Denique attende, ſi Religioſus es, multorum ſæcularium modeſtiam, qui de his vix monentur, vix inſtruuntur; quodque ex te vno omnes iudicentur, ac quanta hinc incommoda naſcantur. *Bonav. de profect. Relig. c. 5.*

PVNCTVM IV. Conſidera Domini noſtri JESV verè humilem & modeſtam domi & foris conuerſationem, & B. Virginis & aliorum ſanctorum. De S. P. Ignatio, quemadmodum de S Malachiâ, refertur, quòd nullum ſine ratione membrum moueret; de S. Luciano Martyre, quòd multi ſolo eius aſpectu conuerſi fuerint. hos imitare quiſquis es, & plus exemplo Chriſtum prædicabis quàm multi verbo, dum illi ab eo moribus diſcrepant. D. Chryſoſtomus aſſerit, Apoſtolos non tam miraculis, quàm morum ſanctitate orbem conuertiſſe, quàm vtique morum modeſtiâ præ ſe ferebant; ſicut & S. Joannes, qui nullum fecit ſignum; tantus propheta, tantus apud Deum, vt præcurſor illius fuerit, vti nec Abraham credentium Pater, & tamen latiſſimè fidem propagauit. O JESV *ſuauiſſime*. vt inf. p. 411. *Chriſti Domini modeſtia.*

PVNCTVM V. Conſidera te eſſe templum Domini, & quaſi ſepulchrum, quod vtiq; an oporteat eſſe glorioſum, tu iudica, cùm toties S. Euchariſtiæ particeps fias. Secundò, expende membra omnia tua Deo dicata eſſe, ita vt vt poteſtatẽ eorũ nõ habeas, unde Auguſt. ad ſuos lo- *Iſaiæ 11.*

Aug. ſerm. ad frat. in Erem. loquens ait, Carnes ergo veſtras cum timore eius crucifigite, & vobis diligenter prouidete, ne lingua loquendo, quæ vocat de cælo filium Dei, contra Dominum loquatur; & ne manus quæ tinguntur ſanguine Chriſti, polluantur ſanguine peccati. Poſtremò vide, vt non ſolùm anima Deo ſeruire debeat, eumque imitari, ſed etiam corpus per modeſtiam mortificationem Domine IESV circumferre, vt in populo graui Dominus laudetur, Denique animo quieto ſtatue te coram Crucifixo, contemplare omnia IESV Chriſti membra pro te vulnerata, & alloquere Dominum, & percunctare, quid eum ad hoc impulit? nempe vt ſingulis tuis eum laudares, qui ſic te redemit, te prouocauit ad imitationē, & amorem.

Membra noſtra Deo ſacra.

Pſalm. 34.

Credo tibi, vt ſup. p. 7. vel O IESV *ſuauiſſime*, vt inf. p. 411.

Meditatio de ratione conuerſandi cum proximo.

COMPOSITIO LOCI, Statue te coram Deo, & vide orbem laqueis plenum.

ORATIO, vt ſuprà.

Pericula in agendo cū proximo.

PVNCTVM I. Conſidera primò pericula quæ ſunt in conuerſatione, tum quia verè totus mundus ſit in maligno poſitus; tum ex parte tuâ. Difficile enim eſt in multiloquio vitare peccatum, ac refrænare linguam ſuam. Hoc verò quanti fiat à Spiritu S. audi, vt illius vanam eſſe dicat Religionem, qui id non poteſt; collige ergò certò magni periculi eſſe improuidam conuerſationem: cui vt occurras, ſtatue materiam ſermonis vt non ſit niſi pia, vel ſaltem vtilis & honeſta, nam vt in lubrico & periculoſo itinere tutior hîc via deligenda eſt. Religioſus certè vir, & quiſquis pietatis amans, de pietate frequenter ſermonem inferre debet. Seruum Dei, inquit Bonauent. de Deo loqui decet; vt fiat quod ſcriptum eſt: Si quis loquitur quaſi ſermones Dei. Quid enim potius? cum notum ſit ex abundantiâ cordis os loqui?

Iac. 1.

1. Pet. 4.
Matth. 12.

loqui? Si igitur vana quis, ſi turpia proferat, cordis arcana eiuſmodi eſſe profitetur. Quemadmodum autem nolles habitu profiteri ſpurcitiam, aut vanitatem, nolles eam alieno ore tibi aſpergi aut affingi; ita magis conuenit te cauere, ne illam apud alios proprio ore facias teſtatam. *Hæccine vera &c.* vt ſup. pag. 7. *Sermo eſt mentis index.*

PVNCTVM II. Conſidera præterea, omnes Dei ſeruos occaſione datâ eniti debere, vt proximum ad meliora promoueant. Cur enim quiſquis eſt ſeruus Dei id vereatur, aut pudeat illum pro Deo loqui & eius honore, cum tot ſerui diaboli ſtrenuè pro domino ſuo laborent? Sic certè quiuis, etiam qui ad alios iuuandos propriè vocatus non eſt, maximè dum ægri viſuntur aut afflicti, veri ſerui Dei partibus fungi poteſt, eoque crebriùs, quo faciliùs & magis obuium omnibuſque permiſſum familiariter loqui, non concionari. Sanè Philoſophi profitebantur ſuo ſe conſortio homines efficere meliores. Ad quod R. P. Balthaſar Aluarez, vir omni memoriâ dignus dicere ſolitus, debere homines à Religioſis abire percutientes pectora ſua, dicentes, Verè filij Dei ſunt iſti. *Sermonem pium ſerere oportet.*

Certè quod attinet ad Religioſos, eo fine adire eos ſæpè ab externis certum eſt, vt ſpiritualibus paſcantur: & proinde illi ſæpè exiſtimare deberent illum N. & illum ad ſe miſſum à Deo, vt per eum inſtruatur, eamque fortè vnicam horam ſalutis illius eſſe. Conſidera ad hæc dulciſſima illa Chriſti IESV verba. Vbi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. O felicitas, ô beatitudo, habere in medio ſui Deum, & quidem advocatum verbo pio! ô quanto putas, Lector, tibi & ſociis dulcius eum eſſe præſentem, quàm principes tenebrarum? Aduerte ſimiliter hanc fuiſſe Chriſti Domini conſuetudinem ex omnibus bonæ inſtructionis captare occaſionem, ſiue regiones albæ ad meſſem occurrerent, ſiue lapides templi oſtenderentur; ſiue obtritos eſſe aliquos ruinâ narraretur. *Conuerſatio viri pij, & maximè Religioſi qualis eſſe debeat.* *Matth. 18.* *Ioan. 4.* *Lucæ 21.*

O quantâ cum voluptate & cum vtilitate conuenirent homines,& maximè Religioſi,ſi quiſque velut ad chariſtia veniens, ſymbolum conferret; alius ex veteri, alius è noua,ſacra profanaque hiſtoria, aut litteris ſanctiſque Patribus. O quàm ſuaue illud foret menti epulum,poſtquam corpus curatum eſt? vti enim cibi corpus replent ac nutriunt, ita eiuſmodi colloquia animum paſcunt. Optandum certè foret conſpirare ad hoc exercitium probos,non minùs atque improbi aut ſaltem minùs religioſi ſolent in vaniloquio conſtanter perſeuerare. *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Hæccine firmâ.*

Conſpira cum bono de hoc exercitio.

PVNCTVM II. Conſidera poſtremo, quid ſit quod te retrahat à tam pio,tam obuio charitatis erga proximum & pietatis exercitio. an tædium? quòd ſi illud, erubeſce & horreſce. neque enim de amato amantem loqui piget,ſed facundum facit amor ſeu mundi, ſeu Dei. Appende illud: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: & iterum: Quid de terrâ eſt,de terrâ loquitur. vnde ergo es tu? ex ore tuo te iudica. *Hæccine vera*, vt ſuprà p. 7.

Turpe eſt faſtidioſè de Deo loqui.

Ioan. 8.
Ioan. 3.

An forſan piget,quia fructum non ſperas? At nouit Dominus tempora,tu verò ignoras,&,vt dicitur, Quo minimè credis gurgite piſcis erit, refereſque mercedem iuxta laborem ac ſtudium tuum. Sed pudet forſitan coram de Deo loqui,& non pudet aliena à vitæ inſtituto,ac Chriſtianæ pietatis profeſſione effutire vel audire? Cur cùm vides alios de mundo & pro eo loqui, tu zelum non exeris pro Deo tuo, qui debes id miles Regi tuo, ſeruus Domino, filius amantiſſimo Patri? Conſidera ergo diligenter occaſionem pietatis, neque eius negligas opportunitatem. Non excludo tamen vtilia colloquia, ſed pietatem in oculis ſemper eſſe oportere admoneo. A ſilentio autem opportuno inchoandum illi eſt,qui rectè loqui velit. Secundò, pauca loquatur oportet. Tertiò, circumſtantiarum habeat rationem,eoq; magìs quòd linguæ lapſus ferè irreuocabilis ſit. idcirco etiam Philoſophi,in primis Pythagori-

ci,

ci;ſilentij maximam curam habuêre, & nihil certè eſt quod adeò commendetur in ſacris Literis, vt linguæ moderatio; atq; adeò Spiritus ſanctus per S. Iacobum pronuntiauit eum perfectum eſſe virum, qui linguâ non offenderet. *Haccine vera &c.* vt ſup. pag. 7. *Iacob. 3.*

Exercitium pro modeſtiâ & ſanctâ conuerſatione impetranda.

O IESV *ſuauiſſime, vel mitiſſime Agne, qui pro inordinatis motibus meis, & immodeſtiâ meâ in omnibus membris grauiſſimè ſponte tuâ cruciatus fuiſti; da mihi hodie gratiã per modeſtiam tuam, vt memor vbique ſim profeſſionis meæ, & diſcipulatus tui: ne propter me blaſphemetur nomen tuũ. Inuenio quidem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ: ſed qui feci membra mea ſeruire iniquitati, cur non faciam eadem ſervire iuſtitiæ & æquitati? ſi oculus meus ſcandalizet me, ſi manus, iubes abſcindere eã, & proiicere, & meritò: quanto magis coërcêre membra mea debeo legibus modeſtiæ, ne ſcandalizem vllum ex puſillis iſtis minimis qui in te credunt? nolo igitur cibõ aut geſtu aut motu illum perdere, pro quo mortuus es, ô vita mea, ſed cum Apoſtolo tuo dicã corã te: Si eſca, ſi inceſſus, ſi habitus, ſi conuerſatio ſcandalizat fratrem meum, abſtinebo ab his in æternum, vt nulli dem offenſionem, vt nõ vituperetur miniſterium noſtrum; ſed omnes qui vident me, benedicant nomini tuo, quod toto corde deſidero, & dicant, Ecce ſemen cui benedixit Dominus.* Rom. 7. Matth. 5. Rom. 14. 1. Cor. 8.

Ecce ego ſemen, bone IESV, *cui benedixiſti miſericorditer ſupra omne meritum, cui dixiſti per Apoſtolũ, Induimini Dominum* IESVM *Chriſtum. Induite nouum hominem qui ſecundùm Deum creatus eſt. Itaque te rogo humillimè, indue me virtutibus tuis, vt honorificem te humilitate, & charitate, & modeſtiâ, vt omnes qui me vident, glorificent te, & ament, & dicant de filiis tuis: En populus ſapiens & intelligens, gens magna. Et verè quæ eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi ſicut tu Deus noſter ades cunctis obſecrationibus noſtris? Ecce etenim venis, erubeſco dũ* Applicatio ad Communionem. Deut. 4.

cogito,

cogito, venis ad me nouiſſimum ſeruorum à ſummo calorũ, vt paſcas me, & mecum ſis, & mecum labores. Cuſtodi ergo me Domine IESV, *& animam meam ſollicitè pro immenſa charitate tua. Cuſtodi, & viſita vineam iſtam, cor meum, habitationem tuam, & perpetuam manſionem in eo fac. Quis mihi det, quis mihi tribuat, vt nunquam auertas faciem tuam à me? Ita ſpero, & toto corde te diligo, & tota anima mea.*

Philip. 2. *Recordare, quæſo, Domine, quòd conſtituiſti nos, vt ſimus ſi-*
1. Tim. 4. *ne querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ: vt exemplum ſimus fidelium in verbo & conuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate, vt profectus noſter manifeſtus ſit omnibus, ac conuerſatio bona, vt in eo quod detractant de nobis, ex bonis operibus nos conſi-*
Iacob. 3. *derantes, glorificent te Deum noſtrum in die viſitationis. Neque ſatis eſſe ſcio ſi grauiora deuitem. quis enim, inquit Iacobus Apoſtolus tuus, ſapiens & diſciplinatus inter vos? oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ. Sic enim eſt voluntas tuas, vt bene facientes*
1. Pet. 2. *obmuteſcere faciamus hominum ignorantiã; & ſic luceat lux*
Matth. 5. *noſtra coram hominibus, vt videant opera noſtra bona. & glorificent te Patrem noſtrum qui in cælis es, & benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Praxis.

PRima eſt, obſeruare defectus cuiuſque membri, & aliorum iudicium ſupra hoc exquirere, vix enim fieri poteſt, vt quis ſe ad normam modeſtiæ componat, niſi ab aliis obſeruetur. Itaque fieri videmus, vt in publico magis modeſtiæ memores ſimus & obſeruantes, quàm alibi: hoc tamen D. Bonauent diligenter commendat, vt quiſque ſic ſe gerat in priuato ſuoque cubiculo, vti ſolitus eſt in publico. Præterquam enim, quòd hac ratione faciliùs habitus acquiratur modeſtiæ, eiuſmodi faciliùs ad orationem perfectam, atque animi quietem peruenit, quò non ſinunt immodeſti mores ullum pertingere.

Priuatim agendũ vt publicè.

Secunda. Legere libros de hac re conſcriptos, tum à D. Bonauentura ad Nouitios, tum aliis. Quamuis autem exterior illa modeſtia, niſi à virtutum omnium concentu proficiſcatur, diuturna futura non ſit; magnum tamen ipſa ad

vir-

virtutē eſt præſidium,ac quod primò difficili ac quaſi reluctanti ſit naturâ,vſu atque conſuetudine fit iucundum.

Tertia.Memoriali aliquo memorem te fac huius vel illius defectus, & monitorem adſciſce.

Monita quædam S.P.Ignatii circa conuerſationem,vtiliſsima & ſapientiæ plena.

PRIMO,vir ſanctiſſimus ſuadebat contentionem omnem vitare,ac profitebatur malle ſe vnum gradum profectus in proximo abſque eâ,quàm cũ eâ plurimos. *Contentio vitanda.*

Secundò : omnibus ſatisfacere : nihil enim tam eſſe precioſum quod læſæ caritatis damnum poſſit reparare. ideò patienter tolerandas contradictiones,longos atque inſulſos ſermones. *Charitas omnibus præſtat.*

Tertiò,in negotiis poſtulari tempus volebat, atque illud præſtitutum ſedulitate præueniri.

Quartò,omnia quæ quiſque diceret,ita dicenda eſſe aiebat,atque ſi publicanda forent.

Quintò,pauca,eaque tardè proferenda eſſe,& longos aliorum diſcurſus eſſe audiendos.

Sextò , hortabatur vt quiſque ſe genio proximi propter Deum accommodaret,ac læto non ſe triſtem exhiberet, triſti verò gratioſum , cum iracundo celeriùs etiam loqueretur.Denique quemadmodum, ait, hoſtis cum eo quod alienum eſt ingreditur, egreditur cum eo quod ſuum eſt: intrat enim non contradicendo moribus eius quem adoriri vult, immò etiam bonas inſerit cogitationes, deinde in ſpeciem bonas; ac ſic egreditur cum ſuo,id eſt finem optatum conſequitur. Sic & nos oportere bona in aliis primùm collaudare, poſteà ſuauiter mala emendare. *Omnibus omnia fiat.*

Septimò , numquam , inquiebat , recedatur ab eo quem ad bonum reducere volumus , afflicto , aut malè contento. *Nunquam aliquis afflictus eſt deſerendus*

Octauò , condeſcendant aliis, quantum per inſtitutum

ſtitutum licet, vt omnibus omnia fiat.

Nonò, nec ſtatim ad ſumma veniat, ſed gradatim ac ſuauiter ad vlteriora promoueat.

Decimò, capacitati hominis multum ſe attemperet. Si quis enim in guttur multa ſimul infundere nitatur, effundet potiùs quàm infundat.

Vitanda in conuerſatione.

Vndecimò, cauendum eſſe dicebat, ne vitia in nobis deprehendantur: vt ſunt exceſſus in cibo, potu, hyperbolæ, vanitates, rixæ, motus inconcinni ac geſtus: hæc enim vti exiſtimationi non parùm detrahunt, ita minuunt amorem. In exteriori itaque homine concentum & compoſitionem magnam (ſignum animi compoſiti) requirebat. *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10.

JACVLATORIÆ.

1. Cor. 4. *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei.*

Philip. 4. *Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.*

Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.*

CAPVT XXVI.

Meditatio de Temporis ratione habendâ, & eiuſdem accuratâ diſtributione.

QVEMADMODVM vides in vniuerſo, ſuis temporibus, pondere, numero & menſurâ definita eſſe omnia, & accuratiſſimè, ita & in te microcoſmo fieri conuenit, temporiſque maximam haberi rationem, ac te vitam eiuſque partes ad illud dimetiri. eſtque hoc præſidium ad pietatem minimè vulgare.

COMPOSITIO LOCI, conſiderare velut in ſolitudine cælorum ordinatiſſimos motus, & vt omnia velociſſimè tranſeant, itaque vt poſt momenta ſingula nihil ſit recuperabile eorum quæ fuerunt in æternum.

PVNCTVM I. Conſidera primò ordinationem Dei, & voluntatem, quâ ſuo tempore creata hîc oriri & occidere voluit, & accuratiſſimè tempora eſſe definita, & ſigna

ſigna eorum, & imitare quantum potes. Secundò, quàm ſit tempus vitæ noſtræ incertum, quàm breue, ſi comparetur ad longiſſimam æternitatem. Tertiò, per ſingula momenta æternum gloriæ pondus, aut pœnarum tibi accedere. merita enim coronabuntur æternùm, & peccata etiam leuia æternùm punientur in iis qui reprobi fuerint. Quintò, vide quanta habeatur ratio à ſæculi filiis mercatus, occaſionis lucri alicuius; quomodo manè euigilent, diem in laboribus conſumant homines, maria traiiciant, vitamque prodigant, tu verò quid agis? Conſidera Quintò, omnium rerum tempus pretioſiſſimum eſſe, & irrecuperabile: ſed, eheu! vt Bernardus ait, nihil pretioſius tempore, & tamen nihil hodie vilius reperitur. Tranſeunt dies, menſes, anni ſalutis; & nemo recogitat, nemo ſibi perire diem, & numquam rediturum cauſatur. Attende verò quare ita ſit preciosum; quia nempe omnia illo lucrari, abſque illo nihil poſſumus. Immò quamuis vniuerſum mundum daret homo, pro prorogando vitæ tempore in morte vel ad momentum, nequaquam illud poſſet comparare. quod ſeriò expende. Quanti æſtimarent, putas, damnati & beati vnâ horâ poſſe viuere; illi vt ſalutem, hi vt gloriam maiorem conſequerentur! Ideoque exclamat Sapientia æterna: O ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tuâ, quæ ad pacem tibi! O ſi cognoſceret homo quantum hoc vitæ tempore poſſit animæ ſuæ bona augere! Quid, quòd de tempore etiam Philoſophi ſic philoſophati ſunt & ſenſerunt: inter quos Zeno aiebat, hominibus nihil magis deeſſe quàm tempus; Democritus precioſiſſimum impendium eſſe tempus. Seneca: *Ita fac ergo, mi Lucili, vindica te tibi, & tempus collige, & ſerua. Quem enim mihi dabis qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem æſtimet?* Expende igitur quomodo tempore tuo vtaris, cui rei pretioſiſſimum omnium impendas, quâ cum re commutes, fortè cum fabulis, otio, luſu, cùm poſ-

Temporis breuitas, incertitudo, pretiū.

Serm. ad ſchol. Mercatus eſt vita.

Damnati pretium temporis docent.

Lucæ 19.

Zeno. Democrit. Seneca.

poſſes regna acquirere, Dei gratiam augere, iuuare proximos, vocationẽ tuam certam per bona opera facere.

Aſpira, vt ſup.p.8. *Hæccine firmâ fide*, ibid.

PVNCTVM II. Attende, ô mi frater, ante omnia, quàm parum temporis ſuperſit, quantumque tibi hactenus perierit. Secundo, quomodo illud impendendum. Monet certe Seneca eleganter: Formemus, inquit, animum, tanquam ad extremum ventum ſit; nihil differamus: qui quotidie vitæ ſuæ manum imponit, non indiget tempore. Videte verò, ait Apoſtolus, quomodo cautè ambuletis, non quaſi inſipientes, ſed vt ſapientes redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Impendere autem oportet ad ſalûtem: ad hoc enim conceſſit illud Deus; atque, ſi hoc non fecerimus, ſeuera eius ratio reddenda erit. Aduerte igitur quantum quotidie pietatis exercitiis tribuas temporis; an plenè quod debetur illis ac diuino obſequio tempus impertiaris; an his ſtultiſſimè tantùm ſuccißiuum, alijs optimum Præterea, an non meliùs impendere poſſes. Quis obſecro mercator ſtramen vile emet in die mercatus, cùm poſſit aurum, gemmas precioſas; imò regnum? Tertiò, attentè conſidera, quid vnâ hora boni, quid vno die, quid conſtanter agere paucis hebdomadis poſſes in virtutis ſtudio, & erubeſce; maximè ſi attendas mundanorum in rebus viliſſimis incredibilem diligentiam.

Seneca epiſt 102.

Epheſ. 5.

Tempus quomodo impendendum.

Nota bene.

Vita eſt dies mercatus, & optima eme.

Hæccine vera &c. vt ſup.pag.7.

PVNCTVM III. Conſidera quantæ dementiæ ſit, omnia (vade, ſi lubet, per ſingula) bene ſupputare quæ ad rem familiarem ſpectant, & tempus negligere omnium rerum precioſiſſimum, turpibuſque & inanibus rebus impendere. Secundò, quanta ex otio iſto incommoda expertus ſis, & experiantur multi, qui numquam quid certi agunt, ſed fortuitò, velut cymbâ, quæ nullum certum portum habet, feruntur.

Temporis ineunda ratio.

Exercitium

Exercitium pro temporis habendâ ratione.

EHEV *quid eſt homo, ô Creator mi? quid vita hominis? quod tempus illius? quã breue ac pretioſum ſapienti, quã vile inſipienti! & tamen à momento hoc vel illo æterna, æterna, æterna mea pendet felicitas vel calamitas. Nunc propior eſt noſtra ſalus, quã cùm credidimus. Ecce enim mediâ nocte clamor factus eſt, & audio à te & de te,* IESV *bone: Ecce ſpõſus venit, exite obuiam ei. Egredior, & exeo de terrâ meâ, & terrenorum amore, de cognatione meâ, & ſenſualitate, de domo patris mei, vt inueniã te, & deoſculer te foris, & in medio cordis mei te amplectar, Fratrẽ meum ſugentem vbera matris mei, &c. Abnego meipſũ vt ſequar te iã nunc toto corde meo.* Applicatio ad Communionem. Cant. 8.

Obſecro te trahe me poſt te, & da te mihi, & ſuſcipe me. Ecce enim reliqui iam omnia, & ſequor te. quid ergo erit mihi, aut quid quæro? Te, Domine IESV, *te ſolum, dum inueniri potes, & amariſsimè doleo de peccatis, & amantiſsimè ſequor & deoſculor veſtigia pedum tuorum. Vtinam, vtinam dicere queam, verè Dominus eſt in loco iſto, corde meo, & ego neſciebam. vel cum Petro: Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum, & liberauit me de manu Herodis, & de omni exſpectatione inimicorum meorum! Vtinã intelligere poſsim, Domine Deus meus, quòd non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nam exſpectatio creaturæ reuelationẽ filiorum Dei exſpectat: vanitati enim ſubiecta eſt creatura non volens; ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe, id eſt, in te Domine Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis, propter quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſq; adhuc; non ſolùm autem ipſi, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes; & ipſi intra nos gemimus, adoptionẽ filiorum tuorum exſpectantes, redemptionem corporis noſtri, & aduentum tuum optatiſsimum & deſideratiſsimum. Quando venies & conſolaberis me, lux mea, ſpes mea?* Act. 12. Rom. 8. 2. Cor. 17 Rom. 8.

O quando apparebit illa dies æternitatis, in quâ momenta ſingula hæc æternitatẽ feciſſe videbimus! quando exultabimus

1.Pet.1. *in te modicum ſi nunc oportet contriſtari, vt tribulatio noſtra multò precioſior auro inueniatur in gloriam & laudẽ tuã, ô omne bonum! O quã apparebit tunc precioſum tempus, quo æternitas potuit & tu omne bonũ comparari; quàm breuis hora vitæ noſtræ, quàm breuis labor, quã precioſus horæ quadrans, qui iam ſæpè abit in otia, in malitiam, in fabulas! volat verbũ irreuocabile, volat tempus irremeabile: nec aduertit inſipiens quid amittat; libet fabulari, dicit, donec hora prætereat. O donec prætereat hora, quã tibi ad agendã pœnitentiam, ad obtinendã veniam, ad acquirendã gratiam, ad promerendã gloriã miſeratio Conditoris indulget! donec tranſeat tempus, quo diuinam propitiare debueras pietatẽ. properare ad Angelicã ſocietatẽ, ſuſpirare ad amiſſam hereditatẽ, excitare remiſſam voluntatem, flere admiſſam iniquitatẽ. Omnia tempus habent, & ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa ſub cælo; nunc tempus flendi, pòſt erit tempus ridendi; nunc tempus plangendi, pòſt erit tempus ſaltandi; nunc tempus belli, pòſt erit tempus pacis; nũc tempus odii (niſi enim qui oderit animã ſuã, tuus eſſe, ô dulciſſime* IESV, *nõ poteſt) ſed pòſt erit tempus dilectionis. Imò iam eſt, à ſummo enim cælo egreſſio amoris tui, & nõ eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Vtinam ergo ab hoc momento in æternum te amem toto corde, & me oderim! vtinam nihil amẽ extra te! vtinam ſis mihi omnia in omnibus, & laudem nomen tuum magnum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Amen.*

Bern. ſerm. ad ſchol.

Temporis iactura quanta.

Eccleſ. 3.

Praxis pro temporis ratione habendâ.

Salutis eſt prima cura

PRIMÒ conſidera, quæ tẽpora tibi cõmodiora rebus gerendis, & ante omnia ſalutis negotio procurando, atque attende ne rebus nihili tẽpus optimum, orationi & ſalutis negotio id tribuas, quod illis incõmodũ Ita, eheu! quotidie fieri videmus, optimã vitæ partẽ mundo ac vanitati tribui, optimã diei; effœtũ corpus, deteriora tempora ſenectutis pietati adſcribi. Reſpub. geritur in flore ætatis, negotiũ ſalutis in decliui. Quid verò tibi potiùs, ſaluum, an bonũ eſſe ciuẽ? Diſtribuat ergo ſibi quiſq; annos, dies, horas, nec fortuitò vitã agat, ſed decreto. Ille inter otioſos ac inertes numeratur, qui ſi fortè ſe benè gerendæ rei occaſio obtulerit, rectè faciat. Diuidendũ autẽ ita tẽpus eſt, vt Primò ea ad quæ obligamur, id eſt, quæ ad ſalutẽ ſpectãt, tractemus, de

Vita ordinanda eſt & quomodo.

diuino

diuino cultu, oratione, Miſſæ ſacrificio, lectione piâ, examine conſcientiæ. Secundò, quæ his proxima ſunt curemus, qualia ea quæ ad ſtatum & officium noſtrũ pertinent, artificium & laborem: natus eſt enim homo ad laborem, ſicut auis ad volandum; Tertiò, quæ ad familiam; Quartò, quæ ad honeſtam recreationem. quod enim caret alterna requie, durabile non eſt. *Iob.5.*

Secundò, ſingulis menſibus rationem tẽporis ſubducas; & conſidera, an meliori, an fructuoſiori occupationi illud impendere non poſſis. occupationes enim variæ; aliæ animæ, vt ſunt oratio, ſtudium varium, lectio; aliæ corporis, vt ſunt artificiorũ exercitatio, itẽ equitatio, venatio, luctatio, & recreatio; aliæ rei familiaris, vt ſunt plantatio, edificatio moderata, inſtauratio; aliæ reipublicæ; alia denique omniũ grauiſſima, præparatio ad mortem. huc enim omnia diriguntur, dies, anni, luſtra, & omnis exercitatio. *Ratio temporis ſubducenda ſingulis menſibus.* *Præparatio ad mortem.*

Dignatus es, vt ſup. p. 10.

JACULATORIÆ.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: abiiciamus ergo opera tenebrarum. 2. Cor. 6.

Fratres, hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus. Rom. 13.

Quodcunq; poteſt facere manus tua, inſtanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas. Eccl. 9.

Operamini dum lucem habetis: venit enim nox, quando nemo poteſt operari. Ioan. 9.

Ambulate dum lucẽ habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Ioan. 12.

CAPVT XXVII.

Meditatio de Monitore aliquo eligendo, auxilio magno in viâ Dei.

ITA à Domino comparatum eſt in hâc vitâ & viâ, vt nemo ſibi dux eſſe poſſit, nemo inniti prudentiæ ſuæ: ideoque nullum ſubſidium ſuauius ac vtilius ab iis quæ foris ſunt accipi poteſt, quàm amicus fidelis & monitor. *Monitoria vtilitas.*

COMPOSITIO LOCI erit, ſpeculari mundum plenum erroribus, & errorribus ac vanitate, coram Deo noſtro.

ORATIO. vt ſup.

Dux viæ quantum expetatur. PVNCTVM I. Conſidera coram Deo te in viâ multiviâ, vel ad flumen aliquâ tantùm parte vadoſum, ſed neſcire quà, neque quàm viam capias. Dic rogo, eo caſu quantum optares ducem ſeu monitorem? ſi verò ſcires hinc vitam & ſalutem certò pendere, quàm diligenter ſcrutarere an aliquis index eſſet viæ quàm gratus eſſes, ſi quis errantem etiam aſperè reuocaret, aliàs ad præcipitium venturum? Imò ſi iumentum tuum, de quo in veteri lege præceptum erat, erraret, reuocari velles. Applica viæ æternitatis irremeabili, & cogita tibi neceſſariò de duce & monitore aliquo proſpiciendum. *Eccleſ.9.* Neſcit enim homo finem ſuum, neque vllius negotij, ob plurimos & varios caſus in rebus humanis, & ſæpè *Res parua ſæpè magni mali fons.* quod minoris æſtimas, cauſa tibi eſt omnium malorum, vel eſſe poteſt; & quanta dementia tentare ſpreto duce, vias ignotas, vada periculoſiſſima? & vide an alicui hoc ſuaderes. Secundò conſidera, ſapientiſſimos omni ſæculo primùm in iis quæ ad animam, deinde etiam in aliis quæ ad res humanas pertinent, turpiſſimè erraſſe, quia ſuo iudicio præfidentes, monita bona ſpreuerunt. *Sapientes quoties lapſi, & fœdè!* Quis enim ſapientior Salomone? & quomodo infatuatum eſt cor eius? Secundò, optimos etiam in propriâ causâ cæcutire. Quis Dauide prudentior? & ecce nouem menſibus excæcâtus in adulterio hæſit, donec Nathan eum moneret. Huc referri poſſunt varij eximij viri, qui tandē in hæreſes & errores lapſi ſunt, quia innitebantur prudentiæ ſuæ. Denique vide errores mundi, tum in ſæcularibus hominibus, auaritiâ, aut amore, aut ambitione, ſe in multa pericula præcipitantibus quotidie; tũ in Ethnicis prudentiſſimis alioquin, lapides adorantibus, &c. Poſtremò in variis viris bonis, & Religioſis, qui defectu admiſſæ monitionis dati fuerunt in reprobum ſenſum. Tunc collige quàm auidè monitorem in viâ hac & ducem quærere oporteat. *Rom.1.*

Aſpira, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ*, &c. ibid.

PVNCTVM II. Conſidera quomodo in omnibus rebus

bus monitores velit eſſe Deus,& adeò neceſſarios iudicârit, vt ad id obligârit omnes Superiores, imò etiam pares, vt ſi quem peccantem viderint, monerent. vnde Prophetas vt ſpeculatores in Iſraël poſitos aiebat, quodque, niſi monerent, ſanguinem de manibus eorum requireret. Vnde aliqui, potiùs quàm monere omitterent, vitam perdidêre, vt S. Joannes Baptiſta, S. Staniſlaus Polonus; & patriam & omnia, vt D. Chryſoſtomus. Heli verò ſe ſuoſque omnes, quia monere neglexit, euertit. Secundò, in omnibus rebus, operibus, ſtructuris publicis ſyndici ſunt, & qui detegunt errores; & magno ſumptu emitur moneri de hoſtium inſidiis, de machinatione aduerſus bona noſtra, vel honorem noſtrum. Applicemus hoc nobis, & hoſtibus animæ noſtræ, & deteſtemur imprudentiam noſtram. Tertiò conſidera, quomodo in pluribus rebus, quas prudentiſſimè gerere nos putabamus, errauerimus. Quartò conſidera, quàm indignè ferremus ſi amicus ſciens alium nobis machinari mortem aut dedecus, taceret & diſſimularet; quàm illam verecundiam in diſcrimine conſtituti damnaremus, & eum hoſtiliter egiſſe iudicaremus? vel, ſi fruſtrà monuiſſet, quàm ſtultos nos fuiſſe ſerò videremus, vt Crœſus, qui à Solone in ſecundâ fortunâ monitus ex eâ in miſerrimam lapſus, vnum Solonem inclamabat. Imò ſi næuus in facie turpis, ſi adhæſiſſet veſti, vel ganeo aliquis affixiſſet probrum, & permitteret famulus herum rideri, quomodo id ferret? Quintò, vide quàm ſollicitè in ſpeculo ſe contemplentur homines, & eheu! næuum in animâ grauiſſimum admonitoris indicio detergere nolumus. Sextò, ſi quis medicus nunciaret tibi certis indiciis diſcrimen vitæ, quàm illum amares? ſi diſſimularet, quàm offendereris? Applica ad morbos animi.

Correptio & monitio ſæpè præcepti.

Ezech. 33.

1. *Reg.* 2.

Monitor in omni re neceſſarius.

Vide quoties errauerus.

In iis quæ corpus ſpectant, moneri volumus, non quæ animam.

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Haeccine firmâ fide, &c.* ibid.

PVNCTVM III. Conſidera quare moneri nolimus. Primò, quia (quod inſani eſt) putamus nos errare non

 poſſe;

poſſe; omnia laudari noſtra volumus, aliorum graues cenſores; cùm tamen (vt ſuprà oſtendimus) ſapientiſſimi & prudentiſſimi errauerint, & non ſit homo qui non peccet. Secundò, quia putamus nos per nos errores videre poſſe; ſed, vt prouerbium, non videmus manticæ quod in tergo eſt. Et vt nemo in facie ſua videt næuum niſi in ſpeculo; ita neque errori occurrere quis poteſt, niſi monitus. & ſic de aliis. Itaque ſuperbiam, malorum radicem, hoc remedium pellit. Vnde Seneca: ſit aliquis cuſtos, & aurem ſubinde peruellat, abigatque rumores, & reclamet populis laudantibus, &c. Neceſſarium eſt admoneri, & habere aliquem aduocatum bonæ mentis in tanto ſtrepitu tumultuque falſorum, vnam denique audire vocem. Quæ erit illa vox? ea ſcilicet quæ tibi tantis clamoribus ambitioſis exſurdato ſalubria inſuſurret verba. Tertiò, quia alios diiudicare noſtra non poſſe putamus. & hæc dementia, quaſi noſtra aut ſint ſupra captum hominum, vel ſanè arcana patefacere amicis verè nolimus; quod quàm ſit noxium, patet: ſi enim quis foret, qui medico morbum aperire nollet, & remedium tamen peteret, certè is demens eſſet; & arcana nolle aperire, eſt conſilium nolle petere, aut perperam petere. Cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit; cumque placuerit fieri, toto illum pectore admitte, tam audacter cum illo loquere, quàm tecum: poſt amicitiam credendum, ante amicitiam iudicandum. Quartò, quia omnino perire volumus, vt is qui erroris in viâ ſeu præcipitij monetur, & contemnit: imò quærimus eos qui ad interitũ ruentes fiſtulis & ſambucis eò nos propellant; adulatores ſcilicet: qui verò obſtare poſſent reiicimus. Sic Roboam ſenioribus conſiliariis patris ſui dimiſſis, iuniores adlegit, & periit. Xerxes vocatis ad ſe Aſiæ Principibus, viris prudentibus, ait, Veniſſe ſe ſcirent, vt parerent, non ſuaderent. Prudentes verò Principes longè aliter fecêre: atq; adeò rumores de ſe auidè captare ſoliti, vt Fre-

dericus

3. Reg. 8. *Seneca epiſt. 94.* *Seneca. Amicus deligendus.* *3. Reg. 12. Valer. Max. l. 9. c. 5.* *Reges habent monitores.*

dericus III. Carolus V. & Franciſcus I. Galliæ Rex. Imò & ipſe Dominus ad exemplum noſtrum petiit, Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Quinta cauſa ſpernendi monitorem eſt, quia dedecus putamus moneri priuatim, quod publicè audire aliàs cogeremur. Plutarchus ad hoc ſcitè ait, Telephum vulneratum, coactum fuiſſe ab hoſtibus vulneri remedium petere; atque ita eum qui non habet amicum, ſæpè ab inimicis ſua vitia audire. Perſarum Reges quotidie à monitore ſic excitabantur: Surge Rex, ac negotia cura, quæ Meſoromaſdes te curare iuſſit. Philippus Rex cùm in cauſis audiendis negligentior eſſet, & vacare ſe mulieri cuipiam non poſſe diceret, publicè audiit: Noli ergo Regem agere. Denique monitorem reſpuimus, quia parum amicum putamus eum, qui non adulatur; in re familiari tamen, ſi quis vitium, diſcrimen noſtrum, alterius circumuentionem indicet, amicum factum putamus. Et hæc eſt inſipientia filiorum Adam, qui de iumento aliiſq; rebus omnibus magis ſolliciti ſunt, quàm de anima. Vnde Sapiens, Noli arguere deriſorem, ne oderit te, &c. vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus. Sanè qui corripit, ſi amicus non eſt, officium amici facit, aut facere voluit; quod nemo reſpuere ſolet: ſi eſt, meliora ſunt vulnera diligentis, ait Scriptura, quàm fraudulenta oſcula blandientis. Stultitia certè magna eſt monentem auerſari. Qui odit increpationes, ait Sapiens, inſipiens eſt. & rurſum: Noli arguere deriſorem, ne oderit te; argue ſapientem, & diligit te. Ille, vt phreneticus, curantem ſe mordet, monſtranti viam iraſcitur, & errare pergit. vel bonam medicinam ſibi datam, odio medici, ſponte ſibi in venenum vertit & haurit, fitque vt virga Moyſis (id eſt correptio) in colubrum vertatur.

Matth. 16 · *Plutarch.* · *Adulatorē quærit qui non vult moneri.* · *Prou 9.* · *Eccli. 10.* · *Corripiens facit amici officium.* · *Prou. 27.* · *Prou. 9.* · *Monitionē reſpuens ſtultus eſt.*

Hæccine vera, &c. vt ſup. p. 7.

PVNCTVM IV. Conſidera aliquē quem nemo monere audeat, nónne is ſimilis tibi videtur ei equo quem

Corripi recuſans quanto in periculo. in præceps ruentem & calcitrantem nemo retinere poteſt; vel quem nemo velit, quòd eum contemnat? nónne tibi is miſer videtur, & in crepidine montis prærupti ambulare; aut ponte anguſto & excelſo admodum, *Nota ſimilia.* abſque vllo præſidio & retinaculo? nónne comparandus ei viatori, quem proximum vt incidat in manus hoſtium, ſpeculator admonere negligit aut horret? ita omninò eſt. quare aptè Seneca: Monſtrabo tibi cuius *Seneca de benef. l. 6. cap. 10.* rei inopiâ laborent magna faſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit: ſcilicet ille qui verum dicat. nemo ex animi ſui ſententiâ ſuadet diſſuadetque, ſed adulandi certamen eſt, & vnum amicorum omnium officium ac *Pauce moneri volunt* contentio, quis blandiſſimè fallat. Hæc peſtis eſt ſæcularium, hæc multorum etiam piorum, quos ſi moneas, exaſperas; quoſque proinde melius ſinere iacere, quàm erigere. *Haccine vera*, vt ſup. p. 7.

Pſal. 140. Excuſatio mala. PVNCTVM V. Conſidera, quàm ſit turpe declinare cor ſuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis: qui enim iuſtificat ſeipſum, hoſtem ſuum excuſat & Dei; cumque ſit æger, ſanus haberi vult; & cæcus, videns; imperitus, peritus; & qui iniuſtus eſt, iu*Eccli. 19.* ſtus cenſeri. Peccator enim homo vitabit correptionem, & ſecundùm voluntatem ſuam inueniet comparatio*Leuit. 13.* nem: iuſtus autem accuſator eſt ſui. Hinc iubetur leproſus veſtimenta diſſuta habere, & caput detectum; *Geneſ. 27.* id eſt, peccator ſe aperire. At Jacob extrema pellibus *Serm. 16.* tegit, & peccator haberi vult. De eo Bernard. ſuper Cá*Excuſans repellit medicinam.* tica: In animam peccat ſuam, qui excuſat dum arguitur, repellit proinde à ſe medicinam, & ſic vitam ſibi intercludit æternam. Excuſat, ait, quis dicendo: Non feci, aut benè feci. aut ſi male: Non multùm malè, aut ſi multùm malè: Non malâ intentione: ſi autem de illâ *Geneſ. 3.* velut Adam & Eua conuincitur, alienâ ſuaſione excuſare ſe nititur. & Gregorius: Superbiæ vitium eſt, vt *Ibid.* quod quiſque de ſe fateri dignatur, hoc ſibi ab aliis dici dedignetur. Conſidera Secundò, Adamum, Cain, &

Saulem,

Saulem, excuſantes ſe, à Deo proiectos; Dauidem, Petrum & Latronem ſuſceptos. Tertiò, conſidera Chriſtum Dominum circumcidi, baptizari, damnari, de quo illud, Sicut agnus ad occiſionem ductus eſt, coram tondente ſe obmutuit, factus tanquam homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones. Chriſtum verò ſecuti ſunt, de quibus Gregorius: Piarum mentium eſt, illic culpam agnoſcere vbi culpa non eſt. Dixi ergo: Cõfitebor aduersùm me iniuſtitiam meam Domino, & tu, Deus meus, remiſiſti impietatem peccati mei. non declines, quæſo, vnquam cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis; ſed in miſericordiâ tuâ viuifica me.

Excuſantes à Deo proiecti. Geneſ. 4. 1. Reg. 15. 2. Reg. 12. Iſaiæ 53. Pſal. 37. Regiſt. epiſt. l. 12. indict. 7. epiſt. 31. Pſal. 31. Pſal. 140.

Exercitium pro monitore & correptione libenter ſuſcipiendâ.

CORRIPE *me, Deus, in miſericordiâ tuâ, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum; corripe me, dum tempus miſerendi, vt abſoluas me, dum tempus erit iudicandi. Ecce enim proteſtor, quòd ſpiritu tuo agi volo, & filius tuus eſſe; & hodie ſi vocem tuã audiero, nolo obdurare cor meum. Audiam quid loquaris in me, Domine, quoniam loquêris, ſpero, hodie pacem in plebem tuam, in derelictam animam meam. Exſpecto enim te hodie, exſpectans exſpecto, quando facies de perſequentibus me N. paßionibus iſtis iudicium, & ſicut fluit cera à facie ignis, ſic peribunt peccatores à facie tuâ. Ne permittas, rogo, vt peccem in te, vt errem à te, velut cæcus in viâ, ignarus in ſiluâ, & moneri nolim, vt viam teneam rectam, vt videam pericula, vt declinem damna animæ meæ, vt conuertar ad te, & ſalua ſit anima mea: nam qui odit correptionem, veſtigium eſt peccatoris, ſiue diaboli, eiuſq; mancipium, venundatus ſub peccato, ligatus non ferro, ſed ferreâ voluntate, vt abſtrahi à malo nolit, & nequeat, quia vix eſt qui faciat miſericordiã cum illo, dum pauci ſanare volunt, & dum ſanant, aut vulnerari linguâ, aut ad vulnus in ſecreto poſtulari. Concede etiam vt timore humano erranteẽ monere, ægrum curare non*

Applicatio ad Communionem.

Corripi nolens vinctus eſt.

August. *non deſinã. Verè enim dicebat ſeruus tuus Auguſtinus: Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum inter te & ipſum ſolũ; ſi neglexeris, peior es. ille iniuriam fecit, & iniuriam faciendo graui ſeipſum vulnere percuſſit: tu vulnus fratris tui contemnis? tu eum vides perire, & negligis? Peior es tacendo, quàm ille conuiciando.* Moneri pauci volunt. *Sed plures qui alios libenter cenſeant & iudicent, reperiri video, paucos qui optent moneri. veritas hæc odium parit. Iuſti eſſe nolumus, & dici volumus; cùm corripere nos audeat nemo, etſi perire propè videat; quia ex ſuperbiâ medicamentum viderit eſſe factum venenum.*

O infelices, quibus à bonitate tuâ ad ſalutẽ nobis data auxilia, fiunt ex militiâ rectæ mentis impedimenta! Aufer à me, Domine IESV, *qui tot calumnias pro me paſſus fuiſti, hanc ſuperbiã, quâ defectus meos agnoſcere detrecto, & aperire nolo, malens in iudicio perire forſitan, & malus iudicari à te, dum bonus ab homine haberi poſſim, & malus eſſe. Si corpus curari opto, negligi indignè fero; cur mihi anima mea ſic viluit, vt iraſcar, ſi quis eam curare velit, ſi ſanare? ſi laqueus pedi meo oſtẽdatur poſitus gratus ſũ; ſi vulnus aperitur animæ, ingratus, immò furioſus ſum, quia perire libet potiùs, quã de periculo moneri; miſerũ eſſe, quã vbi opes & felicitas ſunt, reuelari. Proditio vulgò cenſetur, occultare, & nutrire hoſtẽ amici ſui; amicitia verò ſæpè reputatur, graues animorum (vitia inquam) aduerſarios fouere.* Prou 18. *Ea eſt, Domine, infelicitas noſtra,* Pſal. 138. *cũ iuſtus in principio ſermonis accuſator ſit ſui; hoc eſt imperfectũ noſtrũ, quod viderunt oculi tui, & ſanare poteſt vnica manus tua, quæ omnia fecit, & fecit benè, & me infinitâ miſericordiâ refecit. Sunt qui ſe nequiter humiliãt, & arguunt,* Bern de grad. Humil. *ſed ſi, velut vaſa figuli probat fornax, hos etiã exerceat aliqua tribulatio; cuius eſt ſimulata confeſſio, vnâ vel leui cõtumeliâ, aut exiguâ pœnâ interrogatus, iã humilitatẽ ſimulare, iam ſimulationem diſſimulare nõ poteſt: murmurat, frendet, iraſcitur, nec in gradu ſtare humilitatis, ſed in nouũ ſuperbiæ gradũ corruiſſe probatur.* Iob. 3. Iob. 20. *Scio, nõ veniet in conſpectu tuo omnis hypocrita, & ſi aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur.*

perdetur. Aufer itaq; de medio mei magniloquos ſuperbiæ & non adiiciant exultari in corde meo; quia tu ſcio, Domine, magnus & terribilis, non reſpicis niſi ad humiles & trementes ſermones tuos. Amen. Sophon. 3 Iſaiæ 66.

Praxis in monitore adhibendo.

PRIMA Vide, quas conditiones monitor habere debeat. Et quidem Primò, debet eſſe amicus: moneri & monere proprium eſt verę amicitiæ, inquit Cicero. Secundò, debet eſſe pietate, virtute & prudentiâ præditus. nam vt doceri ab indocto nemo cupit; ita ſe moneri ab illo pauci patiuntur, quem eadẽ aut ſimilis culpa redarguit. Tertiò, debet velle id facere: multi enim ſunt, qui ſcientes obſequiũ amicos, veritatem odium parere, monere detrectant. Accedit autem hoc ferè, quia non ſincerè diligunt, ſed ſua quærunt, & tales non in amicorũ numero collocandi, ſed adulatorũ. at verò adulatione, blanditiâ, aſſentatione in amicitiâ nullam eſſe peſtem maiorem aptè Cicero dicit. Vel certè eò accidit, quòd ex veritate odium naſci videant. cuius autẽ aures veritati clauſæ ſunt, ait idem, vt ab amico audire verum nequeant, huius ſalus deſperanda eſt. Vel deniq; eò quòd ii qui monentur eam moleſtiã quam debent capere non capiunt, cùm emendare negligunt, monita ſpernunt. *Qualis eſſe debeat Monitor.* *Cicero.*

Secunda. Vt ergo aliquis monitore vtiliter vtatur. Primò aperiendum pectus: aliàs enim nec amicum agnoſcis, cùm diffidas; nec conſilium expectare potes, cùm de re incognitâ alter ſententiam ob diſſimulationem tuam dicturus ſit. Vnde Sapiens: Cauſam tuam tracta cum amico tuo, & ſecretum extraneo ne reueles, ne fortè inſultet tibi cùm audierit, & exprobrare nõ ceſſet. Secundò, cogendus amicus vt moneat liberè, & seriò allaborandum, vt corrigat quis quod à prudente & amico homine ſuggeritur. Ex his facilè colligitur, ſæpè eos qui paris tecum conditionis ſunt, nõ ita aptos eſſe monitores, cùm inter eos ſæpè æmulatio ſit; neq; ſubditos, cũ ſæpè libertate abutantur, aut timore prohibeantur: neq; eos, quorũ ſi amicitia diſſuenda ſit, timeas, ne, quòd parum probi, noceant (multi enim niſi viri omninò probi ſint, ſæpè vitiis amicorum offenduntur;) ſed alium quempiã, qui in Deum reſpiciens, nihil timeat, aut ſperet, & ſalutis tuæ ac felicitatis nõ ſit æmulus, ſed amans. Talis vnus deligendus eſt atque alter, & ſtatuendum quoties, ſi ita res poſcat, eum auditurus ſis, & cum eo de tuis rebus acturus. *Amico ſincero familiariter vtendum.* *Prou. 25.* *Quales non ſint apti monitores.*

Tertia

Quomodo ſit facienda monitio. Tertia. Correctio fiat non de re incertâ vel leui, vel intempſtiuè, dum perturbatus eſt animus errantis: moduſque fit lenis, iuxta Apoſtolum: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui ſpirituales eſtis, inſtruite eiuſmodi in ſpiritu lenitatis. Seruum enim Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe; & verè, vt Ambroſius, Plus profuit amica correptio, quàm accuſatio turbulenta. *Dignatus es*, vt ſup. p. 10.

Gal.6.
2.Tim.2.
Ambr.l.8. in Lucam.

IACVLATORIÆ.

Pſalm. 6. *DOmine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Pſal. 38. *Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti ſicut araneam animam eius.*

Prou. 3. *Quem diligis, Domine, corripis, & quaſi pater in filio complaces tibi: fac de me ſecundùm diuinum beneplacitum tuum.*

Pſal. 40. *Corripe me, Domine, in miſericordia tua: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

CAPVT XXVIII.

Meditatio de amicorum delectu.

Amicitiæ effectus. Super Matth.

INTER externa pietatis præſidia eſt amicitia; bonus enim ſic malo connectitur, vt Chryſoſt. ait, vt aut pares reddantur, aut citò ab inuicem ſeparentur. Amicitiæ enim pares aut quærunt, aut faciunt, & ſicut multa bona habet communis vita ſanctorum, ſic plurima mala ſocietas malorum.

COMPOSITIO LOCI, erit ſe conſtituere in Dei præſentia. ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera quid ſit amicitia. Eſt verò, vt Cicero loquitur, diuinarum humanarumque rerum ſummâ cum beneuolentiâ conſenſio. Duplex illa eſt, falſa & vera. vera autem hæc eſt & Chriſti glutino copulata, quam non vtilitas rei familiaris, non corporis præſentia tantum, ſubdola & palpans adulatio, ſed Dei timor & diuinarum Scripturarũ conciliant ſtudia, vt Ambroſius. Hinc collige qualis tua amicitia ſit.

Ambr. de amicit. c. 7
li. 6.

2. Conſidera quorſum amicitiã Deus inſtituerit; & donum illud largiatur (qui timet enim Deum, habebit ami-

amicitiam bonam, vti Sapiens) nempè vt cùm viatores & peregrini ſimus ſuper terram, tendamuſque in cælum patriam noſtram viâ difficili ac periculosâ, latronibus obſitâ, Comites & viæ bonos ſocios, id eſt amicos nobis eſſe voluit. Conſidera 3. Quales vitandi & fugiendi: primò vitandi improbi, hi enim cũ hoſte tuo, id eſt dæmone conſpirant: hi mellito ſermone venenum tibi inſtillant, in præcipitia ducunt, dum hoſtis premit. Et verò túne eum putas tibi amicum, qui Deo ſit inimicus, cui tot nominibus obſtringitur? túne eum tibi, qui nec ſibi? qui enim facit iniquitatem, odit animam ſuam, & omne bonum Deum ſuum. Hoc ergo pacto quem amicum velis explora. Et certò ſcias ſperare eum tibi fore amicum, qui Patri & Deo & Redemptori ſuo infidelis eſt, meram eſſe inſaniam. Cogita verò quam turpe tibi ſit, iam coram Deo & curiâ eius cum perduelli & infami conſuetudinem & amicitiam habere, quamque horrendum id futurum in iudicio, & amicos Regis Dei tui iam tibi concilia. *Aſpira*, vt ſup. p. *Haccine firmâ*, *&c.* ibid.

Cur amantia à Deo inſtituta.

Mali numquam veri amici.

Pſal. 10.

PVNCTVM II. Hæc quidem in genere dicta ſunt: nũc conſidera quos maximè vitare debeas Dauidis monito dicentis: Oculi mei ad fideles terræ: ſuperbo oculo & inſatiabili corde cum hoc non edebam, detrahentem ſecretò proximo, hunc perſequebar. primo igitur ſuperbum vita; inter ſuperbos enim ſemper iurgia, quæ ergò amicitia? 2. hominem auarum, & ſui valdè amantem. Hic enim erit amicus ſecundùm tempus, & non permanebit in die tribulationis. Orientem ſolem tales ſpectant, de quibus Sapiens: O præſumptio nequiſſima, vnde creata es cooperire aridam malitiâ & doloſitate illius? 3. Caue à detractore, imò eum perſequere cum Dauide, de quo ſcriptum: Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit; talis enim detractor vt ſerpens repit per terram, & eam comedit, eſtque velut ſanguiſuga, & canis macelli, rictu, ſanguine, id eſt peccato proximi fœdato. Et quæ cõmunica-

Pſal. 100.

Qui maximè vitandi nempe ſuperbus & ſui amans.

Prou. 13.

Eccli. 6.

Eccle 17.

Detractor fugiendus.

Eccleſ. 10.

Eccli 13. *Deut.12.* nicatio ſancti hominis ad canē? vnde monetur; caue ne ſanguinem comedas, vel quod idem, carnes proximi. Ideò quidam ſanctus aiebat: Melius eſt comedere carnes & vinum bibere, quā detrahere. Perſequere ergo de- *Detractoris malitia* *Prou. 30.* tractorem, cuius dentes arma & ſagittæ, & gladius in labiis eius, & venenum aſpidum ſub iiſdem: hi enim ſunt de quibus Sapiens: Eſt generatio quæ pro dentibus gladios habet, quibus auditores percutit, & ſe & proximū. Ne permitte vt alienas ſordes in cor tuum ingerat, & au- *Detractor nulli fidus.* res, ſic de te certò cras loquitur, vt iā de proximo tuo: & feſtucam in oculo tuo videbit vt trabem, & te iudicabit. Dic, quæſo, putas plus amicitiæ tuæ tribuet, & fidelior erit tibi quā Deo, & eius legi quæ ita charitatem præci- *Eccli. 28.* pit, & ſuſurronē & bilinguem maledictum appellat? Si ille arbitretur ſe tibi gratificari, ſimilē te ſibi æſtimat, & velut porcum qui volutari velis in ſordibus. ſepi ergò *Eccli. 28.* aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam; ſcriptum eſt, Non maledices ſurdo, nec coram cæco pones *Eccli. 20.* offendiculum: ille enim ſe excuſare nequit aduerſus *Detractor vix corrigitur.* hunc teſtem iniquum. Neq; ab hoc ſperes correctionem; homo enim aſſuetus verbis improperij omnibus diebus *2. Reg. 1.* vitæ ſuæ non erudietur. vide vt Dauid Amalechitē, & eos qui Isboſet occiderant, peremit, illi dicens: Quare non timuiſti mittere manū tuam vt occideres Chriſtū Domini? Idem dicito detractori, & ſimilem crede Ozæ percuſſo & arcam tangenti, ſi ſuperioribus detrahat.

Haccine vera &c. vt ſ. p. 7.

Quales amori deligendi. PVNCTVM III. Nunc conſidera quales tibi diligendi ſint, & adhoc ſimul attende qualis ſis, quibuſq; obnoxius *Pſal. 17.* vitiis, & qualis eſſe velis, cū bono enim bonus eris, ſer- *Seneca.* puntque, vt ait Seneca, vitia, & in proximis quemque tranſiliunt, & contactu nocēt: conuictor enim delicatus paulatim emollit, & eneruat. Neceſſe eſt aut imiteris, aut oderis. Igitur optimum quemque delige, vel potiùs cùm quiſque ſuos habeat næuos, quàm minimè inquinatos. Ratio manifeſta eſt, amicitia enim nos alteri cō-

iungit,

iungit,vti & familiaritas, imò facit idem velle & nolle. (ea enim amicitia ſola eſt) atq; adeò anima quæ amat, magis in eo eſt quem amat, quàm vbi animat. An ergò mirum ſit talem eſſe quemque, quales ii cū quibus verſatur? Vnde veteri prouerbio: Pares cū paribus ferè ſociantur. Vti enim ſimilitudo morum amicitiam parit,ita viciſſim morum ſimilitudinem amicitia facit, & ad hoc attende, quæ vitia in animo, immò etiam corpore habeas,ne conſuetudine eius qui eodem malo laborat, tuū augeatur,& ſi diligenter obſerues, iiſdem aſperſos videbis,quibuſcum aut conſuetudinem habuiſti, aut etiamnum habes. Statue proinde ſi bonus eſſe velis, bonos amicos & familiares eligere;nihil enim ſtultius,ait Cicero,quàm equum,famulos,domum, optima,parare,& nō amicos à quibus ſalus noſtra pendet vniuerſa, ideoq; idē Cicero toto prope libro diſputat, amicitiam non niſi inter bonos eſſe poſſe,nec amicum alterum ab altero niſi honeſtum petere debere, virtutum enim amicitia adiutrix data eſt,non vitiorum comes : vt quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea quæ ſumma ſunt,peruenire, cōiuncta & ſociata cum altera perueniret. Quare cùm amicitia hoc ſpectet vnum,vt amici auxilio ad virtutē perueniamus, illius in delectu amicorum primùm eſt habenda ratio,conſiderandi mores, quid ex hoc, quid ex illo virtutis diſcere,quod tibi maximè vſui ſit, quid ſapientiæ poſſis.*Haccine vera,&c.*vt ſup.p.7.

Amicitia eſt ob virtutem.
Cicero.

PVNCTVM IV. Conſidera quā ſuaue ſit amicitię bonū, quàm dulce eius ſolatium, idcirco hortatur Ambr. dicens:habeas amicum cui pectus aperias, cui arcana communices,cui ſecreta tui pectoris committas, vt colloces tibi fidelē virū,qui in proſperis gratuletur,tibi in triſtibus compatiatur,in perſecutionibus adhortetur. Secundò cōſidera nihil potentius eſſe amore: itaq; etſi amicitia vtilitatē nō ſpectet, nihilominus vtiliſſimā eſſe cū omnia bona cōmunia facit, & perpetuā & iucundā eorum poſſeſſionem,vſum,ac fructum. Itaq; ſi deſideras alienis

Ambr. l. 3. offic
Solatiū ex amicitia magnum.
Amicitiæ vtilitas.

bonis frui, ſi optas fauorem, ſtude omnes amore præuenire, ac deuincire concertatione beneuolentiæ, nullo enim nummo commodiùs amorem emeris, atq; amore. Eum ſi obtinueris, & cor hominis poſſederis, quid erit amici tui, quod tuum etiam non erit? attamen amicitiæ ac beneuolentiæ ſtude, non tua quærendo, ſed vt proximo tuo placeas in bonum, vt cum eo propter Deum coniunctus ſis, & certò poſſidebis illum. O quanta induſtria charitatis! quàm vtilis mortalibus, quàm grata, quàm iucunda, quàm Deo accepta! Tertio conſidera, hinc ſequi, omnium iacturam eſſe libenti animo faciendam, vt charitas cōſeruetur, quia ſi illius integritas ſeruatur, omnia ſalua ſunt apud Deum & homines. Quartò conſidera, quanta inſania eorū, qui per ſimultatē verbo vno, repulsâ vnâ amicitias violant, ſe ipſos enim ob hoc priuant maximo humani generis bono, quod certè naturæ inſtituto omnes vehementer deſiderant, id eſt, amari etiam ab hoſte. Et verò qui ſe vlciſci cupit, ſi ſpectes finem, quid aliud petit quàm amati! iniuriam illatam non eſſe? id eſt, amatum perpetuò amicum etiam fuiſſe, vel amicitiam reparatam? ſcilicet, per amorem. Nam dona, officia, obſequia delata, ſi animus eius qui præſtat ſit aduerſus, officiunt, non placant. Illud verò attende, nullo amorem impetio aut vi extorqueri, nullo etiam pretio, nullâ arte comparari, quàm beneuolentiâ, & amore. Monſtrabo tibi, ait Seneca, amatorium ſine medicamento, ſine herbâ, ſine vllius veneficæ carmine; ſi vis amari, ama. Huc omnia à Deo & naturâ directa, ab hominibus ordinata, vrbes, vici, familiæ, leges. Itaque ſtatue inuiolatam in omnibus ſeruare, cum omnibus quoad fieri poteſt pacem habere, nemini dare vllam offenſionem, inſuper omnes deuincire propter Deum, ſerioq; vias ac modos accommodos ad hoc inuenire, omniaque præ amicitiâ vilia habere. Amico enim fideli nulla eſt cōparatio, & non eſt digna cōparatio auri atque argenti contra bonitatem fidei illius. Nam frater qui

Amicitia omnibus præponenda.

Amicitia amore acquiritur.

Seneca.

2. Cor. 6.

Eccli. 6.

Prou. 8.

qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas firma. Væ autem ſoli, quia cùm ceciderit, non habebit ſubleuantem ſe. Amicus verò fidelis protectio fortis; qui autem inuenit illum, inuenit theſaurum. Et Et rurſum: Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis: qui metuunt Dominum inuenient eum. Fatuo autem, vt ait ſcriptura; non erit amicus; & non erit gratia in bonis illius: qui enim edunt panem illius, falſæ linguæ ſunt; quoties & quantum irridebunt eum? Nemo enim poteſt, ait Auguſtinus, veraciter amicus eſſe hominis, niſi fuerit ipſius primitus veritatis; quòd ſi gratìs non fiat, nullo fieri pacto poteſt. *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ fide*, *&c.* ibid.

Eccleſ. 4. *Quanti ſit amicus ſincerus.* *Eccli 6.*

PVNCTVM V. Conſidera ſuauiſſima illa verba bonitatis infinitæ loquentis ad cor tuum: Iam non dicam vos ſeruos; vos autem dixi amicos, quia omnia quæ accepi à Patre meo, nota feci vobis. Pro hoc ergò, & eius amicitiâ zela in te & proximo tuo. Eructauit ille tibi abſcondita à conſtitutione mundi, ſapientiam, inquam, ſuam commnuicavit nobis, de quâ Sapiẽs: Infinitus eſt theſaurus hominibus nempè ſapientia, quâ qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei propter diſciplinæ dona commendati. Vide igitur, quomodo hunc amicum præ omnibus conſeruare debeas, & caue obſecro, amicus eſſe huius ſæculi: amicitia enim huius mundi inimica eſt Deo. Caue vllius hominis gratiâ Deum offendere, legem aut regulam prætergredi, & illius beneuolentiam perdere. Ille enim ſolus verè amicus & medicamentum animæ; & immortalitatis: amicitia autem hæc inter omnem animam piam & IESVM, conciliatur, at maximè religioſam, hæc enim cum eo communia habet omnia; huius cum eo conuerſatio in cælis eſt, cùm iam ſit facta ciuis ſanctorum, & inter domeſticos Dei annumerata. Angelum item cuſtodem fideliſſimum, alioſque patronos ſinceriſſimâ charitate proſequere, & imprimis beatiſſimam matrem, quæ non

Ioan. 15. *Sap. 7.* *Amicitia Chriſti quærenda præ omnibus.* *Iac. 4.* *Amicitia ſæculi mala.*

dedignatur nos amicitiâ ſuâ, quando filius eius amore noſtri dignatus eſt mori.

Exercitium pro amicitiâ fideli & verâ conſequenda.

Ioan. 13 *DIxiſti, Domine, quòd in hoc cognoſcēt omnes diſcipulos tuos ſi dilectionem habuerint ad inuicem. Habeóne illā? Eſtne vllus, quē auerſor, & non diligo in te corde ſincero? Ab-*
Ioan. 3. *ſit, abſit, vt oderim quemquā, & non viuā tibi; qui enim non diligit, manet in morte, & qui fratrē ſuum odit, in eo charitas tua non eſt, ſed odit te; quod abominor, & deteſtor, & eiuro. Veniat mihi mors, ô vita mea Ieſu, veniat potiùs quàm non diligā te in te, & in omnibus, cùm ſis mihi omnia in omnibus. Amo te, ô amor, diligo te omne bonū. Quæro te ſalus mea, & placere volo tibi, & gratus offerre tibi ſacrificiū hodie laudum & cordis, & mentis meæ, & reddere tibi altiſſimo vota mea. Audi Domine de profundis clamantē ad te, & exaudi vocem*
Marc. 12. *meam, & fac vt diligā te; diligere enim te, & proximū, maius eſt omnibus holocautomatibus, & ſacrificiis. Nihil vtilius homini, nihil gratius tibi, quàm ſi ſimus in charitate radicati, & fundati, vt poſſimus comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundū, vtque tibi ſeruire poſſimus humero vno; omnis enim amicitia noſtra ad hoc dirigi debet, vt ſeruiamus & placeamus tibi, & amici tui ſimus. Si quis aliud à me poſcat, anathema mihi eſt: tuus enim ſum ego, & juſtificationes tuas quæſiui, & quæro, quæro ex nunc in toto corde meo.*

Magna certè foret, & ter maxima dementia, amicum fieri hominis & mundi huius, & inimicum tuū conſtitui: quid enim tribuere, aut veri ſolatij, aut ſubſidii poteſt quiſpiā, niſi tu dederis ei? Ideoq́; iuſto tuo iudicio, Deus meus, fieri videmus, vt quos charitas non coniungit, ſed vanitas; non tui amor ſed mundi; perſeuerare in amicitiâ nequeant; immò nullos magis experiātur aduerſarios, quàm illos, quos non propter te dilexerunt: vt omnino attendere oporteat eos admonitū illud Pro-
Ierem. 9. *phetæ tui, Vnuſquiſque ſe à proximo ſuo cuſtodiat, & in omni*

fratre

fratre ſuo non habeat fiduciam; quia omnis frater ſupplantãs ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & vir fratrem ſuũ deridebit, & veritatẽ non loquetur. Sed, tu Domine, fidelis es, & amicus in tempore obductionis, & quãuis videas hoc imperfectum meũ N. me tamen amas, & viſitas me, & panis Angelorum dignaris fieri cibus viatorum. Viator enim ſum, & peregrinus & aduena, ſicut omnes patres mei. Quãdo veniã & apparebo ante faciem tuam? fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meã, quoniam tranſibo in locũ tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei, & tu habitabis in medio mei. Verùm exclamat illa: Filii matris meæ pugnauerunt contra me. monet alter: noli credere amico, noli confidere in duce. Dum ergo tranſeo, dum propero ad te hodie, cõcede mihi, Deus meus, in viâ hâc, vt tales peregrinationis ſocios acquirã, qui non retardent iter meũ ad te; ſed qui, ſi cecidero, fulcire me poßint; ſi æger fuero, recreare. Amicus enim fidelis medicamentũ vitæ & immortalitatis; & qui metuent te, Domine, inueniẽt illũ. Da mihi ut inueniã, vt inuentum ſeruare poßim, omnibus placere in bonũ, omnes beneuolentiâ ſic coniungere mihi, vt unum ſimus tecũ, ſit nobis cor vnum, & anima vna, & ſpiritus vnus, quò idem ſentiamus, dicamus, idem velimus. velle enim & nolle idẽ, amicitia eſt: id autẽ erit, ſi nihil velimus, niſi vt fiat ſancta volũtas tua, beneplacens, & perfecta, & amici optemus fieri tui, in quo vno omnia habentes, ad aliud ſuſpirare poterimus, aliud amare? quid enim nobis eſt in cælo, à te quid velle poſſumus ſuper terram? O Iesv, *ô* Iesv, *tu ſpes, tu ſolatium, tu refugium, amicus meus in æternum & omnia, Amen.*

Applicatio ad Communionem. Pſalm. 41. Cant. 1. Eccleſ. 4. Eccli. 6. Rom. 12. Pſalm. 72.

Praxis in amicis deligendis.

PRima Seriò circumſpicere qui in amicos tibi deligẽdi ſint; ac primòquidẽ, ut dixi, probi ſint oportet. Secũdò, firmi ac ſtabiles; vitioſi autẽ eiuſmodi numquã eſſe poſſũt: ſtultus enim, & peccator, vt luna mutantur. Suſtine itaq; ait Cicero, conſilio curſum beneuolentiæ, & amicos tenta, priuſquam in amicitiam recipias per ſectam. Si poſſides amicum,

Probi amici eligendi *Eccli 27. Cicero.*

Eccli.6. amicum, ait Sapiens, in tentatione poſſide eum, & ne facilè credas ei. Tertiò, eligendi fideles: cum illis enim vti nobis loquendum, ita & agendũ ſapientes cenſent. Mulieroſi igitur, & ebrioſi, & detractores idonei non ſunt: horũ enim multiplex ingenium, & tortuoſum fidum eſſe non ſolet. Quartò, eligendi qui vtilitatis ſuæ causâ amicitiam non ambiunt, ſed honeſtatis: illi enim inſtabiles fortunam ſequentur; quæ ſi fauerit, multi numerantur. Quintò, eligendi humiles, non faſtuoſi, non detractores, nam inter ſuperbos ſemper iurgia & æmulatio: maledicus verò, & grauis aliorum cenſor, pręterquã quòd manifeſte arrogantiam fateatur, mordebit te vt coluber in occultó. Quid enim? illũ qui pro proximo debet animam ponere, & multis plurimũ debet, ac nihilominus detrahit, eoſque contẽnit: tu eum fidũ putabis? Canis macello aſſuetus, vbi occaſio datur, ad ingeniũ redit, nec parcit heri ſui carnibus; nec maledicus & ſuſurro amico ſuo. Ad quod appoſitè Bernard: Ego, inquit, in hoc ſenſu puto appoſitũ, Recti diligunt te. Nec abſurde, vt æſtimo, cùm vbiq; pœnè in choro adoleſcentularum tales inueniã, quæ acta ſponſæ curioſè obſeruent, derogandi nõ imitandi cauſa; torquentur in bonis ſeniorum ſuorum, malis paſcuntur. Videas ambulare ſeorſum, conuenire ſibi & ſedere pariter, moxq́; laxare proccaes linguas in deteſtandũ ſuſurrium. Una vni coniungitur, nec ſpiraculum incedit in eis: tanta eſt libido detrahendi, audiendiue detrahentem Ineunt familiaritatem ad maledicendũ, concordes ad diſcordiã: conciliant inter ſe inimiciſſimas amicitias, & pari cõſentaneę malignitatis affectu celebratur odioſa collatio. Haud ſecùs egêre quondã Herodes & Pilatus, de quibus narrat Euangelium, quia facti ſunt amici in illâ die, hoc eſt, in die Dominicę paſſionis. Conuenientibus ſic in vnum nõ eſt Dominicã cœnã manducare ſed magis propinare, & bibere calicẽ dęmoniorũ; dum importantibus linguis alienæ perditionis virus, aliorum aures intrantẽ mortẽ libenter excipiunt. Sic quippe, iuxta Prophetã, intrat mors per feneſtras noſtras, cùm prurientes auribus & oribus, lethale poculũ detractionis inuicẽ nobis miniſtrare contendimus. Non veniat anima mea in concilio detrahentium, quoniã Deus odit eos, dicẽte Apoſtolo, Detractores Deo odibiles.

Detractor nunquam amicus.

Bern. ſerm. 24. in Cant

Detractoris imago.

Rom. 1.

Secunda. Obſerua, quòd ſi iam aliquos habeas amicos non bonos, diſſuendã potiùs, quàm diſſcindendam amicitiã. ad omnes quidẽ beneuolos ſemper eſſe licet, & conuenit; ſed in familiaritatem, & crebrum colloquium, nõ niſi bonos admittere. qui ſecùs facit, nec animę ſuę cõſulit, nec famæ, cũ quiſque talis meritò habeatur, quales ii quorum

Diſſuenda quandoque amicitia.

con-

conſuetudine delectatur. Qui timet Deum, ait Sapiens, æquè habebit amicitiam bonam: quoniam ſecundùm illum erit amicus illius. Aduerte tamen, vitia ac defectus; ſine quibus nemo viuit, eſſe diſſimulandos. Amici, dicitur, vitia noueris, nō oderis. Et quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio, ne poſteà emendare non poſſis, cùm dehoneſtaueris amicum tuum. à ſuſpicione maximè caue; illa enim amicitiæ venenum eſt. *Eccli. 6.* *Vita amici diſſimulādа.* *Prou. 26.*

Tertia. Aduerte etiam, amicitiam exigere, vt proximi quis bona, quibus poteſt & licet modis, promoueat; proinde ſeriò ſtude illius commodis ac profectui. Deinde verbis dulcedinē præfer. Verbum enim dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. Et ſicut mittens lapidē in volatilia, deiecit illa: ſic & qui conuitiatur amico, diſſoluit amicitiā. Ad amicum etſi produxeris gladium, non deſperes: eſt enim regreſſus. Ad amicū, ſi aperueris os triſte, ne timeas: eſt enim concordatio, excepto conuitio & improperio, & ſuperbiâ, & myſterij reuelatione, & plagâ doloſâ; in his omnibus effugiet amicus. Quis infert plagam doloſā, niſi qui denudat arcana, & amici fidē perdit? & nō inueniet amicum ad animum ſuum. Denudare amici myſteria, deſperatio eſt animæ infelicis. Audiſti ergo verbum aduerſus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. Præterea corripe amicum, ne fortè non intelligat te, & dicat, Non feci; aut ſi fecerit, ne iterum addat facere. Poſtremò, in anguſtiis eum ne deſeras, ſed fidem poſſide cum amico in paupertate illius, vt in bonis illius læteris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, vt in hæreditate illius cohæres ſis. Multi colunt perſonam potentis, & eſt amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis. tu autem ne derelinquas amicum antiquum; nouus enim non erit ſimilis illi. *Dignatus es*, &c. vt ſup. p 10 *Officia amici.* *Eccli. 6.* *Eccli. 22.* *Quæ vitia in amicitia cauenda.* *Eccli 22.* *Eccli. 19.* *Secretum ſeruandū.* *Eccli. 22.* *Prou. 19.* *Eccli. 6.* *Eccli. 9.*

IACVLATORIÆ.

Eripe me Domine ab homine malo, & ab iniquo & doloſo eripe me. Pſal. 139.

Eripe me de operantibus iniquitatem, & de viris ſanguinum ſalua me. Pſalm. 58.

Eripe me de inimicis meis, Deus meus, & ab inſurgentibus in me, libera me. Ibid.

Non adhæſit mihi cor prauum, declinantē a me malignū non cognoſcebam. Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. ſuperbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam. Pſal. 100

CAPVT XXIX.

Meditatio de Familiæ delectu, atq; eius gubernatione, magno in viá Dei præſidio.

COMPOSITIO LOCI erit, conſiderare ſe ſtantem coram Deo, cui ille committat aliquot conſeruos, ad hoc tamen, vt ſoli ſeruiant ſibi. ORATIO, vt ſuprà.

Omnis poteſtas à Deo.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, omnem poteſtatem eſſe à Deo: nihil enim fortuitum in hoc mundo, ſed ex certâ ſcientiâ, potentia, opes, ſcientia (ob hæc enim alii aliis ſubjiciuntur) ab illo tributa ſunt; quo vero fine? eo ſcilicet, quo Princeps committit cohortes ducibus ſuis, non vt contra ſe militent, ſed vt pro ſe, etiam ſacramento adacti; vtque ſanguinem pro imperio, pro honore ſuo generosè profundant, & ad hoc inſtituantur. vel eo, quo pater filiis pædagogos dat, qui eos inſtituant, & corrigant, ac ducant: hoc enim dominorum, hoc patrumfamilias, hoc eorum qui alios docent. Secundò, quomodo generoſi viri ſuis cohortibus ſtudeant, præclara facinora facere quanta gloria illis ſit, ciuitates intercipere, hoſtes ſubigere. id applica familiæ, ſcholæ, &c. Conſidera verò quos ſubditos habeas, & quantum, ſi velles, ad Dei gloriam iis præſtare poſſes. Quis neſcit, aliquando vnum ludimagiſtrum corrumpere poſſe non vnam ciuitatem, ſed prouinciam? ſimiliter & iuuare, diſcipulis vt pietatis incentoribus ſubmiſſis? quis neſcit è famulis dominos, è mancipiis Reges non ſemel factos, è diſcipulis ad omnes dignitates materiam præparari? Inſtituere ordinem, & formulam rectè viuendi tradere, multos eà ad virtutis perfectionem adducere, opus eſt grande: ſed & per eum quaſi ordinem inſtituit Deus, per quem ſeu dominum, ſeu herum, ſeu magiſtrum, plurimo ad pietatem promouet, ſpargitque in Republ. optima ſemina. Tertiò, quanta neceſſitas domino incumbat familiam ſic ordinandi atque inſtituendi, vt Deo ac Domino noſtro accepta ſit, & militet, non hoſti: etenim fi-

O quantum boni præſtare ſuperior poteſt.

dejuſſor eſt pro ſuis herus; & væ, ſi negligentiâ tuâ, ſi exemplo, pereat filius tuus, ſeruus tuus & diſcipulus tuus, idemque diſcipulus Chriſti, ſeruus Chriſti, filius Dei: etſi ipſe cætero quin bonus ſis, innocens non eris; ſed damnaberis alienâ vitâ, qui abſoluendus propriâ fueras. Nónne tibi poteſtas, domus, opes conceſſæ, vt ſtipendium à Principe, vt tu Deo tuique ſeruiant? *Haccine vera, &c.* vt ſuprà pag. 7.

PVNCTVM II. Conſidera eſſe neceſſarium, vt probi ſint ſubditi, diſcipuli, delectum (qui in filios non cadit) vt boni eligantur, aut minimè mali. quis enim cum perduellibus ad bellum tendet? quis cùm epibatis vitioſis & infirmis tempeſtuoſum conſcendet mare? Equid in famuli, diſcipuli, eidem naui tuæ impoſiti ſunt, quaſi in cohorte tua ſunt, quâ aggrediendus tibi eſt hoſtis grauiſſimus diabolus: nónne enim militia eſt vita hominis ſuper terram? vt Job ait. qui verò commilitones, niſi famuli, diſcipuli, ſubditi? Vide ergo quàm vtile ac neceſſarium ſit delectum hunc facere. Omnem enim ſæpè induſtriam ac robur vnus in militia Achan, qui turbauit tota caſtra Iſraël, inertem & inanem facit: propter vnum Ionam fugientem à facie Domini naufragium fit niſi ejiciatur: vnus improbus ſæpè familiam perdit, pietatem omnem ac vigilantiam heri eludit. Quantum in diſcrimen venit familia Iacob, ob deos alienos quos Rachel occultârat? Secundò, quia certiſſimum eſt; eum ſolum fidelem atq; obſequioſum hero minori, qui magno ſit Deo; domino conſeruo, qui ſummo Regi; ſe paſcenti, qui ſe creanti; ſe hîc remuneranti, qui largiſſimo remuneratori fidelis eſt. Túne putares filium viri optimi tibi fore fidelem, qui patri eſſet infidelis & iniurius? Túne putares tibi ſoluturum debitorem mille, cui minimo titulo obligatur ac ſpontaneo; qui ei, cui infinitis titulis obligatur, ne rem minimã reſtituere quidem velit? Tu in præceptis grauibus pariturũ, qui Dei mandatis, quæ grauia non ſunt, ipſius Veritatis ore, non

Ioſue 7.

Ion. 1.

Gen. 35.

Ille ſolus Domino ſuo fidus qui Deo.

Matt. 11.

Quomodo famuli conducendi.

non obedit? Tertiò, quàm turpe te conſeruum paciſci de obſequio tuo, dum ſeruum conducis, & de communis Domini ſeruitio minimè ſollicitum eſſe? Tu dux cohortis es, exempli causâ, vis in verba tua iurare militem, & non Principis? Tu ſeruus Domini exercituum, miſſus vt operarios in vineam eius eligas, quorum præſtes noxas; vide igitur an illi vtiles ſint Domino. Procurator es; vide negotium geras non tuum, ſed Domini tui. Vides viros in Repub. principes familias ſuas ſuo inſignire colore, & gaudent ac volunt colore ſuo ſignari ſeruos ſuos, & pudet eos obligare, vt gerant ſigna ſummi Regis? Quartò, aduerte ſæpè vnum verè bonum toti familiæ ſalutem adferre: nònne propter Jacob domui Laban benedixit Dominus? propter Moyſen domui Iethro? *Aſpira*, vt ſupr. pag. 8. *Haccine firmâ*, ibid.

Seruus bonus eſt ſalus familiæ.

Gen. 30. *Exod. 2.*

PVNCTVM III. Quomodo præterea ad familiam ordinandam neceſſarium ſit eum qui præeſt, prælucere exemplo ac præire. quâ enim fronte hortabitur ſeruum ad Dei obſequium, qui efficaciter exemplo ſuo trahit ad dæmonis ſeruitium? Hinc Saul cùm electus eſt, dicitur non fuiſſe vir de filiis Iſraël melior illo: ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populũ. humerus fortitudinẽ, collũ & guttur efficacitatẽ iubendi notat. Hinc Iſaias ait: Princeps ea quæ digna ſunt Principe cogitabit. Caput in ſtatuâ Nabuchodonoſoris erat aureum, ita familiæ ſit oportet. Mõſtroſa certè res, vt Bern. gradus ſummus, & animus infimus; ſedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & vita otioſa; ſermo multus, & fructus nullus; vultus grauis, & actus leuis; ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas. Et certè triſtis res & lacrymis digna, quo maior aliquando quiſpiam eſt, eo minus bonũ; quo diuitiis potentior, eo vitiis infirmiorem; quo honore ac gloriâ apud homines illuſtrior, eo magis apud Deum vitâ ac moribus dedecoris eſſe plenũ. Ecce, cùm paruulus eſſet in oculis ſuis Saul, caput in tribubus Iſraël factus eſt; exaltatus autẽ, incraſſatus & dilatatus, recalcitrauit.

Qualis herus & paterfamilias eſſe debeat.

Iſaiæ 32.

l. 2. Conſid. ad Eugen.

1. Reg. 15.

Secund

dò, ſollicitudo Superioris magna requiritur ac vigilantia. nam velut ſpeculator conſtitutus eſt in turri quiſquis præeſt, & velut nauarchus ad clauum proſpicere debet pericula. Si itaque claudis diligenter arcam pecuniæ aut arcem; longè potior tibi eſſe debet anima famuli, diſcipuli, ſubditi, pro quâ rationem redditurus es. neque ita te excuſa, Vnuſquiſque onus ſuum portabit; hoc onus tuum eſt. *Galat. 6.*

EXERCITIVM.

DEus Patrum meorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo; & ſapientiâ tuâ cõſtituiſti hominẽ, vt dominaretur creaturæ quæ à te facta eſt, vt diſponat orbẽ terrarũ in æquitate & iuſtitiâ, & in directione cordis iudiciũ iudicet; da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis. Eia quæſo reſpice ad orationẽ ſerui tui, & preces eius; tu enim dediſti mihi has animas, ego autem ſum puer paruulus ignorans egreſſũ & introitum meũ: da ergò ſeruo tuo cor docile, vt diſcernere poſſit inter bonũ & malum. Da mihi ſapientiã & intelligentiam vt ingrediar & egrediar coram populo tuo. Quis enim poteſt populum tuum dignè iudicare niſi tu faueas ipſumq́; adiuues? vtinam omnia oſſa mea dicant: Domine, quis ſimilis tui! Vtinam omnes quos commiſiſti mihi, ſeruiant tibi in toto corde ſuo! Sap. 9. 3. Reg. 3. 2. Paralip. 1.

Etenim ſi neglexero, ſi perierint exemplo meo, ſanguinem eorum de manu mea requires, & ſeueram rationem exiges in die furoris tui. Sunt enim filij tui, ſunt pretium ſanguinis tui, ſerui vel ſubditi, ſed & conſerui mei; & forſitan quia humiliores, in æternũ ipſi Domini futuri, & ego ſeruus, ipſi primi, & ego nouiſſimus; ipſi Principes in accubitu ad menſam tuam, & ego iubebor cum rubore nouiſſimum locum tenere. Peruigilo nunc ego quaſi rationẽ pro animâ redditurus; ſi lapſus quis fuerit, erit anima mea pro animâ illius. Maiorẽ charitatẽ nemo habet, quàm vt animã ſuam ponat pro amicis ſuis. Ergò cùm ita velis, & quia vis, ego nõ ambitioſè, ſed ſolùm quia iubes, animã meã pono pro ouibus meis, & magis pro te amantiſſimo Paſtore meo, quia animam tuam poſuiſti pro me, & Applicatio ad Communionem.

veniſti, & ecce iterum & iterum venis, & accurris quotidie in ſacrificio Miſſæ, vt vitam habeam & abundantiùs habeam. Eia Paſtor bone, cognoſce oues perditas, & cognoſcant te tuæ, ego gratiâ tuâ tuus ſum, ſonet vox tua in auribus meis, & ſuſcipe animam meam, imò omnes; pro omnibus enim paratus ſum meam ponere gratiâ tuâ, & propter te. Nónne enim vita mea abſcondita tecum eſt, Chriſte IESV, *in Deo? Serua eam, Seruator mi, & non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia verè ſincero corde eligo abiectus eſſe potiùs in domo tuâ. Concede ergò mihi, mihi quem ita præueniſti benignitate tuâ & amplexu tuo, concede Domine Dominantium ſtare ſuper cuſtodiam meam, vt te lætus veniente excipiam; vineam meam ſic cuſtodire, vt bibas vinum in lætitiâ ex eâ, & ſic aliis præeſſe, vt prodeſſe queam, & eos ad te perducam, vt cantent tibi canticum lætitiæ, & exultationis, & laudent te mecum.*

Da mihi verò vt ſicut minimus ſum ſeruorum tuorum, ita verè paruus ſim in oculis meis, & inueniam quod vnum quæro & cupio, gratiam in oculis tuis. Scio & contremiſco, dum
1. Tim. 5. *te in Apoſtolo audio dicentem: Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli eſt deterior; & tu viſitabis ſuper omnem qui arroganter ingredi-*
Greg. 26. Mor. c. 16 *tur. Hæc igitur, dulciſſime* IESV, *ſubtiliſſima ars viuendi eſt, culmen tenere, & gloriam premere; eſſe quidem in potentiâ, ſed potentem ſe neſcire; ad largienda bona potentem ſe cognoſcere, ad rependenda noxia omne, quod potenter valet, ignorare. Sed, tu, Domine, cuius ſolius magna potentia eſt, & à quo eſt omnis poteſtas, & omnis paternitas in cælo & in terrâ nominatur, conſerua me, quoniam Deus meus es tu: conuerte eos quos dediſti mihi, vt non perdam ex iis quemquam,*
Eccli. 3. Galat. 6. *ſed quærant nomen tuum & gloriam tuam, & ſciant, quia*
Prou 27. *tu es Dominus, & non eſt alius. Da in manſuetudine perficere opera mea, vtque alter alterius onera portemus. Monuiſti me, dicens, Diligenter agnoſce vultū pecoris tui, tuoſque greges conſidera. Vtinam, Domine, fructum omnem, quem facere poſſunt, ſedulò colligam! vtinam omne quod eis nocere poteſt,*
Rom 9. *ſtudioſè auertam! vtinam etiam anathema eſſe poſſem pro*

fratribus

fratribus meis, vt agnoſcant & diligant te! Venite, filij, audite Pſal 33.
me, timorem Domini docebo vos. Sperate in eo omnis congre- Pſal. 61.
gatio populi, effundite coram illo corda veſtra. Deus adiutor
noſter in æternum. Accedite ad eum, & illuminamini, & fa- Pſal. 33.
cies veſtræ non confundentur; apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de viâ iuſta. Sed tu, Domine Deus, obſecro te per viſcera miſericordiæ tuæ, operi manuum tuarũ porrige dexterã tuam, vt ſeruiamus tibi corde perfecto atque veriſsimo, omnibus diebus vitæ noſtræ. Amen.

Praxis ad familiam ritè ordinandam.

PRima eſt, diligenter conſiderare & ſæpè, quanti ſit anima vna, & quibus modis domeſticorum, & nobis commiſſorum animas iuuare poſſimus, atque à Domino humiliter petere pro iis gratiam neceſſariam.

Conſidera quanti vna anima.

Secunda. Quoties in familiam aliquis admittendus eſt, paciſci cum illo de Dei obſequio perinde ac noſtro. nimirũ vt cõfiteatur & cõmunicet ſaltem quolibet menſe, ne noſtri amantiores eſſe quàm Domini noſtri deprehendamur: quòd ſi dyſcolus euadat, aliiſque noxius ſit, eliminandus eſt. Exemplũ illuſtre tibi dabit S. Elzearius, de quo Surius in vita eius 27. Septẽbris: qui velut nouus paterfamilias, nouo quodã modo cœpit ſuæ familiæ præſidere, nouaſque morum plantulas inſerere, & tranſgreſſoribus pœnas proponere. Primò conſtituit, vt omnes è ſuâ domo tam mares quàm feminæ quotidie vt minimùm Miſſam vnam integrè audiant. Secundò, vt viuant caſtè & purè: qui ſecùs facerent, eos ſuâ domo expellebat: nolebat enim vt quiſquam pane ſuo veſceretur, quẽ ſciret peccato mortifero implicatũ, ne alios inficeret. & ne illius peccatũ ipſe fouere videretur. Tertiò, vt nobiles, & milites itemq; virgines & matronę, qualibet hebdomadâ ſemel cõfiteantur peccata ſua, & ſingulis menſibus deuotè percipiant Euchariſtiæ Sacramentũ. Quartò, vt eędẽ virgines & matronę manè vſque ad prandiũ precibus & piis exercitiis vacent: à prandio manuariis operibus ſeſe occupent. Quintò, vt nemo auſus ſit blaſphemare Deũ, ſacroſanctã Virginẽ, vel aliquẽ Sanctorum: nec quiſquã falsò iuret, aut vitioſè & leuiter abſque cauſa, nec impudica vel inhoneſta verba proferat. Sciebat enim ex Sapiẽte mortẽ & vitam eſſe in manibus linguę: & ex Apoſtolo, corrumpere bonos mores colloquia praua. Prou. 18.
Huius conſtitutionis violatores hâc ratione puniri voluit, 1. Cor. 15.

Nota & paciſcere de Dei obſequio.

Surius.

Exemplũ S. Elzearij.

vt

vt vel toto prandio coram aliis ſederent in terra, ſolo pane & aqua contenti, vel toto die in cubiculo manerẽt iucluſi, communi cibo veſcẽtes. Sextò, vt nulli fas ſit ludere teſſeris, aut alio vti luſu illicito, turpi ac inhoneſto, ſi quis contra feciſſet, grauis illum pœna manebat. Septimò, vt omnes è ſua familia, pace, amicitiâ & concordiâ inter ſe fruantur, alius aliũ nõ offendat, neq; verbo neq; facto: ſi quid à quoquam aliter ſit attentatum, mox cum offenſo redeat in gratiã. atq; vt id fieret, nõ mediocriter ipſe dabat operã: reos autem pro ratione culpæ puniebat. Octauò, vt quotidie à prandio, vel alia hora veſpertina, niſi legitimũ impedimentum inciderit, fiat aliqua collatio inter illos, ipſo præſente, de verbis Domini pro animarũ informatione. In eo autem colloquio, dũ vnus aliquis loquitur, cæteri orẽt pro illo in cordibus ſuis, vt Deus illi ſubminiſtret ſermonẽ, ex quo omnes proficiãt: nec quiſquã audeat ſic loquẽtis verba interrũpere, aut aliter impedire. id ſi quis nõ obſeruet; à tã pio colloquio excludatur, donec emendatus ab aliis reuocetur.

Lectio pia fiat in familia. Tertia. Ad orationem aliquam ſaltem veſpertinã curare vt conueniant. quod S. Carolus Borromæus per totã diœceſim ſuã introduxit. idem eſt de lectione aliqua libri pij, veſperi, maximè dum familia conuenit, quod à multis vſurpatur.

Quarta. Curare vt libri pij in manibus ſint, & ad manum, & ad conciones, aliaque pietatis exercitia mittantur.

Pietati dandum præmium. Quinta. Ut præmia pietati ac probitati tribuantur, atq; adeò nihil quoad fieri poteſt, niſi eo fine cõcedatur, vt melior fiat qui accipit, ac corporalia accipiendo ad ſpiritualia inuitetur: idque quantum valeat in pueris, vix credi poteſt.

Sexta. In familia ſunt liberi, ſunt ſerui: liberorum verò habenda ratio maxima, vt benè educentur, videte, nònne qualis ſurculus, talis arbor? Educationis formam dedit To-

Tob. 4. Educatio filiorum quanti ſit. bias: Honorem, ait, habebis matri tuæ omnibus diebus vitę eius; memor enim eſſe debes, quæ & quanta pericula paſſa ſit propter te in vtero ſuo. Cum autẽ ipſa compleuerit tempus vitæ ſuæ, ſepelias eam circa me. Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & caue ne aliquã-

Tobiæ exemplum & monita. do peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri. Ex ſubſtantiâ tuâ fac eleëmoſynam, & noli auertere faciẽ tuã ab vllo paupere; ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita eſto miſericors. Si multũ tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguũ tibi fuerit, etiã exiguum libenter impertiri ſtude. præmiũ enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis, quoniã eleëmoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur

animam

anim ire in tenebras. Fiducia magna erit corã ſummo Deo eleëmoſyna omnibus facientibus eam. Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter vxorem tuam numquam patiaris crimẽ ſcire. Superbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſâ enim initium ſumpſit omnis perditio. Quicumque tibi aliquid operatus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitue, & merces mercenarij tui apud te omnino nõ remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum eſurientibus & egenis comede, & de veſtimentis tuis nudos tege. Panem tuum & vinum tuũ ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Conſiliũ ſemper à ſapiente perquire. Omni tempore benedic Deũ, & pete ab eo, vt vias tuas dirigat, & omnia conſilia tua in ipſo permaneat. Noli timere, fili mi; pauperem quidẽ vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.

Cauendum autem Primò vehementer, ne videant aut audiant domeſtici, quod caſtimoniæ aduerſetur. Quid? quod Iuuenalis poëta etiam hoc monet dicens:

Nil dictu fœdum viſuq́ hæc limina tangat
Intra quæ puer eſt: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti.
Maxima debetur puero reuerentia.

A primâ pueritiâ inſtillanda vita Chriſti & Sapientiæ æternæ dicta, de charitate, humilitate, patiẽtia, liberalitate in pauperes. Abſit verò vt anilibus (quod Plato vetabat) fabellis memoria prauulorum impleatur; Quartò ſatius vitæ Chriſti hiſtoria, maximè infantiæ! Beatus Hieronymus optabat poſſe primam formare pueritiam, quem de hàc egregiè diſſerentẽ lege. Secundò, obſeruandæ ſunt puerorum inclinationes, & quibus recreentur, ac ſuauiter corrigendæ præmio propoſito. Baleares pueros ſuos, niſi fundâ ſuâ dextrè vſi fuiſſent, cibo priuabant; ita omnia, etiã neceſſaria, parentes pueri largiri poſſent, præmiumq́ue virtutis alicuius aut honeſtatis ſtatuere, vnaq; quod dicitur, fideliâ duos dealbare parietes. Tertiò, quanta ſit iam cura adhibenda in nutricum corporis & animi, ſeu magiſtorũ delectu, omnino omnibus in confeſſo eſt. Vitia enim illorũ in pueros certò deriuantur: Alexander, vt fertur, in Leonidâ preceptore inceſſum non ſat commodũ eſt imitatus: Nero à nutrice crudelis eſſe didicit. Videãt omnes qui præſunt aliis, & maximè magiſtri, quę incumbat illis neceſſitas formãdi ſuos mores ex virtute. Nõ poterit certè ebrietati de- ditus,

Quid pueris inſtillandum.

Hier. ep. ad Lætam.

Præmia pueris proponenda.

Magiſtri & nutrices bonæ ſalus filiorum.

ditus, luxuriæq; atque ambitionis mancipium magiſter eſſe humilitatis & temperantiæ. Videant ſibi ſe non viuere, ſed multis: vnoq́ue ſuo defectu ac labe tot animas interire, quot habent ſibi commiſſas. Nullæ charybdes aut ſytres iuuentuti maiores, quàm pædagogus vel magiſter, ſi ingenio magno ſint & moribus improbis. Otium omnino à pueris arcendum eſt idcirco ante omnia diuidere illis oportet tempus, ita vt in pietatis, ciuilis vitæ exercitia, & recreationes diſpertiatur, *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10.

Otium vitandum pueris.

IACVLATORIÆ.

Pſal. 100. *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiã: qui loquitur iniqua, non direxit in conſpectu oculorũ meorũ.*

Pſal. 30. *Diligite Dominum omnes ſancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribue, abundanter facientibus ſuperbiam.*

Ibidem. *Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino.*

Pſal. 21. *Et anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi.*

Pſal. 33. *Timete Dominum omnes ſancti eius, quoniam non eſt [illegible] timentibus eum.*

Tob. 4. *Pauperem quidam vitam gerimus, ſed multa bona hab[illegible]mus, ſi timuerimus Deum.*

Pſal. 100. *Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum: ambulan[illegible]ia immaculata hic mihi miniſtrabat.*

Ibidem. *Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam, facientes præuaricationes odiui.*

CAPVT XXX.

Meditatio de Solitudinis bono.

PRAELVDIVM I. Conſtitue te velut in deſerto cum Domino IESV ieiunante & orante.

PRAELVDIVM II. ORATIO pro ſubiectâ materiâ.

Solitudo duplex.

PVNCTVM I. Conſidera duplicem eſſe ſolitudinem animi, & corporis. Animi (quæ ab omnibus haberi poteſt) ſolitudo ea vocatur, quâ homo mentẽ auocat ſubinde à rebus externis, & ſecũ habitat, vt vulgò dici ſolet. Seceſſi, aiebat quidã, non tantùm ab hominibus, ſed à rebus. Omnes enim vacant, qui volunt: nemineẽ res ſequuntur, ipſi illas amplectuntur, & argumentũ felicitatis, occupationem eſſe putant. hâc frui, etiam in turbâ quis poteſt. Ita videmus aliquos ea quæ præſentia ſunt nec videre, nec audire, nec guſtare. Alia eſt corporis, quâ etiam corpore quis ſeſe ab hominũ ſeparat conſortio,

Seneca.

idq́; vt animi ſanctam ſolitudinem conſequatur, eumq́ue à terrenis ad cæleſtia eleuet: iuxta illud, Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſuper ſe. vide an hanc atque illam ames, & quantum de vtraque conſecutus ſis. Qui enim ſolus eſſe nequit, vix vnquam ſpiritualis euadet. Conſidera Secundò, quanti hanc mentis, vel animi Sancti fecerint. Quid enim aliud Joannes Baptiſta in deſerto, Pauli, Antonij & tot Anachoretarum millia, fuga mundi, & ſolitudinis amore teſtantur? Quis ad hoc eos impulit? Spiritus certè ſanctus, cuius vocem aure cordis audierant, quam Arſenius etiam corporis acceperat clamantem: Fuge, late, tace. Imò vix vllus Sanctorum reperitur, qui non huius amans fuerit. Sed ante omnia intuere exemplum Jesv Chriſti, qui ductus fuit à Spiritu Sancto in deſertum poſt baptiſmum, & quadraginta dies in eo permanſit; præterea pernoctabat in oratione, ſecedebat in montem ipſe ſolus, & orabat, perſæpè autem in montem Olıueti: ſciebat enim, vt ait Ioannes, Iudas locum, quia frequenter Jesvs conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Sequere, imitare Dominum, & Sapientiam æternam. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ*, &c. ibid.

Thren. 3.

Quanti ſit ſolitudo.

Matth. 4.

Ioan. 18.

Pvnctvm II. Conſidera quanta neceſſitas huius ſit: etenim vti nulla negotia rectè in turba tractantur; ita minimè omnium quæ ad ſalutem pertinent. Si enim nemo ſcribit ſapientiam, niſi in otio: nemo rem tractat grauem, niſi ſecretum petat, ſeque interpellari, aut ſtrepitum fieri prohibeat, immò etiam in menſa, in ludo, in ſomno optata quies eſt: quid non debet facere in ſalutis negotio is, qui eam amat? quid non pericula plurima efficere, & admonitio, & exemplum, & doctrina Domini Iesv à te impetrare? Audi eum monentem: Tu autem cùm orare vis, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito. Audi per Prophetam loquentem: Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ei ad cor; quaſi in turbâ loqui non

Solitudo in re ſeriâ quæritur.

Matth. 6.

Oſeæ 2.

non ſit ſolitus, aut certè non ad cor, vt conuertatur. neque profectum etiam largitur, niſi ei qui ſeceſſu captato, & clauſo oſtio conſiderat ſemitas domus ſuæ. Non poterat mulier illa Eliſæi alũna debita diſſoluere, niſi domo clauſa oleum in vaſa vacua infunderet: ac ſæpè obrui neceſſe eſt peccatis & debitis grauiſſimis hominem, niſi receptui aliquando canat. Nónne hoc Dominus, innuere viſus Marci c. 6. cùm diſcipulis in prædicatione occupatioribus dixit: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

4. Reg. 4. Vidua debita nequit ſoluere, niſi ſolitudine.

Idcirco ſanctus Franciſcus in montem Aluernum; S. P. Ignatius in Caſſinum montem ſecedebat; S. Martinus quotannis menſem vnum, excluſis omnibus, ab urbe inſolitatio loco animum vireſque colligebat: idem S. Carolus Borromæus factitabat, aliiſque Sanctis ferè omnibus commune eſt & fuit. Hîc expende iterum quo ſpiritu impulſi illi ſolitudinem ita amârint & quæſierint, tantoque eam tempore incoluerint: nónne ſancto? proinde ſolitudinis horrorem maximè in pio aut religioſo ferè à ſpiritu maligno eſſe ſcias. Vis igitur Deũ tibi ad cor loqui? vis legem viuendi ac normam certam cum Moyſe accipere? ſolitudinem pete. vis IESVM trãſfiguratum videre? vis ſponſum inuenire cum ſponſa? egredere in agrum, relinque turbas, non tam corpore, quàm animo; corpore tamen etiam fuge, quantum vitæ tuæ ratio permittit. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM III. Conſidera attentius, vnde tam laudata ſolitudo corporis. Nempe quia animum extra ſe poſitum, reuocat ad ſe; & obſurdeſcentem diuinis vocibus obaudientem facit: ita vt quem anteà non audierat, huius vocem audire incipiat, & virtutis dulcedinem in fonte deguſtare. E contrario vt muſicæ in ſtrepitu harmonia percipi nequit, nec loquentis vox: ita neq; Sancti Spiritus inſpiratio, neque mentis gaudium abſque ſolitudine poteſt deguſtari: imò nec homo conſi-

Dei vox nõ auditur in turbâ.

conſideratè aliquid facere poteſt, niſi in eâ. Quis pingere, ſcribere, diſcere valet in boario ac ſtrepitoſo foro? atque adeò nullum ſerium opus abſque ſolitudine fieri poteſt; neque corpus commoda, neq; anima quietem capere. amâ igitur illam, & ſtatue audire Deum loquẽtem ad cor tuum. Conſidera præterea quæ ſolitudinis ſint ad ſalutem præſidia. Primò, is qui intra eã ſe abdit, quia ſolatio hominum ſe priuat, diuinum meretur; quãti autem illud meritò æſtimetur, per ſe manifeſtum eſt. Deinde omnem ferè peccandi illecebrã ſolitarius euadit. Imò quemadmodum curari peſte infecti nequeunt, niſi à morbidis ſeparentur; ita animus valere non poteſt, niſi ſeparetur ab iis qui animo peſtes circumferunt. Ideoque de ſe ait Propheta: Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Solitudinem, aiebat Seneca, quærit, qui vult cũ innocentibus viuere. Quid ita? inprimis, quia ibi linguâ offendere non poteſt: qui autem linguâ non offendit, hic perfectus eſt vir. quid? quòd etiã Philoſophi illum proximum Deo putarunt, qui ſilere noſſet, & ad ſummam perfectionis, breuiloquum, & rariloquium, & ſubmiſsâ voce loquentem requirunt. Quoties, aſſerit quidam, inter homines fui, minor homo redii. Silendi, ait Ambroſius, patientia, opportunitas loquendi, & cõtemptus diuitiarum, ſunt maxima fundamenta virtutum. Adde, hominem ferè creaturæ amore in ſolitudine non ineſcari (minùs enim irritant longè poſita, quàm quæ oculis ſubiecta ſunt) adque adeò nec exemplo deprauari. vnde dicebat S. Antonius: Qui ſedet in ſolitudine, & quiſcit, à tribus malis eripitur, id eſt, auditus, locutionis & viſionis. Et Arſenio dictũ eſt, vt iam monui, Fuge, tace, quieſce; hæ enim ſunt radices nõ peccandi. Ea de cauſa monaſteria petuntur, ſolitudines, Spiritu ſancto inſtigante, quæruntur, ac licèt ſæculares non poſſint pari paſſu ambulare, ſæpè tamen aliquod tempus pietati ac lectioni piæ tribuere poſſunt: imò primum argumentum, cum Seneca, compoſitæ mentis in

Quid ei, qui ſolitu-nẽ amat, ipſa confe-rat.

Solitudo vitiorũ re-medium, virtutum plantariũ.

Pſal. 54.

Seneca.

Iacobi. 3.

Silentij cõ-moda.

Seneca.

Ambr. l. 1. de Offic.

In ſolitu-dine rara tentatio.

Athan. in vita eius.

Nota.

Prima bi-næ mentis nota amare ſolitudinẽ.

iis exiſtimo, poſſe ſecum conſiſtere, ſecum morari. Certè conuerſio, quam neque auditis concionibus atque adhortationibus impetrare à ſe homo potuit; diei aut horarum aliquot ſeceſſu, ac conſideratione non rarò ab eodem obtinetur. *Haccine vera*, vt ſup. p. 7.

Solitudo auget prudentiam. Seneca ep. 8.

PVNCTVM IV. Conſidera, quæ ſolitudo inſuper bona ſecum adferat. In hâc enim homo ad ſe redit atque ad cor, ſuaque expendit & diſponit prudenter, oculo mentis depurato; atque ita, qui nihil videtur agere, maiora agit. Præterea hoc pacto aptus redditur Dei colloquio, illoque fruitur. Quid vltrà ſperare, aut optare potes, ô anima? dic enim, nónne illud ſuauius quàm humanum arbitraris? cum illo inquam amantiſſimo Patre ac Domino colloqui, totius beatitudinis & bonitatis fontem deguſtare, cui per orationem homo coniungitur, ſed rarò niſi in ſolitudine. Vbi enim Eliæ, vbi Moyſi locutus Deus? nónne in deſerto? vbi Chriſtus manifeſtauit gloriam ſuam? nónne in ſolitudine? Quod per Iſaiam dignatus eſt promittere, dicens: Ponet deſertum eius quaſi delicias, & ſolitudinem quaſi hortum Domini, gaudium & lætitia inuenietur in eâ, gratiarum actio, & vox laudis. vnde vere, vt Auguſt. ait, dulciores ſunt lacrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ, &c.* ibidem.

cap. 51.

In Pſal. 127.

PVNCTVM V. Conſidera alia ſolitudinis bona; quãtæque ſit voluptatis Sanctorum Patrum lectio, & quæ ex ſtudio vniuerſim hauritur ſcientia & cognitio. quàm dulcis enim cum illis collocutio? Nunc etiam vide inter alia ſolitudinis bona, quàm in eâ liber cæli aſpectus, quàm iucundus terræ & terrenarum rerum deſpectus, in quo crebrò ſe exercere ſolitum ſcimus S. P. Ignatium, & ſuauiſſima cæli gaudia libantem, erumpere in has voces, Quàm ſordet mihi terra, dum cælum aſpicio! At quanto dulcius in ſolitudine, ac ſancto otio poſt orationem: prata inambulare Scripturarũ? nam vt D. Hieron. pinguiſſimus eſt ſermo diuinus omnes in ſe habens deli-

Exercitia ſolitudinis quàm iucunda.

Hier. ſup. illud. Pſal. 147.

Et ad pe.

delicias: quidquid volueris ex diuino ſermone naſcitur. & rurſus: Si quidquam eſt, quod in hâc vitâ virum ſapientem teneat, & inter preſſuras & turbines mundi æquo animo manere perſuadeat, id eſſe primum reor meditationem, ac ſcientiam Scripturarum, *Hæccine vera, &c.* vt ſup. p. 7.

ſuper ep. ad Epheſ. l. 1.

Non igitur moleſtia ſolitudinis timenda eſt, maximè cùm Sapiens, vt idem Hieron. nunquam ſolus eſſe poſſit: habet enim ſecum omnes qui ſunt, & qui ſunt boni; & animum liberum quocumque vult profert & transfert, & quod corpore non poteſt, cogitatione complectitur; & ſi hominum inopia fuerit, loquitur cum Deo. Nunquam bonus ſolus erit. Denique videri certè poteſt, neminem in terram ſanctam veræ perfectionis, aut veræ beatitudinis peruenire, niſi per mare rubrum, id eſt Chriſti merita; & deſertum, ſolitudinem ſaltem animi, quæ ægrè niſi ea quæ corporis eſt aliquando colatur, acquiritur: hæc autem ſine illâ, nullius pretij eſt. nam quid prodeſt, ait Seneca, totius regionis ſilentium, ſi affectus fremant? Vtinam hæc conſideraret amans pietatem, maximè Religioſus, & delectaretur, quiete potiùs, quàm concurſatione; niſi quoties vrget charitas atque animarum zelus! Si enim SS. Patres, Pauli, Antonij, conuerſationem hominum detrimentum ſpiritus ſentiebant; quid accidet nobis miſeris, ſi non zelo, ſed vt tædium leuetur, ſolatiola quærantur, otium ſanctum & quies deſeratur? O ſi ſcirent quantum in ſolitudine, ſilentio, colloquio cum ſanctis Patribus, cum eruditiſſimis viris, cum Sapientiâ æterna capere poſſent ſolatium!

Contra Iouin.

Bonus nunquam ſolus

Solitudo quã neceſſaria patet ex viâ deſerti.

Seneca ep. 6.

Solitudo externa ſola parui eſt pretij.

Exercitium pro ſolitudinis ac ſilentij virtute impetranda.

O Amator hominum, qui lucem habitas inacceſſibilẽ, olim nemo poterat te videre & vivere, ſed jam quotidie vbiq; & maximè in V. Euchariſtiâ quanta apparet humanitas & boni-

Applicatio ad Communionem.

benignitas tua, quando nemo viuere poteſt, niſi te videat; neq́ tantũ videat, ſed, quod opto vehementer, te manducet & bibat. Quid vltrà facere potes mihi? & quid ego iam reddã tibi, niſi me totũ toto corde, tota animâ meâ, & totâ mente meâ? Quid olim, eheu! tũ ſpes eſſe poterat inueniendi te, cùm tibi nõ eſſet cum hominibus conuerſatio? nunc verò plurimum eſt, cùm nobis viuere tibi & noſſe te dediſti, & cùm dignatus es propter me deſcendere de throno regali, de cœleſti palatio in deſertum iſtud animæ meæ. Ecce quale deſertũ! & tu tamen dignaris in illud deſcendere, & manna pluere, & in terrã ſæculi huius, terrã horroris & vaſtæ ſolitudinis venire. Cùm enim in eâ nos vides errantes in montibus, ſicut oues ſine paſtore, quid facere potes cui natura bonitas? Quomodo poſſent nõ cõmoueri viſcera miſericordiæ tuæ, vt populus qui ſedet in tenebris, te videat lucem magnam? Et quorſum hæc? vt rediremus, & conuerteremur ad te paſtorẽ animarum noſtrarum, ſequeremur te itinere tridui in ſolitudinem, & ibi nos mannâ paſceres corporis ac ſanguinis tui; vt habitaret in ſolitudine iu-
Iſaiæ 32. *dicium, & eſſet opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & hoc pignore ſalutis accepto ſecuritas vſq; in ſempiternũ.*

Iſaiæ 35. *Dixerat Propheta tuus, Lætabitur deſerta & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium, germinans germinabit & exultabit lætabunda & laudans: gloria Libani data eſt: decor Carmeli & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum, quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine; & quæ erat arida, erit in ſtagnũ, & ſitiens in fontes aquarũ: in cubilibus in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & iunci. Quid iſta ſibi volunt, Deus meus, niſi in ſolitudine & nõ in turba exultare animam, & florere, germinare, & videre gloriam Domini ſui? bibere aquas de fontibus tuis, ô Saluator mi, & aridam fieri in ſtagnum, & ſitientem in fontes aquarum? qui enim bibit ex aqua quàm dederis ei, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Concede mihi ergo vt libenter de tot annis vitæ, tot menſibus, tot diebus decimas aliquas dem tibi, vt te ſequar in ſolitudinem, & audiam quid loquaris in me: non enim habet*

ama-

amaritudinem conuerſatio tua, ô Sapientia æterna, ſed magna eſt multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te. vacare, & videre nos iubes, quoniam tu es Deus, id eſt, omne bonum; & abſcondere diceris dilectos tuos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Pſal.45. Pſal.30.

O vtinam delectet me abſcondi propter te, & libenter de tot diebus vanitatis vitæ huius conſecrem tibi, & ſaluti meæ pauculos in quiete & ſolitudine, vt audiã te loquentem ad cor meum: vt loquar tecum, & cum Sanctis tuis libentiùs quàm cum hominibus. Quis enim nouit ſenſum tuum, Domine, aut quis conſiliarius tuus fuit? Incomprehenſibilia ſunt iudicia tua, & neſcio quâ in patriam ducere decreueris. ſed quid? inquietudo cordis corpus quieſcere non ſinit, & faſcinatio quædam mentis noſtræ: libet ire, videre, audire, & redeo vacuus, quia non ſunt iſta, quæ valent ſatiare me; laſſus redeo, quia nõ eſt quies animæ, niſi in te. Egredere igitur anima mea de terra tua, de cognatione tua, de domo patris tui: obliuiſcere populũ tuũ, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.

Scis qua Deus te ad regnũ velit ducere. Nihil ſatiat cor hominis. Pſal.44.

O anima mea ſola eſto, vt ſoli omnium ſerues teipſam quã ex omnibus tibi elegiſti. fuge publicum, fuge & ipſos domeſticos, ſecede ab amicis & intimis, etiam ab illo qui tibi miniſtrat; ſecede, ſed mente nõ corpore; ſed intentione, ſed deuotione, ſed ſpiritu. O quis mihi det vt inueniam te ſolum, amantiſſime IESV, *dilecte animæ meæ, & quietem in te inueniam, & ceſſet turba cogitationum mearum, & in ſolitudine meâ viror calami & iunci oriatur, & ſedeam tecum in pulcritudine pacis, & nihil me perturbet, mortuus ſim, & vita mea abſcondita tecum Chriſte* IESV, *in Deo meo, donec venias, & introducas me in ampliſſima cæli ſpatia; vbi laudem te totâ animâ meâ, & diligam te, & voces me ad te, voces in ſortem Sanctorum, vbi erit gaudium, & exultatio in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Bern. ſerm.4 ſuper. Cant. — Coloſ. 3.

Praxis ad ſolitudinis amorem ingenerandum.

Prou.4. Cuſtodia ſenſuũ neceſſaria.

PRima. Omni cuſtodia, vt Scriptura monet, cuſtodi cor tuũ, & ſẽſus corporis tui. vide vt tibi excubet ratio, ne

lia intrent hoſtes,pacemq́; turbent, & ſolitudinem cordis tui. Sicut enim vrbs patens,& abſq; murorũ ambitu;ſic vir qui nõ poteſt in loquendo,idẽ eſt in videndo,audiendo,cohibere ſpiritum ſuum. Meritò idẽ comparatur horto abſq; ſepe,de quo Eccleſ. Qui diſſipat ſepẽ,mordebit eum coluber,ille ſcilicet tortuoſus,ac infernalis:vnde primum argumentum diſciplinæ religioſæ,modeſtia ac ſolitudo,adeoq́; in vſu tẽpore S.P.Ignatij(vt ex iis qui cum eo erant intellexi) vt cum magna hominum turba domi eſſet, nullus ibi eſſe crederetur. imò ſi quis ſtrepitũ faceret,ipſe Generalis egrediebatur,& monebat grauiter tranſeuntem:ita vt nonnemo,quẽ noui,quoties ad cubiculum Beati viri tranſiturus accederet,manu prehenderet calceos, ne ſtrepitũ vel moleſtiã illi crearet. Hic eſt ſpiritus Sanctorum, qui aliter vadit,cadit potiùs quàm vadit,vt verbis Bernardi vtar.

Linguoſus vt vrbs ſine muro.

Quantum ſilentium curæ erat S.P.Ignat.

Secunda. Quotidie ſaltẽ aliquod tẽpus tibi tribue,& ſaluti tuæ in remoto, quoad fieri poteſt,à ſtrepitu loco. Sic ſcimus feciſſe Thomam Morum,alioſq́;illuſtres ſanctitate viros. quòd ſi domi nequeas,in religioſâ domo,velut aſylo, perituræ vitæ partem aliquam decerpe, & otio tribue non otioſo. Otium enim,vt Philoſophus, ſine litteris mors eſt, & viui hominis ſepultura;additq́; Nullus mihi per otium dies exit,partem noctis ſtudiis vendico; non vaco ſomno, ſed ſuccumbo. Ecce vbi Gentilis,& idolatra:vbi nos?

Quotidie ſolitudini vaca.

Seneca ep. 8

Temporis quanta habenda ratio.

Tertia. Quoties tibi licet,negotia tua in otio diſpone,& cõſidera in ſolitudine vias ac ſemitas domus tuę Nihil certè vtilius,quàm meditatè ſua agere,& nõ fortuitò,vt etiã aliàs monui Ideò negotiũ graue,aut iter,aut munus ſuſcepturus,ſecede ad dies aliquot,atq; imitare Dominum, qui priuſquam prædicationem inchoaret,in deſerto 40.dies in oratione ac ieiunio ſeſe exercuit. Quin & Scipio Africanus dicere ſolitus erat,numquam ſe minùs otioſum eſſe, quàm cùm eſſet otioſus;eò quòd in otio de negotiis cogitaret.

Solitudo in re graui eſt quærenda.

Quarta. Sub feſta ſolemnia more multorũ,aut domi frequentius ſolitudinem cole;aut ſi eam ibi nanciſci nequis,in domum aliquã religioſam,ſi potes,te abde. Atqui,inquies, non hæc ſola ad ſalutẽ via. fateor: at tu ſecuriorẽ ad opes, ad honores,ad gloriam,ac faciliorem negligas?

Amanda ubi præcipua feſta.

Quinta. Quamuis omnes,maximè tamẽ Religioſos,crebrò,imò quotannis dies aliquot animo colligendo dare cõuenit;ſaltẽ ex menſibus ſingulis diẽ vnum,cùm de Arſenio legamus,eum quot hebdomadis id facere ſolitum. Illud tamen ſuadendum imprimis ei,qui de re graui,ſtatu vitæ,vel ſimili diliberationem vult inire,vt Spiritus ſancti inſtinctũ audiat,& ab eo dirigatur,qui ſolus nouit vias hominum,& omnes

Decimam da temporis Deo.

omnes incertas prudentias eorum ſuâ ac paternâ prudentiâ gubernare.

Sexta, quod ſi ſolitudini plures dies tribuere nequis, vnum, vt dixi, ſaltẽ tibi ſume, & animæ tuæ: qui tot corpori curando, eiuſq; exercitationibus impendis & mundi negotiis, vnum cum Chriſto, exemplo Apoſtolorum maneto, tamẽ præparatione anteâ præmiſsâ. Attende verò maximè, quot per Religionis ingreſſum mundum fugiant, & tamquã vnicã ſalutis viam illam amplectantur. Cur te nõ mouent etiam pericula tua, vt ſaltẽ breui tẽpore eum fugias? vide etiam atq; etiam, ne occaſionẽ huius negligas; ne ſerò æternùm pœniteat. Ecce quot reos ad ſolitudinẽ carceres cogunt: quot Principes, auctoritas: quot infirmos, neceſſitas. Attende etiam tu morbum tuum, exilium, carcerẽ, & ſolitudine te cura ac libera. Multis certè ea ita profuit, vt totam vitã emendarint, moleſtiſſimis ſcrupulorum vexationibus, imò tormentis ſe liberarint, de ſeipſis, quod antea numquã potuerant, triumpharint, odium ſuperarint, cũ inimicis in gratiã redierint, ac ſingularia à Deo beneficia cõſecuti ſint, &c. Sed quid hæc proſequor; toto orbe notiſſima Exercitia S.P. Ignatii, & fructus eorum, quos annales noſtri diligenter enarrant. Vt autẽ ad ſolitudinẽ iſtã Exercitiorum Religioſos inuitaret Summus Pontifex Paulus V. Indulgentiã plenariã illis qui in eã ſe exercerẽt, cõceſſit.

Saltẽ breue tempus ſolitudini tribue.

Breui tempore mundũ deſerere.

Fructus ſolitudinis & exercitioris S.P. Ignatii.

Nota autẽ eorũ vniuerſũ hunc ſeceſſum à populo ſex capita, ſeu fines continere; 1. Confeſſionẽ generalẽ. 2. Conſultationem de rerum ſuarum diſpoſitione. 3. Pœnitentiam de præterito. 4. Decretum de inſtauratione crebra vitæ per recollectionẽ aliquam quot hebdomadis. 5. Similiter de ſtatu finali, ſeu in quo ſtatu, ac virtutis gradu mori velis; 6. Ordinationẽ vitæ. Primò, quoad orationẽ; Secundò, mortificationẽ; Tertiò, temporis diſtributionẽ; Quartò, actionum quoad modum reformationem, & maximè quoad intentionẽ; Quintò, occaſiones virtutis; Sextò, perfectionis ſtudium. Neque enim ſolitudinem, aut Exercitia initurus, proponere ſibi debet altam contemplationẽ, ſed ſui cognitionẽ, & vitæ emendationẽ, ideoq; ad ea præparatio optima, videre quis nos defectus magis remoretur, quæ pſſio perturbet, & ad hæc omnia dirigenda ſunt. Huc pertinet quòd S. Bernard. ait: & primùm quidem ipſum fontẽ ſuum, id eſt mentem de quâ oritur, purificat conſideratio, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & ordinat, poſtremò diuinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert. hæc eſt quæ confuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecreta rimatur,

Fines eorũ vtiles & varij.

l. 1. de Conſid.

vera veſtigat, veroſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc eſt quæ agenda præordinat, acta recogitat, vt nihil in mente reſideat, aut correctione egens. Hæc eſt quæ in proſperis aduerſa præſentit, in aduerſis quaſi non ſentit: quorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ eſt, tam pio otio, tamq; vtili, nullam in vitâ operam dare, nónne vitam perdere eſt?

Quod ſit ſolitudo aliqua quærenda vel vnius horæ quotidie.

Septima. Quod ſi neque oratione, neque lectione, neq; concionibus audiendis iuuari te ſentias, percunctare quæſo ex te, an iuuari velis: nã ſi corpus fruſtra aliquibus remediis tentaſſes curare, & præſtans ſuggereretur, idq; ſine noxâ ſumendum, plurimaque experientiâ probatum, nónne amplecctereris? Applica ſimile iſtud animæ tuæ, & tenta hoc ſaluberrimum eius remedium. Secede, ſi potes, ad hebdomadas aliquot; ſi nõ potes, ad dies; ſi neque hoc, ad vnũ: quòd ſi nec iſtud ſaluti animæ tuę, tibi, Deo tribuere velis, horam continuis diebus aliquot, non audiendo profeſſori, non mimo, non ludo, ſed concede Deo loquenti in ſolitudine ad cor. Audi eũ, & noli auertere aurẽ, obdurare cor: ſed erubeſce quòd libeat ſæpe fabulis horas optimas tribuere; confabulari, donec hora, vt Bernard. ait: prætereat, quã tibi ad pœnitentiam agendam, ad obtinendam veniam, ad quærendam gratiam, ad promerendam gloriam, miſericordia conditoris indulſerat; & non libeat horam vnam aut alterã quieti, ſolitudini, taciturnitati dare, è quâ tot tantaq; bona omnium ſapientium iudicio, omnibus quidem, ſed maximè Clerico & Religioſo proueniunt. Certũ eſt ſæpè vnâ horâ attentè & in quietè conſideraſſe, plus profuiſſe, quàm plurimas conciones in turba audiuiſſe. Vt appoſitè dixerit Seneca: Quid, ait, tibi præcipuè vitandum exiſtimem, quæris? turbam: numquam illi tute commiſeris: nunquam à turbâ mores, quos extuli, refero.

Nota.

Bern de triplici cuſtod. â.

Fabulæ vitandæ.

Seneca.

Senſim aſſueſce ſolitudini.

Octaua. Quemadmodũ autẽ in omni virtute gradatim aſcendendum eſt, ita & in hàc. Aſſueſce igitur ſenſim, & coge te exiguo tempore in ſolitudine permanere, deinde illud protrahe, variaq; præbe, ſed ſancta in quiete ſolatia: protrahe, inquam, v.g. ad honorẽ B. Virginis ad quadrantẽ vnum atq; alterum, vt ſolitudinis capiaris vſu & amore.

Variа ſunt exercitia aſſumenda.

Nona. Solet in ſolitudine tædium naſci, quod magnum Antoniũ in ſuo tirocinio cœpit tentare: verùm Angeli monitu edoctus eſt quâ ratione illud leuaret, orationem cum manuũ opere alternando: ſic etiam & tu poteris variis exercitiis te occupare, tædiumq; leuare. Sunt autem illa Primum, oratio vocalis diſpoſitis etiã ſubinde v.g. ſtationibus Vrbis Romanæ. Secundum, mentalis, ſiue meditatio; Tertium

tium, ſtudium ſacræ Scripturæ, quod D. Chryſoſt. etiã ſæcularibus familiare eſſe cupit. Magna certè vtilitas ex eo vt ſuprà declaratum eſt. Experietur autẽ qui quotidie ſaltẽ vnum atque alterum caput, cum aliquo commentario perlegerit. Quartum, memoriæ exercitatio. Eius ſiquidem theſaurum quotidie augere vehementer expedit, maximè ſacræ Scripturæ ſententiis, & Sanctorum. ſunt enim & vitiorum antidota, & ſincera mentis oblectatio. Quintum, lectio SS. Patrum; Sextum, ſtudium Caſuum conſcientiæ; vt ſuis quis, ac deinde alienis vulneribus poſſit mederi: ad quod, compendium eorum colligere iuuat. Septimũ, lectio librorum piorum, qui de virtutibus & vitiis tractant; Octauum, ſtudium ſacræ ac profanæ hiſtoriæ; vnà cum chartis geographicis, atq; ex his colligere exempla ad vitam bene inſtituendam; Nonum, Politicorũ ſcriptorum cognitio, quæ ſi Chriſtianâ pietate nitantur, magnum ſunt ad gubernationem præſidium. Quemadmodum Machiauelli inſtitutionẽ certam eſſe reipub. perniciem omnibus manifeſtum eſt, qui Deum eſſe, ac mundum gubernare crediderint. Decimum, ſtudiũ quo quis diligenter quærit praxes proximi iuuãdi, diſſidentes conciliandi, afflictos ſolandi, ac maximè omniũ iuuandi morientes: tum enim de ſumma rei agitur, & de æternitate iacitur, vt ita dicam, alea. Sic ſeſe ad conuerſationẽ præparare, eſt magna parte bona opera in ſecreto informare, qui autẽ ſecùs facit, magno labore, ac fructu exiguo operatur: vt is qui ſerram ad opus non parat, ſecurim non acuit faber, viam viator priuſquã in eam ſedet, nõ inquirit, at fortuito aggreditur. Vndecimũ, Philoſophicam aliquam quæſtionẽ, aut Theologicam excutere. Duodecimum, naturalis hiſtoriæ, plantarum atq; animaliũ perueſtigatio: itẽ Matheſios & Aſtronomiæ. Lectio itẽ Poëtarum, aut ſcriptio aliqua. Poſtremò ad recreationẽ animi, pingere, fingere, tornare, fundere, vel ſimile aliquod exercitium elegantioris ingenij moderatè aſſumere, ita vt ſeria ac grauiora negotia non impediantur: ne Virgilij illo monito opus ſit:

Scripturæ lectio quã vtilis.

Machiauelli ca peſtis.

Morientes iuuandi ſedulò.

Conuerſatio præmeditanda.

Excudent alij ſpirantia molliùs æra,
Orabunt cauſſas meliùs, cæliq; meatus
Deſcribent radio, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere morem.

Quibus indicatur quemque muneri ſuo attendere in otio oportere, ac ſemper aliquid agere. Rectè enim ait Ennius in Iphigen.

Otiũ fugiendum.

Otio qui neſcit vti, plus negotii habet,
Quàm cùm eſt negotium in negotio.
Nam cui quod agat, inſtitutum eſt nullo negotio
Id agit ſtudet ſibi, mentem atque animum oblectat ſuum.
Dignatus es, vt ſup. p. 10.

IACVLATORIÆ

Pſal. 54. *IN terra deſerta, inuia & inaquoſa; ſic in ſancto apparui tibi vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.*
Cant. 7. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.*
Cant. 8. *Quis mihi det te fratrem meum, vt inueniam te foris, & deoſculer, & iam me nemo deſpiciat?*
Pſal. 54. *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.*
Oſeæ 2. *Duc me in ſolitudinem, Deus meus, & loquere ad cor meum.*

CAPVT XXXI.

Meditatio prima de ſtudiis, & præcipuâ hominum occupatione.

PRAELVDIVM I. Compoſitio loci eſt ſtatuere ſe coram Deo patre luminum, velut cæcum & inopem, &c.

Secundum. Orare vt Dominus te illuminare & accendere dignetur.

PVNCTVM I. Conſidera Primò quanta ſit in homine ignorantia: quod in pueris & pleriſque mortalium patet. Sed & ſapientiſſimus Socrates hoc magnum putabat, quòd ſciret ſe nihil ſcire: & vix quidquam in Philoſophiâ, etſi maximè obvium, plenè cognoſcitur, & multò plura ignoramus quàm ſcimus. quòd ſi quis, vti debet, credit, ſe vilipendet, alios libenter audiet, non interpellabit; Dei gratiæ, ſi quid perceperit, animo & ore tribuet. Et quid hæc proſunt ſi nos ipſos ignoramus, ſi te, ô ſapientia æterna? Conſidera Secundò, in ſcientiis, artibus & opibus velut viliſſimis rebus, Dominum Ethnicis principatum dediſſe, adeò vt nullus ad eos iam accedat: omnes verò eos cum pleriſque doctiſſimis

Socrates.

Homo nihil perfectè cognoſcit.

ctiſſimis damnatos, vt fidem etiam facere fortè Salomon ſapientiſſimus, poteſt. eheu! ex quo vanitatem ſcientiæ agnoſce. Tertiò, attende & niſi demens ſis, teipſum deſpice & confunde, Deum cum ſimplicibus ſermocinari, & contemptibilia mundi ſemper ſolere eligere; ſcribas & ſapientes ſæculi ferè proieciſſe: & modo mulierculis familiariùs (vt B. Tereſæ dixit) vti quàm doctis, ob ſuperbiam illorum: quid ergo habet ſapiens vnde glorietur? Quartò, omnia creata eſſe ad Dei gloriam, & ſalutem noſtram conſequendam; vtq; ex cognitione creaturarum, ad Creatoris perueniremus cognitionem & amorem. Deteſtare igitur ſtudium, quo à Deo receditur, à verâ ſapientiâ, & inſaniam iſtam, quâ, vt ſcientia vana habeatur, charitas deſtruitur; vt lumen tenue habeatur, ſol excluditur, Chriſtus JESVS ab animis noſtris. *Aſpira*, vt ſuprà pag. 7. *Hæccine firmâ fide, &c.* ibid.

Deus docet ſimplices & pios.

Inſania docti qui Dei oblitus eſt.

PVNCTVM II. Attende cur iam in ſcientiâ prouectiores, ſæpè, eheu! arrogantiores, ſibi plus tribui velint, difficiliùs regantur, priuilegia vindicent: in diſputando alacres, in piâ vel regulari vita remiſſi: & videbis primã cauſam eſſe ſuperbiam, & ambitionem tacitam. Sed attendite miſeri: ſi linguis hominum loquamini & Angelorum, charitatẽ autẽ non habeatis, nihil vobis prodeſt. Et videte Secundò, quid proſit homini, ſi vniuerſum mundum non dico ſciat, ſed lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur, ac ſe ignoret? Hæccine credis, ô Lector? Age quod in morte optabis viaticum? quod in iudicio? an à ſcientiâ malis, quàm à virtute magis te ornatum, illic vbi plagis multis ſeruus ſciens voluntatẽ Domini vapulabit; & tanto grauiùs vapulabit, & damnabitur, quanto plus ſciuerit. Facito ergo murænulas primò aureas bonæ vitæ: deinde vermiculatas argento doctrinæ. *Credo tibi, &c.* vt ſ. p. 7.

Cur aliqui eruditi ſint arrogantee.

1. Cor. 13.

Matth 16

Doctrina & pietas iungenda.

PVNCTVM III. Conſidera homines eiuſmodi vmbram, folia, & pictam pro verâ ſapientiâ colligere: hinc tales

Vmbram eligit vanus præ ...

tales dum intellectum implent ſcientiâ, gratiam & Deũ tandem eiiciunt, & vocationem ſæpè perdunt poſt orationes & vitam diſtractionibus plenam. Conſidera Secundò, inſaniam huius, qui de Deo & virtutibus bene diſſerit, vt contra ſe ſententiam pronuntiet mortis; aliis oſtendit iter, & ipſe deuiat, alios paſcit, & ipſe eſurit: lucet aliis, & ipſe in tenebris eſt. Triſtatur, ſi de nugis, vel etiam virtute diſſerendo alteri cedat; ſi virtute cedat, nõ curat; dũ pecunias alteri numerat, ipſe pauper ſolo ſono recreatur; hinc clamoribus omnia complet, quibus, & impatientiæ ſignis dũ ſtudet, vt pòſt aliquando, ſi viuat, homines ad Deum trahat. iã illos ab eo, vti & à doctrinâ ſuâ (cùm ex patientia viri cognoſcatur de doctrina eius) auertit; neq; quiſquam hortanti vt bene faciat, credat, niſi ille ſibi fidem habeat, & ipſemet intelligat (ſecundũ Pſalmiſtam) vt bene agat. Conſidera Tertiò, talem vti furem gloriam Dei ſibi tribuere; & ſicut iniuſte eam acquirit, etiam veriſimile, quòd ea ſic vtetur.

Vide diſputatorum in charitate tepidorum inſaniam.

Vanus homo fur eſt.

COLLOQVIVM.

Meditatio ſecunda, de ſtudio Chriſtianè inſtituendo.

COMPOSITIO LOCI, vt ſuprà. & Oratio.

PVNCTVM I. Conſidera illum neglectum ſpiritus oriri ex nimio affectu in ſtudia; quòd putent ſe per ea poſtea, Primò, gloriã Dei; & Secundò, ſalutem proximi promoturos, & quod ad ea plurimùm iuuat, auctoritatem ſe comparaturos. Et ad primum errorem, conſidera beatitudinem noſtram hîc, & in cælo, in Dei contemplatione conſiſtere, etiam Philoſophorum iudicio. Quàm ergo ſtultum, velle variarum rerum imagines contemplari, & ſic ſtudere, vt Dei imaginem recipere, & ei inhærere, & beatus eſſe non poſſis? Deinde attende Spiritum Dei nunquam ſibi contrarium. Cùm ergo eos qui virtute & doctrinâ maximè claruerunt, vt D. Bonauenturam, & S. Thomam, & plurimos alios docuerit,

Vnde oriatur indoctis indeuotio.

Studetur vt Deus meliùs videatur.

tuerit, vt ſcirent plus eſſe ab oratione, quàm ſtudio, luminis & ſapientiæ exſpectandum; certè qui Spiritu Dei agitur, idem ſentiet. Conſidera Secundò, nunquam Spiritum Dei eſſe inordinatum. *Haccine vera, &c.* vt ſup. pag. 7.

Oratione plus quam ſtudio proficitur.

Tertiò, eum qui priuato ſtudio ex affectu nimio rapitur, vanitate aut delectatione trahi, pluſquam oportet; neque veriſimiliter poſteà malè partis benè vſurum. Quartò, ſtudia omnia & opera ad orationem perſectam, vt ſcopum dirigi; ergo cauendum ne huic officiant. Quintò, ſi religioſus es, Religionem non ſcholam literarũ eſſe, ſed maximè, & ferè vnius virtutis. Sextò quòd ea ob quæ Religioſi aptiores ſtudiis habentur, ſint oratio, & puritas animi: itaque primò hæc quærenda. Septimò, eum qui tanto affectu & impetu tanto tempore in propriam laudem, vel ex ſui amore in ſtudia fertur, ęgerrimè poſſe poſtea habitu iam contracto, Dei purè gloriã quærere, vel ſalutem proximi curare: quia qui à Deo remotior, id eſt cauſsâ primâ, eo minùs operari poteſt; cùm Deus trahere debeat: imò talis verè furari videtur, vt dein holocauſtum faciat. Quòd ſi ſpectés auctoritatem, nónne pietas & virtus ad pietatem & virtutem commendandam magis valent: Deuſque humilibus dat os & ſapientiam, cui omnes aduerſarij reſiſtere nequeunt, qui ſi intus non trahat, fruſtra vox exteriùs ſonat? Poſtremò, non eſt inter Chriſtianos tam ſcientiæ, quàm bonæ voluntatis defectus: immò & Ethnicorum facilis ferè conuerſio, niſi vitio alicui affecti ſint: atque ita virtute magis, quàm ſcientiâ conuertendi: & vide in vtrâ excellas, & magis excellere ſtudeas. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ fide*, ibid.

Vanitas difficulter euacuatur.

Zelo officit vanitas.

Auctoritas vnde veniat & fructus.

Nota non tã ſcientiæ quàm virtutis penuriam eſſe.

Pvnctvm II. Conſidera nunc coram Deo, & primò, quis ex omnibus in omnem ęternitatem doctior ſit futurus: nónne qui humilior? melius enim ille omnia in lumine videbit. Itaque vide, vt eò tua ſic dirigas ſtudia, vt virtus non patiatur detrimentum. Ad hoc imprimis,

Intentio recta in ſtudio maximè neceſſaria. primis intentio recta habenda, & quidem ſuper omnia in ſtudiis, cùm potiſſimâ parte vitæ noſtræ tractentur. & ſicut nemo prudens pergere incipit, niſi ſit in viâ; ita nemo ſtudere debet, niſi amore Dei & proximi ſe ſentiat, id eſt puriſſimâ intentione, impelli. Secundò, puritas & tranquillitas animi quærenda; vt velut purum ſpeculum, radios plenæ lucis meliùs percipiat: nam perturbatio oculos obfuſcat, &c. Conſidera Secundò, ſigna, quibus cognoſcere poſſis, an purâ intentione feraris ad ſtudia: ea ſunt, ſi non intempeſtiuè, non nimis feruidè, ſed deuotè ea aggrediaris; nullam orationem omittas; nullam regulam vitæ negligas; immò ſi inter ſtudendum ſæpè ad lumen æternum, fontem ſapientiæ præſentem confugias; Deum, Angelum & Sanctos inuoces, & conſulas; ad Deum à creatis aſcendas. Tertiò, ſi poſt ſtudia oratio & colloquia de Deo ſapiant; ſi, quando Dei gloriam, & propriam ſalutem per hæc quæ iam didiciſti promouere poſſis; attendas, Deo gratias agas: mox enim talentum dandum ad vſuram & fructum. Cur enim differs? memineris autem vt humiliter de te loquaris; Deo totum tribuas: non te de ingenio, facilitate & plauſu iactes. Conſidera Tertiò, eum qui contrà facit, & non impellitur ſolâ voluntate Dei ad ſtudendum, Primò, præuaricari eius voluntati, & ſtudere vt illi aduerſetur: hîc enim poſteà ſcientiâ aduerſus Deum inflatur, & velut gladio ſuo ſe iugulat & interficit. Secundò, operam perdere, & ſcopum: cùm Deus tunc non miſericorditer, etſi naturaliter concurrat, & talem tendendo ad Deum, auerti ab eo, & viliſſimæ rei cognitionem numquam perfectam, Deo, eiuſque cognitioni & amori præponere. *O ſapientia æterna,* vt inf. p. 463.

Quomodo ſtudiū inchoandum.

Pax animi quærenda.

Vanus ſtudioſus adverſarius Dei & ſui. Nota.

PVNCTVM III. Conſidera Primò, quantâ diligentiâ homo, maximè Clericus & Religioſus, ſtudere debeat. Primò ex parte Dei, qui id ab iis poſtulat. Secundò, ex parte proximorum, qui eos alunt ſuis opibus, vt ſe doceant

teant & præluceant factis & verbo. Vide an hoc præſtes: alioqui quiſquis es, otioſus panem pauperum edis. Tertiò, quia tantam Clerus commoditatem habet, & in Religionem qui vocatus eſt, vt bonitatem & diſciplinam, & ſcientiam diſcat. Quartò, quia plurimum ad Dei gloriam promouendam pius ac doctus præſtat. Poſtremò, quia felicitas humana aliquo modo in ſcientiâ conſiſtit. Precioſior enim eſt ſapientia cunctis opibus; & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Ideoque Cyrillus ait: Semper oportet addiſcere, & in extremis hortis, fundum ſapientiæ inueſtigare. Conſidera præterea, vnde contingat id non fieri; & aduerte id fortè contingere, quia dum vnum agere deberet, ad futura, quæ deſtinat animo, ſe ſtolidè (cùm ea fortè numquam ſit conſecuturus) præparat, contra Dei voluntatem; & ſic numquam perfectè alicuius rei ſcientiam conſequitur: vel, quia velox ad loquendum, curioſus, vagus, ſolitudinis non amans, ſed in familiaritates & recreationes pronus, parum de ſcientiæ veræ magno theſauro augendo, eſt ſollicitus. Vel denique otiatur, vt puer, & tempus omnium pretioſiſſimum illi viliſſimum eſt. Attende quæſo quot pro gloriâ, & vili nummo Iuriſconſulti, litterati in Vniuerſitatibus, & ſæpè totos propè dies & noctes abſumant cum voluptate (quam P. Platus propriam in Religioſis, & vt eximiã voluptatem commendat) & tu verè miſer ſic hanc non percipis, ſed ad recreationes anhelas. Statue igitur exemplo eorum, & omnium mercatorum, ſcientiæ ſecundũ Deum vacare, & videre per illam, quàm ſuauis ſit Dominus. *Haccine vera, &c.* vt ſup. p. 7. *Prou. 3.*

Exercitium.

O *Sapientia æterna, ô lux quæ illuminas omnẽ hominem venientẽ in hunc mundum, te quæro, te deſidero; reſpice in me, & oſtende mihi lucem miſerationum tuarum, vt videã te, & amem toto corde meo & ſufficit mihi. O ſol iuſtitiæ, illuceſce* *Eccli. 36.*

ceſe mihi, vt amen lucem, & bonitatem tuam hoc enim quæro in nocte hac, donec illuceſcat dies; optata dies, deſiderata millies, quâ te videbo, & cognoſcam ſicut cognitus ſum, & vltra non erit nox, neq; mors, neq; clamor, neq; dolor. Nunc vero dolor eſt quòd vti cupio nō amen te, & clamor, quia in hoc nō exaudis; & nox, quia anguſtiæ mihi vndiq;, & mors, quia à te peregrinor vita mea. Solatio tamē mihi eſt, quòd infinita pietate viſitas ſeruum tuū, ſed eheu ponis nubes deſcenſum tuū, & tenebras latibulum tuum. Hoc tamen vtcunq; ſuſtento vitā meā, & ſpē & deſiderium meum. Qui enim manducat te, ipſe viuet propter te, & ego viuere volo & mori pro te, tu ſcis.

Applicatio ad Communionem.

O IESV, *ecce in quantis tenebris ſumus, & difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore; quæ autē in cælis ſunt, quis inueſtigabit? Nemo, Domine, niſi cui tu dederis, vt nouerit ſe, & nouerit te: niſi ſimplex & rectus, quocum eſt ſermocinatio tua. Vtinam igitur ſim cū multis ſeruis tuis potiùs ſapienter indoctus, quā cum ſæculi filiis inſipienter doctus! qui dicunt ſe eſſe ſapientes, & ſtulti facti ſunt; qui exiſtimant ſe ſcire aliquid non tamē cognoſcunt quomodo oporteat eos ſcire. Quid ergo? gloriari poterit ſapiens in aſtutia ac ſapientia ſua, niſi nouerit te; in quo cognoſcet humilis & modeſtus ſæpè in æternū eo plura, quo pauciora hîc intellexerit? Sed quanta vanitas hîc etiam nobis illudit? Scire quid cælū ſit ſtudemus, & ad inferna vanitate tendimus. Scire quid ſit creatura inanis vapor & vmbra & nihil; & te & nos ipſos ignoramus: quoties diſputamus & aſſerimus humilitatē, charitatē patientiā, & verbis quaſi pro iis digladiamur acriter, & factis eas eliminamus, & conculcamus. ſententias quiſq; ſuas tuetur, & præcepta tua negliguntur. O vanitas ô vanitas! triumphare quaſi de ſcientia, & damnare ſeſe de malitia, quid, ô ſapientia æterna, ô Chriſte* IESV, *quid prodeſt homini, ſi vniuerſū mundū nō ſciat, ſed lucretur, & animæ ſuæ detrimentum, ſi nō exitiū patiatur? nónne omnis ſcientia ad virtutem accommodanda eſt? cur igitur nunc mihi ſeruiet ad contentionem, ad æmulationē? quæ de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens; & qui per eam ſapiens, oſtendit ex bonæ conuer-*

Sap. 9.

Rom. 1.

Iacob. 3.

conuerſatione operationem ſuam, in manſuetudine ſapientiæ. Quòd ſi, ait Apoſtolus tuus, zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem. An poteſt, ô dulciſſime IESV, *ſpiritus tuus dulcis & humilis, ſpiritus veritatis ſimul eſſe cum ſpiritu vanitatis? an in maleuolam animam introibis, ô Sapientia æterna? Bonitatem itaq; pro amore tuo, & diſciplinã & ſcientiam doce me. Oſtende mihi viam quâ ad te ambulem, hanc enim ſolùm quæro, & te ſolum crucifixum ſcire cupio dulciſſime* IESV. *Tolle à me Deus meus ſcientiam, quâ infler; da mihi ſapientiam, qua mitis ſim & humilis corde; vt non pigeat me, ſicubi hæſito, quærere; nec pudeat, ſicubi erro, diſcere. Da diſputare de veritate, & factis ei non contradicere; concupiſcere ſapientiam, & iuſtitiam conſeruare, & charitatem proximi, & tuam. Amen.* Sap. 1. Pſal. 118.

Praxis ſtudendi.

PRima eſt, initio ſtudiorum gratiam Dei inuocare, & intentionẽ renouare. Secunda, inter ſtudendum ſæpè, maximè in dubiis, cor ad Deum eleuare. Tertia, vt humilitate contra vanitatem ſcientiæ ſe muniat, ſæpè alios conſulere. Quarta, pauca legere, & bene intelligere; & euoluere auctorẽ (Faſtidientis enim, ait Seneca, ſtomachi eſt, multa deguſtare) eiuſq; gnomas, velut gemmas colligere, & memoriæ commendare: tantum enim quiſque ſcit, quantum memoriâ tenet. Quinta, poſt ſtudiũ gratias Deo agere, & videre, quis vſus eſſe poſſit eorum quæ didicit, Deoq́; offerre, & vt ait S. Bonauentura, de iiſdem quaſi in orationẽ redactis (vt in pſalmis factum videmus) cum Deo colloqui, veſperi autẽ aptè diſtributa omnia memoriæ commendare. Exemplum habes in Confeſſionibus S. Auguſtini libro 2. c. 12. Sexta, interponere aliquando ſtudiis lectionem librorũ piorum ac ſimpliciorum, vti in more habuit D. Thomas.

Humilitas neceſſaria.

Nota vſum ſcientiæ.

Lectio libri pij.

Oratio ante ſtudia.

O *Aeterna Sapientia, lumen mentis, loquere quia audit ſeruus tuus, & gratiâ tuâ paratum cor eius: inflamma illud: obſcura explica: Propter te enim, & tecum, & coram te cupio*

 legere,

legere, quæ tua Maieſtas inſpirauit, & dedit : & quæ agnouero, facere ad gloriam tuam, & ſalutem animarum; non vt doctus ſim, vel habear, ſed vt te amem. Quid enim ſcire in iudicio proderit? Suſcipe hoc opus; in vnione omnium operum tuorum, Deus cordis mei, & omnia.

Oratio poſt ſtudium.

Scio, Domine, hanc eſſe voluntatem tuam N. (hic lecta breuiter repete) & gratias ago. Da mihi gratiam, vt faciam illam, & amem te; neque enim aliter poſſum, ſed tâ fretus hæc propono N. ſcienti enim, & non facienti peccatum eſt illi. O vtinam his omnibus N. vtar ad gloriam tuam! Amen.

Quid qui docet facere debeat.

Secunda. Quòd ſi docendum tibi eſt: poſtquam benè paratus es, ingreſſurus ſcholam, Deum ſupplex roga, & intentionem renoua, ac ſtatue captare occaſionem pietatem inſinuandi; eaq; inter docendum vtere. Cùm autem diſcipuli, quorum affectum tibi conciliare debes, plurimum etiam præceptori debeant, & tribuere; ſi boni, ſoliti ſint; vide, vt auctoritate & ſcientiâ vtaris ad omnes, ſed eos magis in ſpiritu iuuandos, quos Dei obſequio & reipublicæ iudicas eſſe vtiliores. Plures induſtrias vnctio docebit.

Oratio, antequam ad ſcholam docturus eas.

O potentiſſime IESV, *qui me ab æterno dilexiſti, & de me optimè ordinaſti, pro tua ſapientia & bonitate: ecce mittis me vt doceam, eamq; ſcio eſſe voluntatem tuam, & licet ob malitiam meam deſtruere, quàm ædificare magis paratus ſim, tamen quia iubes, ad tuam ſolius gloriam hoc aggredior, & offero hunc laborem in vnione doctrinæ tuæ in præſentia tua, & has animas ſeminarium Eccleſiæ tuæ, ſponſas & filios tuos; fac vt zelo honoris tui ductus, rationis reddendæ memor, eos, vt oportet, inſtruam, pietateq; ſemper informem. Et vos Angeli ſancti præſentes adeſte, vt exemplo præeam, N. defectus hos vitem, hac vltima forſan hora, & viſcera charitatis impetrate, per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Poſtquam docuiſti, lauda Dominum. roga vt ſemini det incrementum, & Angelis id commenda. *Laudate Dominum omnes gentes, &c.*

ORATIO

ORATIO.

Gratias ago tibi, Iesv, *Sapientia æterna, cui hæc per me operari placuit. Da, Domine, incrementum; ignoſce defectus illos meos N. & quod ritè egi, ſuſcipe in vnione actionum tuarum, ad gloriam tuam. Et vos Angeli ſancti, irrigate ſemen, vt fructum afferant clientes veſtri, & fructus maneat; & Dominus noſter glorificetur, & ametur, & delectetur in operibus manuum mearum. Amen.*

Quomodo diſputandum.

Tertia. Quòd ſi diſputandum, præparatione præmiſſa atque oratione, cogita te velut in theatro ſtare, & ab omnibus iudicandum, ſed maximè à Deo, primò de vitâ, deinde de doctrinâ. Secundò, cogita vtrum præſtet, alium doctrinâ an virtute ſuperare, alios contentione auertere, an charitate deuincire. Tertiò, caue cenſeas, arguas alios, aut interpelles. Hæc aut arrogantis, aut impudentis, aut fatui ſigna habentur, qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. *Dignatus es,* vt ſup. pag. 10.

JACULATORIÆ.

Confiteor tibi Domine cæli & terræ; quia abſcondiſti tua à ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Matth. 11

Ecce timor Domini, ipſa eſt ſapientia; & recedere à malo, intelligentia. Prou. 3.

Mitte ſapientiam de cælis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuæ; vt mecum ſit & mecum laboret. Sap. 9.

CAPVT XXXII.

De officio eius qui alium docet, Patrisfamilias, Præceptoris, Concionatoris, &c.

Praelvdivm I. Conſtitue te coram Domino & eius maieſtatem intuere:

PRAELVDIVM II. Pete, vt ſicut labia Iſaiæ Prophetæ, ita etiam tua mundet calculo ignito amoris ſui.

PVNCTVM I. Conſidera, ignorantes docere, omnibus incumbere Chriſtianis, & eos Apoſtolorum atque Epiſcoporum munus obire, qui id agunt: imò Angelo ſimiles eſſe, qui filios Iſrael cùm Moyſe per deſertum duxit. Vnuſquiſque veſtrûm in tantum ſufficit, quantum gratiam ſupernæ adſpirationis accepit, ſi à prauitate proximum reuocat; ſi exhortari ad benè operandum curat; ſi æternum regnum vel ſupplicium denuntiat; cùm ſanctæ deuotionis verba impendit, profectò Angelus eſt: vide igitur an Angelica vita tua ſit; an cum Abrahamo, Moyſe, cum Apoſtolis, cum (ſi Eccleſiaſticus es) Vincentiis, Xaueriis, contemplatione & oratione cum Deo ſis coniunctus; an virtutibus ad exemplum ornatus. Dic enim, quo pacto amore virtutis, humilitatis & caritatis accendes alios, ſi ipſe eo non ardeas? Qui ſibi nequam, cui bonus erit? Quomodo fidelis diſpenſator multiformis gratiæ Dei, qui eam negligit? Quomodo tepidus illuminare per noctem poterit, eſſe fermentum bonum, & columna in templo Dei? Quomodo inſtrumentum atque organum fieri gratiæ ac gloriæ Dei? *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ fide, &c.* ibidem.

1. Cor. 1.

Gregor. Omniū eſt proximum promouere

Quid requiratur in eo qui aliū docet.

PVNCTVM II. Conſidera, eum qui alium docet, legatione fungi pro Deo; vt populos rebelles conciliet; quid ergo ſi eiuſmodi legatus pacis à Rege miſſus, belli incentor foret? negotium Regis agere iuſſus, ſuum ageret, gloriam quæreret ſuam? ſi, cùm conuertere ad Deum animas deberet, auerteret manu, ore ſimulatè aduocaret? ſi, cùm quærere deberet ſponſam Domino ſuo, ipſe exemplo eam corrumperet? ſi, cùm paſcere verbo, ipſe vanitatis vento eius famem accenderet? nónne magni criminis reus foret? Qui alium docet, id agere videtur, qui, dum aliis benedicit, agit ſibi malè.

Legatus Dei qui alium docet.

Docere

Docere ait Gregor. & non facere, non ſolùm nihil lucri, ſed etiam damni plurimum confert. Grandis enim condemnatio eſt, componenti quidem ſermonē ſuum, at opere negligenti. Immò Ariſtoteles ait, ab his, qui non perinde viuunt, vt loquuntur, tolli & interimi veritatem. Seneca verò, Nullos, inquit, peius mereri de omnibus mortalibus iudico; quàm qui Philoſophiam, velut aliquod venale artificium didicerunt: qui aliter viuunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt. Exempla enim inutilis diſciplinæ circumferunt. Hi enim duplici modo animas perdunt. Primò, quia alios magis idoneos, ambitione ſuâ officiis aut pulpitis v.g. excludunt. Secundò, quia exemplo retrahunt à Deo, quem verbo ſolo ſequendum denuntiant: laudant humilitatem, obedientiam, reſignationem, charitatem vt vtilem, facilem, iucundam; ſed factis contrarium, longeque potentiùs teſtantur. Litteram habent, & non ſpiritum; littera autem occidit, ſpiritus viuificat. Prædicatio eorū in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis; non in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Si applaudentium multitudinem habent, quaſi regnum adepti, ait Chryſoſt. exiliunt gaudio; ſi autem ſilentio ſermo eorum claudatur, maior illis ex ſilentio, quàm ex gehenna mœror. Obſerua autem vocationem Dei ad hoc munus, & miſſionem præcedere debere, qui alios quidem dat Prophetas, alios Apoſtolos, alios doctores, & mittit dicente Apoſtolo, Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Quòd ſi miſſi non fuerint; exprobrabit illud eis Dominus: Non miſi eos, neque præcepi, neque locutus ſum ad eos, & ipſi currebant; non vocabam eos, & ipſi reſpondebant. Signum autem vocationis eſt, non ambitione propriâ, ſed ſuperiorum voluntate hoc munus ſuſcipere, fructum facere, animas conuertere, & in ſe humilitatem experiri ac charitatem. Neque enim in maleuolam animam introibit ſapientia; neque Satanas Satanam eiicit, ſuperbiam ſuperbus, auaritiam cupidus.

Greg. hom. l. 10. Moral. c. 1.
Lucrum nullum doctor malus facit.
Seneca.
Nota.
1. Cor. 2.
Concionator vanus torquetur.
Chryſoſt. hom. 50.
Vocatio ad concionandum neceſſaria.
Epheſ. 4.
Ierem. 23.
Signū eius.

Et,vt Gregorius, inflammare auditores ſuos nequeunt verba,quæ frigido corpore proferuntur. *Domine Deus*,vt infrà p.471.

PVNCTVM III. Conſidera Primò IESVM, exemplar doctorum & concionatorum, & eorum qui alios erudiunt, quomodo & quando ad conciones proceſſerit: nónne poſt baptiſmum, & ad annum vſque trigeſimum in humilibus exercitatus, poſt ieiunium atque orationem quadraginta dierum? Cœpit enim IESVS facere, & docere. Humilitas enim maximè neceſſaria eſt, ne fiat quod Gregor. deflet: Oſſa ieiuniis atterimus, & mente turgemus; corpus deſpectis veſtibus tegimus, & elatione cordis purpuram ſuperamus; iacemus in cinere,& excelſa ſuſcipimus, doctores humilitatis, duces ſuperbiæ; ouinâ facie,lupinos dentes abſcondimus. Conſidera Secundò, quàm ſeuerum erit eorum iudiciū in die nouiſſimo, qui tot, perperam viuentes, protulerunt ſententias contra ſe. Toties enim ex ore ſuo iudicabuntur, quoties alios ad humilitatem & charitatem hortati fuerint. Propter quod, ait Apoſtolus:inexcuſabilis es,ô homo omnis qui iudicas:in quo enim iudicas alterum,teipſum condemnas. Quare, inquiet Dominus, enarraſti iuſtitias meas, & aſſumpſiſti teſtamentum meum per os tuum:tu verò oderas diſciplinam, & cum adulteris portionem tuam ponebas?Hos enim adulterare verbum Dei dicit Apoſtolus,quia,vt Gregor.non Deo filios gignere, ſed ſuam ſcientiam deſiderant oſtentare; plurima cum Phariſæis onera aliis imponunt, quæ digito nolunt attingere. Conſidera Tertiò, quantam gloriā verus verbi Dei prædicator conſecuturus ſit,iuxta illud Matth. 5. Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum:fulgebit certè vt ſplendor firmamenti,& qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

Actor.1. *Gregor.* *Turpe veſtem habere humilem & animū ſuperbum.* *Rom.1.* *Iudicium temerariū periculoſū.* *Pſal.49.* *2.Cor.2.* *Greg.l.8. Moral.c.25.* *Adulter eſt doctor vanus.* *Daniel. 3.*

Exer-

Exercitium.

DOmine Deus, in cuius manu ſunt omnes fines terræ, in cuius conſpectu totus mundus, quaſi gutta roris antelucani; priuſquam me formares in vtero, noſti me. Me noſti? imò amaſti, & vocaſti, vt annuntiarē nomen tuum fratribus meis. Me vocaſti? nónne vir pollutus labiis ego ſum, & in peccatis concepit me mater mea? Quis igitur ſum vt enarrem iuſtitias tuas, qui eheu! nō facio eas? imò cuius peccatis, & exemplo plures in interitum deturbari potuerunt! Quis ego ſum ego, vt annuntiē omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion? Et magis quis ſū ego, vt toties venias ad me, & poteſtatē mihi tribuas filium tuū fieri? repleatur os meum laude, vt cantē gloriam tuam, totâ die magnitudinē tuā. Certè vniuerſum orbē, quod B Catharina Senenſis de ſe, ſanctiſſima inquam, virgo fatebatur; mea malitia nata eſt velut peſtis, inficere. Quomodo ergo aſſumam teſtamentum tuum per os meum? quis ſum ego, canis mortuus, vt reſpicias ad me, & loquaris mihi? & per me ducantur ad te animæ iſtæ N. qui eheu longè ſum à te? Sed hodie, ſpero, de longè venies ad me, vt propè ſis, & viuam in te, & qui ſurdos facis audire, & mutos loqui, ſolues vinculum linguæ meæ, vt non loquatur os meum opera hominum: nihil enim niſi de cogitare, & loqui volo æternùm. Applicatio ad Communionem. Pſal. 70.

Audio infelix ego homo, IESV bone, per ſeruum tuū ſic te loquentē: Feci ego cælum & terram; eâ conditionis facultate te dono, vt terram facias cælum: accendi ego luminaria; accende & tu clariora illis: namq; potes his, qui in errore ſunt, lumen veritatis accendere maius iſtud beneficium eſt, quàm ſolē intueri. hominem facere non vales. at iuſtum gratumq; mihi potes efficere: ego ſubſtantiam feci; tu exorna propoſitum: vide quam te diligam, qui maiora tibi faciendi poteſtatem tribuo. Video, Domine, & gratias tibi ago toto corde, ſed, vt nouit diuina bonitas tua, neſcio loqui; & ſcio certiſſimè, quòd nihil poſſim ſine te, nullū verbum proferre, quia puer ſum ego, & miſerabilis abſq; te: & verè ſine te peccator grauiſſimus, peſtis certiſſima futurus, vt non ſit, vnde me extollam. ſine te enim verè nihil poſſumus, & nemo poteſt venire ad te, etiamſi Nota dignitatem eius qui aliū docet. Humiliatio ſui.

omnia adhibeantur, niſi gratia tua traxerit illum. Mitte ergo, Domine, manum tuam, & tange labia mea, vt auferatur iniquitas mea; tange os meum, & pone verba tua, ſicut gladium acutum, in eo. Sis tu, Domine, in ore meo; doce me quid loquar, vt euellam, deſtruam, diſperdam, diſſipem, ædificem & plantē, nō aſperè aut ſuperbè, ſed in viſceribus charitatis & amoris.

Ierem. 1.

Ecce bone paſtor, IESV dulciſſime mittis me ante faciē tuā, ad oues, quæ perierunt, domus Iſraël: concede mihi gratiam coram populo iſto, vt eundo fructum adferam, & fructus maneat, & ſemen centuplum afferat in virtute tuâ.

Pater ſancte, ſanctifica nos in nomine dilecti Filij tui, vt ſimus vnum, ſicut & vos. Sanctifica nos in veritate, quia pro nobis Dominus IESVS ſanctificauit ſemetipſum, vt ſimus & ipſi ſanctificati in veritate. Zelus honoris tui comedat me, vt te conculcantes, vel eò properantes amouere ſtudeam; caroq́; ſanguine redemptas ſponſas, tuoſq́; filios de hoſtium captiuitate educam in brachio tuo, qui ſceleribus meis eos perdere, & exemplo potui & conuerſatione. Ecce video ſtantes in crepidine abyſſi, & audio te Domine, vocantem, vt ſuccurram, hoc ſitis, Domine IESV: pro hoc mortuus es, & ego eo fine vocatus. Da ergo mihi Domine, in iis tuum ſanguinem intueri, tuam imaginem, non autē accipere perſonam hominum, ſed te, dulciſſime Redemptor mi; te, qui vbiq́; es, cui fieri ſcio, quod vni ex minimis factum fuerit. Da mihi gloriam tuam ſpectare, non meam quærere. Abſit, vt ego videri velim, vel laudari, & eſſe Luciferi mancipium, à curia cæleſti, & ab ipſis hominibus in die iudicij condemnandus. Propter te igitur, & tuā ſolius gloriam, quia ita placitum eſt tibi per obedientiam iubere clementiſſime, amantiſſime miſericordiſſime, hoc aggredior, in conſpectu tuo: adiuua me protector meus, & tu beatiſſima Virgo Maria, refugium meum. & vos Angeli Cuſtodes, & ſancti loci Patroni quotquot adeſtis, date veniam mihi peccatori enarranti iuſtitias Domini mei; benedicite mihi, & veſtris orationibus ſuccurrite. Amen. Aue Maria. Veni Creator.
Benedictionem pete à Domino, & B. Virgine. *Nos cum prole pia, &c. Angeli ſancti Dei, &c.*

Exerci-

Exercitium poſt concionem.

MAgnificat anima mea Dominũ Tua enim bone IESV, *manus fecit omnia; neq; enim verbum poſſumus ſine te, neq; ſufficientes ſumus aliquid ex nobis facere, tanquã ex nobis, ſed ſufficientia noſtra à te eſt. In quo ergo infelix gloriabor? Dixi, fateor; ſed ſi non habueris opera, dixit mihi ſeruus tuus Chryſoſt. non tantùm loquens non profuiſti, ſed & potiùs læſiſti. meliùs eſt tacere. Quare? quoniam opus mihi reddis impoſſibile. cogito namq; quòd ſi tu tanta differens nõ efficis, multò magis ego veniâ dignus. In quo ergo gloriabor infelix homo? an quòd homuncioni placeã, quod incertiſſimum eſt; & tibi, ac curiæ tuæ & omnibus Sanctis diſpliceam in æternum, & mercedem perdiderim ſempiternã? Tibi gloria, Deus meus; tibi gratias ago, Domine, qui dignatus es me vti ad miniſteriũ tuum, indigniſſimo ſeruo tuo, ore ſuperbo, & impuris labiis, ad annuntiandum in populo veritatem tuam.* Lucæ 1. Chryſoſt. homil. 38. ad pop.

Ecce enim video defectus illos N. commiſſos, neque zelo tuo vnico ſatis me moueri ſentio, neq; huic miniſterio dignè me paraui. O quot ſententias in tremendo iudicio recitandas, hîc contra me tuli! Etenim eheu aliud facio, aliud dico, ſepulcrum dealbatum. Impono grauia onera aliis, quæ digito nolo attingere. Et vt Hypocrita, trabem in meo oculo negligens, de alieno feſtucam eruere nitor: & quam aliis viam oſtendo, ipſe miſer negligo. Quomodo ergo poterit, Domine, arbor hæc mala bonos fructus facere, non niſi per te, qui radix es, qui me portas, qui iuſſiſti vt facerẽ? Obſecro te, ne propter me affligatur, aut impediatur in bono populus iſte: ſed errata mea emendet bonitas tua. ſi autem per eos ſtat, nec audiunt me, ſcio quia nõ eſt ſeruus maior Domino ſuo, neque diſcipulus maior illo qui miſit illum: ſi te perſecuti, dæmoniacum vocarunt; quid querar ego? potens es tamen, Domine, de lapidibus his ſuſcitare filios Abrahæ. Benedic igitur, Domine, & da benignitatem, vt hæc terra afferat fructum ſuum; & ſuſcipe obſequium meum manibus & meritis B. Virginis, & omnium Matth. 10 Matth. 3.

Sanctorum, maximè Angelorum Cuſtodum huius loci, & Patronorum; & in vnione prædicationis & paſsionis, & laborũ Chriſti IESV: *& à tentatione me libera protector meus, cui me totum, vſq; ad extremam ſanguinis guttam conſecro & deuoueo, licet indignum Maieſtate tua holocauſtum, Amen.*

Oratio breuior ante concionem.

DIgnus es, Domine, accipere omnem gloriam & honorem, vtinam omnes ad te creatorem ſuum conuertam! Eia, Domine, video vt infiniti pereant, tuo ſanguine & laboribus empti: & nemo poteſt venire ad te, niſi tu traxeris eum: quid ergo pollutis labiis & corde præſtare potero ſine te? da igitur mihi gratiam ad hoc, ad quod vocaſti me, & adſint mihi Angeli tui, vt ad tuam vnius gloriam fiant vniuerſa. Amen.

Oratio breuior poſt concionem.

Luc. 1. *MAgnificat anima mea Dominũ Tuũ eſt ô* IESV, *à quo omnis ſufficientia noſtra Ignoſce imperfectionibus meis, ne & conuertendis obſint, & repetas eos de manu meâ. Benedic, Domine, vt terra hæc afferat fructum ſuum, & vos Angeli ſancti Dei intercedite pro nobis. Amen.*

Praxis ad ritè concionandum.

Ambitia ad pulpita turpis & noxia.

PRima. Numquam ambi locum, pulpitum, aut cathedrã, ſed humillimè admitte; minùs frequentes opta ex humilitate; aliis maiores cede, quòd alios te meliores æſtimes, ac proinde Dei inſtrumenta aptiora. Vehementiſſimè autem abhorreat Dei ſeruus impedire, quo minùs gloria Dei per alium promoueatur.

Affectus induendus virtutis à concionatore.

Secunda. Nullam vnquam concionem habe, quin priùs ipſe imbiberis affectum erga illam virtutem, quam aliis commendatam eſſe deſideras. maximè zelum exacue, & charitatem excita erga proximum & humilitatem: vt dicere poſſis cum Apoſtolo: Teſtis mihi eſt Deus, quomodo cupiam vos omnes in viſceribus IESV Chriſti. 2. Cor. 9.

Tertia. Pœnitentiis atque mortificatione Dei gratiã ante concionẽ implora: grauiſſimam enim rem tractas, ſalutẽ pluris

pluſimarum animarum,quam oratione multâ & lachrymis a Domino impetrare debes,non dictione tuâ.ſtulto itaque labore conſumeris,ſi multum dictioni, parum orationi tribuas.Hinc videmus cōcionatores multos aliquando annos multos ſtudere & concionari fructu paruo; qui ſi ſpiritum orationis haberent, magnum facerent. Quis vt Gregorius, afferre ſoliti,quæ auditorum corda ad rependendas laudes excitent,non autem ad lachrymas accendant.Munus ſuum vt præſtet,ait Auguſtinus,magis pietate orationũ opus eſt, quã orationis facultate. Gregorius verò imitandum Chriſtum Dominum proponit,qui nocte orabat, per diẽ docebat,vt quieti contemplantes ſorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant appoſitè;ipſi enim haurire aſſiduè debent de fontibus Saluatoris, quod in pectora auditorum transfundant. Accedit, fruſtra concionatorẽ dicere,niſi Spiritus ſanctus cor præparet, & in te loquatur, & ad illud.Proponere quidem poteſt,ſed non aptè, neque quod exdedit,niſi per gratiam illius,qui omnium corda videt,& omnium corda habet in manu ſuâ.Ad hoc ſtatas habeat preces; quotannis,vt minimũ ſemel,in ſolitudine exercitiis vacet.Deniq; ſemper oret,& non deficiat; & maiorem ſciat curam in oratione, quam in præparatione ponendam. Etenim dicit Chryſoſtomus:Cùm video quempiã non amantem orationis ſtudium,neq; huius rei feruidâ vehementiâ; curâ teneri;continuò mihi palam eſt,eum nihil egregiæ dotis in anima poſſidere.Rurſum:vbi quem conſpexero inſatiabiliter adhærentem cultui diuino,idque in ſummis damnis numerantem, ſi non continenter orauerit; coniecto talem omnis virtutis eſſe meditatorem,ac Dei amicum. D.Bernardus ſeptem requirit quaſi gradus ad ſuggeſtum.Primus eſt,contritio; Secundus, deuotio; Tertius, pœnitentiæ labor;Quartus,pietatis opus;Quintus, orationis ſtudium;Sextus,contemplationis otium;Septimus,plenitudo dilectionis.

Vanitas multorũ. *Greg.l.8. Moral.c.26.* *Aug l.4.de doct. Chriſt.c.5.* *Greg.l.6. Moral.c.17.* *Dei eſt mouere cor.* *Chryſoſt.l.1 de orando Deo.* *Orationis vis & ei inſtandũ.* *Septẽ gradus ad ſuggeſtum.* *Serm.18.in Cant.*

Quarta. Primò,oratione prę̨miſsâ,& intentione innouata,materiam diligenter conquire & diſtribue,ſcopo ſeu intentione deſtinata, ac deinde de illa meditationẽ inſtitue, Obſerua,eo pacto vtilem fore concionẽ, ſi formam meditandi ſupra poſitam ſecutus, ex aliquo loco ſtimulum petieris ad excitandos auditorum animos;certũ enim eſt,ſi in præſentia Dei,& compoſitione loci facta dixeris,ad Deũ ſæpè etiã inter dicendum oculos & animum attuleris,efficaciter te dicturum Præparatione igitur præmiſſa,cùm tẽpus inſtat,ad orationem confuge:& Primò, conſidera Dei Maieſtatem,& intentionem rectam.Secundò,peccata tua, & ine-

Praxis varia ante in, & poſt concionem. *Quomodo quis dicere queat efficaciter.*

Gregor.l.3. Moral.c. 12.
Arrogantia concionatorum noxia.

& ineptitudinem tuam, & te humilia ſub omni creaturâ, omnes te æſtima meliores; tibiq́ue prorſus diffide, Deoq́; confide. Habet, inquit Gregorius, doctrina arrogantiam, vt humiliter nequeat inferre quod docet; in verbis enim eorũ proditur, quod cùm docent, quaſi in quodam ſibi videntur ſanctitatis culmine reſidere. Tertiò, conſidera miſerias hominum, & peccata plurima, & numerum innumerum propè pereuntium, & dolores ac labores Chriſti IESV, & zelum excita. Conſcenſurus ſuggeſtum, iterum te humilia; Secundò, intentionem ardenter renoua, dicendo: *Munda cor meũ, ac labia mea*, &c. Tertiò, inuoca omnes Angelos præſentes auditorum. Inter dicendum, Dei præſentiam, quo ad potes, habe; ad eum ſæpè animos attolle.

Nunquam ſine fructu concio dimittenda.

Nunquam concionem deſeras, quin efficias, vt auditores aliqua proponant, & ipſe pro iis, quaſi Deo offeras; qui vnus eſt & perpetuus fructus concionis, ſicut eleëmoſyna, & oratio. Verbi gratiâ, dixiſti de charitate inimicorum, offer Deo aliquos actus virtutis illius ex parte auditorij, quia legatione fungeris pro eo, obiectiones dilue corã Domino, per apoſtrophem, vel aliter. Poſt concionem, gratias age Deo, eiq́; totum tribue, & roga, vt dignetur benedicere opera manuum tuarum. Diligenter autem vita plauſum, eiuſq́; locum, & tempus. Ad omnem laudem cogita, *Non ego, ſed gratia Dei mecum*: vel ſimilem aliquam ſententiam. Certè qui ſe laudat, ferè ex ignorantia Deo detrahit, & quaſi calamo tribuit, quod ſcriptori debetur. Secundò, ad vituperia, ſi cauſſam non dederis, gaude: illud enim certum ſignum eſt profectus tui, & alieni. Numquã de tuis loquere. Tota Chriſtianæ ſapientiæ diſciplina nõ in abundantia verbi, nõ in aſtutia diſputandi, neque in appetitu laudis & gloriæ, ſed in vera & voluntaria humilitate cõſiſtit. Superbum enim Deus & homines deſpiciunt. Huc pertinet, gratulationes non admittere, quoad licet. Tertiò, paupertatẽ colas, particularia ne admittas: Gratis accepiſtis, gratis date, ait Dominus: & ſic libertatẽ ſerua Chriſtianam, & contentus eſto paucis, paucisq́; indigebis, viueſq́; nulli obnoxius, & omnibus carus. Neſcio enim, ait Hieron. quomodo etiam ipſe qui deprecatur vt tribuat, cùm acceperis, viliorẽ te iudicat, & mirum in modum, ſi eum rogantem contempſeris, plus te poſteà veneratur. Et ſic faciendo omnino, plus opere, quàm verbo; tacendo, quã loquendo proficies; ſicut plus confert virtutis, quàm doctrinæ opinio. latronem de iuſtitia dicentẽ ſpernimus: ita quemuis ea patrantem, vel appetentem, quæ vitanda proclamat. conuiuia, ſpectacula, ſæcularia negotia, per ſe patet quàm ſint vitanda.

1.Cor.15.
Laudator vanus Deo detrahit.
Vituperia ſignum profectus.
Leo.
Humilitas perfectio eſt.
Matth.10
Hieron. epiſt.2. ad Nepot.
Facta oportet loquantur.

Videre

Videre complura poteris in inſtructione B.P. Franciſci Borgiæ; item in oratione R.P. Caroli Regii. *Dignatus es, vt* ſuprà pag. 10.

IACVLATORIÆ.

SEruus qui ſcit voluntatem domini ſui, & non facit, plagis vapulabit multis. Lucæ 12.

Ego non quæro gloriam meam, ſed eius qui miſit me. Ioan. 8.

Si ego gloriam meam quæro, gloria mea nihil eſt. Ibidem.

In verbo tuo Domine laxabo rete. Luc. 5.

Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute quam adminiſtrat Deus. 1. Petri. 4.

Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Pſal. 113.

Et ſi tentatio ſurrepat:

Vade retro Satana: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Matth. 4.

CAPVT XXXIII.

Meditatio de Lectione pia, magno ad meditationem & perfectionem auxilio.

COMPOSITIO LOCI erit, conſiderare Deum præſentem, & in mundi creatione theſauros potentiæ & ſapientiæ, ac bonitatis ſuæ explicantem pro ſalute noſtrâ.

ORATIO: pete à Deo, vt det tibi intellectum de lege ſuâ.

PVNCTVM I. Conſidera quanta multitudo librorum toto orbe terrarum fuerit, videlicet propè infinita, & etiamnum ſit: quid verò illis continetur, & contentum fuit, niſi artium & ſcientiarum explicatio, & humanæ induſtriæ, potentiæ & iuſtitiæ monumenta. Quorſum hæc? inſpice. Nónne cùm omnia Deus operetur in omnibus, ipſe inſtinctus illos dedit, & ad labores ſuffecit animos eis ac vires, vt illa ſalutis auxilia tibi, & ſingulis hominibus per ſcriptores illos tribueret

ret, præteritarum inquam rerum memoriæ tibi & omnibus viuentibus præſentes res eas facerent, & magnalia eius enarrarent. gratias ergo illi age toto corde, & donis vtere. Deinde cùm loco paruo, ergaſtulo huius corporis incluſi ſimus, & neque oculis, neque cogitatione longè proſpicere poſſimus: vt ea quæ longè abſunt coràm eſſent, iiſque paſci in alienis ſcriptis poſſes, & malis ſimul ac bonis euentis ad ſalutem, quo ſpectant omnia, iuuari: cùm diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Adde, vt quæ ſingulis Deus communicauit non ex vanitate, ſed ſocietatis humanæ iure, communia ea eſſent; & quidem non temerè pronuntiata, ſed labore & meditatione multâ expolita. Vides quanta ſit prouidentia Domini in librorum ſcriptione, quàm ſuauis, quàm benigna? vtere igitur, & ſtatue tantum beneficium non negligere. Quid enim hoc eſſet? præſidium certè ad ſalutem non exiguum contemnere, idque aut quia homo per ſe ſolum ſapere ſe putat, quod extremæ eſt arrogantiæ, aut, quod non minoris dementiæ, quia ſapientiam ac prudentiam diſcere, parui facit; aut certè quia tempus illi tribuere piget: enimuerò, ſi conſiderares, quanto ſuauius cum mortuis, quàm cum viuis eſſet colloquium, nec fabulas, nec ludum lectioni præponeres. illi enim iucundam tibi omnium temporum (& ſimul ferè) ſeriem repræſentarent, illi naturæ ſeu potiùs auctoris eius arcana patefacerent, illi gratiæ portentis in admirabilem diuinæ potentiæ abyſſum conſiderationem deducerent. *Hæccine vera, &c.* vt ſup. pag. 7.

Neglectus lectionis vnde.

Suauitas ex lectione

PVNCTVM II. Conſidera quæ bona, quas pia lectio vtilitates habeat. Primò, intellectum illuminat; Secundò, voluntatem accendit; Tertiò, memoriam optimis imaginibus, id eſt, templum animæ noſtræ exornat, vereque diuitem hominem facit. Nónne enim præſtantiores opes rerum cognitio, quàm terræ, lapi-

Lectionis piæ vtilitates.

lapidum, &c. poſſeſſio? Intellectum dixi illuminare: videbis enim in eâ, ex præteritis quæ tibi futura, quæ tibi prouidâ mente cauenda, te tibi in alio, velut ſpeculo, intuebere: te noſces, vt Gregor. libro 1. Moral. Hieronym. verò epiſt. 143. ad virg. Demetr. dicit, Optimè vteris lectione diuinâ, ſi tibi eam adhibeas ſpeculi vice. Erit tibi etiam pro concionatore, conſiliario bono, admonitore qui liberè moneat, quod alij non audent. Denique poteris ex omnibus ad Dei cognitionem aſcendere. Expende hæc, & non mirabere, ſi dæmon tanto conatu à bonorum librorum lectione adoleſcentes, viros, feminas, magnates diuertat, ne ſcilicet in bono opere ſe inſpiciant, ad cor redeant, & ad Deum ſuum. Omnis enim ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Illud fateor quidem de ſacrâ dictum eſſe, ſed ad aliam etiam, quando bona eſt, poteſt transferri: nemo enim bonus, niſi ſolus Deus, & quæcumque bona & vtilia, ab eo ſunt. Conſidera igitur illa verba, & vtilitates ſacræ Scripturæ expende, & quantum ſtudium ſit ponendum in ea. Eſt enim ſacra Scriptura, Primò, lux & lucerna pedibus noſtris. Lucerna, ait Dauid, pedibus meis verbum tuum. & Apoſtolus Petrus: Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benè facitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris. Secundò, eſt hæreditas à Deo nobis relicta; vnde dicebat Dauid: Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua, & diligebat ea ſuper aurum & topazion. Tertiò, eſt via: quis autem peregrinus de ea ſollicitus non eſt? Hæc eſt via, ait Iſaias, ambulate in eâ, & non declinetis neque ad dextram, neque ad ſiniſtram. Quartò, quia ſpiritus & vita eſt in iis (ſic enim Dominus Joannis 6. Verba mea, ſpiritus & vita ſunt) & amoris

Gregor.
Hieron.
Dæmon lectionis ſtudium odit.
2. Tim. 3.
S. Scripturæ laudes.
Pſal. 11.
2. Petri 1.
Eſt lux, & ſpiritus, & vita.
Pſal. 118.
Iſaiæ 30.

cum eo colloquente, eoque inſtructionem petente, aperuit hic librum, & opportunus occurrit locus: Oculum qui ſubſannat patrem, effodiant eum corui de torrentibus; atq; ita eius vulneri tacito medicina propoſita diuina ac ſuaui prouidentiâ. Quâ etiam D. Antonius, audito hoc verbo: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus; jecit primum fundamentum illius faſtigij, & turris perfectionis, quam deinde ædificauit. *Prou.* 30.

Septima. Quemadmodum autem talis quiſque eſt, quales amici: ita talis, quales libri, quos legit: vide ergo qualem teipſum velis, qualem vxorem, filios, & ea lege, quæ pietatem ſpirant, non vanitatem; caſtitatem, humilitatem, non verò his aduerſantia. Si enim corrumpunt bonos mores colloquia praua, decuplo magis perſæpè lectio, quia vbique obuia, quia verecundia eam non prohibet, comit induſtria, condiuit & condit diaboli verſutia. *Lectio malorum librorum peſtis eſt.* *1. Cor.* 15.

Dignatus es, &c. vt ſup. pag. 10.

JACVLATORIÆ.

D*A mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.* Pſal. 118.

Viam iuſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Ibidem.

Dirige me in veritate tuâ: doce me, quia tu es Deus Saluator meus, & te ſuſtinui totâ die. Pſal. 24.

CAPVT XXXIV.

Meditatio prima de Perſeuerantiâ, ſingulari auxilio in viâ virtutis.

COMPOSITIO LOCI, eſt, conſtituere ſe coram Chriſto crucifixo, qui vt omnia conſummauit, ita illuſtre illic perſeuerantiæ dedit exemplum.

ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera, quòd perſeuerantia ſit in ratione bene conſideratâ ſtabilis, ac perpetua permanſio, non obſtante difficultate diuturnitatis. Percurre hic propoſita ſancta tua, & vide quantâ, & quàm frequenti conſideratione ea decreueris; quàm verò inconſtanter ea proſecutus ſis; & ſi vel vnum vitium conſtanter quotannis conatus fuiſſes extirpare, quantus modò fores! Secundò ſcias Deum vnumquemque vocare non tantùm ad ſtatum certum, ſed certam viam, & ſemitam & gradum in hoc vel illo ſtatu: quæ ſunt exercitia aliqua, quibus ſi homo inſiſteret, ad perfectionem venire poſſet, & non aliter. (varia enim dona ſunt, & diuiſiones gratiarum, etſi vnus Spiritus.) Hinc verò ferè eſſe principium apoſtaſiæ, à fine & religioſa vocatione, quòd parua in ſpeciem propria ſtatui; re verò magna negligantur & interrumpantur exercitia, atque fluxus diuinæ gratiæ retardetur. vide igitur ad quæ bona propenſus, quæ tibi magis neceſſaria.

Quid ſit perſeuerantia.

Thom. à Kempis, l. 1. cap. 21.

Cuique gratiæ datæ cooperandum. 1. Cor. 12.

Haccine vera, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM II. Conſidera neceſſitatem huius virtutis, etiam in paruis: qui enim perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus erit. Quod, etſi de finali in bono perſeuerantiâ dictum; tamen ad alia pertinet exercitia: in quibus ſi inconſtans fueris, finalem aliquâ etiam ratione perſeuerantiam labefactas, cui vt calcaneo diabolus inſidiatur. Deinde, vt Laurentius Juſtinianus, virtus laudem non meretur, niſi in eâ vtiliter perſeueretur. Sicut non ſatisfacit partem debiti ſoluens, nec qui partem

Matt. 24.

Laur. Iuſt, de ligno vitæ tract. de obed. c. vltim.

tem itineris conficit, peruenit; nec qui partem ſtadii decurrit, brauium capit. Quid ergo hi faciunt? Labore ſeſe fatigant prorſus inani, ac pleno inſuper ignominiâ, defectu perſeuerantiæ. Bonum enim inchoare, & malo fine concludere, quid aliud eſt quàm monſtroſas res conficere? Illa enim actio quaſi chimæra eſt, quæ initium quidem habet à ratione, ſed finem à ſenſualitate Prorſus abſque perſeuerantia. nec qui pugnat, victoriam, nec palmam victor conſequitur. Vigor virium, virtutum conſummatio eſt (vt Bernard.) nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium. ſoror eſt patientiæ, conſtantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, vnanimitatis vinculum, propugnaculũ ſanctitatis. Tolle perſeuerantiam, nec obſequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.

Perſeuerantia neceſſaria in omni re.

Aug ſer 8. ad fratres Eremo.

Bern epiſt. 10. ad Ianuenſes.

Credo tibi, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM III. Conſidera Primò, quàm turpe ſit, inſtar arundinis vento agitatæ multa inchoare, nihil perficere: vt patet ex ſimili, ſi quis in vniuerſo omnia inchoata videret. Secundò, quòd omnis labor irritus ſit, &, vt ita dicam, impenſa gratiæ perdita, dum ſemper ſtruimus, & mox deſtruimus. Tertiò, attende relabentem facere perinde, ac ſi proditor poſt veniam à Rege adoptatus, iterum incipiat rebellionem moliri, & Regis cædem: etenim peccator, culpâ mortali Chriſtum ſubimet crucifigere dicitur. Quamuis autem venialibus peccatis atque imperfectionibus Dominus JESVS non crucifigatur; tamen quia, per illa ad mortale diſponitur homo, eò quòd charitatis vigor ſenſim imminuatur, etiam ad illud facinus tendere videtur. Quartò, conſidera, optimam vitæ rationem, conſtantiâ & conſuetudine valde facilem fieri; at contrà ſemper inchoantem, ſemper eſſe diſcenti ſimilem, omniaque difficilia experiri. Igitur ſic ſtatue: Ecce ſtadium ingreſſus ſum: quid ergo? cupióne rapere brauium? ſi volo; vtrum præſtat? vno menſe vel altero ſtrenuè laborare,

Labor omnis inanis abſque perſeuerantiâ.

Inconſtans proditionem moliri videtur.

& poſtea in ſummâ quiete viuere; an ſemper in ſchola Chriſti diſcere, & numquam ad ſcientiam peruenire; ſemper ſerere, & non metere: fodere, & aquam non inuenire: ædificare, & numquam conſummare, vt domo frui poſſim, ſed iniuriis aëris expoſitum manere? Quintò, conſidera perpetuum, & ſibi ſimilem cælorum motum, anni tempeſtates; & cætera à creatore noſtro, perpetuo quodam ordine ac modo gubernari; omnia in pondere, numero & menſurâ, etiam minutiſſima quæque eſſe facta, vt nos etiam accurati eſſe diſcamus, & ab omnibus creatis ad id inuitemur. talia commoda & incommoda conſtantiæ & inconſtantiæ percurre.

2. Tim. 3. Quàm miſerum ſemper ire, & non peruenire.

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ fide*, vel, *O Rex Regum*, vt infrà 492.

Meditatio Secunda.

Inconſtans dupliciter laborat.

PVNCTVM I. Conſidera, quid ſit, quod in exercitio virtutis te inconſtantem efficiat. Primò, fortè eſt laboris fuga; ſed ſi inſpicias, illum hoc pacto eo plus auges, quo facilius domum conſeruare, quàm ædificare; ſeruare ſanitatem, quàm recuperare; cauere lapſum, quàm ſurgere. ergo vide, an præſtet declinare paruum laborem, & grauem admodum, ac intolerabilem propè ſubire, vt inconſtans facit. Vel Secundò, fit ob judicia hominum, & ſermones. O quæ dementia! aduerte eum, qui ſuadet vel cogit interrumpere, grauiſſimè tibi nocere, quacumque ſpecie id faciat, ſeu amici, ſeu aduerſarii. quòd ſi verè talis non eſt, ſaltem ab aduerſario tuo capitali diabolo ſubornatus eſt, vt in viâ deficias, ne ducem IESVM conſtanter ſequaris, ac tandem, fractus moleſtiâ, ex paruo profectò naſci ſolitâ, ab eius ſequela nauſeabundus abſcedas; nam qui contemnit modica, verè (vt Scriptura loquitur) paulatim decidit. Videtur huiuſmodi perinde facere, ac ſi cataractam diu retentam, molæ verbi gratiâ vertendæ, ſinat elabi. O quanto

Iudicia hominum contemne.

Eccli. 19.

id ferres? At Deus, Rex regum per filium ſuum tibi miſit ſacras Litteras: dictauit, eructauit abſcondita à conſtitutione mundi; & vix aſpicere libet? Audi igitur quiſquis es: & ſi libet epiſtolas legere amici, procuratoris, & viliſſimorum hominum, non pigeat legere Dei, ſed accuratè lege, quoniam jota vnum, aut vnus apex non præteribit, donec omnia fiant. Libet legere geſta hominum? ecce Dei hìc ſunt. verba eorum? hìc Dei ſunt. prudentiam eorum? hìc Dei ſapientia eſt. bella eorum? hìc de tuis cum dæmone inſtrueris. remedia malorum temporalium? hìc habes & ſimul æternorum. *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Hæccine firmâ fide, &c.* ibid.

Matth. 4.
Lectio eſt animæ cibus.
Deut. 8.
Sap. 16.

Pvnctvm III. Conſidera Primò illa verba: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei; & lectionem cibum eſſe animæ diſce. Secundò, eſſe velut manna, omne delectamentum & omnis ſaporis ſuauitatem in ſe habens, deſeruiens vniuſcuiuſque voluptati: quanto igitur ſtudio manè illud colligere deberemus, eoque veſci! Verè enim dixit Hugo: Sacra Scriptura eſt liber vitæ, cuius origo æterna, cuius incorporalis eſſentia, cuius cognitio vita, cujus ſcriptura indelebilis, cuius inſpectus deſiderabilis, cuius doctrina facilis, cuius ſcientia dulcis, cuius profunditas inſcrutabilis, cuius verba innumerabilia, & vnum tantùm verbum omnia. Nihil in hac vita dulcius ſentitur, nihil auidiùs ſumitur, nihil ita mentem ab amore mundi ſeparat, nihil ſic animum contra tentationes roborat, nihil ita excitat & adiuuat ad omne opus, & ad omnem laborem, ſicut ſtudium ſacræ Scripturæ. Etenim in ea quidquid docetur, veritas; quidquid præcipitur, bonitas; quidquid promittitur, felicitas eſt. Nam Deus veritas eſt ſine fallacia, bonitas ſine malitia, felicitas ſine miſeria. Idcirco quod Ariſtoteles de Philoſophiâ, de hac vna verè dici poteſt: Qui voluptate, ait, frui, & triſtitiâ carere velit, nullum aliud eſſe remedium quàm Philoſophiam: eius enim mul-

Hugo de arca Noë, S. Scripturæ præſtantia.
Idem lib. de anima.
S. Scriptura magnũ ſolatium.

tas & magnas eſſe delectationes, certum eſt. Quid igitur iuuat, quid prodeſt, in mundanis proficere doctrinis, & inaneſcere in diuinis? caduca ſequi figmenta, & cæleſtia faſtidire myſteria? Conſidera Tertiò, hoc eſſe vnum, inter præcipua ſalutis media. Sic Auguſtino vt conuerteretur cælitus inclamatum: Tolle, lege; tolle, lege; legit, & intellexit viam mandatorum Domini. Sic illi, apud eundem, Nobiles cum B. Antonij vitam legerent, conuerſi, à ſponſis, à ſæculo ad Religionem perducti fuêre: ſic S. Pater Ignatius. Sic Eunuchus legit Iſaiam, miſſuſque ei Philippus interpres. Conſidera igitur, Deum quaſi carmine, vt ſic loquar, inuitari, quoties de eo ſermonem legimus, aut facimus. Aduolat ille amator hominum, benigniſſimus. IESVS, vbi duo congregati ſunt in nomine ipſius: ſaltem corpus & anima. Quartò, præterea eſt velut epiſtola amatoria Dei ad animam; & quomodo poteris deſpicere eam? Auguſtin. ait, Diuinæ Scripturæ, quaſi litteræ, de patriâ noſtrâ ſunt. Immò verò, quotquot libri, veræ ſunt epiſtolæ: quibus innumeris modis ſuam Deus tibi, vt eum ames declarat potentiam, ſapientiam & bonitatem. O quanta dignatio! quantus amor Dei noſtri! O Domine, quid eſt homo, quòd memor es eius; aut filius hominis, quoniam reputas eum? Tenenti ergo codicem, ait Hieron. ſomnus obrepat, & cadentem faciem pagina ſancta ſuſcipiat. Quintò, eſt etiam cum Deo colloquium. Cur non, ait, Ambroſ. illa tempora, quibus ab Eccleſiâ vacas, lectioni impendas? cur non Chriſtum reuiſas? Chriſtum alloquaris? Chriſtum audias? Illum alloquimur, cùm oramus; illum audimus, cùm diuina legimus oracula.

Auguſt. l. 8 Conf. c. 12.

Exempla eorum qui conuerſi per lectionem.

Actor. 8.

Deus adeſt pia legenti.

Auguſt. ſer. 56. ad Fratres

Hieron.

Ambroſ. l. 1. Offic. c. 20.

Lectio eſt colloquiũ cum Deo.

Oratio

Oratio poſt lectionem.

IN capite libri huius ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam; Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei. Concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore, cognoui enim Domine, quia æquitas iudicia tua: ſed cùm non ſimus ſufficientes aliquid facere vt oportet ex nobis, da mihi gratiam, vt quod ſcio & deſidero, faciam ad gloriam magni nominis tui. Amen. Pſal. 39. Pſal. 118.

Praxis ad librum ſpiritualem legendum.

PRIMA. Cura pios ac bonos libros, & libellos comparari, immò pro munuſculis diſtribue. De Alexandro legitur, quòd Darii myrothecium precioſiſſimum dederit Homero ſeruando, eumque ſecum tulerit ſemper, ſub ceruice habuerit dormiens, vt euigilans ad manum eundem haberet. O quantum confundit huius diligentia in re vanâ, noſtram in ſalutis negotio inertiam! Sanctus Chryſoſtomus verò de Eunucho Candacis Reginæ, quod ad rem noſtram facit, loquens: Ecce, ait, hic Eunuchus, & Barbarus erat: quæ vtraque ad legendum negligentiorem vt redderent ſufficiebant, & ad hæc dignitatis amplitudo, & opum abundantia: adde, quod & in itinere erat, & curru ferebatur: attamen deſiderium & ingens ſtudium, omnia obſtacula è medio auferens, in lectione retinebat. *Exemplum Alexandri & Eunuchi legētis. Chryſoſt. 35 hom. in Gen.*

Secunda. Statue tibi certum tempus quocumque in ſtatu ſis, legendi quotidie aliquid ad ſalutem tuam: neque periiſſe illud arbitrabere, ſi quæ dicta ſunt, expenderis. Hoc in omni ordine benè ordinato ſeruatur. Immò etiam ſi paterfamilias es, cura communiter familiæ commodo tempore aliquid legi. Poteris etiam facere, vt ex lectione priuata, quilibet aliquid in commune poſt menſam proferat, vt in Galliâ à viris etiam principibus fieri ſolet. Utinā & in omni Religione, in quibus Scripturæ ferculū ferè ſuper menſam proponitur, imò & eius explicatio; vtinam, inquam, de parte aliquâ ſermo poſt eam inſtitueretur! ſanè ſuauiſſimus fructus atque vtiliſſimus illius exercitationis foret. *Statue lectioni tempus vt cibo.*

Parãt à te Deus meus? Ecce N. nugæ nugarũ, & vanitas vanitatũ ne perueniã ad te: pudet me ignauiæ meæ priſtinæ, & frigoris mei, ô ignis qui ſemper ardes, & numquã deficis. at ex nunc opto te, & maximos Martyres in rebus ſaltem paruis ſic N. imitari, ego imbecillis ſeruus tuus per gratiam tuam, vt placeam tibi Deo meo. Eruntne conſtantiores, fortiores ac prudentiores filij ſæculi, mancipia diaboli, quàm ſerui tui? tolerabunt illi omnia pro ſupplicio, & ego nihil pro æterno præmio? Sedulò illi facient omnia pro leone rugiente in ſuã perniciẽ, & ego pro te, amantiſſimo Patre, benigniſſimo Rege, Redemptore meo, durum quid arbitrabor, & retrò reſpiciã?

O quàm vilis facta es anima mea, iterans vias tuas! Ecce, ſi quæ deſtruxi, iterum hîc reædifico, præuaricatorem me conſtituo; & ſi immundus ſpiritus exierit à te, & reuerſus fuerit, erunt nouiſſima tua peiora prioribus. Teneamus ergo viam noſtram, & ſi ſpiritus poteſtatem habens aſcenderit ſuper nos, ne dimittamus locum noſtrum, ne deſeramus IESVM *Dominũ noſtrum. Væ enim his qui perdiderunt ſuſtinentiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas.* Matth. 12 Eccli. 2.

Applicatio ad Communionem.

Quid facietis cùm inſpicere cœperit Deus, & ponere rationẽ cùm ſeruis ſuis de tot gratiis & donis? Quid faciam, cùm ſcrutari me incipies, & renes meos, an ſincerè amem te, qui ſic me amaſti? an quæram te, qui ſic quæſiſti me? an ſic delectet me eſſe tecum, & ſuſcipere te quotidie ſicut tibi infinitâ dignatione deliciæ ſunt, eſſe mecum & participem me facere corporis & ſanguinis tui? Confuſio operuit faciem meam, & dixi; Ecce nunc cœpi, & diligo te toto corde meo, & ſtrenuè te ſequi volo. An ad hoc veni, ô bone IESV, *vt ignauus ſim miles in caſtris tuis? Ecce te præſentem vbique ac ſemper habeo; & à cruce hac N. per te miſſâ aut virtutis moleſtiâ fugitiuus & impatiens ero? téue derelinquam fontem aquæ viuæ, & quæram ciſternas quæ non valent continere aquas? ſeruiámne creaturæ potiùs quàm creatori? alterutrum eorũ, & vel æterna: vel momentanea eligere hodie debeo: nemo enim potiri vtriſque poteſt, nemo duobus ſeruire dominis. Elegiſti verò me in ſeruum miſericorditer, ideoq; per tuam gratiam* Spes in Deo.

ad-

adhærere tibi nunc, & ſeruire volo perſeueranter, non dæmoni ac creaturæ.

Tolle me ſuper altitudinem terræ, ſubl`men ſuper omnia creata, in vertice quodam me ſtatue iuxta te, & nihil timebo, nihil cupiam, nihil detrectabo. Tu enim, ô IESV, *vnica es virtus mea, & in te omnia collocata ſcio, & omne bonum eſſe meum; ego propter te, & in te tranſgrediar murum; in te omnia potero, quando me confortare dignaberis, attendam ad patrem qui genuit me, attendam ad paßionẽ tuam durisſimam, & amoris pleniſsimam; quæ redemit me. quid eſt quod recuſare poſſum dum hæc cogito? quid appeteres? vanum honorem, fruſtum terræ, vilem voluptatem, ex creaturâ ſolatium? & quid difficile arbitrari pro te, mi bone* IESV *potero? ánne vſque ad ſanguinem reſtiti? aut vitæ periculo me pro amore tuo expoſui, vt facit omnis miles, & mercator plurimus? Et verò nónne ſanguini tuo debetur meus? Quòd ſi ita eſt, quomodo recuſabo quamcumque, Domine* IESV, *propter iuſtitiam & pietatis ſtudium, perſecutionem pati? abſit vt nullum opus difficile exiſtimem, ullum munus, officium, accuſationem, contemptum. Ecce deſpicio libentiſsimè omnes vaniſsimos mundi honores, vt te conſtanter ſequar, & æternos conſequar. Vtinam haberem omnia, & contemnere poſſem omnia, per gratiam tuam, pro te! Vtinam poſſem omnis creaturæ affectu, diligere te ſuper omnia, momento vitæ huius! exemplo Martyrum N. dura pati conſtanter, & conſtantiâ Confeſſorum perſeuerare in exercitio virtutum iugitur, donec venias & aſſumas me ad te ipſum, donec ſis omnia in omnibus! O quando hoc erit.*

Adeſto Beatiſsima Virgo. Adeſte mihi fortiſsimi athletæ Chriſti IESV *Martyres. Adeſte Angeli, coram quibus hæc propono. Adiuua me, ô* IESV, *fortitudo mea, virtus mea, & gaudium meum, & timor meus, & omne bonum meum. Amen.*

Prax is

Praxis ad perſeuerandum in benè cœptis.

PRIMA. A prauis incipere,& mordicus,vt ſic loquar, ſeruare. Incredibile eſt,quanti hoc interſit;non multa, quod vulgò dici ſolet,amplecti; ſed ſtringere pauca. Melior eſt enim pugillus cum requie,& certa eius poſſeſſione,quàm manipuli. *Incboandum à paruus conſtanter.* *Eccleſ.4.*

Secunda. Diarium aliquod habere,& temporis diſtributionẽ;etiam ſcriptam(de quo infrà)ſeu vitæ legem, quam tibi dicas ac ſtatuas,quamq́ue ſequi velis. *Tempus eſt ordinandũ*

Tertia.Vti alias dictum,triplici modo conſtantia in humanis acquiritur. Primò,ex amore rei alicuius quam proſequimur:ideò magna opinio æſtimatioq́ue eſſe debet virtutis ac perfectionis Secundò,ex obligatione adiectâ,vel promiſſo, vel voto, vel iuramento. Promittere Superiori poſſumus tot de hoſte animæ victorias, vel familiari, & certare quaſi cum illo; vti & votum aliquod pœnale facere;vel certè ſeruenter ſibi ſi deliquerit ſtatuere ſpontaneã aliquam pœnitentiam. Tertiò,offerendo Deo coram Ven. Euchariſtiâ propoſitum aliquod quotidie. *Variæ praxes perſeuerátiæ.*

Quarta. Offerre Angelo Cuſtodi, vel ſanctis patronis, victoriarum ſui certum numerum. neque quieſcere, donec eumdem acquiſiueris. Sunt qui gerant ſacrum habitum certo tempore,& piè quidem; vtinam non veſtem ſolùm corporis,ſed animæ quoque conarentur acquirere, pœnitentiâ ſuſceptâ,donec in hoc vel illo ſe ſuperaſſent. Captiui alunt capillitum,obſeſſi continuant ieiunium, donec liberentur:quòd ſi & nos aſſiduâ mortificatione imitaremur,euaderemus vitiorum tyrannidem atque captiuitatẽ. *Conſtanter pœnitentia etiam amplectenda.*

Quinta. Perfectorum exempla ſibi proponere, ac magnanimitatem induere.

Sexta. Si quis aliquod exercitium anguſtiâ temporis prohibeatur facere vti decreuerat,ſaltem breuiter id faciat;ſi verò omiſerit,repetat, vt habitus retineatur; immò ſuperaddat aliquid vt defectus compenſetur,etiamſi nulla culpa interceſſerit. *Dignatus es*, vt ſup, pag. 10. *Habitus quærendus*

JACULATORIÆ.

Pſal.67. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, à templo ſancto tuo.*

Matth.11 *Dixiſti, Domine, Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud: dereliquerunt me vires meæ, adiuua me.*

Philip.3. *Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe: vnum autem, quæ quidem retrò ſunt obliuiſcens, ad ea quæ priora ſunt extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad brauium ſupernæ vocationis Dei, in Chriſto* IESU.

Ibid. *Non quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim: ſequor autem ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum à Chriſto* IESV.

Pſalm.79. *Deus virtutum conuertere, reſpice de cælo, & viſita vineam iſtam, & perfice eam quam plantavit dextera tua.*

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Se-

quanto tempore ac labore opus eſt, vt ceſſatio parua compenſetur! Simile idem habes in aliquibus opificibus, qui ignem perpetuum alere debent, quibus remiſſio parua, maxima iactura eſt, quos imitari diligentiâ debemus, atque ignem ſemel accenſum in altari animæ noſtræ, vt olim præceptum fuit, ſemper fovere. *Diligentia opificum eſt imitanda.* *Leuit.6.*

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

Pvnctvm II. Conſidera ſtultitiam eorum, qui perinde, vt Scripturæ verbis vtar, ac luna mutantur, inſtabiles ſunt, ac crebrò exercitia mutant. fruſtra enim hi ex præſumptione omnia ambiunt; ſæpe quæ audiunt, neque conſiderant vocationes eſſe varias, quodque vnuſquiſque donum habeat ex Deo, alius verò ſic. Laudet, ait Caſſian. aliorum virtutes, ipſe in ſua pergat, etiamſi vaccæ mugiant ſenſualitatis, improbitate laboris omnia ſuperanda. *Eccli.27.* 1.*Cor.7.* *Col.14. c.5.*

Credo tibi, &c. vt ſup. pag. 7.

Pvnctvm III. Conſidera Primò, quàm difficilis perſeuerantia, ac proinde verè glorioſa; multi enim vocati, pauci verò electi. Ex Saule exemplum pete, Salomone, Juda, Nicolao Diacono, Tertulliano, & Origene, & tot quotidie Religioſis. Secundò, quàm ſtudioſè eam Sancti coluerint, in eodem loco manentes, (nam,) vt Climachus, qui faciles ſunt ad mutationes locorum, improbi iudicantur) in magna auſteritate diutiſſimè viuentes, caſtitate ſummâ ac pietate. Dic verò tibi cum Auguſtino. Tu non poteris quod iſti, & iſtæ? Tertiò, quomodo Christvs Jesvs in finem perſeuerauerit propter te dicens, Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur? Et rurſus in cruce tibi dixit: Conſummatum eſt. Quartò, conſidera aduerſus puſillanimitatem prouidentiam Dei, & amorem erga nos; quodque in illo omni apoſſimus qui nos confortat. Attende verò in vitiis recidiuam, vt in febri peſſimam, fietique hominis illius nouiſſima deteriora prioribus, iuxta Euange- *Matth.22.* *Climach. grad.3.* *Aug.lib.8. Confeſſionum.* *Lucæ 12.* *Philip.4.*

 licam

licam parabolam. Namque ob ingratitudinem ex parte
Matt.12. Dei, emendatio fit difficilior; & ex parte dæmonis, quia ille potentior; & ex parte peccatoris, quia debilior. vnde Paulus, Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt
Hebr. 6. illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.

Aſpira, vt ſup. p. 8. *Hæccine firmâ fide*, &c. ibid.

Meditatio tertia.

Remedia efficacia ſunt quærenda.

Pvnctvm I. Conſidera, quæ remedia hactenus adhibueris ad ſuperandum te, vel virtutem acquirendam, quemq́ue profectum feceris; ſi exiguum, cogita an illud per ſe remedium ſatis ſit efficax, nec ne: ſi non, & nihilominus aliud pigeat adhibere, ex te percontare num velis illam imperfectionem expugnare, aut perfectionem acquirere. Volo, ais; Quare tibi ergo illudis? Quid enim? velle tibi is videretur ſanari qui remedia adhibita nouit minùs ſufficere, neque tamen alia quæ in manu habet vſurpare vult, aut applicari permittit? cui talis imponit, niſi ſibi, quaſi velit, & imperitis? Dicito verò mihi, ſi videres aliquem crebrò tentaſſe leuare graue pondus, aut promouere manu vnâ currum, vel boue vno aratrum trahere, neque poſſe; nollet tamen conatum maiorem, aut auxilia adhibere, illúmne velle diceres? Adde, ſi quis foret, qui vellet quidem extructum ædificium, neque tamen materiam aut operas conquirere, manumq́ue admouere ſtuderet, nónne ſtultè eum agere meritò diceres? id applica tibi, volenti turrim perfectionis ædificare. quâ in re certè perinde eſt, aut nulla adferre, aut efficacia nolle media adhibere: immò præſtaret omnino nihil tentare, quàm ſe fruſtrà fatigare, vanaq́ue ſui complacentiâ, maiori periculo ſe exponere, ac lento labore velut igne fruſtrà conſumi. *Hæccine vera*, vt ſup. p. 7.

Non vult ſanari qui remedia efficaciora non quærit.

Pvn-

PVNCTVM II. Cogita, Vel ego in hoc nunc ſuperare me volo, vel numquam. Si volo, potiùs iam pergere conſtanter debeo, priuſquam intepeſcat amor ac voluntas, & dum vita datur, & occaſio, dum vires animi corporiſque magis integræ, minùs per torpedinem ac inconſtantiam labefactatæ, minùs Deus à me offenſus per eam, à quo mihi omne auxilium meum. quorſum differo? nónne creſcit paſſio dum negligitur? dilatione & interruptione feruor charitatis minuitur? morbus grauior animi quo diutiùs in tepiditate manetur? Denique quid ex mora vtilitatis?

Vtendum occaſione & tempore.

Aſpira, vt ſuprà pag. 8. *Hæccine firmâ fide.*

PVNCTVM III. Conſidera, in omnibus difficilibus virtutum exercitiis eſſe tria, quæ permouere te debeant. Primum eſt neceſſitas duriſſimum telum; quæ hic ſine dubio inuenitur, cùm ſalui omnino eſſe velimus. certum autem multos, eò quòd initio ſeſe non ſuperent, deficere primò à vocatione, deinde etiam ſalutis facere naufragium. Secundum, iucunditas, quæ partam ſequitur victoriam; qui verò remiſsè agit, eſt frater opera ſua diſſipantis, ſemperque laborat, ac de fructu manuum ſuarum minimè comedit; contrà qui ſemel virtutis moleſtiam vicit, perpetuò felix & beatus. Tertius ſtimulus, eſt æterna gloria virtuti debita: ecce quàm multi, quàm fortiter in bello & aliis ſe gerant filii ſæculi pro vana gloria, te verò cur obſecro non excitat æterna? quid non fecerunt Martyres cum Chriſto iam in Cælis triumphantes? quomodo audebis cum illis & coram illis comparere, quos fortiſſima facta, duriſſima tolerata glorioſos efficiunt & coronant?

Neceſſitas nos impellat, oportet.

Prou. 18. *Iucunditas ex feruore & felicitas.*

Obſecro te, & moneo, qui hæc legis, vt qui Sodomam reliquiſti, ad montana feſtinans, poſt tergum ne reſpicias, ne aratri ſtiuam, ne fimbriam Saluatoris, ne cincinnos eius noctis rore madefactos, quos ſemel tenere cœpiſti, aliquando dimittas: ne de tecto virtutum priſtina quæſiturus veſtimenta deſcendas, ne de agro reuerta-

Hier. ep. 28. *ad Lucinium. Nota ſimilia.*

reuertaris, domum : ne campeſtria cum Loth, & amœna hortorum diligas, quæ non irrigantur de cælo, vt terra ſancta, ſed de turbido flumine Jordanis, poſtquam dulces aquas, maris mortui commixtione mutauit. Cœpiſſe, multorum eſt, ad culmen perueniſſe, paucorum.

Aug. ſerm. 8. ad fratres in Eremo.

O fratres mei, non tædeat incipere magna, nec faſtidio ſit retinere inchoata, ſcientes quòd perſeuerantia informat meritum, colorat bonum propoſitum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ducit ad brauium, conducit cunctos ad portum : hæc eſt tunica talaris S. Ioſeph, vſque ad finem contingens : hæc eſt tunica ſacerdotalis, vſque ad pedes perueniens : hæc eſt cauda hoſtiæ, quam tenemur reddere Deo, & offerre : hæc eſt calcaneum bonæ operationis, quod contra ſerpentis morſum debemus obſeruare : hæc eſt virtus, quæ Deum ligat, hæc eſt quæ omne bonum informat.

Exercitium pro perſeuerantia in via virtutis.

Epiſt ad Roman. & refertur à Hieron. l. de Scriptoribus Eccleſiaſticis.
Rom. 8.

O Rex regum, & Domine dominantium, verè tibi ſeruire regnare eſt; quis mihi det, vt ſincerè tibi ac perſeueranter ſeruiam, & oſtendam me verè ac ſincerè ſeruum tuum, fortia agendo, & dura tolerando? Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diuiſio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm Chriſto fruar, intonat generoſus Martyr tuus Ignatius. Inclamat verò Apoſtolus: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti, tribulatio, an anguſtia, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia, poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV *Domino noſtro. Me verò eheu! quæ non retardant, non propè ſeparant*

SECVNDA PARS
VIÆ VITÆ
ÆTERNÆ.

Benigne Lector, commodo tuo diuiſi hanc viam in partes duas, & aliqua capita hoc fine tranſpoſui: Vtere & fruere.

enim contingit præ ſterilitate, vt nullum formare conceptum, nullam rationem ritè expendere poſſint: atque ita ſit, vt voluntas arida fructus bonorum deſideriorum minimè proferat. Tollitur illud multiplici & attentâ conſideratione eorum, quæ omnibus communiter ſerendis, vel irrigandis virtutum ſeminibus inſeruiunt, vt ſunt loci aliqui diuinæ Rhetoricæ, ſeu orationis, v.g. mortis, aliorumque extremorum conſideratio: Chriſti & Sanctorum exempla, & alii quos infrà prolixè proſequitur.

Verumtamen, neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid; ſed qui incrementum dat, Deus: quem neceſſe eſt radiis ſuis animam illuſtrare, vt flores appareant, & fructus naſcantur in terra noſtra, & cum ſine adminiculis his meditari potes, non eſt quod ea requiras, ſed ſpiritum ſequere, & ductum illius. *1.Cor. 1. Nota diligenter.*

Dei itaque gratia in primis imploranda, quâ cum is, qui hâc methodo vtitur, facilè fructum è meditatione referet, & deſideriis piis animam irrigabit arentem, ſterilemque prole fœcundam reddet. Porrò ſuperiore libro cùm de oratione, tamquam opere ſatisfactorio actum eſt, dixi de præparatione ad eam atque ad meditationem; quæ proinde hîc repetere neceſſum non eſt, ſed peti inde poterunt, quomodo diligenda materia ac legenda, quo pacto meditatio ad defectus ſuperandos dirigenda ſit. Neque enim in genere propoſita in re morali, efficacia eſſe ſolent, ſed ad particularia deſcendendum. Hinc videre eſt, exercere ſe nonnullos in fragrantiſſimo horto virtutum, ac myſteriorum Chriſti; & tamen æquè arrogantes, ſuique amantes, irreſignatos, inobedientes, & ad externa ſolatiola effuſos, bonum Chriſti odorem à ſe minimè ſpargere. Sed hæc, & quæ ad loci compoſitionem, orationemque præparatoriam, aliaque huc ſpectantia, pertinent; ex priore libro, vt dixi, ſumi poterunt: nunc de meditatione ipſâ agendum erit. *Præparatio quæ neceſſaria.* *In meditatione ad particularia deſcendendum.*

De Meditatione eiuſque methodo.

Qualis cogitatio, talis fere homo.

NOTA, ô Lector, radicem & fontem omnis mali ac boni, felicitatis & infelicitatis tuæ, tuam eſſe cogitationem. hæc ſi mala, & voluntas tua eam ſequatur, malus es & infortunatiſſimus; ſi bona, taliſque voluntas tua, bonus & feliciſſimus. Vides quàm neceſſe piis cogitationibus mentem occupare, malaſque excludere frequenti meditatione & ruminatione.

Omnium eſt meditari.

Aduerte præterea voluntatem ab intellectu vix aliter flecti, niſi clarè proponat rei malitiam aut bonitatem, & quidem ſi crebrò, ſi diu, eò efficaciùs. Ecce id ſi facis, meditaris. Erras, ſi arduum aut nouum putes meditari, aut litteratorum; omni ſæculo etiam à ſæcularibus & indoctis id vſurpatum. Teſtis Dauid, teſtis Iſaac, qui ſub veſperam egrediebatur in agrum vt meditaretur. Et quis, obſecro, de ſalutis negotio non meditabitur, qui videt ſæculi filios in cauſis tractandis, opibus quærendis, & honoribus, totos propè dies mente meditari, ſeu occupari vt ea conſequantur? varios ergo meditandi modos accipe.

Gen. 24.

Modus meditandi facilis.

Primus.

Primus eſſe poteſt ſimpliciſſimus, humillimè ſe ſtatuere coram Deo, animo quieto ac corpore, & velut mendicum vlceroſum, vulnera ſua Chriſto Deo aperire, opemque implorare: vel nudum virtutum veſtes humiliter flagitare, vel inſtar ſponſæ charitate plenæ deſideriis ſponſum inuitare, & ad eum ſuſpirare.

Secundus.

Secundus modus. Accipe virtutem aliquam aut vitium, & examina te an ſigna & gradus eius habeas, atque contritione excitatâ, obſecrationibus & petitionibus flagita à Deo gratiam. Idem ferè facere potes, ſi beneficia Dei appendas, & tuam ingratitudinem; vel perfectiones diuinas, & defectus tuos iis contrarios, & auxilium ab omnipotenti poſtules.

Tertius.

Tertius. Sententiæ alicuius piæ ſingula verba ad ſe reflectendo expendere in præſentiâ Dei.

Quartus

Quartus & facillimus. Meditationes iam factas aut S, Scripturam, aut pium librum legere, mentemque eleuare, pedemq; affectus figere cùm ſapit, & cum Deo colloqui, idque aut alienis etiam & conceptis verbis, quibus affectus iuuari poteſt, & extendi. *Quartus.*

Nota tamen affectus proprios vnumquemque maximè iuuare, alterius verò, ariditati noſtræ & indeuotioni ſuccurrere, de quibus Dei gratiâ pluribus infrà. Nunc de meditandi methodo pluſcula & accuratiora proſequar.

Quid ergo Meditatio vel meditari? Eſt conſiderare cum animo ſuo, & velut in corde depingere myſterium, aut doctrinam aliquam è vitâ Chriſti, vel denique perfectionem Dei cum circumſtantiis perſonæ, actionum, verborum, loci ac temporis; eo fine, vt ex his velut floribus, dulciſſimum mel inſtar apum, id eſt caritatem colligamus, & aliquam inſtructionem ſeu virtutem, eiuſque ſtimulum adinueniamus, ad mores vitæ conformandos; & voluntatem inclinemus ac permoueamus ad propoſitam virtutem complectendam, ita vt inſtar auari omnia ad ſpiritualem vtilitatem noſtram referamus, ſiue de creaturâ aliquâ, ſiue de myſterio, ſiue Dei beneficio agatur. *Quid Meditatio.* *Vti auarus omnia ad lucrum refert, ita meditans.*

Dicitur Meditatio eſſe conſideratio ſeu intellectus operatio: poſtquam enim memoria rem repræſentauit, tum iterum intellectus velut quidam oculus, eam eiuſque partes ac circumſtantias contemplatur, perſonæ, loci, temporis, finis, ſiue quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando; ac diſpicit quid virtutis ex iis decerpendum ſeu proſequendum, quid verò vitii fugiendum, vt ſaltem (quam ſemper propoſitam ſibi velut finem creationis quiſque habere debet) homo conſequatur. Poſt hæc voluntas, perinde ac auditor, ea, quæ ratio dictauit ac iuſſit, quaſi manu apprehendit (aut certè nititur) irrito tamen conatu abſque Dei gratiâ, cùm nihil ex nobis tanquam ex nobis facere poſſi- *Eſt intellectus operatio.* *Voluntatis operatio.*

poſſimus. Intellectus igitur quaſi canis venaticus, feram ſuſcitat, quam voluntas inſtar accipitris nititur apprehendere. neque enim intellectus alio fine ſuum munus exequi debet quàm vt voluntas pium ad Deum ac virtutem affectum concipiat, vel eumdem augeat & accendat.

Triplex in meditatione affectus. Cui triplex via reſpondet. Triplex in primis affectus in meditatione exercetur; Primus, eſt doloris, Secundus, amoris virtutis; Tertius, amoris Dei; quibus viri ſpirituales tres animæ vias reſpondere dicunt, quarum Prima ſit, purgatiua; Secunda, illuminatiua; Tertia, vnitiua.

Purgatiua. Viam purgatiuam vocant, quando intellectus animæ peccati fœditatem proponit, vt illud deteſtetur, atque exterminet; quibus ipſa permota, affectuum ſuorum pedibus (vt ſic loquar) per voluntatem, abeat in timorem Domini, & à peccatis magnâ cum deteſtatione recedat.

Illuminatiua. Via illuminatiua eſt, quando intellectus voluntati proponit amandam pulcritudinem virtutis, omnique ſtudio quærendam, maximè Chriſti & Sanctorum exemplo; ita vt (quemadmodum de ſapientiâ loquitur Salomon) præponat eam regnis & ſedibus, & diuitias nihil eſſe ducat in comparatione illius. *Sap. 7.*

Vnitiua. Vnitiua via dicitur, quâ beneficiorum Dei & perfectionum conſideratione, voluntas in Deum fertur per amorem, eiuſque voluntati ſe conformat, atq; ad perfectam cum eo vnionem adſpirat.

Hinc apparet triplex affectuum genus, quod triplici viæ reſpondet, in plures diuidi poſſe.

Affectus viæ purgatiuæ. Affectus viæ purgatiuæ ſunt, pudor & confuſio de peccatis, dolor de iiſdem, & timor diuinæ iuſtitiæ, atque hinc mortificationis deſiderium, vt homo illi ſatisfaciat.

Affectus viæ illuminatiuæ. Illuminatiuæ, virtutum variarum amor, ſpes ac deſiderium eas acquirendi; rerum terrenarum & voluntatis

tatis propriæ abnegatio, imitatio Chriſti & Sancto-rum.

Unitiuæ verò, amor Dei, gratiarum actio, zelus animarum, admiratio, lætitia & gratulatio de perfectionibus diuinis, reſignatio, ſuſpirium ad fontem vitæ, & cæleſtem gloriam, &c. *Affectus vitæ vnitiuæ.*

Obſerua paſſim ſeptem ferè ſolùm vel octo affectus numerari, nempe præcipuos. Sunt vero ii, admirationis, compunctionis, compaſſionis, gratiarum actionis, ſpei, lætitiæ, amoris & imitationis, de quibus infrà fuſiùs. R. P. Alcantara omnem meditationem, in gratiarum actionem, ſui oblationem, & petitionem reſoluit. Certus omnino ordo obſeruari non poteſt; ſed Spiritus ſancti vnctio ductuſque ſequendus eſt. Id certum, quòd plenitudo legis ſit dilectio, atque ad eam diligendam meditationem omnem, imò omnes cogitationes, verba & opera. *Quot ſint affectus.* *Meditatio omnis ad amorem dirigenda. Rom. 13.*

Obſerua præterea, tribus illis viis S. P. Ignatij hebdomadas Exercitiorum reſpondere: purgatiuæ enim & eius affectibus prima ſubſeruit; illuminatiuæ ſecunda & tertia; vnitiuæ quarta eſt accommodata.

Quamuis autem meditationes & affectus ſingulis viis & hebdomadis proprii ſunt; in vnâ tamen eadēq; meditatione varii affectus illarum viarum concurrere ſolent: verumtamen in primâ hebdomadâ, ſeu viâ purgatiuâ potiſſimùm dolorem; in ſecundâ & tertiâ imitationem (qui affectus eſt illuminatiuæ) in quartâ ſeu viâ vnitiuâ amorem Dei meditans ſibi propoſitum habet. Verùm, vti dictum eſt, ferè ſemper & commodè hi affectus miſcentur eadem in meditatione, ita vt primò, meditans de virtute, quæ proponitur, hactenus neglecta doleat; deinde exemplo Chriſti ſe ad eius ſtudiū; Tertiò, amoris & gratitudinis affectu ad eam ſe exſtimulet. *Varij affectus concurrunt.* *Nota.*

De hâc meditandi methodo Andreas Capella fusè ſcribit in procemio ſuarum meditationum, etſi ille de quolibet Euangelio ſecundùm tres vias, tres item

Bonauent. diuerſas formet meditationes. Diuus autem Bonauent. in libello, qui dicitur, Paruum bonum, pluribus in hanc ſententiam ſic diſſerit: Ex his autem liquidè patet, qualiter ad ſapientiam ſacræ Scripturæ perueniri poteſt, meditando ſcilicet circa viam purgatiuam, illuminatiuam & perfectiuam. Et non ſolùm ſacræ Scripturæ continentia, imò omnis Meditatio noſtra debet veſari circa iſta. Nam omnis Meditatio ſapientis, aut eſt circa opera humana, cogitando ſcilicet quid homo fecerit, & quid debeat facere, & quæ ſit ratio mouens; aut circa opera diuina, cogitando ſcilicet quanta Deus homini commiſerit, quòd omnia fecit propter hominem, quanta dimiſerit, & quanta repromiſerit, & in hoc clauduntur opera creationis, reparationis, & glorificationis; aut circa vtrorumque principia, quæ ſcilicet ſunt, Deus & anima, qualiter hæc ad inuicem ſunt copulanda. Et in hoc debet ſtare omnis Meditatio noſtra, quia eſt finis omnis cognitionis & operationis, & eſt ſapientia vera, in quâ eſt cognitio per veram experientiam. In huiuſmodi autem Meditatione tota anima noſtra debet eſſe intenta, ſecundùm vires ſuas, ſcilicet ſecundùm rationem & ſyndereſim, conſcientiam & voluntatem. Nam in huiuſmodi Meditatione, ratio percunctando affert propoſitionem, ſynderesis ſententiando profert definitionem, conſcientia teſtificando infert concluſionem, & voluntas præeligendo defert ſolutionem. v. g. ſi quis velit meditari circa viam purgatiuam, debet ratio quærere, quid debeat fieri de homine, qui templum Dei violauit. Synderesis reſpondet, quòd aut debet diſperdi, aut lamentis pœnitentiæ purgari. Conſcientia aſſumit, Tu es ille; ergo vel oportet te damnari, aut ſtimulis pœnitentiæ affligi. Deinde uoluntas præeligit, ſcilicet quòd recuſat damnationem æternam, & aſſumit voluntariè pœnitentiæ lamenta. Juxta hunc modum in viis aliis incedendum eſt. Subnectit deinde quomodo per orationem perueniatur

Materia Meditationis ex S. Bonauenturâ.

ad

ad ſapientiam veram Poſtquam, inquit, diximus, qualiter ad ſapientiam veram peruenitur legendo & meditando, videndum eſt, qualiter ad ipſam peruenitur orando. Sciendum autem eſt, quod in oratione ſunt tres gradus, ſiue partes ipſam perficientes: quorum Primus eſt, deploratio miſeriæ: Secundus, imploratio miſericordiæ: & Tertius, exhibitio latriæ. Latriæ autem cultum Deo exhibere non poſſumus, niſi ab eo gratiam conſequamur. Miſericordiam verò Dei ad dandam gratiam non poſſumus inflectere, niſi per deplorationem & expoſitionem noſtræ miſeriæ & indigentiæ. Nam omnis perfecta oratio debet habere iſtas tres partes. non enim ſufficit vna ſine alterâ, nec perducit ad metam perfectam, & ideò hæc tria ſunt ſemper iungenda. Deploratio autem miſeriæ, circa quamcumque miſeriam ſit, ſiue pro perpetratione culpæ, ſiue pro amiſſione gratiæ, ſiue pro dilatione gloriæ, hæc tria debet habere, ſcilicet dolorem, pudorem, & timorem. Dolorem propter damnum, ſiue incommodum: pudorem propter opprobrium, ſiue inhoneſtum: timorem propter periculum, ſiue reatum. Ex memoriâ enim præteritorum oritur dolor, dum recordatur quid omiſit, quia præcepta iuſtitiæ: quid commiſit, quia prohibita culpæ: quid amiſit, quia gratuita vitæ. Ex intelligentiâ præſentium oritur pudor, dum attendit, vbi ſit, quia longè in imo, quæ fuerat propè in ſummo: qualis ſit, quia fœda in luto, quæ fuerat pulcra imago: quæ ſit, quia ancilla, quæ fuerat libera. Ex prouidentiâ futurorum oritur timor, dum præcogitat quò tendat, quia ad inferos properat greſſus eius: quid occurrat, quia iudicium ineuitabile, iuſtum tamen: quid aſſequatur, quia ſtipendium mortis æternæ. Imploratio autem miſericordiæ, circa quamcumque gratiam inuocetur, debet eſſe cum affluentiâ deſiderii, quod habemus à Spiritu ſancto, qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; cum fiduciâ ſpei, quam

Orationis partes tres.

Deploratio miſeriæ.

Imploratio miſericordiæ.

Rom. 6.

 habemus

habemus à Chriſto, quia mortuus eſt pro nobis omnibus; cum diligentiâ implorandi ſubſidii, quod quærimus à Sanctis omnibus. Quando enim hæc tria concurrunt, tunc imploratur efficaciter diuina miſericordia. Affluentiam deſiderij habemus à Spiritu ſancto, quia per ipſum ſumus à Patre in Filio prædeſtinati æternaliter: per ipſum ſumus renati in baptiſmo ſpiritualiter: & quia per ipſum ſumus congregati in Eccleſiâ vnanimiter. Confidentiam ſpei habemus à Chriſto Domino, quia pro nobis obtulit ſe in cruce in terrâ, quia pro nobis offertur à Matre Eccleſia in Sacramento altaris, in ſui memoriam, & quia pro nobis apparet vultui Patris in cælo in gloriâ. Diligentiam implorandi ſubſidii à Sanctorum conſortio habemus ab Angelorum miniſtrantium patrociniis, à Beatorum triumphantium ſuffragiis, & iuſtorum militantium meritis. Exhibitio autem latriæ, ex quacumque gratiâ Deus colatur, debet habere tria. Primò enim ob gratiam impetrandam, debet cor noſtrum incuruari ad Dei reuerentiam, & adorationem. Secundò, debet dilatari ad beneuolentiam, & gratiarum actionem. Tertiò, debet eleuari ad complacentiam, & mutuam allocutionem, quæ eſt ſponſi & ſponſæ, quam docet Spiritus ſanctus in Canticis. In quâ ſi recto ordine fiat, mira eſt exultatio & iubilatio: ita vt ducatur homo in exceſſum, & faciat animam dicere, Bonum eſt nos hîc eſſe. Et hîc debet oratio noſtra terminari: nec antè debet homo deſiſtere, donec ingrediatur in locum tabernaculi admirabilis, vſque ad domum Dei: vbi in voce exultationis eſt ſonus epulantis. Ut autem incurueris ad reuerentiam, admirare immenſitatem diuinam, & intuere modicitatem tuam. Ut dilateris ad beneuolentiam, attende benignitatem diuinam, & vide indignitatem tuam. Ut eleueris ad complacentiam, recogita charitatem diuinam, & conſidera tepiditatem tuam: vt ex huius collatione peruenias in exceſſum mentis.

Exhibitio latriæ.

Matt 17.

Pſalm. 41.

R.P. Arias

R.P. Arias in libello de modo meditandi, monet ſimiliter poſt virtutis exercitationem, & aliorum affectuum, ex conſideratione alicuius perfectionis diuinæ, amorem excitandum eſſe. Id vt clariùs adhuc appareat, attende Meditationem ad morum emendationem maximè inſtitui, ac proinde virtutem aliquam in eâ conſiderandam vel eliciendam: neque id otiosè tantùm; ſed reflectendo ad ſe, & videndo, quàm malè eam quis coluerit. Atque ita dolor primæ hebdomadę, ac viæ purgatiuæ affectus excitatur. Deinde proponat eam exemplo Chriſti & Sanctorum exercere, qui eſt imitationis affectus, ſecundæ & tertiæ hebdomadæ, ac viæ illuminatiuæ reſpondens. Tum amore Dei, & beneficiis eius, & conſideratione diuinarum perfectionũ, ſe ad caritatem accendat anima, quæ eſt quartæ hebdomadæ, & viæ vnitiuæ. *Quomodo in Meditatione ad ſe oporteat reflectere.*

Ferè igitur in primâ hebdomadâ propoſito vitio admiſſo, aut virtute omiſsâ dolor; Secundò, imitationis affectus; Tertiò, amoris ſequitur. In ſecundâ; Primò, imitatio exempli proponitur; Secundò, dolor & pudor de eo neglecto excitatur; qui etiam conſideratione beneficiorum Dei augetur: & denique amor accenditur. Quòd ſi perfectio aliqua diuina, vel beneficiũ ſit Meditationis materia. Primò, ad morem tendit Meditatio: Mox ſequitur dolor de præceptis amantiſſimi Domini neglectis. Denique imitatio Chriſti decernitur. *Ordo affectuum.*

Dixi generatim virtutem in Meditatione cum reflexione ad ſe eliciendam atque conſiderandam eſſe, antè omnia tamẽ fidei, ſpei & caritatis exercitiũ vſurpandũ: & verò id perfacile. Credere enim, certoque nobis perſuadere debemus, omnia propter nos quaſi ſolos (id enim valdè affectũ auget) ex ſummo amore creata eſſe à Deo, imò itẽ à Chriſto Domino geſta, dicta factaq; eſſe: atque ita fides exercetur, & viua efficitur. quod magnopere commendat Puente, §. 6. introd, & Barthol. Salutius in horto Orat. cùm verò animaduertimus facta *Fidei & ſpei & caritatis affectus extendendus.*

cta eſſe propter nos, ſpes & deſiderium imitandi facilè oritur ac denique caritas; etſi illa magis ſpontaneo Dei & Chriſti erga nos amore excitatur. Quòd ſi meditatio hoc pacto ad virtutem Theologalem, vel moralem exercendam dirigatur, ac voluntati proponatur, ita vt ab eâ ametur, vitiumque deteſtetur, fructuoſa ſemper meditatio futura eſt.

Quid appendendũ in ſententiâ meditandâ.

Quid ſi materia meditationis tantùm ſit ſententia aliqua? tum etiam virtus, quæ in ea commendatur, per circumſtantias conſideranda; quis, quid, vbi, cur, quomodo, quando, eam Chriſtus Dominus, aut Spiritus ſanctus per Apoſtolos aut Prophetas pronuntiârit. Si vitium in meditatione aliquod arguatur, & vel illud, vel virtus ei oppoſita pro materiâ accipiatur, tum, velut in imagine de ponderatione oſtenditur, vitium & virtus conſideranda, & ponderanda occaſio vtriuſque. At verò ſi aliquam creaturam contemplari libet, præter diuinas perfectiones in eâ elucentes, facilè inſtructionem aliquam, id eſt virtutem, ex eâ decerpes; vti docuit Chriſtus Dominus diſcipulos Deo confidere ex conſideratione volucrum cæli, & liliorum agri; dolorem verò, quòd impigrè virtutẽ in materiâ meditationis propoſitam vitâ tuâ non expreſſeris, excitabis: atque ita fit, quod D. Auguſtinus lib. de Spiritu & animâ c.70. meditatio parit ſcientiam, ſcientia compunctionẽ, compunctio deuotionem, deuotio verò perficit orationem.

Quid de virtute vel vitio.

Quid eliciendũ ex creaturæ conſideratione.

Matth. 6.

Auguſt. de Spiritu & animâ, c.70.

Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, apparet, quemuis ſeſe exercere poſſe eâdem meditatione in tribus viis, ſeu earum affectibus. Sed quia in iis perſeuerare ſæpè difficile, tria aduerte, quæ non parùm iuuabunt. Primum eſt, attende diligenter & ſuauiter circumſtantias exempli Chriſti, vel virtutis. violentia enim cauenda eſt, cùm animus ſuaui potiùs, & penitiore inſpectione circumſtantiarum virtutis propoſitæ moueatur, quàm violentiâ, & actuum ac propoſitorum iteratione.

Iuuantia ad perſeuerantiã in meditatione eiuſque affectu.

1. Attendere circumſtantias.

Secun-

Secundum, conſiderationes aliquas certas habere, & quaſi locos communes, quibus, vti Guilielmus Pariſienſis loquitur in Rhetoricâ ſuâ diuinâ (quâ modum meditandi tradit) orationem ſimul fœcundam & fructuoſam efficere poſſimus. Huiuſmodi locos ſuggerit D. Vincentius tractatu de vitâ ſpirituali, & alii. Videtur autem omnis quaſi meditatio in genere deliberatiuo uerſari: quia ſcopus eius qui meditatur, hic eſſe debet, pios affectus excitare, animum ſuum torpentem aut dubium, ad Dei laudem, ad virtutem propoſitam, & ſaniora conſilia capeſſenda adhortari, quod his quæ ſequuntur locis ſeu capitibus commodè fiet.

2. Locos certos habere.
Gulielm. Pariſien. in Rhet. div.
Vinc. tract. de vit. ſpir.
Praxis eorum quæ dicta.

Poſtquam enim in aliquo myſterio aut perfectione diuinâ, aut creaturâ, quam ſibi quis conſiderandam propoſuit, virtutem animaduertit, quam animæ ſuæ inſitam optaret; dolorem excitet, quòd eam non fuerit hactenus ſecutus, & ſequi proponat; ſed cùm id abſque Dei gratiâ nequeat, coram Deo humilitatem & diffidentiam ſui, & in Deo confidentiam exerceat.

Elicienda ac conſideranda virtus N.
Exercenda ſui diffidentia.

Deinde vt voluntatem accendat propoſito ſibi fine, Primò attendat, quæ commoda ad finem illum conſequendum ex virtute, quæ item ex vitio incommoda proueniant; & quænam vtriuſque ſint occaſiones.

Quibus mediis voluntas excitanda?
Attende 1. finē creationis; & quam virtus ad eum accommodata.

Secundò, ſi vlteriùs ſe permouere cupiat, cogitet quid amico ſe conſulenti ſuper virtute illa colenda ſuaderet, quâque ſimilitudine eam illi commendaret; atque idem ipſe facere decernat.

2. Cogita quid amico ſuaderes, & quo ſimili.

Tertiò, attendat quid in morte; Quartò, quid in iudicio feciſſe optabit, quamque diligenter virtutem illam N. tunc coluiſſe; ac demum Quintò, quid in omni æternitate.

3. Quid in morte 4. in iudicio, 5. in æternitate optares.

Sextò, quomodo Sancti exemplo ſuo in eâ N. virtute nobis præiuerint, quidue de eâ ſenſerint & ſcripſerint, quid item Philoſophi ac ſapientes viri.

6. Sanctorū exempla.

Septimò, reputare licet quâ pace, libertate & gloriâ fruatur, qui virtutem illam N. colit; & contrà quam inquie-

7. Expende pacem virtutis comitem.

inquietus, inhonoratus & obnoxius, qui vitio ſeruit.

8. Gaudium liquidum eiuſdem.

Octauò, quærat à ſe, quid tandem ſit, quod vt vitium virtuti N. præferat, inuitet; & comperiet, nihil eſſe niſi fœdam & fugacem minimè cor exſatiantem voluptatem. Aſſurgas igitur animo generoſo cum filio prodigo, & dicas: Potiùs per virtutem ibo ad fontem omnis boni, & hauriam aquas in gaudio de fontibus Saluatoris, & ſatiabor; quàm cœnoſo mundi lacu fruſtrà laborem ſitim per vitium explere.

Iſaiæ 12.

9. Exemplo Chriſti & doctrinâ te excita.

Nonò, ex Chriſti Domini vitâ virtutis N. propoſitæ exemplum eſt conquirendum, & ex ſacris Litteris maximè ſententia de eâdem, quòd ſumma ſemper earum ſit auctoritas.

10. Beneficiis itẽ Dei plurimis.

Decimò, beneficia Dei commemoret, quibus videat ſe vel ſaltem gratitudinis nomine obſtringi, ad virtutem illam amplectendam.

11. Tandẽ elige potiùs Deo per virtutẽ N. ſeruire, quã diabolo per vitium.

Undecimò, tandem ſic ſtatuat apud ſe: Nemo poteſt duobus dominis ſeruire; aut per vitium N dæmoni, aut per virtutem N. Deo ſeruire neceſſe: at longè ſatius Deo infinito bono & perfecto ſeruire, quàm infenſiſſimo hoſti. itaque ex eius amore ſincero id facturum ſeſe eius gratiâ decernat.

12. Petitionẽ & obſecrationẽ inſtitue, tum pro te, tũ pro aliis.

Duodecimò, poſthæc ſupplex à Deo illam flagitet, & obſecret per Chriſti dolores, per Sanctorum interceſſionem; neque illam tantummodò, ſed & aliàs, in fide nihil hæſitans, ſeu fiduciâ plenus efflagitet.

Poſtremò, charitatis memor, Deo ſupplicet pro iis omnibus, pro quibus orare illum oportet.

Quid agẽdum peracta Meditatione. 1. agat gratias; 2. propoſita renouet; 3. agenda dirigat in Deum; 4. ad aduerſa animum præparet.

Meditatione peractâ, Primò, Deo gratias pro eâ & aliis omnibus beneficiis agat, & ſe ſuaque Domino offerat. Secundò, perpendat quomodo illo die diuinâ gratiâ ac meditatione adiutus, defectus & peccata vitabit. Tertiò, prævideat, quæ agenda eodem habeat die, & quo pacto ea piè in conſpectu Dei, & religioſè facturus ſit. Quartò, quæ item aduerſa toleranda obueni re poſſent, atque ad ea ſe comparet.

Obſerua

Obſerua nullo modo præſcribi, vt quiſquam hunc ordinem ſeruet, hos omnes locos vnâ Meditatione percurrat; ſed oportet iſtic acquieſcere, vbi quæſitam deuotionem aſſecutus fuerit. & cùm ſæpè ſufficiat ad permouendam voluntatem, diligenter (vt ſuprà dictum) ac ſuauiter attendere circumſtantias alicuius exempli Chriſti, vel virtutis naturam, abſque aliis ſubſidiis; patet tum tantùm hiſce vtendum, cùm anima ſterilis atque arida eſt.

Non omnes loci vnâ Meditatione percurrendi.

Tertium, quod ad affectus continuandos pertinet, eſt (vt tradunt complures) ſui efficax reprehenſio, interrogatio, oblatio, petitiones, obſecrationes, admirationes, deſideria & optationes virtutum, ſeu adſpirationes: quæ nihil aliud ſunt, quàm breues orationes, quibus anima ſuum deſiderium exponit, poſtquam illud aut Meditatione, aut Spiritus ſancti gratiâ ſingulari exarſit. Aſpirare autem poteſt ad Deum, ex deſiderio, Primò, vitia extirpandi; Secundò, virtutis acquirendæ; Tertiò, imitandi Dominum Jesvm, & compatiendi illi; Quartò, & maximè amandi Deum, illoque fruendi cum admiratione & gaudio de bonitate illius.

3. Medium ad affectũ continuandum.

Adſpirationes quæ dicantur.

Fontes earum.

Habes igitur tres modos, quibus in vnâ eademque virtute exercenda perſeuerare poſſis: ex hoc enim præcipuè manat Meditationis vtilitas, maximè ſi, vt ſuprà monui, non in genere propoſita virtutis fiant; ſed, vt crebrò dicetur, occaſiones eius ſigillatim recolantur, ſaltem in fine Meditationis, atque ad eas anima comparetur. Propoſitorum etiam repetitiones plurimùm commendat S. Ignatius, quæ omnia exemplo clariora euadent, & iis, quæ ſingulis imaginibus ſubjicientur. Tria autem illa maximè ſunt; Primò, imaginis, partiumque eius fuſior declaratio; Deinde, cùm ea materiam Meditationis complectatur, Meditatio, Poſtremò exercitium ſeu oratio, quæ ſit velut praxis, ac Meditationis argumenta contineat, & cuiuis quacumque de virtute meditari voléti ſubſerniat. Generales enim hi loci ſunt,

Propoſita quomodo facienda & occaſiones captandæ.

Iuuat propoſita repetere.

Tria maximè quolibet capite continentur.

Oratio eſt vti praxis Meditationis.

Aridus pro quauis virtute orationibus his vti poteſt.

Nota diligenter, eſſe ſenſim orationes legendas.

Imaginibus oculos animumq; paſcere iucundum iuxta ac vtile tum ad virtutis amorem, tum ad deliberationem inſtituendam.

ſunt, vt ita dicam, & motiua ad virtutem & perfectionem in modum orationis redacta, ſtimuloſque addere poſſunt volenti virtutem, v.g. patientiam, in animo ſuo agere radices. Fac igitur quempiam patientiæ in aliquo myſterio propoſitum exemplum velle æmulari, & remiſſam experiri voluntatem, licebit ei hinc petere ſubſidium; & ſiquidem meditari non libet, poteſt ſingulas orationes, quæ generatim ad omnes virtutes referuntur, ſigillatim huic ſibi propoſitæ vel optatæ virtuti applicare, prout inferiùs ex vſu ipſo perſpicuè apparebit. Exempli gratiâ, in Natiuitate, humilitatis exemplum contemplatus, optat imitari, neque ob diſtractionem animi, capita ſingula expendere commodè poteſt (hoc enim faciendum eſſe hîc præſcribitur, non legendas meditationes aut orationes) quid faciet? vtile erit, ſi virtutem, eiuſque circumſtantias paululùm conſideret, vt in imagine, ad ſpatium vnius atque alterius *Miſerere*; ac tum exercitium ſeu orationem legat, quæ poſt meditationem de confidentiâ in Deo ac diffidentia ſui collocatur; ſed ſenſim, & meditatè. Deinde ulterius pergat, ſi opus eſſe iudicauerit. Vbi enim (vt iam dictum eſt) deuotionem quæſitam inuenerit, nihil vlteriùs quærat oportet, ſed in eâ Spiritus ſancti dictum ſequendo permanendum eſt. Verùm, vti dixi, ex vſu fructus ipſe apparebit. Quid enim ſuauius atq; vtilius quàm ſecum velut de profectu deliberando hoc pacto ſeſe ad virtutem accendere, & animo quieto ac corpore, has imagines contemplari? oculoſque atque animum paſcere? quid fructuoſius ei, qui dubitat de vitæ genere, de munere, de perfectiorum aliquo capeſſendo exercitio, quam locos illos in otio ſancto, in ſecreto cubiculi & cordis ſui obambulare, viamque ſimul ſalutis optimam explorare.

Nota. Praxis breuis, ſed vtilis meditandi.

Ad vſum eorum, quæ dicta ſunt, facilem ac compendioſum; poſtquam materiam, ſeu punctum legeris, forma tibi has quæſtiones. Prima, quid in hâc ma-

teriâ

teria notandum mihi eſt? Secunda, quid ponderandum ad profectum? Tertia, quos affectus ex hac ponderatione ſeu conſideratione elicere & ſentire in me debeo? Quarta, quomodo & quibus circumſtantiis, quæ mihi hic proponuntur documenta, factis exequar? Quinta, quomodo ex his cum Deo meo loquar? Alia praxis meditandi etiam eſſe poteſt R. P. Borgiæ, qui ex omnibus eliciebat, Primò, confuſionem; Secundò, gratiarum actionem; Tertiò, petitionem, vt pluribus eſt videre in eius opuſculis. Huic conſimilis illa R. P. Capellæ, quâ monſtrat in omnibus Primò, conſiderationem; Secundò, gratiarum actionem; Tertiò, confuſionem; Quartò, petitionem; Quintò, oblationem ſui eſſe exercendam.

Exercitium ſeu praxis eorum quæ dicta ſunt, complectens meditandi modum, & præparationem ad Communionem, varioſq; affectus, & virtutum actus, quæ ante ſacrum, meditationem omnem, & poſt iſta, ac ſubinde in illâ, animo colligendo vſui eſſe poteſt.

O Deus *qui præſentiſſimus & intimus hic mihi & omni creaturæ es: ecce ego adſto corã te & curiâ tuâ reus & inops à virtutibus* NN. *quas meritò à me exigis: verũtamẽ, vti ſpero & cupio, toto corde amo te: ignoſce obſecro amanter dolenti quòd minùs quã debeo, amarim, quodq; tot gratijs ac donis tuis (pro quibus tibi cum omnibus Angelis, & ſanctis tuis ac creaturis humillimè gratias ago) tot de perfectione, & virtute hac* N. *mandatis ac conſilijs non reſponderim.* Da *mihi bone* Iesv *iã id facere; credo enim & ſcio hoc à ſolâ tuâ gratiâ, vti & omne donum, nõ ab induſtriâ noſtrâ manare: verè enim dixiſti: Sine me nihil poteſtis facere.* Da *igitur, & indue me hoc affectu & virtute* N. *ex alto, hanc enim mihi etiã ipſa ratio, & vtilitas, ſic* N. *ſuadent, imò & ſapientũ mundi* (Præſentia Dei. Humuliatio ſui. Actus cõtritionis & amoris Petitio. Diffidẽtia ſui & cõfidentia in Deo. Virtutem ſuadet. Ratio. Sapientes)

Natura rerum. Mors. Iudiciũ. Æternitas Exempla Sanctorũ. Pax animę. Gaudium de virtute. Christi exẽplum & Scripturæ adhortatio. Actus fidei. Actus martyrii. Admiratio. Beneficia Dei inuitant ad virtutem. Zelus & cõpaſſio erga Christum. Actus amoris Dei. Proximi. Inimici. In proximo agnoſcere Christum. Oratio pro proximo. Communicatio cum Deo. Omnia accipere de manu

ſacta N. & dicta, atq; adeò in naturâ rerũ velut imagine & ſimilitudine eam depingis: mors inſtans ſtimulat, & iudicium irreuocabile, & æternitas interminabilis. Exemplo ſuo & doctrina ſic ad eam nos prouocant ſancti, & pax quæ exuperat omnem ſenſum, & gaudium in Spiritu Sancto, ſed inſuper ô amantiſſime IESV, *ad eam nos inuitas potentiſſimo exemplo tuo N. & Scripturâ tuâ N. ô æterna veritas hortaris. Huic & Eccleſiæ cùm certâ fide credam paratus eam vitâ & ſanguine ex amore tuo etiam hâc horâ obſignare, qui fieri poteſt vt perinde ac ſi neniæ forent tepidus permaneam? Deus bone quomodo ſaltem innumera beneficia non me compellent? Quomodo non ſuper omnia bonitas tua Deus meus? Vtinã ego ſaltẽ, cùm totus ferè mundus in maligno poſitus, vitæ & paſſioni tuæ, ô Chriſte* IESV *iniurius ſit, tibi vitâ ſanctâ ſolatio forem, ego quẽ tot benedictionibus dulcedinis immerentẽ præuenis: Deus bone haccine ſcio & credo, & ſpero, & te amo, ac torpeo? O Domine adauge nobis fidem, ſpem, & ſuper omnia tui amorem. Diligo quidẽ te toto corde meo, ſed multo ardentius deſidero & affectu omnis creaturæ quantum licet, quantũ poſſum: Proximum verò amo non verbo, ſed opere, & ſincerè vt meipſum propter te maximè alienos à me, quibus omnia ex nunc dimitto, ſicut tu omne debitum dimiſiſti mihi, & te in eis agnoſco, cupioq; tibi in eis omnia facere, quos & omnes maximè quibus debeo, & vti debeo commendo infinitæ bonitati tuæ, ſimul & animas defunctorum. Vnum autem peto à te Domine & requiro, ſuſcipe me totũ, & da mihi teipſum, & præſentiam tuam, ſimul & prouidentiam in his NN. & in omnibus ſemper agnoſcere & laudare, illiq; non alteri præterita NN. præſentia NN. & futura NN. ſeu bona ſeu mala iuxta legem tuam tribuere: ac proinde de nullo quæri vel dolere Da ſtare inter aduerſa NN. ſecurum & abſque terrore: quorſum enim timeo cũ in pondere, numero, & menſurâ à te Deo meo, patre, medico, & duce optimo ac præſentiſſimo pro æternâ ſapientiâ & bonitate ſint ordinata? Da ſtare in te erectum; neq; ſpe creaturæ inniti, quam doleã ſe ſubtrahere; abnegaui enim & abnego omnem & omnia propter te quæ ſperare poteſt homo*

mo aut optare.Da mihi vt neq; gaudio trahar, aut exemplo vel reſpectu hominũ ad vlla mundi bona incliner.Habeo enim hic ea omnia in te fonte omnis boni,& vera (cùm illa picta ſint & falſa) & ſincera (cùm illa fellè,& veneno mixta)& vltro parata cùm illa ægrè acquirantur,nec momento ſecurè & abſque amaritudine poßideantur. Habeo ea quidem in te vbique , at maximè in V.Euchariſtiâ,ad quàm velut fontem aquæ viuà ſitiuit, & ſitit anima mea. Da mihi tam præclaro calice bibere, & illo inebriari ab vbertate domus tuæ , & cibo Angelorum ſatiari, ſic enim ſpe plenus obtinendæ gratiæ tuæ , & ſalutis meæ , quam ſupplex per vitam & mortem Chriſti IESV *peto (dixiſti enim.petite & accipietis) ambulabo coram te corde tranquillo & perfecto,nihilq; ſperans aut timens ſic* N.*ſemper de te cogitabo , ſic loquar* N. *tecum vel de te crebrò amanter & piè , ſic actiones* NN. *ad te dirigam, & operabor hoc velut vltimo die,imò horâ ſalutem meam : donec, donec aſpiret illa: quando hoc erit! donec,donec aſpiret illa dies, inclinentur vmbræ,donec quod ardenter exopto & ſincerè , vti noſti, deſidero,te videam, te perfectè amem & complectar te vnum : ſim tecum & liqueſcam in te, donec ſis mihi omnia in omnibus,Deus cordis mei & omnia. Amen.*

Dei ac de nullo queri.
Animi ad aduerſa præparatio.
Spei & omnium affectuũ in Deum conuerſio
Contemtus rerum humanarum.
Aplicatio ad S. Communionem.
Ordinatio actionum.

DECIMÆ QVINTÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Vis modum meditandi noſſe? intuere illum in myſterio Natiuitatis.

PRæparatione præmiſſa delige tibi meditandi materiam: v.g. *A* Natiuitatem Chriſti: hanc tamquã pictor in *B* corde, quod *C* pax ſuſtinet, id eſt, tranquillum eſt ac pacificum, depinge, ſeu perpende cum omnibus circumſtantijs. Primò itaque expende *D* quis ſcilicet naſcatur. Secundò, *E* quid ſcilicet dicatur, aut fiat, & quomodo. Tertiò, *F* vbi & quãdo. Quartò, *G* cur, ſeu quo fine: nempe, vt Adam, & humanum genus redimerentur Quintò, ex ſingulis collige, & nota *H* virtutem aliquam (vti vides ex ſingulis areolis circumſtantiarum lineã ad virtutẽ duci, & te quaſi manu ducere) quãque eius habeas *I* occaſionem, cõſidera; ac deteſtare *K* vitium illi contrarium. Excita ſæpè te ad *L* affectum gratitudinis (cum vbique beneficentia Dei appareat) *M* gaudii, *N* admirationis, O compaſſionis: inprimis tamen vbiq; *P* fidem, ſpem, & charitatem exerce, & obſeua *Q* virtutem quæ in myſterio elucet ac docetur. Quòd ſi Meditationem inſtitueris de ſola aliqua *R* doctrina ſeu documento, aduerte circumſtantias prædictas, maximè quid, ſeu quam *S* virtutem doceat, quæq; ſit eius occaſio, vnaque affectus prædictos exerce.

CAPVT

CAPVT XXXVI.

Meditatio de Natiuitate Chriſti, quâ praxis methodi ſupradicta oſtenditur, & ad charitatem accendimur.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine.

ORATIO vt ſuprà, pro charitate obtinendâ.

PVNCTVM I. Conſidera myſterium hoc magnum, in quo Filius Dei, Sapientia æterna, & Verbum Patris factus eſt infans vnius diei, ſuper terram, Ergóne credibile eſt, vt habitet Deus cum hominibus ſuper terrã? ſi cæli cælorum non te capiunt, quanto minùs præſepe hoc? Mirabile certè myſterium declaratur hodie, innouantur naturæ. iam exclamare licet: Memoriã fecit mirabilium ſuorum miſericos & miſerator Dominus. Nihil enim ita mirabile eſt, atque verbum hoc, quòd Deus manens Deus factus ſit homo. & æternus, & Sapientia ipſa facta ſit infans vnius diei ſuper terram. Et quorſum? vt æternùm viueres, immortalis eſt factus mortalis. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ*, &c. ibid. *Fides.* *2. Paral. 6.* *Deus in præſepio, obſtupeſce.* *Pſal. 110.*

Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex nobis, & non poterimus ad eam, quis cognouit ſenſum tuum, Domine, & quis conſiliarius tuus fuit? Venite igitur, & videamus hoc verbum, quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis; accedamus cum fiduciâ ad thronum miſericordiæ eius. Quid enim nobis denegare poteris, dulciſſime JESV, qui te ipſum nobis dare dignatus es? quid tuus Pater æternus, qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum? Ecce, ecce, ô JESV, ſalus mea, ego in peccatis conceptus ſum, & circumdederunt me mala, quorum non eſt numerus: verumtamen iam non timebo, quoniam tu Emmanuel nobiſcum es, non potes mihi negare munera tua, qui aperire mihi dignatus es viſcera miſericordiæ tuæ, in quibus nos viſitaſti oriens ex alto. Da mihi, Domine, *Pſal. 138.* *Lucæ 2.* *Spes.* *Fiducia in Deum.* *Pſal 39.* *Lucæ 1.*

propter gloriam nominis tui. vt hac fiduciâ plenus ſeruiam tibi in lætitiâ; & nulli omninò placere cupiam niſi tibi, vel diſplicere timeam, cùm tu vnus omnia mihi ſis, Deus meus; nullum amem niſi te, aut propter te, cùm ſis vnicum bonum meum, & dignatus fueris mei recordari in excelſo ſolio gloriæ tuæ. Quem enim, benigniſſime IESV, non accendat caritas & benignitas tua, quæ iam apparet, & ſuo fulgore & calore nos liquefacit? exultat enim Maieſtas tua vt gigas ad currendam viam, & à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius; nec eſt, qui ſe abſcondat à calore eius. O charitas immenſa, Deus meus, fac me vnum tecum, ſicut Pater & Filius vnum ſunt. Verè triſtitia eſt magna cordi meo, quòd peccata mea N. hactenus diuiſerunt inter me, & te; ſed proiice hæc, quæſo, poſt tergum tuum, vt caritatem tuam & humilitatem imitari, & perfectè exprimere poſſim, hodie tali & tali occaſione N. Quomodo enim denegare potero operam meam proximo meo, quantumuis abiecto, dum intueor Maieſtatem tuam exinaniiſſe ſe, & formam ſerui accepiſſe propter nos, cùm adhuc inimici eſſemus? Eſtne iam ſeruus maior domino ſuo? cur, obſecro, veniſti miniſtrare, & non miniſtrari? certè vt caritatem nos doceres, & ſanares vulnus grauiſſimum, ſuperbiam noſtram. Et pigere poteſt, ô Domine, ſequi veſtigia tua? Quis enim nouiſſet precium eius in terrâ hâc opertâ mortis caligine, vbi peccatum & ignorantia inundauerant, niſi ſic nos docuiſſes, Domine Deus meus, exemplo tuo? Eheu, poſtquam non vno, ſed pluribus nobis caritatem commendare dignatus es, adhuc etiam ſequi piget milites ducem, ſeruos Dominum, ſubditos Regem, creaturas Creatorem! Imperfectum meum viderunt oculi tui, miſerere mei, & exaudi me, quia in te ſolo confidit anima mea. Da mihi caritatem perfectam, vt nullâ perſonarum habitâ ratione, omnibus, maximè aduerſariis, benefacere ſtudeam, propter

Charitas ad quam Meditatio dirigitur.

Pſal. 18.

Contritio. Charitas Dei quanta

Admiratio

Reprehenſio & inuitatio. Phil. 2. Matth. 20.

Interrogatio.

Pauci Chriſtũ imitantur.

Pſal. 138.

nomen tuum. Obſecro te, Domine, memento, quoniam pro nobis natus & mortuus ſis, & ne deſpicias hanc deprecationem & oblationem meam. *Obſecratio*

Offero enim me tibi, vt ſincerè te diligam, & omnem proximum ſimiliter propter te: ſi enim amicos tantùm dilexero, nónne & Ethnici hoc faciunt? Orabo igitur & oro te intimo corde per gratiam tuam pro perſequentibus me, benefaciam his qui oderunt me, vt inter filios Patris æterni connumerer, qui ſinit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Scio, non eſt hoc volentis, neque currentis; ſed tui, Deus, miſerentis: ſine te enim nihil facere poſſumus, neq; ſufficientes ſumus cogitare aliquid ex nobis tamquam ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex te vno eſt, etiamſi videamus caritatem hanc maximo ad vitam eſſe præſidio & ſolatio; frater enim, qui adiuuatur à fratre in via hac difficili & periculi plenâ, quaſi ciuitas firma, & nihil triſtius, quàm cum aliquo diſſidere. Quæ enim non mala eiaculatur diſcordia? tripliciter certe animum fatigat, cogitationes ac memoriam fœdis implet imaginibus, linguam exacuit, & velut veneno inficit, iuxta illud; Lingua eorum gladius acutus, & venenum aſpidum inſanabile; quibus opera praua reſpondent, fructus malitiæ. Quæ verò ſtultitia & inſipientia, vitium præ virtute eligere, ſtultitiam præ prudentiâ, puſillanimitatem præ fortitudine, iniuſtitiam præ iuſtitiâ, intemperantiâ præ moderatione? iſtæ enim virtutes in caritate vnâ concurrunt, cuius vberrimus & ſuauiſſimus eſt fructus; in memoria, in intellectu & voluntate. Sed videamus, anima mea, quæ huius, quæ illius nobis ſeſe offerant occaſiones, vt illis vtamur, has eiuremus & deteſtemur N. Et verò quis eſt tam imprudens, qui ſuadeat alteri, quacumque occaſione ſimultatem fouere, niſi amens ac improbus ſit? nónne quod calx in muro, id caritas eſt cum proximo? corruet ille certè abſque cæmento; & ſolus ſtare non poterit in acie, quem

Matth. 5. *Diffidentia ſui & confidentia in Deo.* *Rom. 9.* *2. Corint. 3* *Conſidera virtutis commoda, & vita incommoda ad finem conſequendum.* *Pſal. 63.* *Occaſiones virtutis attende.* *Quod alteri ſuaderes, hoc fac.*

Quid in morte optares. charitas commilitoni nō coniunxerit. Nunquam verò meliùs hoc apparet, quàm in mortis horâ? quis enim Chriſtianus tum cum aliquo diſſidere vult, cùm ad iudicem ire parat, qui quâ menſurâ menſi fuerimus, remetietur nobis? *Matth.7.*

Quid in iudicio? 1.Pet.2. Verè enim in iudicio hæc vna virtus cauſam obtinebit; quia charitas operit multitudinem peccatorum: & nudus apparebit, quiſquis veſte hâc nuptiali indutus nō fuerit, proiicieturque in tenebras exteriores.

Quid in æternitate feciſſe optares? Itaq; hanc vnam peto à te, Domine, vnam volo charitatem, & æternùm volam; aut certè (quòd abſit) non voluiſſe me dolebo. Faciam igitur, vt occaſio hujus non præterlabatur; quod in æternum me feciſſe optabo, iam in tuo conſpectu propono.

Credo tibi, &c. vt ſup. pag. 7.

Vide exempla Sanctorum. Hoc eſt, quod ſancti ita eam virtutem ſuis commendârint ſcriptis & exemplis: nihil aliud nouerat, quàm caritatis legem prædicare diſcipulus ille, quem tu vnicè diligebas, bone JESV; ſed & Ethnici, quibus, ô ſol iuſtitiæ, ortus non fuiſti, quomodo nobis concordiam, quâ res paruæ creſcunt, di laudant?

Quanta ex virtute pax. Philip.4. Roman.2. Quanta autem hinc pax animi, quanta conſolatio in Spiritu ſancto, quam experti ſunt ſancti tui, & experiuntur omnes charitatis amatores. Pax certè hæc ex virtute vera dimanans, exuperat omnem ſenſum, quia in pace factus eſt locus tuus, dulciſſime JESV. Vbi autem tu es, non poteſt non eſſe gaudium in Spiritu ſancto: vti tribulatio & anguſtia in omnem animam operantis malum.

Quod nihil ſit, cur vitium placeat. Ecquid tandem eſſe poteſt, quod me à virtute iſtâ diuertat? an delectatio vana & fœda, haurienda ex teterrimo lacu peccati? videtur illud ob amorem proprium infundere cordi noſtro neſcio quid amarulentæ voluptatis; ſed ſimul ac infudit, effluxit, & ſolum remanet pœnitere, inquietudo cordis & triſtitia: ſi delectari libet, video & ſcio licet mihi ex te fonte bonorum omnium

omnium præſentiſſimo virtute duce haurire aquas in gaudio, quas qui biberit, adhuc ſitiet abſque dolore, & ſatiabitur abſque faſtidio, & lætabitur in te ſummo bono. At nihil magis vulnerat cor meum, quam illud verbum & exemplum tuum, quo hanc notam ſtatuiſti filiis tuis; in hoc enim cognoſcent omnes, quòd diſcipuli tui ſint, ſi dilectionẽ habuerint ad inuicem: & potero quemquam auerſari quantumcumque fuerit iniurius mihi permittente te? Huc etenim ſpectant tot beneficia, quibus me præueniſti, ex infinitâ charitate tuâ, & quotidie prẹuenis; vis enim nos, amator hominũ, trahere ad virtutem in funiculis charitatis. O quàm ardenter omnem virtutem, quam mihi proponit Maieſtas tua, complecti deberem, cùm tot beneficiis, velut ſagittis amoris, vulneras cor meum! Ingratitudo ſanè maxima foret petenti hoc N. tibi Domino ac Deo meo, & munifico largitori, illud denegare: auertat hoc miſericordia tua à ſeruulo ſuo. Sed etiamſi, Dominus Deus meus, hæc ita ſe non haberent, nónne ſatius eſt tibi Regi regum, & Domino dominantium per virtutem ſeruire, quàm acerbiſſimo hoſti noſtro per peccatum gratis venumdari, & duriſſimum ſubire iugum crudeliſſimi tyranni? id eſt peccati & dæmonis. Ah, numquam veniat mihi vel alicui in mentem ſic inſanire, vt de ſummo bono derelicto, & Rege ſummo, quis adhæreat ſummo malo, & capitali hoſti, illectus momentaneo fortè gaudio! O cæcitas humana! ô inſipientia noſtra! ô quàm vani filij hominum in ſtateris! Tu enim es potentiſſimus, ſapientiſſimus, fons omnium bonorum, à tua liberali manu omnia nobis bona venerunt, tu ſolus ſatias & reples cor noſtrum, vbique præſens es, & ad te me trahit virtus, inuitat benignitas tua, & cogit charitas. mihi itaq; adhærere tibi bonum eſt, & ponere in Domino meo ſpẽ meã. Vacate & videte, mortales, quàm ſuauis ſit Dominus, quàm dignus accipere gloriam & honorem. Filij hominum vſquequo

Vide Chriſti exemplũ & doctrinam.

Ioan. 13.

Quantis nos beneficiis Deus ad virtutem inuitet.

Charitatis commendatio.

Vanitas hominum.

Pſal. 72.

Pſal. 45.

Pſal. 4.

Pſal.99. graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mẽdacium? ſcitote, quoniam Dominus ipſe eſt Deus; ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Petitio. Eia, Domine, hæc ſcio, ſed humillimè rogo, da quod iubes, & iube quod vis. Jubes amare, ſic & ſic concede illud mihi, & reſpice de excelſo ſolio gloriæ tuæ laborantem & naufragum in hoc mari; ſiquidem contrarius *Sap.9.* nobis eſt ventus, & vide ô JESV, vide vt corpus quod corrumpitur, aggrauet animam, & terrena habitatio deprimat ſenſum cæleſtia cogitantem. Reſpice, Pater *Apoc.1.* æterne, ad caritatem Filij tui, qui dilexit nos, & lauit à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Audi pro nobis ſupplicantes Sanctos tuos: clamat ſanguis & merita eorum pro nobis miſeris, vt conſequamur auxilium gratiæ tuæ, & *Pſal.20.* virtutes nobis neceſſarias exercere valeamus, illâ occaſione N. Suppliciter etiã te rogo, Deus meus, vt Eccleſiæ tuæ gemitus exaudire digneris, & omnes N. pro quibus orare debeo, in benedictionibus dulcedinis tuæ præuenire.

Vides, quomodo in Natiuitatis myſterio, Primò, fides, ſpes & charitas exerceantur: deinde quomodo ex circumſtantiis, virtutis aliquod documentum eliciatur, ad quod poſtmodum varii ſtimuli adhibentur, quibus voluntas ad virtutem eandem complectendam vrgeatur.

Vti potes hoc modo in omni materiâ. Idem, vt ſuprà dictum eſt, fieri poteſt, ſi quis ſententiam aliquam pro materiâ meditationis habeat, ſeu etiam aliquam creaturam conſideret. Nulla ſiquidem eſt, quæ non enarrat gloriam Dei, & ad rectè viuendum documentum aliquod præbeat. ideoque mittitur à Sa-*Prouer. 6.* piente ad formicam piger, dicente: Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam, quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat in meſſe quod comedat. Vſquequò piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? paululùm dormies, paululùm

dormi-

dormitabis, paululùm conſeres manus vt dormias; & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus; ſi verò impiger fueris, veniet vt fons meſſis tua,& egeſtas longè fugiet à te.

CAPVT XXXVII.

De modo Meditandi per Fidei, Spei & Charitatis actus.

NVNC explicatum habes modum ampliandi affe- ctus,obeundo locos aliquos diuinæ huius Rhetoricæ: ſed & diuerſos meditandi modos expoſitos vidiſti, atque inſinuari inter eos aliquem, quo Fides, Spes, & Charitas in primis exerceantur,tanquam virtutes,quæ meritò,vtpote Theologales,principem locum obtinent. Quia tamen ille modus præ cæteris excellentiam aliquã habet,& ſimul non tam obuius eſt;non obiter, ſed cum cura explicandus videtur. faxit diuina bonitas, à quo omne bonum ac donum eſt, vt ſit ad nominis eius gloriam,& animarum ſalutem.

Omnis creatura eſt homini liber vitæ.

Principiò igitur, vt ſuprà monui, quidquid diuinâ potentiâ creatum eſt, ſi diligenter inſpiciamus, nobis liber vitæ eſſe poteſt: cæli enim enarrant gloriam Dei, & omnis creatura clamat hæc tria, Accipe, redde, caue; accipe me à Deo donum, redde ei gratias, caue abuti ad contumeliam largitoris,& ad interitum, quod conceſſum tibi eſt ad vitam. Ex omni enim creaturâ documentum vitæ eli‹g›ere poſſumus, & hoc ipſum quaſi à Deo nobis non dictum tantùm, ſed ſcriptum characteribus creaturarum conſiderare. Rurſum quidquid Sapientia æterna nobis dignata fuit reuelare, hoc vnum ſpectat, vt intelligamus voluntatem eius & conſilia illius, vt nos oues Chriſti eius pientiſſimâ miſericordiâ vitam habeamus, & abundantiùs habeamus, vt ipſe dignatus eſt ore ſuo aperire, quo eructauit abſcondita à conſtitutione mundi: omnis enim Scriptura diuinitus

Omnis Scriptura nos docet.

2.Tim.3. vinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus. Quidquid item à veritate profectum, ad nos per Philoſophos, aut vllos mundi ſapientes peruenit, multò magis per ſacros Scriptores ab eo prouenit, vt viam ad ſe oſtenderet, & veritatem, per quam ad vitam peruenire liceret. Ipſe enim eſt ſolus via, & veritas & vita,

Ioan.14. Denique quidquid ab vllo rectè dictum, factum, ad in-

Quidquid verum eſt, à Deo eſt. ſtructionem noſtram, ab eo factum ac dictum eſſe ſciamus. De ſacris Litteris ſic S.Paulus: Quæcumque ſcri-

Rom.15. pta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Sed quid prodeſt ſcripta eſſe, ſi meliora videntes & ſaniora, ea amplecti nequeamus? Certè nihil: immò plurimùm obeſſe ſciret voluntatem Domini, atque eam explere non poſſe; viam oſtendi, & nos prohiberi ab eâ. Ideò addit Apo-

Ibidem. ſtolus: Vt per patientiam & conſolationem Scripturarũ ſpem habeamus; Cuius verò rei? primò conſequendi gratiam, vt faciamus ea quæ ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt; deinde gloriam, ſi ſimus in charitate radicati & fundati, ſempiternam.

Praxis. Itaque cùm inſtitueris meditationem de aliquo myſterio, conſiderationem alicuius creaturæ, aut ſententiam aliquam expenderis, ac documentum vitæ elicueris; primò fidem eius doctrinæ excita, velut ſi à Deo (quod maximè in ſacris valet) illa tibi in illo myſterio vel Scriptura ſacra, aut etiã profana proponatur. Quidquid enim ad veritatem pertinet, etiamſi apud Philoſophos inueniatur, illius eſt, & propter nos ab illo profectum. Idem eſt ſi ab aſpectu creaturæ alicuius erudiaris ad ſalutem. Quidquid enim in illis eſt, & ab eis, ſiue ad vitam hanc, ſiue ſalutem promanat, ſiue ab Angelo, ſiue ab homine, ſiue creaturâ irrationali; à Deo opt. max. eſſe certum eſt, velut omnium bonorum fonte: non enim minùs à Deo eſt, etſi familiarius, quòd loquitur (vt ſic dicam) formica pigro, quò eum ſapientiam doceat,

ceat, quàm, quod rarius eſt, ſi aſina Baalamum corripiat & moneat.

Crede igitur Deo, quia veritas eſt, crede veritati ſic tibi propoſitæ, & virtutem iuxta eam ſtatue tibi eſſe amplectendã. v. g. in hâc ſententiâ, *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur*; crede verè ſic ſe habere quia Veritas dicit, quæ fallere non poteſt, nec falli: ea enim eſt ratio credendi. Secundò, neque tantùm crede Deo, id eſt Veritati dicenti, ſed, vt fit in fide tum humana, tum diuina, rationem expende quare tibi credibile illud ſit, & quidẽ valdè. teſtimonia enim Domini credibilia facta ſunt nimis: id eſt, vide quare homines alicui credant. Alia certè cauſa eſt ex parte eorum qui credunt, quia ignari, cæci, imprudentes. Alia ex parte aſſerentis, ob eius auctoritatem, ſinceritatem & fidelitatem. Alia ex parte rei ipſius: ſicut enim parum credibile aliquid apparet, quia vel impoſſibile, & ſic diuinæ repugnare potentiæ, vel certè ſapientiæ ac prudentiæ aut bonitati videtur: ita cũ quid ratione poſſibile prudenter iudicatur, credibile apparet. Id autem in præſenti materia valet plurimùm. Res enim quæ præcipitur aut ſuadetur, à Deo potentiſſimo ac ſapientiſſimo ſuadetur, qui cùm dat præceptum, tribuit etiam quo compleatur.

Fides exercenda. *Matth. 13. Luc. 14.* *Credibilitas eſt conſideranda.* *Pſal. 92.*

Tertiò, exerce pium affectum credulitatis, quo firmiter à fide propoſitis adhæreſcimus. Quomodo, inquis, hoc faciam? Reſpondeo, attende quæ ſint quæ hominem à fide auertunt, eaque deteſtare. Primum ſcilicet eſt ſuaſio & doctrina alterius, dæmonis aut hominis. Secundum, illecebra & inuitatio creaturæ, quâ homo abſtractus & illectus naufragat à fide, quemadmodum de cupiditate loquitur Apoſtolus. Tertium, tormenta & aduerſa. Statue igitur, etiamſi totus mundus, imò, vt Apoſtolus loquitur, etiamſi Angelus de cælo contrarium rebus ſcilicet de fide certis doceret, anathema illi dicere, quanto magis homini & mundo vniuerſo; quidquid blandiatur, quidquid terreat, idque ſen-

Affectus pius excitandus. *Galat. 8.* *Deteſtatio eorum quæ fidem eneruant.*

ſeu bonorum, ſeu famæ, ſeu vitæ amiſſio proponatur, crede, & ſta exemplo Martyrum fortiter, ſiue moleſtiâ, ſiue blanditiis; ſiue malis tolerandis, ſiue bonis amittendis impellaris. Quartò, cùm ſic te exercueris in vno fidei puncto, extende te ad alia argumenta: ferè enim eadem ſunt, quæ omnia teſtimonia Domini credibilia nobis faciunt. Percurrere itaque præcipua myſteria fidei, eiuſque articulos potes: ac tandem in fine vel poſt meditationem. Quintò, cogita ſeriò hoc tecum. Si verè crederem, & fidem viuam haberem, cùm ſine operibus mortua ſit, quæ opera ſacerem huius vel illius virtutis N. de quâ meditatio inſtituitur, hac & illâ occaſione, quam toties habui & habeo etiam hodiernâ die.

Exploratio viuæ fidei.

Exercitium ſpei.

Deus non mandat, & vires negat

POST Fidem exercitatam Spem excitato. Quæris quomodo id facies? Reſpondeo, cùm videas illud tibi à Deo verè eſſe mandatum, vel ſuaſum, ab infinitâ, inquam, bonitate (non enim docet, vt perdat; non inuitat, vt eiiciat; non mandat adeò ſeuerè, quod præſtari nequeat) ſpera certò gratiam, quæ requiritur ad illud implendum, ſimiliter & gloriam, atque id quod promittitur obſequenti mandatis ac conſiliis Domini (quemadmodum in octo beatitudinibus & alibi fieri vides) certò te conſecuturum, idque quia Deus verax eſt in promiſſis, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Nota verò duo ſperari, vires ſeu gratiam ad laborandum in vinea, ad currendum in ſtadio, & mercedem ipſam ſeu brauîum. Et vide Primò, quomodo ex parte tuâ res ſperabilis ſit, quamque deſperationis (ab humanis ſumpto exemplo) & ſpei cauſam habeas; Secundò, ex parte rei quæ ſperatur; Tertiò, ex parte Dei à quo ſperatur. Ex parte tua deſperare potes, quia debilis ad ardua, ad laborandum in vinea, currendum in ſtadio. Secundò, quia indignus

Iacob. 1.

Quæ ſperanda & quomodo ſpes augeatur.

dignus es, cui ille à quo ſperas ſua conferat dona & munera, quia iniurius illi fuiſti, & beneficiis es ingratus. Sperare autem ſolent homines ſi digni, ſi grati ſint, ſi beneficiis obſtrinxerint eum, à quo ſperant. id etiam accõmoda tibi, quia dignos nos miſericordiâ ſuâ fecit Dominus, in partem ſortis Sanctorum, gratos ſibi, & à nobis accipere ſe, v.g. eleëmoſynas, fateri dignatur.

Secundò, homines ſpem augent ex parte eius à quo ſperatur Primò, quia promiſit, & ſe obligauit. Secundò, quia maiora dedit tibi, aliis multis tui ſimilibus, & quidem ex bonitate ſuâ, quodque vltrà hæc per ſe præſtare ſolitus ſit, ac cùm voluerit poſſit. Tertiò, quia promiſſor cogi poteſt. Nónne verò & Dominus promiſit, & maiora dedit, &, vt ſic loquar, cogitur ac vulneratur in vno oculorum ſponſæ, fortiſque etiam eſt in eum dilectio? Nónne dixit Moyſi, Sine me? nónne Abrahamo, Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum? *Geneſ. 18.*

Tertiò, deſperant homines ex parte rei, ſi ardua & difficilis; at verò ſperant ſe facturos & conſecuturos rem facilem: atqui mandata & conſilia Dei difficilia nõ ſunt: iugum enim eius ſuaue, & onus leue. Atque hactenus de ſpei augmento atq; exercitio, ex eo quòd res triplici nomine ſperari poſſit.

Quid de ſpe homines deiiciat. Quartò, poſt hæc affectum ſpei augere volens, cogita quæ hominem de ſpe deiicere ſoleant. Primò, ſuaſio alterius, ſeu diaboli, ſeu hominis. Secundò, blanditiæ vt aliud ſperetur. Tu igitur, etiam ſi omnes contrarium tibi dicerent, ſi blandirentur vt auerterent à Domino, & ſi omnes aduerſarentur, & Dominus te caſtigaret, dicito, Etiamſi occiderit me, in eum ſperabo.

Quintò, neque ſpera tantùm hoc de quo in materiâ præſenti, v.g. humilitate, agitur, ſed extende ſpem ad ea omnia quæ neceſſaria ad ſalutem.

Exploratio viuæ ſpei. Sextò, cogita, ſi verè ſperares, quid & quomodo ageres: qui non ſperat non ſeminat, non laborat, non

pugnat;

pugnat; vt in rebus humanis manifeſtum eſt. E contrario qui ſperat, arat, pugnat, ſudat, currit, vt rapiat brauium : quæ in virtutis ac pietatis materiâ, de quâ agimus, rem non incommodè, vt cuiuis patet, proponunt.

Exercitium Charitatis.

Caritatis præceptum PRó charitate excitandâ & inflammanda, conſidera illud præceptum aut conſilium tibi datum, vel per creaturam ſuggeſtum, ex infinitâ charitate Dei, idque ob ſummum bonum ac felicitatem tuam; atque accipe, velut à duce viam oſtenſam, à magiſtro veritatem, à domino vitam, à medico medicinam, à Rege ac agonothetâ coronam, idque bono tui ſolius & commodo. Quantum igitur impellere debet te amor illius, qui nihil fecit eorum quæ fecit, nihil cupit eorum quæ mandat, nihil loquitur, nihil ſuggerit per omnem creaturam niſi pro te, & ex amore tui, præceptor tuus, & *Pſal.118.* paſtor, dux in viâ, Rex & Creator tuus? ſunt enim mãdata eius ſuper mel dulciora, lucerna pedibus noſtris, *Spontaneo amore nos Deus diligit.* diligenda ſuper aurum & topazion. Tu verò ſpontaneo amore dilecta à Deo anima, caue aliō eum redamare, mercenaria eſſe, tuum commodum ac gloriam ſpectare; ſed vnam illius intuere, & ama voluntatem, *Amoris origo.* gloriam & honorem. Secundò, conſidera quare amare homines ſoliti ſint. Primò, quia ſe amari putant. O quãtum dilexit nos Pater, qui proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus tradidit illum! quantum Filius, qui oblatus eſt, quia ipſe voluit. & poſuit animam ſuã pro nobis ouibus ſuis! quantum Spiritus Sanctus, qui venit ad nos in igne amoris, & poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id eſt, poſtulare facit præ deſiderio ſalutis noſtræ!

Secundò, dixi ſuprà, fidem & ſpem augeri, eò, quòd res credibilis & ſperabilis ſit: ita caritas & amor Dei ac *Quã amabilis Deus.* voluntatis eius, quia ipſe amabilis eſt. Amabilis verò ille eſt tum propter ſe, & ſummè perfectus & bonus, tum

tum propter beneficia præſtita, tum ea quæ præparauit diligentibus ſe.

Tertiò, vide quæ ab amore avertere poſſent, blandiendo, terrendo, ſuadendo: & attende quàm fortiter amare debeas. fortis enim eſt vt mors dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Etiamſi igitur omnia bona mundi te allicerent, mala te vallarent ac turbarent, omnes etiam Angelici ſpiritus aliud ſuaderent; ama Deum, quia ſolus bonus eſt, & dignus accipere amorem, gloriam & honorem. *Cant. 8.* *Deteſtanda quæ amori repugnant.*

Quartò, obſerua autem vt ames cum ſingulari amore, quia ſingulari te complexus eſt & complectitur. Quidquid enim à Deo geſtum, factum, dictum aut permiſſum, tamquam pro te ſolo dictum, factumque & permiſſum amore tui ſolius exiſtima: tanto enim fertur erga ſingulos, quanto erga omnes Deus, id eſt infinito, ineffabili & incomprehenſibili amore. *Attende omnia à Deo propter te eſſe facta.*

Quintò, cogita, ſi vere amares Deum, qualiter cogitares, loquerere & ageres: numquam enim amor Dei eſt otioſus: operatur enim magna, ſi eſt; ſi autem operari renuit, amor non eſt. *Experimentum charitatis Greg. hom. 3. in Euang.*

Vis hæc compendio?

CVM in ſententiâ aliquâ, aut creaturâ, aut myſterio, doctrina, vel pia inſtructio, aut virtus amplectenda proponitur; cogita ac crede, Primò, à Deo tibi proponi & veriſſimum eſſe propoſitum; & Secundò, ſimul etiam maximè credibilem eſſe veritatem illam; ideoque Tertiò, adhæreas illi toto affectu, ita vt cum Apoſtolo dicere poſſis, Quis ergo nos ſeparabit à charitate, humilitate, patientiâ modeſtiâ Chriſti, &c. tribulatio, an anguſtia, an fames, &c. *Fides.* *Rom. 8.*

Deinde ſpera auxilium à Deo, quia ipſa præcipit bonitas ac potentia infinita, & daturum ſe gratiam promiſit.

Spes. miſit. Secundò, attende quæ fiduciam & ſpem augere debeant, & rem aliquam in humanis ſperabilem faciant. Tertiò, amplectere eam perinde ac Sancti, de quibus *Hebr.* 11. Apoſtolus: Lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt, propter ſpem vtique & fiduciam.

Charitas. Tertiò, charitatem excita, eò quòd præcipit ad vtilitatem tuam, non ſuam: ergo ex amore ſequere Dominum, cùm ex æterno & ſpontaneo id tibi ſuadeat, vel præcipiat. Secundò, conſidera quantoperè tibi ille amabilis ſit, & mandata illius. Tertio, amplectere eum, omnia propter illum abnegando, & ama toto corde, totâ animâ, totâ mente, totis viribus tuis.

Quæſtio triplex continens modum meditandi. Hæc verò quæſtionibus tribus exercere potes circa quamuis materiam: quarum Prima, quàm verum hoc & credibile eſt quod proponitur? Secunda, quàm certa obtinendi ſpes, & res per ſe ſperabilis? Tertia, quanto mihi à Deo mandata, quanto verò à me implenda eſt amore ac charitate?

Poſt hæc attende, ſi verè crederes, ſperares, amares, quales eſſent cogitationes, verba ac opera tua.

Hoc igitur modo vti poteris in omni Meditatione, ſiue ea fuerit de myſterio aliquo, ſiue de creaturâ aliquâ, ſiue ſententia. Myſteria paſſim nota ſunt, creaturæ vbique obuiæ, ideò ſufficiet præcipuas aliquas ſententias hîc proponere. Habes præterea toto libro Jaculatorias, quas hac ratione poteris expendere.

Sententiæ in quibus exerceri hic modus vtiliter poterit, quæ tribus viis reſpondent.

Gen. 1. Pro viâ Purgatiuâ. Finis hominis. *CReauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam vt ei ſeruiat, & ſeruiendo eidem ſaluus fiat. Credis hoc & ſperas, & non amas?*

Lucæ 12. Mortis meditatio. *Et vos eſtote parati, quia qua horâ non putatis, filius hominis veniet: Credis hæc, &c.*

Matth. 15. Æternitas. *Ibunt mali in ſupplicium æternum: iuſti autem in vitam æternam.*

Iuſti

Iuſti in æternum viuent, Anima autem quæ peccauerit, ipſa morietur. Ezech. 18. Peccatũ. Iere. 48.

Maledictus homo, qui facit opus Dei fraudulenter: Anima autem laborantis impinguabitur. Credis hoc & ſperas, & non amas? Acedia. Prou. 11. Sap. 5.

Dicunt impij, Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquã vmbra & tanquam nauis, &c. Mundi vanitas. Matth. 16

Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Credis hæc verè & ſperas? Mundi vanitas. Lucæ 14. Pro viâ illuminatiuâ.

Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Credis hoc & ſperas, & non amas? Humilitas.

Auaritia eſt idolorum ſeruitus: ergo. Galat. 5.

Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis Credis hoc & ſperas, & non amas? Matth. 6. Spes.

Amen, Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Credis hoc, & ſperas, & non amas? Ioan. 16. 1. Co. 10.

Fidelis Deus, qui nõ patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis. Credis hæc verè & non ſperas? Fiducia in tẽtatione.

Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit. Credis hoc, &c. Lucæ 10. Obedientia.

Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem. Credis hæc verè, & ſperas? Hebr. 10. Patientia.

Vnuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat. 1. Cor. 7. Perſeuerantia.

Qui non nubunt neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei. qui poteſt capere capiat. Credis hoc, & ſperas, & non amas? Matth. 22. Matth. 19. Caſtitas.

Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Matth. 25.

Beati pauperes ſpiritu quoniam ipſorum eſt regnum cælorũ. Liberalitas.

Hoc eſt præceptum meum vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Joan. 15. id eſt, vt explicat idem, *Et nos debemus pro fratribus animas ponere.* Matth. 5. Paupertas.

Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ liberabit animam eius à morte, & operuit multitudinem peccatorũ. Pro viâ vnitiuâ.

Omne quodcumq; facitis ad gloriam Domini noſtri Jesv *Chriſti facite.* Charitas. 1. Ioan. 3. Iacob. 5. 1. Cor. 10.

Meditatio de verbis illis.

Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & omnis qui ſe humiliat, exaltabitur: *per exercitium Fidei, Spei, & Charitatis.*

CONSIDERA *verba ſingula,* Omnis, *quod exemplo etiã Angelorum probatur. O iudicia Dei! ô quanta abyſſus!* qui ſe, *non quem alius,* exaltat, *in cogitatione, verbo, vel opere, in bonis naturæ fortunæ, gratiæ,* humiliabitur, *à Deo ſcilicet, hominibus, dæmonibus. Exaltauit ſe deſertor Angelus & apoſtata, exaltauit ſe Adã, Nabuchodonoſor; & quomodo humiliati ſunt à te, qui in altis habitas & humilia reſpicis in cælo & in terrâ?* Quàm vera hæc Deus meus! quam par eſt me credere tibi, & obedire mandatis & doctrinæ tuę? omnia enim mandata tua veritas. Tu, inquã, es ęterna veritas, ſapientia & bonitas infinita, qui fallere non potes, nec falli; ego verò cæcus in viâ, quómodo nõ te ſequar ducem meum quocumque ieris? ego ouis errabunda, paſtorem in hac vaſtâ ſolitudine; ego puer ignorans egreſſum & introitum meum, non audiam te, ô Sapientia æterna? Ecce in tenebris exiſto, & tu lux mea, tu ſtella naufraganti; quomodo te non ſequar? ex ſcuto fidei dextram armabo ſeu dextrum oculum; fidem, inquam, ſeruabo, vt aduerſariis reſiſtere queam, quem Iſraëlitis Naas eruere volebat. Credo igitur & confiteor tibi ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ: cur enim non credam tibi? nónne teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis? Imò quotidiana veritatem hanc adſtruit experientia, illam creaturæ nos docent propè omnes, Domine mi, iudicia tua vere eſſe, & iuſtificata in ſemetipſa: æquum enim eſt, vt qui ſe opponit factori ſuo quacunque ratione, & ſuperbit, humilietur. Amplector ergo iſtum quem ſcio eſſe fidelem ſermonem tuum, & omni acceptione dignum, & quamuis aduerſarius contrarias ingerat animo cogitationes, N. & conetur ex bonis tuis elicere vanitatem grauiſſimum malum, vt me malum faciat, quia

Pſal. 118. *Deus fallere non poteſt.* *1. Reg 11.* *Pſalm. 92.* *Ratio quæ rebus, fidei ancillatur, reſq; credibiles facit.* *Pſal. 92.* *Pſalm. 18.* *Amplexus fidei cum deteſtatione contrarii.*

tu erga me bonus es; ſuperbum, quia erga me clemens, & humillimè ad me te dimittis; auarum, quia liberaliſſimus es erga me; & inuidentem gloriæ tuæ, eamq́ue affectantem, quo magis eam mihi vis communicare: etiam ſi omnia mundi bona atque honores N. habere poſſem, deteſtor & abominor omnia vt laqueum, vti verè ſunt, vt lapidem offenſionis, vt præcipitium, vt ruinam ſempiternam. Imò etiamſi cogerer, vt ſic loquar, tormentis, aduerſis premerer, niſi me erigerem contra mandata aut conſilia tua, tamē parerem, & crederem tibi potiùs, & talis eſſe vellem, qualē me optas, & per gratiam tuam eligerem abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. *Credo tibi,* &c. vt ſuprà pag. 7.

Neque tantùm in eo tibi credo, ô æterna Veritas, ſed omnibus quæ per Eccleſiam mihi proponis, ſiue ſcripta ſint, ſiue non ſint, N. omnia enim credibilia facta ſunt mihi, quia tu dixiſti, ô æterna Veritas: neque inſuper confirmant tot Sanctrum exempla, tot Patrum ſcripta, tot Philoſophorum dicta, qui cùm per viſibilia inviſibilia tua cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, datiq́ue ſunt in reprobum ſenſum, & ad noſtram vtilitatem vixerunt, ſi tibi viuamus & moriamur: viuamus, inquam, & ex operibus oſtendamus fidem noſtram. Si enim verè crederem, ſi in me fides huius verbi tui verè operaretur, fieret velut granum ſinapis in arborem magnam: qui enim credit in te, opera quæ tu feciſti, Deus meus, & ipſe faciet, atque imitabitur factorem ſuum. *Et verò ſi humilis forem, quàm verè me vilem æſtimarem, quàm vilis haberi vellem, & non humilis reputari? loquitur humiliter, modeſtè, deferrem omnibus, omnes mihi præponerem, nemini arroganter repugnarem; apparet in voce, geſtu, oculis humilitas, non faſtus, non arrogantia, nō proprium iudicium, peſtis animæ meæ! ſed diſcipulus tuus factus, mitis eſſem, & humilis corde, & inuenirem requiem animæ meæ & gratiam in oculis tuis, ad quod toto corde*

Percurrere hic alios articulos fidei licet.

Viua fides efficax.

Quid humilis experiatur.

 ſuſpiro,

ſuſpiro. Hæccine vera, vt ſuprà pag. 7.

Exercitiū ſpei. Video quidem & credo eſſe vera, quæ ſuggerit Maieſtas tua; ſed quæ virtus mea, vt illam virtutem conſequar in valle miſeriæ, quam perdidit ille & ille, quam *Actus ſpei.* tot ac tantis viris in Religionis arce conſtitutis eripuit aduerſarius, deturbans eos in profundum? Verumtamen cùm tu, Domine, mandaueris eam mihi, certus ſum, quia gratiam dabis, vt impleam mandata tua. An *Matth. 11* enim, Pater benigniſſime, tyrannus es, qui mandes filiis quæ præſtare nequeant, & inuites omnes qui laborant *Matth. 7.* & onerati ſunt, & promittas quòd reficies eos, & non facies? Promiſiſti dicens: Petite, & accipietis; quærite, *Pſalm. 22.* & inuenietis: cur ergo non ſperem? quid non ſperem? quomodo & vbi non ſperem? ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebit cor meum. Ecce ego hîc laboro quidem, & oneror ſuperbiâ mea, deprimit me illa, demergeretque in infernum, niſi tu ſupponeres ma- *Pſalm. 30.* num tuam: in te enim ſperaui, non confundar in æternum. Da ergo quod iubes, & iube quod vis. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis ſub pœnâ mortis æternæ, numquid ergo gratiam tuam mihi negabis, quâ *Pſalm. 4.* obediam tibi? Tu Domine qui ſic ſingulariter in ſpe *Epheſ. 6.* conſtituiſti me? Dabis ergo ſpero mihi armaturam tuã, vt poſſim reſiſtere in die malo, ſtare ſuccinctus lumbos in veritate, indutus loricam iuſtitiæ, in omnibus ſumere ſcutum fidei, & galeam ſpem ſalutis. Ego quidem non ſum dignus, qui operibus meis & iniurius & blaſphemus fui; ſed vbi abundauit delictum, per miſericor- *Rom. 5.* diam tuam ſolet abundare & gratia. Fateor, equidem nihil dignum feci oculis tuis, ſed per gratiam tuam infinitam video me velle ſeruire tibi, & quærere te in toto *Ratio ſpē adiuuat.* corde meo: ſuper hoc confiteantur tibi omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi.

Sed vnde tanta fiducia miſero mihi, qui neſcio, infelix homo, amore an odio dignus ſim? Charitas tua, Chriſte IESV, vrget me, vt credam tibi & ſperem in

in tuâ benignitate. Cur ita? nempe quia poſtulanda promiſiſti, quia maiora non petenti dediſti; imò dediſti te mihi, animam tuam in mortem propter me, & corpus & ſanguinem tuum in cibum & ſolatium animæ meæ. Scio etiam quia multis es largitus eam virtutem N. At digniores quidem me longè erant, ſed nónne per te erant? & tu potens es de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, & ex me facere filium tuum. Scio etenim, quia ſtatui gratiâ tuâ nunquam legem tuam, conſilium tuũ, numquam te dimittere, ſed amplexu intimo cordis mei te ſtringere, donec benedixeris mihi, qui verbo vno creaſti omnia, & potes nutu vno ſanare omnia mala mea, qui ſanguine tuo me redemiſti, & regnum tuum promiſiſti. *Eccl.9.*

Et verò humilem eſſe certè gratiâ tuâ difficile non eſt: nónne facilius deſcendere, quàm aſcendere? nónne facilius eſſe quod es, quàm eſſe quod non es? habere, & in te videri quod habes, quàm ſperare & oſtendere quæ non habes? Certò igitur per gratiam tuam ſpero, quòd hanc gratiam inueniã in oculis tuis; & licet morã feceris, expectans expectabo te Domine, quia veniens venies, & nõ tradabis. Eſto, aliud mihi hoſtis inſuſurret, aliud labor longus; ſperabo tamen, & licèt occideris me, in te ſperabo. *Humilitas facilis.* *Hebr.10.*

Neque hanc tantùm gratiam, ſed quidquid mihi ad ſalutem neceſſe eſt, petam & accipiam, quæram & inueniam; pulſabo fores miſericordiæ tuæ, & aperientur: aperieſque manus tuas liberaliſſimas, in quibus deſcripſiſti me, & implebis me benedictione, vt benedicam & laudem nomen tuum in ſæculum ſæculi, quod eſt ſumma deſideriorum meorum. *Dilatatio ſpei.*

Nunc igitur, anima mea, ſi verè ſperamus per virtutem N. aſcendere, & ſimiles eſſe Deo noſtro, ſcito nobis iſtâ N. quærenda eſſe; aliis; illa N. deferenda: humiliari nos hîc oportet, vt exaltemur in tempore opportuno, in die viſitationis: quando veniet illa, quando veniet, vt aſſumas nos ad teipſum, & videamus *Propoſitũ firmum.* *Aſpiratio ad Deum & reſignatio.*

mus te? At nō videbit te homo, & viuet: ô vtinam moriar, vt te videam ô vita mea! quid enim hîc moror, aut quid me moratur? Quòd ſi aliud placet tibi, placet & mihi: velle enim meum dicaui tibi, & omnem amorē meum, vt nihil cupiam, nullam virtutem aut donum, niſi vt placeam tibi; cùm nihil à te factum ſit aut mandatum, niſi vt tu vnus mihi placeres, & omnia diſplicerent aliena à te.

Mandas ergo mihi virtutem hanc N. & ſuades eius perfectionem, quæ in eâ ſita eſt. Et quorſum? certè video, bonum meum quæris, quia bonorum meorum non eges, idque vt me exaltes ex charitate tuâ immensâ. O Deus meus, ô amator hominum benigniſſime; quàm purè nos diligis, quàm gratuito amore! Ecce ſi quid mandas, præcipis, ſi quid facis, creas, id propter me; & ego mercenarius ero, & non potiùs ex amore parebo tibi, vt placeam tibi? vt deliciari poſſis in animâ meâ? vt exultare in ſeruulo tuo, & gloriari in eo quòd non ſit infidelis tibi, quia tu dignatus es facere miſericordiam tuam cum illo? ſi iubes ex amore, quid quæris aliud quàm amorem? Amari à me vis. Quid ergo eſt amare? benè tibi velle, de bonis tuis gaudere, de malis quæ tua reputas, dolere, tibi libenter adeſſe, de te cogitare, & tecum ac de te loqui, propter te operari. Hoccine eſt amare? amarum mihi erit amare te, dulcedo ſumma, ſuauitas infinita, bonitas immenſa, miſericordia mea, refugium meum, ac liberator meus?

Quid ſit amare Deū.

Poſſumus malè velle tibi, qui non vis niſi bona tua communicare mihi? non gaudebo ſuper bonis, ac gloriâ tuâ, cùm omnia tecum mihi donaris? mala tua non ſentiam, cùm qui tangit me, tangat pupillum oculi tui? tibi non adero libenter, cuius ſunt deliciæ eſſe mecum; mecum, qui ſum vermis, & non homo, cinis & puluis? Tu perpetuò de me cogitas, vt iuues, vt prouideas, vt dirigas, vt foueas, vt nutrias; & quomodo obliuiſci potero tui? Veniſti à ſummo cælorum; vt eructares abſcondita

Zach. 2.
Prou. 8.
Matth. 13.

condita nobis à conſtitutione mundi, &, quæ eſt dignatio tua, amantiſſime JESV! nos dixiſti amicos, & omnia quæ accepiſti à Patre tuo, nota feciſti nobis: & fieri poterit, vt non loquar de te? Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ſi non meminero tui omnibus diebus vitæ meæ. Ah, non meminiſſem tui, qui è millibus quos obliuioni dediſti, & neſciſti, elegiſti me vt eſſem? Erant & ſunt in conſpectu tuo, quotquot eſſe poſſunt homines, in abyſſo potentiæ tuæ; & eſſe nequeunt, niſi iuſſeris vt prodeant; ego verò cùm eſſem inter eos innumerabiles, præſtantiores, meliores futuros, iuſſus ſum exire in lucem hãc. Quid, quæſo, inueniſti in me, quòd præ cæteris ante mundi conſtitutionem diligeres me? quid egeram, qui non eram? quid acturum videbas, qui ſpreui aliquando te, & multiplicaui peccatâ mea, iniurias tuas, ſuper numerum arenæ maris? Quid ergo Domine, impulit te vt meminiſſes mei? amor tuus, qui me, cùm non eſſem, fecit; & cùm factus eſſem, refecit. *Ioan.* 15. *Pſal.* 136. *Beneficiũ creationis.*

Natus eram, & mecum nati erant plurimi velut flores agri innumerabiles; & cùm ſtaremus ſimul coram te, innumeris in infidelitate relictis, pereuntibus ſine baptiſmo, iterum iuſſiſti vt egrederer de numero, & numerarer inter filios tuos. O dignatio! ô miſericordia! ecce tu velut in diluuio verus Noë mihi fuiſti, & ſaluaſti animam meã. Stabant innumeri, ſtant etiamnum in littore deſerti mundi huius; & ecce aquæ peccatorum inundant omnia, etiam ſummos montes ſuperant aquæ; ecce audio clamores, videre videor tendentes brachia, vt in arcam, Eccleſiam, in gratiam à te recipiantur: ego verò inter eos incurius ſtabam; contemnens & irridens te; & tamen, ô charitas Deus meus, me vocaſti à morte ad vitam, ab interitu ad ſalutem, à diluuio communi in arcam. Neque hoc tantùm, ſed portaſti ad eam, ad caulam tuam in humeris tuis. *Iuſtificationis.* *Nota diluuium pereuntium.*

Quomodo te amplectar, ô amor! ô charitas! ô abyſ- *Pſalm.* 32.

Pſalm.32. ſus amoris! Beata gens, verè beata, & ter beata, cuius eſt Dominus, Deus eius; populus, quem elegit in hæreditatem ſibi! De cælo reſpexit Dominus, vidit omnes filios hominum: de præparato habitaculo ſuo reſpexit *Applicatio ad Communionẽ.* ſuper omnes qui habitant terram. Et ecce, erat fames in Ægypto mundi; & eſt; ego neque de pane ſollicitus, ſed tibi Saluatori meo moleſtus eram, ac ſtabam inter innumeros, & ſto, qui fame pereunt; tu verò me vocaſti, & vocas, & nutris manu tuâ. quid dico, manu? paſcis corpore, potas ſanguine, & te totum mihi das; & *Ibid.* cuius ero? Ecce, ecce, ecce vt oculi Domini ſuper metuentes eum: vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.

Incendiũ mundi. Incendium eſt, & ardet mundus; ſto in medio reorum, quos iuſto iudicio ſinis concupiſcentiis ardere & *Pſalm.90.* conſumi: cadunt à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad me & tabernaculum meum non appropinquauit flagellum. Quid feci ego? quid merui? nihil; ſed vox ſanguinis tui, ô JESV, ô JESV, ô JESV, clamauit ad Deum Patrem, & inueni gratiam in oculis eius, & veniſti, & ſuſtuliſti me ex mediis periculis: & cuius ero? Anima mea ſuſtinet Dominum, quoniam adiutor *Pſalm.32.* & protector noſter eſt; quia in eo lætabitur cor noſtrũ, & in nomine ſancto eius ſperabimus.

Naufragiũ mundi. Naufragium erat, & eſt: &, eheu! quot fruſtra tabulam pœnitentiæ quærunt? quis eripere me potuit? quis voluit? omnes dereliquerunt me: ſed veniſti, deſcendiſti, & nataſti in ſanguine tuo, vt eriperes me. Eheu! quis ſum ego, & quis ſum ego? & quis tu? vnde me noſti, qui nihil ſum, & nihilo peius? vnde in tanto pereun- *Pſalm.33.* tium numero me diſcernis? vno equidem amore, ac infinitâ charitate tuâ. Benedicã Dominum in omni tem- *Miſericordia Dei erga peccatorem.* pore, ſemper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea, audiant manſueti & lætentur.

Ecce veniſti fortis armatus, & mandaſti exercitibus tuis, vt deleant inimicos tuos; inter eos ego eram & perieram

perieram; lata erat ſententia, maiorque mea erat quàm aliorum culpa; & tamen mandaſti, & audiui, Seruate mihi puerum iſtum: & cui viuam? Fremunt alij, & meritò: vlulant alij, invident alij, dicentes: Ut quid ille aſſumitur? quid ille præ nobis fecit? & erubeſco ad voces illas, quas mihi ſuggerit veritas & conſcientia mea. quid facturus es? miſereberis, ſcio; imò & reſpondebis pro me: An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? ecce aiunt illi: Iſte conſumpſit omnem ſubſtantiam ſuam: & ego erubeſcens audio, ac vim patior, reſponde pro me, apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi, effunde frameam, & conclude adverſus eos qui perſequuntur me: dic animæ meæ, Salus tua ego ſum. Dixiſti, & ecce confunduntur & reuerentur quærentes animam meam. *Matth.* 20 *Pſalm.* 34.

Video innumeros in nocte ignorantiæ, in tenebris neſcire quò vadant: ambulabam ego vermis cum illis inter mille millia, & ego qui eram in tenebris & vmbra mortis, vidi mihi oriri lucem magnam. Immò quid dicam? quid loquar? veniſti ipſemet, ô ſol iuſtitiæ, ô ſplendor gloriæ, ô candor lucis æternæ, & illuminaſti me; & cùm ſtarem cum omni gente quæ ſub ſole eſt, reuelaſti mihi aurem, & docere me voluiſti vias tuas. Quid vltrà dicam? quid loquar? ſilentium meum, & cor meum loquatur tibi. non feciſti taliter omni nationi, & iudicia tua non manifeſtaſti eis. Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen eius in idipſum. Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur. Iſte pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eius ſaluauit eum. Neque, ô bone Jesv, laſſatus fuiſti, etiamſi proiicerem ſermones tuos retorſum, & ambularem vagus, & luderem in plateis, & illuderem tibi; nihilominus elegiſti me, quem doceres vias tuas. Audire videor iterum muſſi- *Deus lucet nobis peccatoribus.* *Pſal.* 147. *Pſalm.* 33. *Patientia Dei.*

muſſitantes, & dicentes innumeros: Quare hic eligitur, & cur nos derelinquimur? nec habeo quod dicam, niſi, Miſericordias Domini in æternum cantabo; miſericordiæ Domini, quòd non ſimus conſumpti.

Pſalm.88. *Thren.3.*

Credo tibi, vt ſup.pag.7.

Poſt hæc omnia adhuc tamen erraui, & conſiliis tuis non obediui, ſed abii toties contemnens mandata tua, etſi leuia: & iam videbas me cum multis ire & perire; quid faceres, Deus meus, ô bonitas infinita, quid faceres? O quoties miſiſti Angelos tuos, qui reuocarent errantem, & clamarent ſuauiſſimè in auribus meis! Reuertere, reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere vt intueamur te. Reuerſus ſum itaque, vel potiùs retractus ſum. Nemo enim poteſt venire ad te, niſi Pater tuus traxerit eum. Nónne ſperare poteras, quòd oculi mei ſemper eſſent ad te, ſicut tui erant ad me aperti die ac nocte, & animus meus tecum eſſet? & non amarem vltrà aliquid, nec peterem, nec optarem, niſi fieri voluntatem tuam, quam ſcirem eſſe ſalutem, & ſummum bonum meum? ita meritò; ſed, eheu! quoties in actione intentio inficitur creaturæ amore, & detrahitur de amore meo erga te? & tamen omnis creaturæ amor non ſufficit mihi, vt dignè diligam te. Scio, & video multos traditos eſſe in manus dominorum crudelium, dæmonum, ſatellitum iuſtitiæ tuæ: dereliquiſti enim plurimos, & ceciderunt è vocatione, exciderunt gratiâ tuâ; & ego eodem de meliori iure deſeri debueram: concluſi erant omnes reti vanitatis, quo tegitur, vt vidit Antonius ſeruus tuus, vniuerſus orbis; ſed ſæpiſſimè mandaſti vt parceretur mihi, nec permiſiſti induci me in tentationem. Videor quaſi de terrâ audire clamores, & de ſub terrâ, quòd mihi peperceris, quòd me præueneris tot benedictionibus: imò, & de cælo admirantium & gratulantium voces quaſi percipere. Video plurimos admirari, quaſi non feceris eis, quæ incomprehenſibili benignitate præſtitiſti mihi. O quot ſunt mala mundi,

Quot modis Deus peccatorem reuocat. *Cant.6.*

Amor creaturæ noxius. *Deus à tentationibus præſeruat.*

Gratiarum actio.

&

& quæ non communi iure etiam puniri deberent peccata mea! tot, inquam, morbi, tot miſeriæ, tot ærumnæ: ſed prohibuiſti, ne accederent ad me. Quid retribuam tibi, Deus meus! qui retribuam? cui viuam, cui viuam? ô amor, ô charitas, Deus meus, vnum peto humillimè: adiutor meus eſto, ne derelinquas me, ne vmquam deſpicias me: ne diſpicias me, magne Deus, propter amorem tuum, nec proiicias me vmquam à facie tuâ. In te cantatio mea ſemper: tu ſcis. In te cantatio mea ſemper. *Pſalm.70.* Tamquã prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Suades emere à te aurum ignitum, id eſt amorem: cupio, & vehementer deſidero, & rogo iterũ humillimè, vt moriar potiùs, quàm non amẽ, non viuam niſi tibi, non loquar niſi de te, non ſperem niſi te, non quæram quidquam extra te. O vtinam, ô vtinam audias me, & admittas ad thronum gloriæ tuæ petitionem paruulam meã: ea eſt, vt cum non poſſim amare te, niſi per gratiam, des mihi amorem, & ſufficit mihi; veſtem iſtam nuptialem, vt ſentias fragrantiam eius, & benedicat mihi anima tua. Nec gloriam peto, nec donum vllum, nec priuilegium: hæc ſint & ſunt amicorum tuorum: ego ſeruus & filius ancillæ tuæ. nihil peto, niſi vt redamare poſſim amantem, mori poſſim pro te, & viuere tibi. Transfige me, & vulneret me amor tuus, vt moriar mihi, & viuam tibi. O amor! ô ignis qui ſemper ardes! ô charitas, ô Deus meus! Quis nos, ô anima mea, ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto IESV Domino noſtro. Amen. Amen.

Amor Dei emendus.

Pſal.115. *Actus amoris,*

Rom.8.

Exer-

Exercitium idem breuius per orationem & iaculatorias, quo in omni meditatione vti potes.

O *Veritas, ô bonitas, credo tibi hic & vbique mihi præſentiſſimæ & hæc N & quæcumque ſcripta, ſacta & dicta ſunt ad meam eſſe inſtructionem, & certiſſimè profiteor corā curiâ tuâ neque eſſe quòd excuſem niſi credam illa & opere id oſtendam per gratiam tuam. Tu potentiſſimus & ſapientiſſimus & optimus, & ego non credam tibi & hæc N. teſtimonia voluntatis tuæ non amplectar? Verè credibilia mihi & amabilia facta ſunt nimis: ſiue rationem N. & ſapientes N. ſiue rerum naturam inſpiciam & audiam. vtinam te audiſſem ſemper ô omne bonum & nunquam te offendiſſem. Vtinam vitâ meâ te honoraſſem, & ex patientiâ meâ oſtendiſſem fidem meam. Verùm ex nunc in æternum credam, & diligā te opere & veritate N. fac de me quod tibi viſum in æternum: ego gratiâ tuâ quum ſciuero voluntatem tuam, faciam ex intimo tui amore, & quæcumque reuelaſti pro ſalute mea amplectar, & omnes voluntates tuas, ô vita mea & bonum meum. Amen.*

Dei mandata credibilia.

Reſignati.

Iaculatoriæ pro eodem affectu.

Omnia & hæc poſſibilia ſunt credenti. Credo igitur ô bonitas, ô veritas, adiuua incredulitatem meam.

Dixiſti ô veritas ſi non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccatis. & poteris ô veritas in hoc negare mihi viuam fidem tuam?

O IESV *ſcio, fides ſine operibus mortua eſt, & ſine fide impoſſibile eſt placere tibi; adauge quæſo mihi fidem, vt placeam & viuam tibi, & amem te in æternum.*

Exercitium ſpei breuius.

Humiliatio ſui.

T*V ſcis Deus meus, tu ſcis, quod non ſimus ſufficientes aliquid facere ex nobis, vti nec hoc N. tanquam ex nobis. Itaque ego puluis & cinis ad te confugio, ut per te, & patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeam & in te ſperans non confundar. Tune enim ô bonitas, ſic N. me vocas,*

& repellere poteris? ſic inuitas & trahis ad te, & deficere ſines in viâ? In te Dom ne ſperans ſcio nõ infirmabor in æternum, etſi inueniam in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ, neque dignus ſim gratiâ tuâ. Sed qui dediſti mihi Corpus & Sanguinem tuum in precium, & te hodie paratus es dare in pignus ſalutis, & qui tot beneficiis N. præueniſti me, & petere toties iuſſiſti & dare promiſiſti ô bonitas, ô veritas, dabis vtique mihi quod petam. vt toto corde ſperem in te, & quamuis occideris me, ô ſpes & vita mea, in te ſperabo, etſi conſurgerent in me caſtra mundi huius & vanitatis, & reclamarent, portio mihi tamen erit, ſic N. cuſtodire legem tuam, & te ſequi: quò enim ibimus à te bone IESV *, nónne verba vitæ æternæ habes?*

Beneficia Dei & promiſſa ſpem excitant.

Iaculatoriæ.

Dixiſti Domine, & ita eſt, ſine me nihil poteſtis facere, quid ergo reſidui habeo, niſi vt oculos iam dirigam ad te, & tu, ô bonitas, adiuues me?

Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis.

In Deo ſalutare meum & gloria mea, Deus auxilium meũ & ſpes mea audiuua me, ecce enim tempus miſerendi, quia venit tempus.

Exercitium Charitatis breuius.

O Charitas Deus meus da mihi intellectũ, & diſcam mãdata tua, ſiue per epiſtolam ſiue per creaturam loquaris ad cor meum. Quidquid enim ad ſalutem diſco, tu præſentiſſimus mihi me ex infinito amore doces: O ſalus mea, & medicina animæ meæ. Et quanto, quanto id amore doces me, qui nihilum ſum ante te! tune bonorum meorum eges, vt tam ſpontaneo amore tot me bonis & charitate tuâ præuenias? Sic enim Pater æterne dilexiſti mundum, vt filium tuum vnigenitum dares. Sic tu benigniſſime IESV *Fili Dei, vt pro me in mortem dederis precioſam animam tuam, & grauia mihi*

Deus nos docet ex amore.

Magnitudo amoris Dei.

eſſe

eſſe que.nt mandata & conſilia tua? Diligam ergo hæc N & te Deus fortitudo mea, ô quam tibi adhærere mihi bonum eſt! quid ergo me ſeparare poterit à charitate tuâ? tribulatio?
Rom 8. an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecu-
Reſignaito tio? an gladius? fortis enim vt mors dilectio tua, & aquæ
Cant. 8. multæ ſpero non poterunt extinguere charitatem, id eſt, ignẽ quem veniſti mittere in terram, & vis vehementer accendi.

Jaculatoriæ

1. Cor. 13 Si habuero fidem vt montes transferam charitatem autem non habuero nihil ſum: vre igitur me amore tuo, cuius ignis eſt in Sion & caminus in Ieruſalem, & ſufficit mihi

Act. 16. Dicebat Apoſtolus tuus, crede in Dominum IESVM, & ſaluus eris tu & domus tua. ſalua igitur me, & da mihi vt te diligam ſicut dilexiſti me.

Ioan. 3. Sic tu Domine dilexiſti mundum, vt Filium tuum vnigenitum dares, vt omnis qui credit in illum non pereat; & ego ſic dilectus perire potero? & te ô omne bonum non amare, aut aliquid extra te?

Exercitium quo anima ſe eleuat in Deum in vel ante Meditationem, aut Communionem, aut poſt eam.

Præſentia Dei. O DOMINE Deus meus, ô bonorum Oceane in omnibus mihi præſentiſſime! Si enim coram te eorum quæ ſunt circa me veritatem & vanitatem conſidero, video omnia eſſe corã te quaſi non ſint: & in iis te magis eſſe & operari video, ô lux vera, quàm ipſa: ſunt enim iſta opera tua quæ ex infinitâ ſapientiâ, potentiâ & bonitate operatus es & ſuſtentas ea, & in iis etiamnum pro me operaris. O vtinam videã illa ſemper in te & ex te eſſe omnia! ſed velut tenuiſſimum radium à luce tua immenſâ, velut guttam, aut atomum, ut ſic dicam, de Oceano magnitudinis tuæ.

Cùm ergo hæc omnia ita ſint quaſi non ſint coram te, quomodò me creatura trahit, vel eheu quomodo retrahit à te id quod non eſt & quidem corã te qui ſolus es quod es, & es mihi

Deus

Deus meus & omnia? ita credo, ita ſpero;& te totâ animâ concupiſco. omnia enim(vti & nos)quid niſi vapor ad modicũ parens coram te? tu verò ſolus es qui es. ſi quid videam, ſi quid audiam magis te in eo audio quàm creaturæ ſonum aut vocẽ, præter eam quâ omnis clamat mihi, ipſe fecit nos, ipſe mouet nos propter te, & operatur in nobis. Atq; adeò tango te & amplector ſuaui amplexu animæ meæ;&,ſi voluero,guſto & video,quàm ſuauis ſis omne bonum,& mihi præſens,& trahor in odorem vnguentorum tuorum. Imò nihil video, aut videre volo niſi in te,ſic neque audire, niſi vocem tuam. Paratum cor meum; loquere Domine, quia audit ſeruus tuus. Deus in omni creatura operatur.

Certò equidem iam noui quòd velut lumen aut aër, aut nebula vndique cingas me, & certiſſimè ſcio cor, corpus, & animam meam intimè penetres; & irrigabis illam ineffabili gaudio, ſi voluero, ſi aperuero cor tibi, & omnes affectus meos in te conuertero,& vni adhæſero tibi. O quàm amarum mihi eſt te unquam dereliquiſſe,te offendiſſe & reſpuiſſe omne bonum, aut voluiſſe aliud extra te! Verùm iam ex miſericordiâ tuâ velut mare, magna eſt contritio mea, & doleo toto corde, quòd te ſummum bonum Deum & Patrem offenderim & contriſtârim, aliud præ te æſtimârim; gratiaſq́; tibi ago, ô fons bonorum, gratias tibi ago, & ardenter te amo, eò quòd in omnibus liceat mihi nunc videre oculis animæ meæ operantem omnia,& audire ad me clamantem vt ad te veniam,te amem,te amplectar & fruar. O quàm ſuauiter trahis me in odorem vnguentorum myſteriorum tuorum N. in quibus tribues ſi voluero, deguſtare poſſeſſionem veram omnis boni & pacem quæ exuperat omnem ſenſum. Quomodo circumdet nos Deus. Contritio. Gratiarum actio.

O amator fideliſſime, & præſentiſſime & intime mihi, amo & amplector te intimo cordis affectu, quia ſcio, ſcio me amplecteris, ſuſtines, & penetras, & amas me ſincerè, id eſt, vis mihi omne bonum, vis vt eo in te iam iam fruar, in te ſperem, viuam, mouear & ſim,& beatus ſim; ô beatitudo mea. Charior video tibi mea eſt, vt ſic loquar, quàm tua tibi vita, cùm illam pro me dederis, vt ego viuerẽ;& ſanguinem, vt ego biberem,& carnem ne eſurirem,& labores tuos vt ego quieſcerẽ. Actus amoris. Conuerſio omniũ affectuum in Deum.

 Quid

Quid ergo mihi eſt in cælo, aut à te qui ve[illegible]e poſſum ſuper terram. ſi quid enim delectabile aut videt oculus aut mens intuetur, id tu es qui delectabilis in creaturæ es & in eâ exiſtis vt me trahas in amorem tuum. O Deus meus qui es ſuper omnia deſiderabilis.

Creaturę nihil ſunt.

Nunc ô IESV, *ſi es mea venio toto corde ad te, & nihil videre opto vel audire aut cognoſcere cùm verè delectabile nihil, imò nihil vere ſit extra te, vnde etiã nihil verè ſatiat quietat, aut replet extra te.* Cur *ergò illudere mihi volo quaſi aliquid eſſet aut tibi qui es ſola mea delectatio? qui ades vbique mihi, cuius vox vndique ſonat in auribus meis, & facies decora illuminat me, vt vnum te videã dulciſſime* IESV, *te vnum amem toto corde & anima mea & beatus ſim in te cùm in nullo eſſe queã extra te. Poſſúmne in nihilo id eſt, creatura exultare? in eâ quæ nõ eſt pedem fiduciæ & amoris ponere potiùs quàm in te. qui in æternũ non deficis, & facis mirabilia magna ſolus, & ſolus, vt ſic dicã operaris omnia?* Tu *enim mihi ſolus luces per aſtra tua, in te ſolo aëre meo reſpiro, in te ſto & viuo, per te ſol iuſtitiæ video opera tua, & video verbum hoc quod factum eſt* N. *viſiionem magnam humanitatis tuæ videbo opera eius, & anima mea cognoſcet nimis, & diliget te totis viribus ſuis.*

Deus omnia operatur in omnibus.

Creaturæ vanus amor.

Videbo te vnum & video, ô lux vera in tenebris meis & illuminato mea in nocte hac. ſi igitur nullam veram lucem video niſi te, quò ibo niſi ad te quem ſequar? quid me ô IESV, *diuertet à te, ſi verè nihil video, quod amare poſſum extra te? ſi quidquid illud eſt, & nihil eſt & fumus & vmbra, & laqueus & muſcipula, & perditio, in te verò ſint omnia veritas & vita, & lux & ſalus & omne bonum. Quis vello poteſt quod nõ eſt, quod nõ ſatiat proinde nec tranquillat quod ſeu fuerit, ſeu ſit ſiue non ſit, & eſſe putetur, æquè ſatiet & euacuet. Quid enim ex viſis, auditis guſtatis ſupereſt, niſi dolor, aut deſiderium ſiticuloſum hydropici, vel canina fames egeni quid? an optabo vt potiùs creaturæ eam amando quæ non eſt bene, ſit illi inquam potius benè quæ agit vt malè mihi ſit, imò nihil ſim, quàm vt tibi, à quo omnia mihi bona venerunt, benè ſit, id eſt, vt ſincerè amẽ te, & cupiam te ſolum, & nihil quæram extra*

te;

te ac proinde de nullo negato vel amiſſo doleam, nihil optem mihi obtingere vel fieri niſi iuxta voluntatem tuam, ſed eam ſolam amem in omnibus.

Ach vtinam ego, vtinam omnia te ament, tibi ſeruiant, non mihi, non me ament, non laudent, ſed te ſolum; in te enim cantatio mea ſemper, & tanquam prodigium factus ſum multis, quia mihi verè adiutor fortis, & omne bonum meum: ô quàm certus ſum beatiſſimum me ſi nihil amē extra te in quo omnia; ſi nihil niſi propter te, ex quo omnia ſi nihil nihil niſi te videre velim cū in te omnia, & ſis vera lux & omne bonū non abſens, ſed præſentiſſimum; nihil præter te & voluntatem tuā fieri vel factum eſſe vel habere optem cùm nihil præter te ſit, imò laqueus ſit, & venenum, & perditio quidquid tu non es: nihil præter te timeā: ſub vmbrâ etiam alarum tuarum protegis me, & ſcuto circumdat me veritas tua, potentia & ſapientia neque mouetur abſque te gutta vel aterna vel atomus, nec moueri poteſt niſi per te, conſtituiſti enim terminos omniū, & ordinaſti omnia pro æterna ſapientia & bonitate tuâ, à ſummo cælorum vſque ad terminos eorum. Creatura vana timetur.

Quid igitur nunc formidare poſſum aut de quo triſtari, cùm tu verè tota ſis ſalus mea: quid amare præter te, cùm in te omnia habeam? cui placere alteri optem quàm tibi, cui diſplicere timeā niſi tibi? nónne tibi ſi placeo, omnibus placeo? quid dico omnibus placeo, cùm nihil ſint & tu vnus ſufficias mihi Deus meus & omnia? an non credo te eſſe quèm teneo, video, audio & amo? an non credo quòd nemo bonus niſi tu Deus meus? nemo mihi velit bonum aut voluerit vnquam, ſed tu per eum feceris, & volueris qui ſolus bonus es: illi verò nec bona habeant, nec alicui velint aut velle poſſint niſi per te? cui igitur placere volam aut diſplicere timeam? cui timorem & amorem debeo totum, niſi tibi charitas ineffabilis Deus meus? Creaturæ placere vanum aut quidquā ei tribuere.

Amo igitur te quantum poſſum, & opto ſupra id quod poſſum omnes omnium creaturarum affectus & amorem transferre in te; odium peccatorum & damnatorum in tui amorem, blaſphemias eorum in tuas laudes commutare, areas omnes & guttas, & atomos in ardentiſſimos Sera- Actus amoris.

 phinos,

phinos, in Choros eorum & cælos illis pleniſſimos conuertere; omniumq́ eorum & beatorum laudes futuras in æternum iam repræſentare tibi; & quid hæc ſunt omnia ad te? non velut momentum ſtateræ; non velut gutta ad Oceanum & mundum vniuerſum. Nihil enim ſunt omnia ſi tecum comparentur. neque quidquam cupere poſſum præter te vnum, vtq́ te ſolum ament omnes, tibi ſeruiant, de te ſolo cogitent, gaudeant, te timeant, & in omnibus ſolum laudent. Tibi ô Oceane, & abyſſus bonorum, benefaciant, id eſt, iuxta legem tuam benè velint, non mihi niſi quâ per me velle eorum redundet, & refluat in te, & nihil remaneat in me, qui non ſum aut eſſe volo ſine aut extra te, aut præter te.

Nulla nulla iam me tenet ſollicitudo mei, quia ſcio, & humillimè gratias ago, tu ſollicitus es de me, infinities meliùs quàm ſi ego forem. Non me iam occupat creaturæ alicuius amor. ſed relinquo omnia, & odi etiam animam meam vt te diligam: neque enim demens habere volo nihilum pro omnibus bonis vel ſuper omne bonum. Nullus me iam timor angit, quia timenti te Domine nihil deeſt: cùm poſueris me iuxta te, cuiuſuis manus pugnet contra me, vel potiùs contra te. Quia me vt pupillam oculi tui cuſtodis, quia locas me in medio dulciſſimi cordis tui, & in manibus tuis deſcripſiſti me, & operatus es ſalutem meam in medio terræ cum labore, & nunc mecum es vſque ad conſummationem ſæculi, & omni horâ paratus me viſitare & ſolari, & operari pro me pergis infinito & ſuauiſſimo cum amore. Vulneraſtis cor meum, & effeciſti faucibus meis eloquia tua dulciora ſupra mel & fauum. Reuela obſecro oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua, de vitâ tuâ, de amore tuo, qui mihi es ſuauiſſimus & plus millies gratiſſimus, quàm dicere ſufficimus.

Applicatio ad Communionem.

DECI-

DECIMÆ SEXTÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Vis virtutem notatam in myſterio N. ſequi? Deo ſoli confide, diffide tibi.

ETſi virtutem in myſterio obſeruatã, & *A* Chriſtum ſequi decreueris; eheu! retinebit *B* mundus & pondus corruptæ naturæ: vel etiam *C* peccati vinculis retraheris: ſed confide in Deo, & *D* Chriſtus ſuâ te gratiâ liberabit, & viam oſtendet ad *E* virtutem. Hac abſque gratia homo *F* infanti ſimilis eſt, qui neque ſurgere, neque conſiſtere, nec ſe tueri, nutrire, aut hæc ab alio petere valet. Tibi itaque diffide, Deoque ſoli, eiuſq; gratiæ confide cum *G* Dauide, qui non in funda, ſed in nomine Domine Goliam ſuperauit: neque dubita vllo pacto, ne cum *H* Petro ob modicam fidem mergi incipias.

CAPVT XXXVIII.

Meditatio de Confidentiâ in Deo, & diffidentiâ ſui in omni oratione exercendâ.

Homo nihil poteſt ſine gratiâ Dei.

COMPOSITIO LOCI. vt in imagine. PETITIO huius virtutis.

PVNCTVM I. Conſidera hominem ita infirmum eſſe, vt quamuis videat meliora & probet, tamen ea, ſiue quòd mundi amore & naturæ pondere, ſiue quòd à dæmone peccati vinculis retineatur, niſi gratiâ Dei opitulante, ſequi non poſſit. Nemo enim poteſt venire ad JESVM, niſi per illum attractus fuerit. Quod ſponſa expreſſit clamans: Trahe me poſt te, curramque in odorem vnguentorum tuorum: diffide ergo tibi, Deoque confide. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7. Conſidera Secundò, hominem velut infantem eſſe, hoſtibus cinctum, eorumque iniuriis expoſitum; vt enim ille ſe tueri nequit, neque ſi ſorduerit, mundare, aut lapſus erigere, aut iam erectus niſi alterius ope conſiſtere; ſi fames aut ſitis vrgeat, nec cibum quærere, & (quod omnium miſerrimum) nullius in his opem flagitare poteſt: ita homo non eſt ſufficiens aliquid ex ſe tamquam ex ſe facere, nec dicere, JESV, niſi in Spiritu ſancto. Ecce quàm rectè monet nos Dominus: Niſi fueritis ſicut prauuli, non intrabitis in regnum cælorum. Solus enim qui ſe talem cognoſcit & æſtimat, ad Dominum accedit dicentem: Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cælorum. *Aſpira* vt ſupr. pag. 8. *Hæccine firmâ.* Tertiò, conſidera quàm ſit huiuſmodi infans reſignatus, & parùm ſollicitus, quoad victum, veſtitum & habitationem; nihil enim eorum cogitat, ſed aliis omnem ſui curam ſecurus committit: hunc imitari ſtatue, ac diuinæ pietati omnia committe. Quartò, quomodo Dominus inſtar ſuauiſſimæ matris omnibus his infantilibus incommodis amantiſſimè ſuccurrat, vt meritò per Iſaiam

Ioan. 6.

Cant. 1.

Homo velut infans. Vide P. Puēte medit. 50 parte 6.

1. Cor. 12.
Math. 18.

Lucæ 18.

Committere ſe & resignare Deo quiſque debet.

Iſaiam dicat: Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis, Ecce ego declinabo in vos fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam; &, Numquid poteſt mulier obliuiſci infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui: ecce in manibus meis deſcripſi te. *Credo tibi*, vt ſu. p. 7. *Iſaiæ 66.* *Deus inſtar matris.*

PVNCTVM II. Conſidera animo quieto omnia quæ hîc vides in vniuerſo, & à Deo habere quòd ſint, quòd conſeruentur, & operentur, ex ipſo & per ipſum & in ipſo nos viuere, moueri & eſſe, vt Apoſtolus loquitur: in quo ergo potes confidere & quid tibi tribuere? Secundò attende, fide certiſſimum eſſe, nos nihil abſque Deo eiuſque gratia ſingulari poſſe ad ſalutem operari, iuxta illud: Sine me nihil poteſtis facere; ſed omnia illum operari in omnibus, tribuereque ſingulis prout vult. Credis hæc & confidis in virtute tuâ? Conſidera Tertiò, quantopere diſpliceat Domino, hominem in ſe, vel in alio quàm in eius bonitate, ſpem collocare. Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum; erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non videbit cùm venerit bonum; & qui confidit in cogitationibus ſuis, nihil agit. *Credo tibi*, vt ſuprà pag. 7. Quartò, deſeri à Deo omnes, qui ſibi fidunt; vti Goliath à Dauid in nomine Domini ſuperatus; Nabuchodonoſor velut beſtia factus. quare Propheta Amaſiam ſic monuit: O Rex, ſi putas in robore exercitus bella conſiſtere, ſuperari te faciet Deus ab hoſtibus tuis: Dei quippe eſt adiuuare, & in fugam conuertere. Experti id Iſraëlitæ numeroſi, victique à Beniamitis paucis, quia, ait Scriptura, Filij Iſraël & fortitudine & numero confidentes aciem direxerunt. Cenſet omnino Baſilius, neminem ſuperari à tentatione vllâ, niſi ſibi plus æquo fidentem. Richardus verò, Impoſſibile eſt hominem de ſe ipſo triumphare, qui non

Vid. Lud. de Puente 6. p. med. 50. Act. 17. *Ioan. 15.* *Ierem. 17.* *Prou. 12.* *1. Reg. 17.* *Deſeritur à Deo qui ſibi fidit.* *Dan. 4.* *2. Par. 25.* *Iudic. 20.* *Baſilius.* *Richardus.*

non exprimento didicerit propriâ virtute ſe non poſſe obtinere triumphum; & tentationes ſolere Dominum tamdiu immittere, donec id planè intelligat.

Haeccine vera, &c. vt ſuprà pag. 7.

Spes à malis omnib: ſ liberat. PVNCTVM III. Conſidera quomodo in Deo confidentia hominem ab omnibus malis liberet. Inuoca me, ait, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me; *Pſalm. 49.* & rurſus vel parùm Deo diffidere, grauia mala creet, *Num. 20.* quocirca Moyſes hæſitans ad aquas contradictionis *Matt. 14.* excluſus eſt terrâ promiſſionis, & Petrus in mari mergi cœpit, qui antè Deo confidens vndam calcabat. Secundò, cauſam huius exquire, & reperies quòd homo Deo diffidens plus ſibi fidere videatur, quaſi aut bonitas infinita nolit, aut potentia immenſa non poſſit eruere, aut quod deſiderat præſtare, aut alius poſſit ipſo renuente. Tertiò conſidera, quanto amore Dominus ducem ſe offerat volenti viam ſalutis inire: Ego ſum, ait, via, veritas & vita; non tantùm vt viam oſtendat; ſed etiam vt portet bonus & optimus Paſtor ouiculam errantem & debilem in humeris ſuis, & non ſequar, & illudam tibi? ô bonitas! ô immenſa charitas! cùm tu id velis, & ego poſſim? Quartò, expende Do- *IESVS nos inuitat ad ſequelam amantiſſimè.* minum, quantumuis ab homine plurimis peccatis prouocatus ſit, mox vt ad ſe ſequendum venerit, non recordari præteritorum: ſed, vt in filio prodigo demonſtrauit, illum amplecti, & ſolari, & induere ſtolâ primâ, &c. Poſtremo apparet IESVS ſemper vultui Patris *Hebr. 5.* in cælo, vt pro nobis intercedat optimus aduocatus, qui numquam non exauditur pro reuerentiâ ſuâ, pro nobis, ſi nos oues audiamus vocem illius.

Exercitium breuius.

PROTECTOR *noſter aſpice Deus, & eſto ſi mamentum & refugiũ meum: etenim credo tibi Domine, & in te ſpero, & toto corde te diligo. Deus meus ne elongeris à me, Deus meus in auxiliũ meũ reſpice, & me emptũ ſanguine tuo ſtantem*

tem in lubrico, vndique laqueis & foueis animæ mea cinctum trahe in funiculis charitatis tuæ. O quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, vt volem & non deficiam? vt ſequar, ſic N. te paſtorem meum gratiâ tuâ, & adhæream tibi toto corde meo! Tibi, ô Iesv, *derelictus eſt hic pauper; orphano mihi, quæſo, Pater miſericordiarum, ſine quo nihil poſſum, eſto mihi adiutor: Tu enim es Deus meus, ſpes mea vnica, adiutor meus, protector meus, cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus, Amen.* Pſalm. 9.

Exercitium longius

VOCAS *me, Domine, vt ſequar te, & amantiſſimè vocas, non ſigno tantùm, non commotione, non ſibilo auræ tenuis, ſed vocas clamore valido exempli tui, lacrymarum tuarum & ſanguinis tui; ſic me me ſeruum vocas? etiam inuitas chirographo, non mortis, ſed vitæ, quo promittis æterna, ſi ſequar; an credo? O quàm fortiter, quàm amanter trahit verbũ tuum, lacrymæ & ſanguis tuus, & cor tuum loquitur ad cor meum. Et quomodo factum non eſt, ſicut cera liqueſcens in medio ventris mei, & à voce hàc tuâ contremuerunt labia mea? nónne gloria magna eſt, ſic N. ſequi Dominum ſuum? Sed eheu Deus meus! infelix verè homo ego ſum, quis me liberabit de corpore mortis huius, quod aggrauat animam meam, ne te ſequar & conſequar omne bonum? Condelector quidem legi tuæ ſecundùm interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Ecce non quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago. Volo ſequi te quocumque ieris, & currere in viâ mandatorum tuorum, & virtutes tuas imitari.*

Vocatio diuina. Rom. 7. Rom. 7. Confeſſio miſeriæ ſuæ.

Sed quid retinet me? Ecce N. N. nugæ nugarum, vanitas mundi huius, & corpus hoc quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem & volentem aſcendere ad te; vide, obſecro, Domine, afflictionẽ meam, vide vt multiplicati ſunt qui tribulant me, vt multi inſurgant aduerſũ me. Circumdederunt me ſicut apes, exarſerunt ſicut ignis in ſpinis: ſed nónne tu in nomine

Sap. 9. Pſal. 5. Pſal. 117.

tuo vlciſcar in eis? impulſus euerſus ſum vt caderem, ſed tu
Act. 17. *Domine ſuſcipe me. Quæ enim creatura non reuolueretur in nihilum abſque te, in quo omnia viuunt, mouentur, & ſunt? Qui homo fragilis & debilis ſtare poſſet abſque te in lubrico*
In lubrico ſtat homo. *vitæ huius? Obſecro te, ſpes mea, non veniat mihi, non veniat, quia ſtare eò non poſſim, pes ille ſuperbiæ, vt confidam in virtute meâ. certus enim ſum, quia nihil ſum, nihil ſcio, nihil poſ-*
1 Cor. 12. *ſum abſque te, in mediis poſitus hoſtibus, in mediis fluctibus,*
Pſalm. 43. *& ærumnis. Omnia tu in nobis operaris, Domine, hoc ſcio, &*
Pſal 114. *non in arcis meo ſperabo, & gladius meus non ſaluabit me; ſed dextra tua fecit virtutem, dextera Domini exaltabit me, dextera Domini faciet virtutem. Fortitudo & laus mea tu es, & factus es mihi in ſalutem. In te eripiar à tentatione, &*
Pſal. 17. *in Deo meo tranſgrediar murum.*

In Deo eſt fidendum. *Tu ſolus præcinges me in virtute, & pones immaculatam viam meam, & perficies pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatues me, docebis manus meas ad prælium, & pones vt arcum æreum brachia mea. Ego autem perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant: confringam illos, & non poterunt ſtare cadent*
Pſal. 143. *ſubtus pedes meos. Benedictus Dominus qui docet manus meas*
Iſaiæ 66. *ad prælium & digitos meos ad bellum. Iſte Deus meus, Saluator meus, adiutor meus, non emigrabo. Iſte liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. quomodo enim obliuiſci mei potes, quem in manibus tuis deſcripſiſti? Non potes, & ſi*
Pſalm 43. *mulier obliuiſcatur infantis vteri ſui. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis; ſaluaſti enim de affligentibus me, & odientes nos confudiſti. O Domine, ô Domine, ſaluum me fac ſalus mea, etenim tu ſcis, quia puer ſum ego, neſciens introitum & exitum meum*

Applicatio ad Communionem. *Confitebor tibi, quoniam exaudiſti me, & factus es mihi in ſalutem; Deus meus es, & exaltabo te. Venite & audite omnes qui timetis eum, & narrabo vobis, quanta fecit & faciet animæ meæ: quanta? immenſa, infinita, incomprehenſibilia, & inſcrutabilia; nam & hodie verè, verè, ô anima mea, magnificauit*

ficauit facere nobiſcum, & quare non facti ſimus lætantes? faciet enim paſcha ſuum apud nos IESVS, *ſed Paſcha faciet, & hoc eſt tranſitus Domini. O* IESV, *ô* IESV, *mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit. Ecce quod hoſtes circumierunt me inermem & infantem: quid faciam? vel potiùs quid facies? ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie Dei, & iuſti epulentur & exultent in conſpectu tuo & delectentur in lætitiâ, quoniam in nomine tuo, ô* IESV, *vlciſcar in eos.* Pſal. 117.

Nolite, quæſo, confidere in Principibus, in filiis hominum, in his enim non eſt ſalus, ſed in Deo IESV *meo; neque enim in fortitudine ſuâ roboratur vir, neque in tibiis viri beneplacitum erit ei Et maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. At verò fortitudo mea, & laus mea tu es, bone* IESV, *& factus es mihi in ſalutem. Dominus petra mea, & robur meum, & Saluator meus, Deus fortis meus, ſperabo in eum: ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ, eleuator meus. & refugium meum, Saluator meus, de iniquitate liberabis me, inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Non glorietur ſapiens in ſapientiâ ſuâ, & non glorietur fortis in fortitudine ſuâ, & non glorietur diues in diuitiis ſuis: ſed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe te, quia tu lucerna noſtra, Domine, & tu illuminabis tenebras meas; tu Paſtor meus & paſtor verè bonus, qui, ſpero, noſti me, & errantem ouem reduces in humeris, tu ad paſcua æterna, tu loquêris pro me bona in conſpectu Patris tui, tu ſolus refugium, tu ſolus liberator meus, & auxilium meum de inimicis meis iracundis. Intuere ſuperbiam eorum; & reſpice ad humilitatem noſtram, & faciem Sanctorum tuorum attende, & oſtende, quoniam non relinquas præſumentes de te, & præſumentes de ſe, & de virtute ſuâ gloriantes humilias: tibi enim derelictus eſt pauper. Aſpice igitur, aſpice qui intueris cor & omnes vias noſtras. Ecce ego pauper & inops & orphanus. Suſcita, ſuſcita de puluere egenum, & de ſtercore imperfectionum iſtarum N. eleua pauperem,* Ierem. 17. 2. Reg. 22. Ierem. 9. Pſalm. 9. Pſal. 118.

vt complaceant tibi in illo, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat, & te amet vti deſidero, teq́; laudet ac glorificet in ſæcula ſæculorum. Amen.

Praxis ad fiduciam in Deum, & diffidentiam ſui in quacumque oratione & re concipiendam.

PRIMO, conſidera quomodo plurima variis in rebus tibi malè ceſſerint, etſi conſilia optima cepiſſe widereris.

Secundò, nihil attenta niſi Numine propitato & inuocato, nihil enim abſque Dei gratiâ poſſumus. Igitur priuſquã incipies rẽ aliquã alicuius momenti, ſaltẽ contritionẽ exerce, & Deũ inuoca, dicens: *Deus in adiutoriũ meũ intende.* Quo verſu Patres olim frequẽter vti ſolitos refert Caſſian.

Antequam quicquam incipias, contritionẽ excita.

Caſſian.

Tertiò, grates Deo de ſucceſſu age, adito, ſi fieri poteſt, Venerabili Sacramento: neque vnquam tibi aliquid tribue, ſed Deo; idq; etiam verbis teſtare: quemadmodum enim Religioſi etiam hæc nomina *meum & tuum* vitarunt, ita etiam hic expedit proprium ſibi nihil facere, vt fiat illud: Si quis miniſtrat tamquam ex virtute quam adminiſtrat Deus ſi quis loquitur tanquam ſermones Dei, vt in omnibus honorificetur Deus.

1. Pet. 4.

Omnia Deo tribue

Quartò, peculiaribus beneficiis ſolemnem quotannis diem pro gratiarum actione deſtina.

Quintò, quotidie bis in examine, aut ſaltem ſemel, gratias Deo age, & omnia bona & mala quaſi de manu eius accipe.

Sextò preuide agẽda malè, vel pridie veſperi, & pro ſingulis gratiã pete, magnâ cum humilitate ac tui diffidentia.

Septimò, nullum vnquam beneficium ab homine pete, quin prius à Deo omnium largitore id ſuppliciter efflagitâris, & quaſi impetrâris: diſpenſatores enim ſunt homines. Deus ipſe eſt Dominus, ſine quo illi diſpenſare nequeunt, etiam ſi maximè velint; neque quidquam negare, cùm diuinæ eius bonitati viſum fuerit.

Prius à Deo quàm ab homine quicquam petas.

Octauò, prætere facit ad diffidentiã ſui, in re propria nõ inniti prudentiæ ſuæ, ſed diuinæ: & præterea humiliter ab aliis conſilium & auxilium poſcere. Magnę certè eſt argumentũ arrogantiæ & præfidentiæ, ſi ſe ſolum quis ſapere exiſtimet, nullius conſilium exquirat, aut dicis cauſsâ tantummodo, & adhibeat qui ſua collaudent conſilia potiùs quàm dirigant. Certũ verò eſt hominem ſibi diffidentem Deoq́ue confidentem dum induſtriæ, tum prudentiæ, tum

Arrogãtia eorum, qui aliena conſilia reſpuunt.

tum certè alterius probitati magis, quàm ſuæ confidere. Hoc in illis efficit vt reſignati ſint ad quæuis iuſſa Superiorum, nihil detrectent, nihil ambiant cum ſibi diffidant.

Nonò, eſt & hoc diffidentiæ ſuæ argumentum & praxis, numquam dicere, Faciam, Feci, Promitto, ſeu cum aſſeueratione. Id effectum dabo; ſed hoc pacto, Dei gratià & auxilio id faciam: Præſtabo, ſi Dominus me dignatus fuerit iuuare; & ſimul attollere cor in Deum, atque auxilium petere. *Modus loquendi eius qui ſibi diffidit.*

Dignatus es, &c. vt ſup. pag. 10.

JACVLATORIÆ

Non nobis, Domine, non nobis; ſed nomini tuo da gloriam. Pſal. 113.
Ex te & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus & omnia.
Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Pſalm. 26.
Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime. Pſalm. 91.
Per ſingulos diebus benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. Pſal. 144.
Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi. Ibidem.
Ego autem mendicus ſum & pauper: Dominus ſollicitus eſt mei. Pſalm 39.
Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedicto tua. Pſalm. 3.
Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo tranſgrediar murum. Pſalm. 17.
Conſerua me, Domine, quoniam ſperaui in te; dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Pſal. 15.

DECI-

DECIMÆSEPTIMÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

Conſidera, & pondera virtutem cum vitio, atque vtriuſque naturam expende.

VIs te magis ad *A* virtutem exſtimulare? vide vt hæc *B* vitio, totiq; mundo præponderet. Virtus tibi pollicetur ac oſtentat laudem & præmia; vitium ſeruitutem & pœnas (qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati.) Virtus, animæ potentias ſanat ac roborat: vitium ſauciat triplici telo, vt ſunt tria mundi mala, & perdit. Attende vtriuſque *C* occaſiones, & amplectere virtutis, fuge peccati anſas. *D* Virtus omnis, quemadmodum patet in *E* paupertate, expeditum, vt S. Franciſcum, facit, & viâ rectâ te promouet ad *F* ſalutem: *G* vitium verò à viâ ſalutis abſtrahit, quemadmodum *H* mundus, & eius amor ac diuitiarum ducit per vas anfractuoſas, grauatq; ut minimum adſcendentem, ac teſtudineum facit gradum. Quid ergo? primum illud in omni deliberatione propoſitum tibi habe, quem ad finem *I* creatus ſis, vtq; ad eum ſola virtus, & quæ cum virtute coniuncta ſunt, te ducere, & promouere queant.

CAPVT XXXIX.

De primo medio meditationem atque affectus eius ampliandi: ſiue meditatio de ponderatione virtutis ac vitij, & illius electione.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. & ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, quomodo Dominus omnia in pondere, numero & menſurâ creârit; & quantum magnitudine, dignitate, pretio cæleſtia hæc terrenis antecellant, & æterna ſint à te momentaneis anteponenda. Intuere igitur illa, & ex horum aſpectu affectum ad cæleſtia attolle; illa enim creauit benigniſſimus Deus, vt tu, qui cælum aſſiduè intueris, illius pulcritudinem, magnitudinem, & in hæc inferiora imperium & hæc ipſa in Deo tuo contempleris. Vide an ad cæleſtia non tantùm caput, ſed etiam animum perpetuò erectum habeas, & ſpiritualia ac æterna petituris anteferas, an verò illa ſegniter, vti mundani, tractes. Secundò attende quàm vera illa Dauidis ſententia: Verumtamen vani filij hominum, mendaces filii hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum. Quantum autem id Deo diſpliceat, Salomon docet, dicens: Pondus & pondus, menſura & menſura, vtrumque abominabile eſt apud Deum. O quàm iniquo pondere æſtimantur cæleſtia, quàm magno appenduntur terrena! Vide, quàm parui materia virtutis, dura, aſpera, ſerpens, ſitis, ardor, arenæ, iniuriarum tolerantia (quam S. P. Jgnatius ſuis magni faciendam, ſummiq; momenti in conſpectu Creatoris ac Domini noſtri aſſerit) paupertas item, eſuries æſtimentur ab huius ſæculi filiis; & contrà quanti honores, voluptates, genus, robur, opes, &c. faciant: imò nummum vnum, verbum vnum: ſæpe enim, vel ob hoc, vel illum, etiam vitæ & animæ æternam iacturam faciunt; & veluti pueri de bullis & quiſquiliis

Sap. 11. Deus omnia fecit in pondere.

Pſalm. 6.

Prov. 20.

Iudicium mundi vanum.

quiliis diſceptant ; æterna, veramque virtutem deſpiciunt. hinc tribunalia omnia litium ac litigantium multitudine obruuntur ; æmulatio verò virtutis rara. Tertiò, vnde hæc contingant, & deprehendes ex eo, quòd finem creationis non reſpiciant. ſed præſentia : ſi enim illi intenderent, nihil æſtimarent iſta, niſi quatenus ad illum iuuarent : ſicut infirmus medicum & pharmacum ponderat ex eo, quòd ad ſanitatem vtilia, & miles arma, & quilibet artifex ſua inſtrumenta, in ordine ad finem ſuum. Vide an communi errore abripiare, quid te turbet, quid ſperes, & quo fine, an meliora eligas, habitâ ratione ſalutis tuæ. & ad particularia vitia tua, & virtutes quam exoptas, deſcende.

Aſpira. vt ſup. pag. 8. *Hæccine firma*, &c. ibid.

PVNCTVM II. Conſidera nullos rectiùs hæc conſiderare poſſe, & appendere quanti virtus, quanti mundus, quàm eos, quibus iſta ſpecie ſuâ non imponunt, quique pretium eorum intimè cognoſcunt. Vide igitur quanti Deus ipſe iſta mundi bona æſtimauerit, tum quòd improbis bona hæc ferè largiatur, filiis autem ſuis, & bonis virtutem, atque adeò idcirco filium in terram miſit, vt nos mundi deſpectum, virtutis pretium edoceret. Túne credis reipsâ Deo tuo? inſpice vitam eius, & tuam. Secundò, quanti Angeli vana hæc & virtutem N. faciant, qui perpetuò ad eam nos adhortantur. Tertiò, quanti dæmones, qui aſſiduè dehortantur homines ex implacabili odio, & nihil non tribuunt ſuis ſeruis & mancipiis, vt à virtute abducant ; nihil timent, nullo domantur, niſi ſola virtute. non enim eſt
*Iob.*41. poteſtas, ait Iob, quæ comparetur ei. Quartò, vide quanto Ethnicis etiam improbis ficta & adumbrata virtus ſemper in honore fuerit, eamque reueriti ſint, ſolo lumine naturæ illuſtrati: quibus honoribus illi ſuos, quos etiam habent, Anachoretas, ſacrificulos colant, vanâ probitatis ſpecie improbitatem ſummam velantes. Tu verò quanti facis? quantum laboras pro eâ? Quintò, vt virtutem

virtutem ames, conſidera quid ſit virtus in ſe: nempe bona qualitas mentis, quà rectè viuitur, quâ nemo male vtitur, quàm Deus ſine nobis in nobis operatur. Quid optas aliud, quàm rectè & beatè viuere? illa enim mala omnia vincit, & in vulnerabilis eſt, ac tales ſui amatores facit; palmâque donat & coronâ, ſuperat ardua, & petit volucri greſſu atque alis cæleſtia. Deinde pulcritudinem eius quaſi intuere. Nihil certè, ait Lactantius, virtute pulcrius, nihil ſapientiâ dignius inueniri poteſt, de hac aiebat Plato, Si oculis conſpici poſſet, mirabiles amores ſui excitaret. Clemens Alexand. in Pædagogo, In ſolâ, ait, animâ apparet pulcritudo: & ideò is ſolus: qui eſt virtute præditus, verè eſt pulcher, bonus, honeſtus: & ſolum quod pulcrum eſt & honeſtum, bonum eſſe ſtatuitur. Sola autem virtus vel per pulcrum corpus apparet, & in carne effloreſcit moderationis ſpeciem amabilem oſtendens, quando mores tamquam lux quædam in formâ reſplenduerunt. Vt autem id meliùs conſpicias, conſidera Adamum in innocentiæ ſtatu, eiuſque mentem & animam benè ordinatam, & eandem poſt lapſum. Deinde conſidera virum hâc vel illâ N. (pro quâ acquirendâ laboras) virtute præditum tibi notum, & attende quid in eius intellectu, voluntate, memoriâ virtus efficiat: intellectum verum efficit, voluntatem rectam & tranquillam, memoriam ſanctis cogitationibus implet; quid demum in corpore atque actibus eius externis operetur. Tertiò, inſpice Rempublicam, & vide eam ſolam benè ordinatam, vbi optimi Superiores aliis imperant, & ſic eſſe animam virtute ornatam, quietam, pacatam, vbi virtute paſſiones ſunt domitæ, vbi nihil timetur, nihil ſperatur. Sextò, conſidera virtutis originem à Deo eſſe, ſummo bono; vitium à dæmone, ſummo malo imò verò vitium hominis ſummum eſſe malum, & virtutem ſummum & ſolum bonum. Nihil enim hominem bonum, ſanctum, iuſtum efficit præter virtutem; nihil im-

Lactant. l. 3. inſtitut.
Plato.
Clem. Alex.
Virtus in lut lux in homine ſplendet.
Virtus nè alio conſideranda.

 probum

probum, nulliuſque pretij & malum præter vitium. Quæ verò dementia, vt omnia bona velint homines præter ſe? Auguſt. Bona ait, vis habere; & non eſſe. Quod cùm ita ſit, nihilque te bonum præter virtutem efficere poſſit, quid vanitatem & iudicium hominum æſtimas, quid bona caduca, quæ vitium proponit? quibus habitis neque melior, neque beatior eris, imò peior & infelicior. *Haccine vera*, vt ſuprà pag. 7. vel *Iudicia tua Deus*, vt infrà 563.

Auguſt.

PVNCTVM III. Conſidera Primò, quid ſit vitium, monſtrum ſcilicet quod animam deformat, cæcam reddit, labe aſpergit, morbiſque plurimis affligit, & grauiſſimè tripliciq́ue telo vulnerat, ſcilicet in cogitatione, intellectu & voluntate, vt patet in ſuperbiâ, auaritiâ, luxuriâ, irâ, &c. Finge igitur hoc, quod velles eradicatum in te, vitio laborantem alium notum aliquem tibi intueri, eiuſque cogitationes, iudicia, ſermonem, &c. Deinde inſpice te, quid vitium illud in tuâ cogitatione &c. operetur, & deteſtare generosè. Cogita deinde Angelos pulcerrimos, & ſapientiſſimos, & quid in illis mentibus effecerit ſuperbiæ peccatum. Secundò attende eius bona, ſi quæ ſint, vnà cum toto mundo, vide an vllo pacto cum virtute ponderari poſſint aut comparari. Tertiò, quanta ſit virtutis N. libertas, quanta vitii N. ſeruitus: quantum enim ſeruit ambitioſus, auarus, guloſus, luxurioſus & quàm duræ eorum leges? etiamſi enim de animâ, famâ, vitaque etiam æternâ agatur. Non poſſum, ait, &c. abſtinere à vitio cui obligatus ſum. Quartò inſpice infernum, & attende ſuper omnia quantum Deus oderit peccatum, ipſe infinitum ſcilicet bonum infinitum malum. Quintò, quomodo omnibus bonis ſpiritualibus animam ſpoliet, Dei amicitiâ, Spiritus ſancti donis, fructu bonorum operum, denique eheu! deleat è libro vitæ, &c. *Haccine vera*, vt ſu. pag. 8. Conſidera, quid ſit occaſio virtutis, quàm calua à tergo, vti fingi ſolet, ita vt numquam recuperari queat; quàm ſtudiosè

Quid vitium.

acceptanda, & vitium eiuſque occaſio vitanda; quanta ex illa neglectâ triſtitia, ex hâc vitatâ lætitiâ conſequatur. Sextò, conſidera quomodo vno aliquo heroico actu per occaſionem oblato, ſæpè fortiter eò vtendo, in perpetuam ſe quis afferat libertatem; vitij verò ſimiliter ſeſe occaſione laqueatâ obiiciente, in perpetuam transferat ſeruitutem: hanc fugere firmiter ſtatue, & principiis obſtare: quia ſerò medicina paratur, quique amat periculum, peribit in eo. Quantum, aiebat Seneca, poſſumus à lubrico recedamus, in ſicco quoque parum firmiter ſtamus. *Occaſione vtendum. Eccli. 3. Epiſt. 117.*

Exercitium breuius, ne cum mundo in virtutis precio erremus.

IVDICIA *tua, Deus, vera, iuſtificata in ſemetipſa. Credo tibi, & ſpero in te, & toto corde te diligo. Vtinam ego & homines ſaperent, & intelligerent, & nouiſſima prouiderent. O ſtateram doloſam, in quâ virtus, & pax, & honor, & gloria appenditur, & tu ſimul omne bonum Chriſte* IESV; *& in aliâ lance peccatum, & ſeruitus eius & tormenta, & tamen eheu! præponderant, & ſtultitia & iniuſtitia placent, tu verò ſapientia & bonitas infinita diſplices. Tolle à me inſipientiam meam, vt ſciam quò tendam, quem ſequar, quò me virtus, quò vitium trahat; quanti apud te illa, quanti apud Sanctos & Angelos tuos, & prudentes omnes: & qui me amaſti plus quàm te, vt ſic loquar, cùm mortuus ſis pro me, fac ut viuam tibi; & propter te ex nunc in æternum moriar mihi.*

Exercitium longius

CLAMABAT, *Dulciſſime* IESV, *ad te, cùm adhuc peregrinus eſſe dignareris in terrâ hâc, cæcus ſedens ſecùs viam:* IESV, *fili David, miſerere mei. neque quicquam petebat, niſi vt videret lucem iſtam breuem, inſtabilem, quam quotidie tollit nox, & alternant multæ viciſſitudines. Sed (quæ eſt benignitas tua) dediſti ei, vt te etiam aſpiceret ſolem iuſtitiæ, lumen indeficiens, deſiderium collium æternorum, lucem veræ fidei, & vanitatē rerum omnium diſpeceret, ac te ſequeretur.* Lucæ 18.

lumen iam humiliter flagito à te, & quanto affectu, tu noſti, ô Sapientia æterna, hoc peto, dum tempus eſt miſerendi, & dũ venit tempus, idq́; vt te amem, & inueniam, ac donum intelligentiæ tuæ. Neſcit enim homo pretium eius, nec inuenitur hîc in terrâ ſuauiter viuentium, id eſt, hominum carnalium. Abyſſus dixit: non eſt in me; aſtuti enim huius ſæculi non inueniunt eam. Et mare huius mundi loquitur: Non eſt meũ. Abſcondita es, ô Sapientia, ab oculis omnium viuentium, & volucres cæli, & ſapientes huius mundi, lates, ſed, quæſo, oſtende mihi faciem tuam, & ſaluus ero.

Psal. 101.

Iob. 28.

Doce me, ô Sapientia, æſtimare voluntatem tuam, & virtutem veram. Quis enim eam ritè æſtimat? egòne? & diligo, & quæro eã ſuper aurũ, & topazium? ita cupio toto corde: omnes vt video, quæ ſunt, quærunt, & quæ ſunt ſæculi huius. Quid verò ego pauper & inops hodie moriturus? nónne & mea quæram, id eſt, te Deum meum, & omne bonum? quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Quærã ergo te, dum à me miſero adhuc inueniri potes, inuocabo te dũ propè es vt venias, quia & hodie te mihi dare paratus es, & ego deſiderio deſideraui te ſuſcipere. Et quorſum? vt videam te, & adhæream tibi, & vnus tecum ſim, & in lumine tuo videam lumen, & tenebras, id eſt, creata deſpiciam mundi huius. Veni, veni, lumen cordiũ, & fac de tenebris lumen ſplendeſcere & amoris tui in me ignem accende, nihil aliud peto, vt ſpero; mentitur enim ſcio, ſæpè iniquitas ſibi.

Applicatio ad Communionem.

O quàm mendaces filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum! pro virtute enim & regno cælorum, & pro te, eheu! vix pes à terrâ leuatur, appenduntur in ſtaterâ nimis iniuſtâ virtus & mandata tua, nam mundi bona longè præponderare conſueuerunt, virtus & lex tua conuertens animas, & ſanans omnes, ferè contemnitur. Vitiũ verò ecce lethaliter vulnerans animas noſtras, ita intellectũ excæcat, vt ſuſcipiatur, voluntatem obdurat vt quæratur, memoriam fœdat vt ſtudioſè deſideretur, & tamen fumo & flore citiùs perit, & tranſit; & trahit in mortem ſempiternã, & abſtrahit à te, ô via, veritas & vita. Quid verò virtus? nos tibi

Mundi vanitas.

Psal. 61.

Vitiorũque illecebre.

Vitij mala.

Virtuis laus.

tibi ſimiles facit & proximos, & filios clariſſimos ducit in patriam, & ſola bonos facit ac beatos. Veruntamen contemnitur iſta, ſic vani filij hominum & mendaces decipiuntur miſeri & decipiunt. Non eſt qui recogitet corde, omnes, aiebat ille declinauerunt, & inutiles facti, vix eſt qui faciat bonũ. O quanta, quanta cæcitas nos miſeros premit, quantæ tenebræ! & nónne tamẽ tu luces nobis & de propinquo luces, qui omni horâ paratus es venire ad me, vt illumines vultũ tuũ ſuper me, & habites in me & ego viuã in te, vt videam vanitatẽ mundi, & laqueos ac vulnera declinem? Sed eheu miſeri! ruimus, ruimus vltrò in hoſtes & laqueos auaritiæ, ſuperbiæ, & luxuriæ, quaſi ignari eſſemus, quomodo vitium gulæ vulnerauerit Adam patrẽ noſtrum & arrogantiæ romphæa Angelos deturbârit, quos cum lucifero turpiſſimos, peſſimos, crudeliſſimos, ex puriſſimis ſpiritibus effecit. Pſal. 13.

Sed hæc eſt dementia & inſipientia filiorum Adam, Redemptor mi adhuc alta ſperantur & ſpirantur, & ſeruire libet vitio huic N & illi, libertate ſanctâ donatis & ſanguine tuo pretioſiſſimo redemptis. Erraui & ego, Domine ſicut ouis quæ periit, quære obſecro, ſeruum tuum, quia mandata tua non ſũ oblitus, & deduc me in ſemitam rectam, occaſiones deuitare concede & auerte benigniſſimâ manu tuâ, ne vnquam intrem in tentationem. Etenim video mundum hunc laqueis plenum, vbique pedicas, vbique foueas, Quid verò alteri ſuaderem? quid filij ſæculi prudentes in generatione ſuâ? ô Jesv, *ô viâ, ô Sapientia, ô veritas, ô ſalus vnica, nemo euadet ſine te, nemo viuens, aut moriens ſeu vigilans, ſeu dormiens, nemo ſine te, niſi enim cuſtodieris animam noſtram, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam: niſi domum ædificaueris tu, in vanũ laborauerunt, qui ædificant eam tu enim ſalus noſtra, fiducia noſtra, protector noſter & vnicum refugium noſtrum. Amen.* Pſal. 118.

Praxis ad virtutem ac vitium ex merito ponderandum.

PRimo, ſeriò conſiderare ſemitas domus ſuę, & exquirere quæ malæ conſuetudines, qui defectus in animâ, qui *Aduerte quas conſue*

tudines habeas prauas. qui in corpore; & catalogum horum facere, atque ſuper his aliorum exquirere iudicium.

Secundò, aliquando, ſaltem ſemel in menſe, eum percurrere, & videre profectum & defectum.

Tertiò, referre alicui vel familiari vel confeſſario numerũ defectuũ: quod apprimè vtile obſeruauit S. P. Ignatius.

Occaſiones virtutis obſerua. Quartò, conſiderare potiſſimùm in vitiis & virtutibus, quænam eorum ſint occaſiones; vt vel eas, ſi de vitio agitur, euites; aut amplectàris, ſi quidem virtutes eæ fuerint. Magna enim probitatis ac ſalutis pars pendet à diligenti in vtramque partem occaſionis præuiſione.

Quintò, ſæpè ſe confundere ex eo quòd videas tot improbos, fures, latrones, tanta tolerare pro ſcelere perpetrando incommoda, imò etiam omnes mundanos, vt deſideria ſua expleant.

Vide vt quantum, tribuiſti mundo, tantum Deo. Sextò, conſideratis peccatis præteritæ vitæ, & laboribus pro mundo eiuſque legibus toleratis, decernere quid ſimile pro virtute acquirendâ.

Septimò, numquam ob hominum gratiam, aut iudicium, aut rem ullam temporalem, virtutem piaſque conſuetudines deſerere. illud enim eſſet eam minimi facere, eique rem vaniſſimam præponere: ſed ea quæ ſemel probata ac decreta, conſtanter proſequi oportet. *Dignatus es*, &c. vt ſup. p. 10.

IACVLATORIÆ.

Pſal. 12. *ILlumina, Domine, oculos meos, ne vmquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, Præualui aduerſus eũ.*

Pſal. 118. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illã in toto corde meo.*

Ibidem. *Iniquitatem odio habui, & abominatus ſum, legem autem tuam dilexi.*

Ibidem. *Quomodo dilexi legẽ tuam, Domine! tota die meditatio mea eſt.*

Ibidem. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!*

DECI-

DECIMÆOCTAVÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Age, & vide quid amico de virtute deliberanti, & quo ſimili ei ſuaderes.

HÆres, & adhuc vis animum ad virtutem reddere promptiorem? vide quid coram Deo ſincerè amico *A* ſuaderes, idq; facito. quod ſi retinet *B* vitium, & maximè praua *C* conſuetudo, (quæ quaſi neceſſitas catenam nectit, & à filo incipiens creſcit in rudentem) abrumpe: ſequere *D* ſimpliciter & *E* prudenter (quod ſerpente & columbâ notatur, Matth. 10.) ducem Angelum, Chriſtiq; in viâ rectâ conſilium. Salutis *F* occaſioni inuigila. Excogita ſimile aliquod, aut diſſimile, quo tibi *G* virtutem repræſentes. Hoc enim *H* Dominus Ieſus parabolis *I* paſtoris, *K* ſatoris, *L* vineæ, *M* prodigi vſus, nos edocuit.

CAPVT XL.

De ſecundo medio meditationẽ, atque affectus eius ampliandi, ſiue de Prudentia filiorum ſæculi imitanda in electione virtutis, & vt ſibi quiſque ſuadeat, quod amiciſsimo ſuaderet.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. Ora Dominũ, vt tibi poſſis eligere, & ſuadere quod alteri.

PVNCTVM I. Conſidera, quàm prudentes ſint filij huius ſæculi in curandis negotiis ſuis, opibus, voluptate aut honore quærendis; quàm ſeduli nocte, dieque, vt conſilia bona indagent; quàm prompti & indefeſſi, vt eâ perficiant quæ ſibi vtilia fore perſpexerint: neque pericula maris aut latronum deterrent, nec labor continuus, neque euentus infelices aliorum. Confer cum ea quam filij lucis in ſalute ſuâ adhibent diligentiâ, & confundere; deinde ſtatue in re tanti ponderis, id eſt tuâ ſalute, prudentiſſimos atque ſapientiſſimos in conſilium aduocare, neque permitte vt Deus queri de te poſſit ſeruo ſuo, dicens, Quis cæcus niſi ſeruus meus, & quis ſurdus niſi ad quem nuntios miſi? Et cùm nemo ſcire queat quid ſit in homine, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in homine; in primis in conſultando de virtute vel profectu, rationem ab omni affectu alienam adhibere conuenit, & ſcire tum commodè id fieri, cùm rem negotiumque noſtrum, velut alienum, ob oculos ponimus atque appendimus, velut Dauidi Regi eleganter Propheta Nathan peccati commiſſi enormitatem expoſui, & mulier illa Thecuitis idem, vt Abſalonem in priſtinam gratiam reciperet, perſuaſit. Vide ergo conuerſationem, vitam tuam, vel partem aliquam illius; vel defectum aliquem, quem emendare ſtudes, non tuo, vt ita loquar, ſed alieno oculo, diſpice an verè hoc vel illud in alio probares, quomodo in hoc, vel illo

Prudentia ſæculi imitanda.

Iſaiæ. 42.

1. Cor. 2.

2. Reg. 12.
2. R. 14.

illo illi ſuaderes, an eſſe ad horam pauperem, & æternũ diuitem, vel ad horam humilem, & æternùm glorioſum, ad horam imò momentum lugere & pati, & æternum lætari & triumphare, an contrà probares; quamque illi viam monſtrares, tu ipſe eam capeſſe, tutiorem nempe & commodiorem ad virtutem & ad ſalutem. Aduerte verò quanta meritò, & quàm acerba hæc exprobratio futura ſit in iudicio, ſi quando is qui aliis viam oſtendit, facem doctrinâ prætulit, in deuia & tenebras ſponte iuiſſe arguetur. Appende illud, Seruus enim qui ſcit voluntatem Domini ſui, plagis vapulabit multis, & ſcienti legem & non facienti, peccatum eſt illi *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ fide*, &c. *Lucæ* 12. *Iacob*. 4.

Pvnctvm II. Conſidera à bonis conſiliis capeſſendis nihil magis nos auocare, nihil magis profectum retardare conſuetudine aliquâ inueteratâ: quot enim cohortationibus & commonitionibus opus, vt quis prauum aliquem habitum exuat; Oſſa hominis, inquit Job, implentur vitiis adoleſcentiæ eius, & cum eo in pulvere dormient. Adoleſcens iuxta viam, ſuam etiam cùm ſenuerit, non recedet ab eâ; Sapientis dictum eſt, adeoque verum, vt hoc ipſum exprimere volens Jeremias, dixerit, Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas; & vos poteritis bene facere cùm didiceritis malum. Siquidem quaſi altera natura conſuetudo eſt, & velut catena, quâ homo alligatur, vt expreſſit Auguſtinus: Ligatus, ait, eram non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate; velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & conſtrinxerat me: quippe de voluntate peruersâ facta eſt libido; & dũ ſeruitur libidini, facta eſt conſuetudo; & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. Quocirca dum de virtute ſequenda, vitioque fugiendo te cum diſceptas, principiis obſta, inſta operi, ac vehementer cauendum tibi exiſtima, ne malum, ſi moram etiam paruam habeat, & inueteretur, & paulatim ab vno illius gradu in

Iob. 20. *Prou*. 22. *Conſuetudo mala graue impedimentũ*, *Ierem*. 13. *Aug lib*. 8. *Confeſſ*. *c*. 5. *Conſuetudo velut catena*. *Principiũ obſtandum*

Matth.26 in deteriora labaris; nónne D. Petrus cùm primò negaſſet; ſecundò, iuramentum addidit; tertiò, Christum deteſtatus eſt? *Ioan.11.* Quatriduanus Lazarus non niſi lacrymis & clamore ſuſcitari potuit, qui eſt peccatoris ſimulacrum, quem peccandi vſus ſepeliuit, ligauit, velauit, fœtentem effecit, & lapide grandi (conſuetudine nimirum) concluſit. Hoc igitur vel ſolum calcar ſufficere poterit ad profectum, ſi bene appendatur, timor nimirum prauæ conſuetudinis; quæ vbi inoleuerit, hominem grauiſſimo ſalutis æternæ periculo (potiſſimùm in morte) exponit. *Auguſt.* Vnde aiebat S. Auguſtinus: Quæ tenuiſſima licia putabantur, in funes nauticos excreſcunt, & ſi non abrumpatur idipſum exiguum & tenue, reualeſcit iterum, & fortiùs alligat. *Conſuetudo bona vtiliſſima.* Neque minùs iuuabit attendere, ad ſalutem è contrario nobis auxilia magna præſtare bonam conſuetudinem; itaque peruictis difficultatibus ſtude eam acquirere, & habebis in virtute conſtantiam, & verè magnum ſolatium. Nam priuſquam eam quis fuerit conſecutus, laborum affatim exhauriendum, vti aſſolent ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam peruenientes; eâ verò obtentâ, lata fit via mandatorum, & ſuauis etiam in ætate ſenili. O quantum ſolatium, habitu acquiſito, laborem nec ſentire virtutis, nec Religioſæ vitæ moleſtiam, ſed veluti partis opibus ſecurè frui! *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM III. Conſidera omnia quæ in mundo ſunt, à liberali Dei manu creata eſſe, tum ad vſum, tum etiam ad diſciplinam ac inſtitutionem noſtram. Idcirco vix quidqam ad ſpiritualem vitam accommodatius eſſe S. P. Ignatius aiebat communicatione cum Deo, quæ eſt virtus ſeu pius habitus ex creatis eruendi, quæ ad ſpiritualem vtilitatem valere poſſunt; & ad cæleſtia mentem atque affectum eleuare, memoriam piis cogitationibus & ſimilitudinibus fœcundare, & voluntatem iis veluti faculis accendere. *Communicatio cum Deo valde vtilis.* Et vide quomodo hactenus iis vſus, an vt ſapiens Dei filius. Ex creatis ſcientiam

ſcientiam Creatoris & aurum amoris eius colligas, an verò potiùs venenum, & agas ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. Per eiuſmodi conſiderationem vide vt ſimilia varia ſeſe offerant, quibus per viſibilia ad aliquod inuiſibile aſcẽdas. vt cùm ex pulcritudine eorum quæ videntur, quaſi ex veſtigio diuinam contemplamur: vel per inuiſibilia creata, vtpote animam noſtram, inuiſibilem Deum; vel denique per viſibilia, ad alia viſibilia ſpeculanda aſſurgimus; quemadmodum in parabolis & apologis Sapientia diuina præmonſtrauit. Felices, ait Richardus, quibus vertitur in ſcalam, quod aliis ſolet in ruinam: felices, quibus exteriorum ſcientia fit ſchola aſcenſionis, non ruina deiectionis: felices quibus ſcientia illa quæ inflat, non eſt ad inflationem, ſed ad inflammationem eius qui ædificat: felices, quibus temporalium pulcritudo, fit æternitatis inſtigatio. Vis ad virtutem te excitare, meditationumque ac cogitationum amplam habere ſegetẽ? aſpice hunc orbem ſpectabilem, eiuſque pulcritudinem & varietatem admirare; & conſidera quomodo ſeſe habeant creaturæ erga conditorem ſuum. Primò, ſicut ſpeculum diuinorum, vt Triſmegiſtus dicere ſolebat, & liber diuinitate plenus. loquuntur in auribus noſtris potentiã, ſapientiam & bonitatem eius, eamque dilaudant. Secundò, quomodo ei omnes obediant. Tertiò, quomodo ſeruiant tibi omnes, teque inſtruant, ſi rectè attendere volueris. vnde Sapiens ait, Vade ad formicam, ô piger. & ſapientia ipſa: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Quartò, quomodo omnes conentur ſe ſeruare, & pleræque pro conditione ſuâ creſcere & perfici, vt & nos doceamur progredi in viâ Dei, & creſcere de die in diem, & parta conſeruare.

Pſal. 31.

Richard. tract. 3. de Exterm. mali.

Aſpectus mundi excitat ad virtutem.

Triſmegiſtus.

Prou. 6.

Matth. 10

Exer-

Execitium breuius de Morte.

Eſaiæ 42. CREDO *tibi, Domine mi, ô Sapientia æterna, & in te ſpero, & diligo te corde meo. O* JESV, *dixiſti olim. Quis cæcus niſi ſeruus meus, & quis ſurdus, niſi ad quem nuntios meos miſi? Verùm, ô bonitas infinita, eruntne prudentiores filij ſæculi in generatione ſuâ filius tuis? vt eligant illi potiora, & nos deteriora, illi honores quoad poſſunt longos, & opes magnas, & gaudium præ dolore, & pacem præ bello; ego verò illa N. re bellum tecum, & paupertatem, & dolorem, & ignominiam æternam? Abſit à me, abſit à te, qui ſanguine tuo & lacrymis ſcripſiſti legem tuam & ſapientiā in cordibus noſtris, & humilitate tuâ, & tormentis tuis vana eſſe bona mundi huius clamas, quibus abſtrahimur, & illicimur, & æterna perdimus, & te omne bonum. O vtinam pretium virtutis diſcerem ex te, & vitâ tuâ omni N. ex Angelis, ex hoſtibus meis, imò & ethnicis; da obſecro, vt illam propter te & occaſiones omnes N. ſequar. ſic mihi vt alteri ſuadeā, conſulam; vti aliū aliquem ita meipſum horter, vrgeam, vt ſapiam, & intelligam, & nouiſſima prouideam, & te diligam. Amen.*

Exercitium longius.

HEV *mihi! quàm denſis tenebris innoluimur; ô lux æterna, veritas amabilis, Chriſte* JESV, *ſapientia* Patris, *magni conſilij Angele, veni, obſecro, & illuminare his qui in tenebris, & vmbrâ mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viā veritatis & pacis.* Pedes *mei ſunt amor meus, illo feror* Lucæ 1. *quocumque feror. Quid verò amo? in illo & illo N. eheu damna mea, & morbos animæ & mortem. ab his ſibi vt cauerent, ipſe alios monerem, fateor; ego verò cæcus & infelix homo* Prudentia ſæculi. *amplectar? & te omne bonum,* Deus, *vocantē ad ſuauiſſimos patris amplexus, id eſt, perfectionem fugiam? video alienos defectus, damna, & mea ignoro aut negligo, in alienis lyncei, in noſtris eheu cœci ſumus. O quanto prudentiores filij huius ſæculi filiis lucis in generatione ſuâ ſunt! Suademus, ecce, amicis N. hæc & illa vt meliora, viam ad æternitatem eſſe irreme*

remeabilem, incertum mortis diem, horam, momentum, viuendum eſſe quaſi hac horâ morituri; hæc alteri & ego ingeminarem, etenim faſtidioſi ſumus ad alienos defectus, prompti ad eos arguendos: nobis verò blandimur quærentes excuſationes in peccatis. Nónne meritò dicere poſſes: Medice, cura teipſum, cùm aliis ſana conſilia demus & ipſi deteriora ſequamur? Lucæ 4.

O Quàm durum iudicium ſeruo illi qui ſcit voluntatē domini ſui, & non facit! certè plagis vapulabit multis. Quid enim? ſcio mortem in ollâ iſtâ, ſiue creaturâ N. & non exclamo? ſcio vitam in cruce tuâ, & calice tuo, & piget in eo gloriari? video te in humilitate, paupertate præeuntem, & ſequi ſeruus dominum dedignabor? Quid faciam tibi ô cuſtos hominum? Ne intres, ô Domine, in hoc iudicium cum ſeruo tuo, ſed fac mihi ſecundùm verbum tuum in bonum, vt quod aliis ipſe ſuaderem in vitæ ſtatu, in virtutum delectu, vanitatis contemptu, & defectuum exſtirpatione, ipſe ſequar, ne audire cogar illud: Tu qui alium doces, teipſum non doces: qui prædicas hoc illudue N. alteri, teipſū negligis. Et qui tibi nequam ſeruus, cui bonus eſſe poteris?

Lucæ 12.

Mors in creaturâ latet.

Rom. 2.

Qui te ſpernit omne bonum, quid amare poteſt, niſi omne malum, & vniuerſitatem iniquitatis? Et fieri hoc poteſt, vt ſuſcipiam illam in animam meam, & te, quem exſpectans expecto, amantiſſimum ſponſum illius, excludam? vt non ſit tibi locus in eâ, niſi in ſpinis & vrticis vanitatis & prauitatis? Sed quis poteſt facere mundū de immundo ſemine? nónne tu, qui ſolus es? Da igitur, ô Sapientia æterna, vt ita dirigam vias meas, vt alteri præmonſtrarem; ita deſiſtam à malo, vt alteri ſuaderem; ita meliora eligam, vt amiciſſimo auctor eſſē, vt qui te Regem regum hodie ſuſcepturus ſum, quem amo, & quæro toto corde. Et quid, quæſo, me tenet videntem meliora, & probantem? eheu! Domine mi, liberator meus de inimicis meis iracundis, ſola eſt conſuetudo grauis quædam & pernicioſa catena, ſoluenda vtique faciliùs quàm rumpenda, niſi per te Domine virtutum. Exſurgam, exſurgam, & gratiâ tuâ ſequar te, Domine, non nectam moras ne inualeſcat conſuetudo,

Eccl. 14.

Applicatio ad Comunionem.

Ber. ſerm. de 7. verbis Domini.

Conſuetudo dura

tudo & veniat nox, & videre te nequeam, ô lux mea, & fugias à me æternùm, & derelinquas me.

Propoſitum pium *Abſit, abſit, abſit, ô bonitas, ô amor. abſit hoc à te, abſit à me in æternum. Non tradabo venite ad te, virtutemq́; N. tam neceſſariam vt tibi placeam, quærere. Amo enim te ex totô corde meo, ô lumen oculorum meorum, vnicum refugium meum Solue colligationes impietatis, ſolue vincula, quæ me libertate per ſanguinem tuum donatum retardant: Da mihi pennas ſicut columbæ vt volem & requieſcam: ſuſtolle me ſu-*
Baruch 3. *per altitudinē terræ, vt fruſtrà iaciatur rete oculos meos: vt liceat mihi videre opera manuū tuarū, & diſcere, vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus, vbi longiturnitas viæ & victus, vbi ſit lumen oculorum & pax. Vbi verò eſt requies niſi in te? vbi lumen oculorum, niſi in te lux vera? vbi longiturnitas vitæ, niſi in te vita mea, quem amo ſupra omnem vitam? Quatuor ſunt etiam minima terræ, & ipſa ſapientiora*
Prou. 30. *ſunt ſapientibus, formicæ; populus infirmus, quæ præparant in meſſe cibū ſibi, lepuſculus, plebs inualida, qui collocat in petrâ cubile ſuum; Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas: ſtellio manibus nititur, & moratur in domi-*
Matth. 10 *bus Regum. Ad hæc me mittis & ad formicam, vt quæram te dum inueniri potes, & cibum qui non perit: & eſſe iubes prudentem ſicut ſerpentes, & ſimplicem ſicut columbæ. Benedictus ſis in æternum, Ecce meſſis noſtra iam eſt & iubes, vt operer cibum in vitam æternam; id eſt, te quæram qui permanes in ſæculum ſæculi.*

Et vbi erit, ô anima mea, cubile tuum? nônne in foraminibus petræ? Petra autem mea es tu, Chriſti IESV, *& refugium meum tu vnus es. Vtinam ita bibam hodie de ſpiritali petrâ, vt non ſitiam creaturæ ſolatium in æternum! vtinam miſſus ad formicam piger, & ad columbam, vt diſcam ſimplicitatem, & ſerpentem, vt diſcam prudentiam, te vbique mihi præſentem, & in omnibus audiam creatis, quia tu per ea loqueris mihi. ſed eheu! ſæpè ſurdo & muto. & tamen loqueris, ſurdo loqueris. Sonet, obſecro, vox tua in auribus meis, ita vt audiā,*
Pſal. 99. *& omnis creaturæ hortantis vt amen te, & omnis ſpiritus laudet te, Domine, & omnia opera tua aſſiduè dicant: Ipſe fecit*

cit nos & conſeruat nos, vt ſeruiamus tibi, vt tu vermis ſeruias Deo noſtro. Clamat ad me omnis creatura: Quis magnus ſicut Deus noſter: clamor eorũ, ſpecies eorum. Et cur clamant, vt veniam ad te, audiam te, vt ſeruiã tibi, & ego quẽ emiſti precio magno, non te glorificabo & portabo te, Domine, in corpore meo, in animâ meâ, vt verâ virtute tibi vni placeam, tibi qui vnus Deus meus, Deus cordis mei & omnia? Tu conditor meus, & finis, & Pater, & Dominus meus, & caro tua verè eſt cibus meus, & ſanguis tuus eſt verè potus meus, vt viuam & tibi viuam, quod deſidero totis viribus meis.

Praxis de Prudentiâ ſaeculi.

PRIMA, Obſerua obambulans per plateas & campos induſtriam hominum, quam quiſque in ſuis exercet, & ex ea ſpiritualem aliquem fructum collige. *Communicatio cum Deo.*

Secunda. Ex creaturis omnibus aſſueſce idem facere, & deſtinatò, modò de hac, modò aliâ creaturâ philoſophare.

Tertia. Pii ſermonis anſam ſic cape, & per viam diſquire ad tempus iucundè tranſigendum, quæ ex hoc vel illo elici ſpiritualia poſſint; & multa, eaque magno cum oblectamento ſeſe offerre videbis. *Pii ſermonis inſtituendi ratio.*

Quarta. Applicari etiam poſſunt nominatim conditiones earum creaturarum, quibus aut Chriſtus, aut Beata Virgo adumbrantur in Scripturâ, vt nauis, arboris, ſolis, luminis.

Quinta. Diligenter exquire, quas habeas, etiã naturales, prauas cõſuetudines, eaſque contrariis vincere ſtude. Nullam ego maiorem exiſtimo prudentiam, cùm, vt dixi ſæpè, optima conſuetudo vſu ac tempore non minùs facilè quàm peſſima contrahatur. *Conſuetudinis bonae vtilitas.*

Sexta. Quemadmodum auari ex re qualibet lucrum facere conantur, ita etiam tu, aſceta, conſueſce: & ſeu bona, ſeu mala eueniant, in omnibus vide ne de ſtatu animus deiiciatur, ac diuinæ voluntati tuam conforma.

Septima. Vt ſæculi filii potẽtioribus ambitioſè adhæreſcunt, ita tu virtutis alumnus, amicos & ſtudioſos illius obſerua, & quoad potes cum iis fac habeas conſuetudinem.

Octaua. Conſidera quę paſſiones in te maximè vigeant, iiſque ad profectum ſpiritualem vtere: verbi gratiâ, ſuperbus es? vtere ſuperbiâ, & ad verè alta ac ſublimia animum attolle, terrena deſpice, humana iudicia præ diuinis contemne. Neque patiaris vt inſipientiæ illius meritò arguaris, quâ mundi amatores momentanea æternis, vana veris, creaturam creatori & ſummo bono anteferunt. *Dignatus es,* vt ſup. pag. 10. *Nota & vtere paſſionibus ad profectum.*

IACV-

IACVLATORIÆ.

Luc. 16. PRudentiores ſunt fily huius ſæculi filiis lucis, in generatione ſuâ.

Rom. 8 Prudentia carnis mors eſt.

Iſaiæ 42. Quis cæcus niſi ſeruus meus?

Pſal. 118. Auerte, Domine oculos meos, ne videant vanitatem: in viâ tuâ viuifica me.

Pſal. 17. Quoniam tu illuminas lucernam meam; Domine Deus meus, illumina tenebras meas.

Pſal. 24. Dirige me in veritate tua, doce me; quia tu es Deus Saluator meus, & te ſuſtinui totâ die.

Pſal. 138. Proba me, Deus, & ſcito cor meum, interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

DECIMÆNONÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Conſidera quomodo virtutem N. in morte coluiſſe optabis: vitaque & occaſione utere.

VIde an non virtutem, præ vitio ſecutū te fuiſſe in *A* morte optares. Sola enim tibi *B* virtus aderit ac ſolatio erit, cùm *C* peccatū ac vermis eius torquebit, *D* mors terrebit, *E* dæmon paratus adſtabit ad rapiendam animā tuam: cùm etiam *F* intimi amicorum, opes & caro ac ſanguis deferent: cùm *G* occaſio abierit, omniſq; mundana *H* voluptas ludiq; perierint. De facultatibus tuis vnica tibi *I* ſindon ſupererit, affines *K* amiciq; funebrem quidem pompā proſequentur; ſed, eheu! deſerent, terræq; ſimul & oblivioni tradent: quorum etſi ſocietatem *L* appeteres, nihil tamen obtineres. Contrà *M* iuſtus, à virtute & Angelis recreatus, mortem in vitam, dolorem in gaudium commutabit. *O* quàm tranquillo animo iuſtus, quàm perturbato peccator ad *N*. Dei iudicium accedet!

CAPVT XLI.

De tertio medio Meditationem atque affectus eius ampliandi, ſiue de Morte, & cõſideratione eius quod tunc nos elegiſſe optabimus.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. & ORATIO, vtſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera quorſum in hâc vitâ à Deo collocatus ſis; numquid vt ſpatio breui horæ vnius æternum gloriæ pondus mercarere? proinde nihil tibi, nihil vlli homini aliud eſt quod agat: & vide quomodo plerique mortalium alia omnia agunt. Secundò, animaduerte quomodo, vbi venerit hora hæc, affectum eſſe oporteat eum, qui in hâc vitæ ſcenâ ritè partes ſuas egerit, & in hoc mercatu opes veras compararit, quomodo exultet de mortis nuntio, anhelet ad eã, ita planè ac ſi famelicus ad opiparam cœnam, operarius ad mercedem, mendicus ad regnum vocetur: è contrario malos inertes, tum cum fatuis virginibus ſerò cogitare de oleo, de lampadibus, & citò rapi ad iudicem omnibus relictis, nudos, obæratos, & grauiſſimè perturbatos. Quis ſapiens hæc conſiderat, & non continuò virtutem N. etſi radix eius amara eſt, libenter amplectitur, vitiiíque abſinthium deteſtatur? *Finis creationis.* *Mors bona quàm felix.* *Matth. 25.*

Nunc vide, quos imiteris, vide an iam paratus ſis ire ad iudicium, & rationem reddere, atque ita tamen te viuere oportet, ita virtutem colere.

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ.*

PVNCTVM II. Finge te videre eiuſmodi hominem moribundum, vel N. notum aliquem diuitem magis quàm bonum, & cogita quàm amara ſit recordatio mortis habenti pacem aliquam in diuitiis ſuis, quid cogitet, dicat, ſentiat de mundo, eius gloriâ &c. dum oculos retorquet ad loca & tempora, delicias priſtinas, & amicos, quibus fruebatur, quibuſque iam extremum *Mors mala ô quàm infelix.*

vale & perpetuum dicendum erit: verſa omnia videbit in luctum, & cantica in lamentationem, & dies iſtos breuì æternâ cum nocte eſſe commutandos. O quàm vana tunc apparebunt mundi huius irritamenta, quàm amaræ deliciæ! vbi erunt illæ, vbi amici? Amici ſolem orientem, quod dicitur, reſpicient & adorabunt, heres ad hereditatem & ſpolia anhelabit. Tentationes vndique ingruent, & te obruent. Nunc vide quid diues, & glorioſus, & delicioſus ex omnibus hinc ſecum auferent, & quid tu. Contrà accidet piis viris, & timentibus Dominum: hi enim ea quæ priora ſunt relinquent ſiccis oculis, labores fecundos præmiorum & ſolatii exhauſtos gaudebunt, exilium peractum, quietem paratam, & coronam poſt legitimum virtutis certamen.

Haccine vera vt ſup. pag. 7. *O vita* vt inf. pag. 579.

Moribundus quid de futuris cogitet.

PVNCTVM III. Fac moribundum ad futura cogitationem conuertere, illic decurſum ſæculorum vſq; ad iudicium videbit, & in eo mundi regnorumque illius multiplicem mutationem, nullam ſui memoriam. Vide, ô vanitatis ludibrium, & nobilitatis, vide ambitioſe. Secundò, æternitatem horrendam intuebitur; in quam paſſu vno eheu! quàm in certo, quamque formidabili, tibi & mihi hodie, hâc horâ fortè tranſeundum. Attende iam diuiti peccatori iudicium paratum eſſe, vti & tibi & mihi, & accuſatores & tortores multos, incertiſſimum exitum, cùm neſciat homo, amore an odio dignus ſit. Credis hæc? *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7.

Tertiò, appende ab hoc momento, & paſſu illo pendere vniuerſam æternitatem; & omnem eo occaſionem ſalutis eripiendam. Deus bone, Deus bone! Hæccine credo, & non horreſco? ô quàm meritò exclamabat Moyſes, Vtinam homines ſaperent & intelligerent, & nouiſſima prouiderent! Quartò iam verò attende quid poſt mortem homini accidat, & ex nunc proſpice quale futurum funus tuum, quale & vbi ſepulcrum. Funeris fortè longa erit pompa, ſed breuis: comites erunt

amici

amici,ſed fruſtrà cadaueri non ſentienti, neque valentes opem adferre:lugebunt creſcente fortè lacrymâ, ſed certè inani. Nunc verò deſcende in ſepulcrum tuum, procumbe velut viuens mortuus, hianteſque vermes & buſones ad prædam venientes contemplare: aſpice vt in ſaniem mox defluere incipias fœtidum cadauer, quod horrent omnes & fugiunt. Et tu potes adhuc fouere corpus in detrimentum animæ tuæ? vide denique quò ſe vertere poſſit ad ſolatium peccator poſt horam auditam mortis, & cùm venerit Dominus vt ponat rationem cum ſeruis ſuis. Quò ſe vertet miſer? ſuprà videbit iratum Deum; infrà hiare barathrum, circa fremere hoſtes, intus rodere conſcientiam: & ab horâ hâc videt, imò à momento, longiſſimam pendere æternitatem. O æternitas, æternitas, æternitas, à momento pendens tremenda æternitas! An apprehendis? an credis? an opera id tua, & mea loquuntur? an cura & ſedulitas?

Exercitium breuius.

O Vita mea vnica Chriſte IESV! *Credo tibi, & in ſpero, & toto corde te diligo. Neſcit homo finem ſuum, ſed ſicut piſces capiuntur hamo, ſic capiuntur homines in tempore malo. & ego nónne fortè hodie ingrediar viam vniuerſæ carnis? numerus enim menſium meorum apud te, ô* IESV, *imò momentorũ. Tunc verò cùm omnia tranſierint tanquam vmbra, quid am iſſe volam? quid cogitaſſe, dixiſſe, feciſſe? quos beatos dixiſſe? an pauperes, humiles, mites, lugentes, patientes, eſurientes iuſtitiã, an ſecus? ſanè tunc beati erunt mihi quos tu appellaſti. Itaque ex nunc ex amore tui moriar mihi, vt viuam tibi relinquam omnia vt te inueniam, patiar & lugebo hîc, vt tibi gaudeam, odero me & animam meam, vt, ſicut deſidero, æternùm te amem toto corde meo. Amen.*

Eccl. 9.
Iob. 14.

Exercitium longius

MELIVS *eſſe dixiſti, Deus meus, quẽ video vbique præſentem, & monentem, ire ad domum luctus, quàm* Eccl. 7.

ad domum conuiuii: in illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum ſit poſtmodùm. Verùm quanta eſt faſcinatio nugacitatis! quàm obſcurat bona noſtra, & quantum inconſtantia concupiſcentiæ tranſuertit ſenſum noſtrum! At video per gratiam tuam, ô IESV, *lux mea, cùm mors venerit, & tu vita mea aduenies, tunc demùm aperientur oculi cæcorum, & videbunt quomodo tranſierit mundus & concupiſcentia eius. O quàm erit tunc alius cuique ſenſus, alia iudicia! Quis tum quantumuis improbus non optabit ſe virtutem in vitâ & probitatem coluiſſe, & in his & in illis ſe ſuperaſſe, & vocem tuam, ô Paſtor bone, audiiſſe? ſed eheu! prorſus inani voto! tunc videbit homo tranſiſſe mundum, & concupiſcentiam eius, & quæ amabat opes, honorem, gloriam, fauorem, omnia tranſiſſe tanquam vmbras. Et fieri poteſt vt ob hæc, ob vmbras, ob fumũ, ô Deus meus, lux vera, & bonitas infinita, & vita noſtra, iam improbis ludibrio ſis, & deſpectui? Eheu quàm doleo ſic me fuiſſe illuſum, ſic tibi me illuſiſſe.*

Sap.4.

O mors, quàm amara eſt memoria tua tepido, & ignauo, & homini habenti pacem in ſubſtantiis ſuis! quid ergo erit, cùm videbit ſibi parari pro palatio ſepulcrum, horam extremam audiet, & de te certos nuntios accipiet? O quantum palpitabit cor eius! langueſcent oculi, palleſcent ora, diffugient amici, opes herum deſerent relictâ ei vnicâ ſindone: videbit abiiſſe voluptates, & æternas, eheu! miſer deſperabit quòd virtutes, humilitatem, charitatem, liberalitatem & patientiã neglexerit, & maximè vocem tuam, & exemplum regis paſtoris ſui, ô bone IESV. *Quid enim tunc ſolatij morituro erit homini & mihi, niſi virtutis & vitæ benè actæ memoria? Et tu, bone* IESV, *electorum tuorum certa ſpes & præſidium, ideò viaticũ dici & eſſe dignaris, ô infinita bonitas, & iam in viâ & vitâ cibus mihi viatori, etſi ſæpè canibus à filiis tuis proiiciaris. Ego verò cupio corde & affectu intimo ſemper ſuſcipere te, vt dum defecerit virtus mea, tu ſpes mea verè vnica, non derelinquas me, ſed recipias in tabernacula tua æterna, imò amplexus tuos, vt dũ mors aderit, occurras mihi, ô vitâ; dũ ami-*

tApplicaio ad Communionem.

ci fugient, amicum te inueniam, & ſolatium, & refugium in illâ horâ? Sanè ſi hæc penetrarem, Deus meus, nunquam virtutem negligerem, nec in animo meo vitia per miſericordiam tuam exciſa repullularent. Ioſias tibi dilectus contriuit ſtatuas, ſuccidit lucos, &, ne rurſum erigeretur illa, loca oſsibus mortuorum compleuit: neque certè idola, quæ veneror quoties à virtute deflecto, reſtituerentur in templo cordis mei, ſi illic mortis perpetua excubaret memoria. Monet enim, vt Bernardus tuus aiebat, horror in exitu, dolor in tranſitu, pudor in conſpectu gloriæ magni Dei. Vnde, ait, iſta nobis diſsimulatio, vnde hæc tam pernicioſa tepiditas, vnde hæc ſecuritas maledicta? quid ſeducimus miſeri nos ipſos? forſitan iam diuites facti ſumus, forſitan regnamus: nónne oſtium domus noſtræ horribiles illi ſpiritus obſident? nónne exitum noſtrum laruales illæ facies præſtolantur? Sed ſi virtutẽ verè colimus, ſicut tunc optabimus, erimus gratiâ tuâ ſecuri, viſitabit nos dextera tua, & dulciſsima Angelorum præſentia recreabit deſertos, & tua, bone IESV, *ita ſpero, ſaluabit nos: oſtendes faciem tuam, & ſalui erimus. Certus enim ſum, quia neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia me ſeparare poterit à charitate tuâ. Immò verò quod tunc optabo, iam faciam, neque illudet mihi communis error & inſania per gratiam tuam, vt nunc eligam cuius tunc me pœniteat, & æternùm. Et cùm ſtatutum ſit omnibus ſemel mori, iam mihi mori incipiam, vt viuam tibi, ô vita, ô lux mea. Quando orieris mihi lux indeficiens, & vmbræ hæ inclinabuntur? Sunt certè breuiſsimi dies noſtri, & numerus menſium apud te eſt; longi tamen illi ſuſpiranti ad te, & quærenti te. Quando venies, ô mors, quæ me reddas vitæ? venies, ô* IESV, *ſcio, ſicut fur in nocte, veni, veni, ſed da metuenti & amanti te ſignificationem, vt vigilem ad te, ſiue in primâ, ſiue ſecundâ, ſiue in tertiâ vigiliâ veneris, da operari dum lux eſt, dum ſpatium pœnitentiæ, dum tempus eſt merendi gloriam, vt te honorem in æternum; & gratiã inueniam in oculis tuis. Teſtis mihi es, quia hanc vnam peto. Itaque vtar talentis & occaſionibus iſtis* N. *quæ mihi bonitas tua*

4. Reg. 23
Memoria mortis. peccatorum remedium.
Serm. de 6. tribulationibus.
Rom. 18.
Actus charitatis
Iob. 18.
Lucæ 12.

concedit, ne tum vt ſeruus nequã iubear duci in tenebras exteriores, & ſeparari à te, quando, eheu! poſt longas vitæ moras ſperarem intrare, cum ſeruo bono & fideli, in domum & gaudium Domini mei. O quando hoc erit, quando veniam & apparebo ante faciam tuam? quando venies, & liberabor à corpore mortis huius, & viuens viuens ipſe confitebor tibi, & laudabo & exaltabo te in ſæcula ſæculorum? Amen.

Praxis pro memoria mortis.

PLuribus tertio libro, vbi de præparatione ad mortem agitur, hanc pertractatam videbis, paucas hîc tantummodo ponam.

In ſacro eſt mortis memoria.

Prima. Quotidie in Sacro, cũ ſacerdote, pro defunctis ſacrificium offerre: & velut in medio mortuorũ poſitus (ſunt enim in templis plena ſepulcris omnia) cogita moriendum tibi breui eſſe, & perpende, an iam ad mortẽ comparatus.

Eccleſ. 7. Luctu quo modo vtendum. In hiſt. de Barlaam & Ioſaph.

Secunda. Melius eſt, ait Sapiens, ire ad domũ luctus quàm ad domum gaudii; ideoque, ſi lugeas amicorum aliquem, tũ magis ad mortẽ te compone; ſi quis tibi fortè occurrat veſte lugubri, ne fortuitò id fieri putes, ſed admonitorem miſſum. Sic D. Damaſcenus commemorat de pio quodã Rege, qui Religioſos eo nomine ſuſpiciebat & venerabatur.

Quotidie mortis memoria excitanda. Philippus Macedo moneri ſe vult.

Tertia. D. Joannes Eleëmoſynarius, diuinâ planè prudentiâ, quotidie à famulo moneri volebat de ſepulcro; nempe parari illud, paulatim perfici; vt hoc pacto memoriâ mortis vitę melioris deſideria vir ſanctiſſimus acueret. Imò etiã de Philippo Macedonum Rege refertur, monitorem ſibi in magnâ fortunâ ſtatuiſſe, qui quotidie manè ſibi inclamaret, hominem eum eſſe, quo ſcilicet tumidiores animos cõprimeret, & fortunę inconſtantiam, cæteraſque vitę humanę miſerias animo quotidie perciperet, & ad eas ſe compararet. O quantum hic ruboris incutiet Chriſtiano in die iudicii! Imitari illud D. Joannis poteris, & Regis huius; ſi ſententiã de morte vel de vanitate mundi, pridie quàm incumbas ſcripſeris, & lecto affixeris, vt poſtridie euigilans, illa in oculos incurrat prima, atque animum feriat, vel ſi in tabellâ una annorum vitæ (incipiendo ſcilicet à die natiuitatis) ac menſium habeas numerum, & præterea diei diſtributionem & officiorum, & inter ea mortem reponas.

Nota modũ veſperi ucũbendi.

Quarta. Quotidie dum incumbis, cogita an paratus ſis mori: lectus enim nos meritò commonet ſepulcri, vti mortis imago ſomnus eſſe dicitur. Itaque incumbe, tamquã ſic ad iudicium eâ nocte rapiendus fores, & ſaltem contritionem cum actu fidei, ſpei & charitatis, & gratiarũ actionis ex-

excita; vota, ſi Religioſus ſit, renoua; atque ita in pace in idipſũ, dormias & requieſcas. *Dignatus es*, &c. ſup. pag. 10.

JACULATORIÆ.

Rom.8.

Mortui ſumus cum Chriſto; credimus quia ſimul etiam viuemus cum illo. Iob. 14.

Breues dies hominis ſunt numerus menſium eius apud te. Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non potuerunt. Eccl. 41.

O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! 2.Reg.14

Omnes morimur, & velut aquæ dilabimur in terram quæ non reuertuntur. Pſalm.88.

Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem; eruet animam ſuam de manu inferi? Lucæ.12.

Et vos eſtote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet. Sap.3. 2.Cor.5.

Iuſtorũ animę in manu Dei ſũt, & nõ tanget illos tormentũ mortis.

Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis.

VIGESIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Quid in iudicio elegiſſe te optabis? virtutem N. *an vitium* N.

O Horrendum iudicii ſpectaculum! Vide, ô homo, quid tum feciſſe optares: id nunc age, & *A* virtutem ama; quæ ſola tum patrocinabitur, cum manifeſtabuntur conſilia *B* cordis tui. Bona quidem *C* Angelus recenſebit: ſed *D* dæmon etiam coram Deo & orbe terrarum de peccatis te accuſabit. O quàm tum bonis iungi optabit *E* improbus! ô triſte *F* diuortium! ô funeſtum ſpectaculum! hîc *G* mundus (quem iam tanti faciunt mortales) exuritur; ibi *H* Reges ac Principes palpitant: hîc irreuocabilis feretur ſententia *I* pœnæ aut *K* gloriæ. Memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.

CAPVT XLII.

De quarto medio Meditationē atque affectus eius ampliandi, ſiue de Extremo iudicio.

Cur iudicium futurum.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. ORATIO, vt ſuprà.

Matth.24 Actor. 17.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, diem aliquem conſtitutum è Deo, de quo nemo ſcit, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate, in viro, in quo ſtatuit, & cur id decreuerit attende, nempe 1. vt in iudicio particulari lata ſententia promulgetur, 2. vt recipiat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum, & illud ipſum, velut inſtrumentum, ſimiliter iudicetur. 3. vt appareant iuſta ſanctaque Dei iudicia: etſi iam proſperari & laudari malos, bonos opprimi & deſpici ſinat. de quo aiebat Dauid laboraſſe ſe vt cognoſceret, nec potuiſſe, donec nouiſſima conſideraret. Denique ut IESV Regi noſtro dulciſſimo Redemptori coram orbe terrarum reſtituatur honor pro ignominiâ in loco illo, ſcilicet iuxta Hieroſolymam in monte Olíueti, vbi cum tormentis plurimis mors ei ignominioſiſſima illata fuit. Gaude, ô anima, gaude in Chriſto IESV tuo, quòd Pater omne iudicium dedit filio, vt omnes glorificēt filium, Certè gratulari Domino noſtro oportet de die illa, & gratias Deo Patri agere, & gaudere, quia iudicabit populos in æquitate, & arguet pro manſuetis terræ, Conſidera Secundò ſigna, quæ præcedent; quomodo, vt Iſaias loquitur, veniet Dominus repentè, & confeſtim, & viſitabit in tonitruo, & commotione terræ, & voce magnâ turbinis & tempeſtatis, & flammæ ignis deuorantis, Ante eum, ait Ioël, ignis vorans, & poſt eum exurens flamma, ſol & luna contenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt lumen ſuum; immò ſtellæ cadent de cælo, & ſol obſcurabitur, fietque vt ſaccus cilicinus, & luna vt ſanguis, O quàm iuſtè Sophonias exclamat: Vox diei

2. Cor. 5. *Iſaiæ 29. Terribile iudicium.* *Apoc. 6.* *Sophon. 1.*

diei Domini amara,tribulabitur ibi fortis;dies iræ, dies illa ,dies tribulationis & anguſtiæ,dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis,dies tubæ & clangoris.Intuere orbem vti Sodomam conflagrantem,ignem vaſtantem terram, maria,oppida , turres & ſuperbiam ſæculorum ; elementa calore ſoluentur; terra autem,& quæ in eâ ſunt opera, exurentur.Circumfer oculos:ecce , vt omnia involuat flamma vorans,& ſquallor & deſolatio , & adhuc placere poterit mundus & ſpecies illius? Adhuc virtus erit aſpera,& pigebit vnâ horâ laborare pro Chriſto ? *Contemplatio mundi.* *2.Pet,3.*

Aſpira,vt ſup.pag.8. *Haccine firmâ.*

PVNCTVM II.Conſidera,tonitruum illud Angelicæ tubæ : Surgite mortui. vide , vide vt anima damnata maximo cum horrore corpus induere cogatur ; ſancta verò ingenti id faciat gaudio;& colloquia vtriuſque,ac ſenſum tibi repræſenta bonæ conſcientiæ & malæ , & hîc ſiſte gradum; vide deinde , vt ex vrbibus , mœnibus & ſpeluncis prodeuntes ingenti numero omnes ad vallem Joſaphat contendant,& eos omnes hîc contemplatus, diſcerne,ſi potes,Regem à mancipio, diuitem à paupere, ſapientem à puero. Vbi tunc erit fauor hominum,opes,gloria,ſapientia huius ſæculi ? & deteſtare quidquid iſtiuſmodi eſt,& à perfectione te remoratur & virtute N.& contremiſce. Aſpice,vt ſeparentur oues ab hœdis,boni à malis, triticum à zizaniâ ; & hos eiulantes , inclamantes montibus, Cadite ſuper nos. O quàm triſtis,luctuoſa,lamentabilis ſeparatio ! & ubi tu eris,quibus adiungêre?certè, quibus iam volueris. O quid non optabit infelix homo feciſſe, vt in illâ die bonis ſocietur !ſed fruſtra lacrymæ , preces , eiulatus. Tunc dicetur humili,Aſcende ſuperiùs ; diuiti & potenti & ſuperbo,Da huic locum. heu! quanto cum rubore deſcendet? At verò tunc ſtabunt iuſti in magnâ conſtantiâ aduerſus Monarchas , Reges ac Principes terræ , trementes & palpitantes,qui ſe anguſtia verunt, *Iudicij forma.* *Apoc 6.* *Luc.14.* *Sap.5.*

& qui adſtulerunt labores eorum, dicentes intra ſe, & præ auguſtiâ ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati vitam illorum pauperem, humilem, afflictã, æſtimabamns inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. *Hæccine firmâ*, vt ſup. p. 7. vel, *O Iudex æquiſſime*, pa. 588. Inter hæc veniet Dominus

Lucæ 21. cum poteſtate magnâ & maieſtate; veniet in ſanctis millibus ſuis, cum ſanctiſſimâ matre ſuâ, arridebuntq; bonis, auerſabuntur malos. Quid tunc optabis? quo oculo aſpici? Apparebit mox ſignum filii hominis ſplendidius ſole; & leuabunt capita ſua filii Dei, gaudebuntque crucis & mortificationis imitatores, qui iam carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis ſuis: exultabunt incredibili gaudio, videntes ſe ſcriptos. ô

Galat. 5. JESV dulciſſime, in manibus tuis, & vulneribus tuis ſacratiſſimis: erubeſcent, & contabeſcent aduerſarii tui. quid eligam tunc feciſſe?

Credo tibi, vt ſuprà pag. 7.

Conſcientia patebit omnibus. Deinde aperientur libri conſcientiarum, & manifeſtabuntur conſilia cordium. tunc exiſtimationes, opiniones, ſecretiſſima hypocriſis, perfidia, intentiones obliquæ vniuſcuiuſq; apparebunt. quanto, Deus bone, pudore malorum & confuſione? Vide an omnia arcana cordis omnibus patere velis; vide quid in libro il-

Matth. 10 lo iam ſcribas, virtutes an vitia; nihil enim opertum,

Accuſatores terribiles. quod non ſciatur. Mox accuſationes ſequentur terribiles, ſed quod ſuper omnia erit amariſſimum, finge te audiren quomodo tum omnibus & tibi Chriſtus expro-

Sophon. 1. brâbit beneficia; Sancti adhortationes & exempla; dæmones ſuggeſtiones & ſcelera; creaturæ omnes abuſum ſui. Scrutabitur Dominus Jeruſalem in lucernis.

Iſaiæ 30. magnus verè dies Domini, terribilis valdè, quis ſuſtinebit eum? ardens furor eius, & grauis ad portandum. labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius

quaſi

quaſi ignis deuorans, ſpiritus eius velut torrens inundans ad perdendas gentes. ſtabit peccator, & videbit intus conſcientiam accuſantem, dæmoniaque vndique parata ad prædam: quò fugiet? infrà infernus hiabit, cælum ſuprà clauſum, & iudicem iratum intuebitur; quò ibit?

Peccatoris infelix ſtatus.

O Domine qui, &c. vt infr. pag. 589.

Pvnctvm III. Conſidera quomodo tandem conuictis improbis, ita vt negare nequeant, & bonis laudatis feretur ſententia irreuocabilis de æternitate longiſſimâ & interminabili, & incomprehenſibili; de felicitate ſummâ, & ſuppliciis ſempiternis. Primò, dicet benigniſſimus Iesvs: Venite (de cruce & tribulatione, ſcilicet) benedicti Patris me, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. O quantum, putas, ſtupebunt illi & omnes Angeli liberalitatem, & infinitam Dei charitatem! Contrà verò audient improbi: Diſcedite à me (ſcilicet omni bono, Patre & Deo veſtro) maledicti in ignem æternum, quia ad horam, ad momentum ſeruare noluiſtis mandata. Expende ſingula verba, &, ſi potes adhuc, theſauriza tibi iram in die iræ. Mox fiet executio, & ibunt hi in vitam æternã, illi autem in ignem æternum. Age, iunge te modò bonis plenis gratulatione, & experire, quo gaudio de virtute, de ſecuritate æternâ fruantur. Modò malis accede, & vitii, ac eorum amaritudinem inexplicabilem quòd ſeparentur æternùm à Deo, cælo, ſanctis amicis; expende, & vide quo oculo cælos & amicos adſpiciant; audi triſtiſſimum vale, quod amicis cognitis dicent, æternùm: & mox terra dehiſcens inuoluit eiulantes & horrendum ſtridentes permixtos dæmonibus infeliciſſimos homines, inter quos multi Reges, potentes, Prælati, nobiles, ambitioſi, luxurioſi. Sta, & æſtima librâ iuſtâ mundum, & concupiſcentias eius; ac vide quomodo euades tanta pericula. Inde redi ad electos, & cum iis mente in cælum abi; iiſque gratulare,

Matth. 25. Sententia bonorum.

Rom. 2.

lare. Poſtremò ad Dominum JESVM, agnum mitiſſimum, longanimem modò & patientem, & roga cùm ſic emerit & redemerit te, vt numquam proiiciat
Pſal. 142. te à facie ſuâ, obſecro te bone JESV, ne intres, quæſo, in iudicium cum ſeruo tuo: ſed fac mecum ſecundùm magnam miſericordiam tuam; quia, ſcio, ſcio non iu-
Iſaiæ 10. ſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quid facietis, ait Propheta tuus, in die viſitationis & calamitatis, de longè venientis? ad cuius confugietis auxiliũ? ah! Domine, tu ſcis, ô charitas Deus meus verè, non eſt auxiliũ, neque ſpes, neque ſolatium, niſi in te, ſuſceptor meus es tu, refugium meum, Deus meus, ſperabo in te. Tu liberabis me à laqueo venantium, & à verbo illo aſpero, ite à me, Nolo gratiâ tuâ, vel ad momentum vnicum, nolo, Domine, ſeparari abs te, nolo derelinquere te fontem aquæ viuæ, neque nunc, neque in æternum.
Rom. 8. Quis enim me ſeparabit à charitate tuâ, an tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me ſeparare à charitate tuâ.

Exercitium breuius

O Iudex æquiſſime, credo tibi, & ſpero in te, & toto corde
Iſaiæ. 55. *te diligo. O quàm mendaces filij hominum in ſtateris! quantum exaltantur cogitationes noſtræ à cogitationibus tuis! Tu verò iudicas iuſtè, qui ſcrutaris cor & renes. Sapiens corde es, & fortis robore, quis reſtitit tibi, & pacem habuit? quomodo is turbabitur in die illâ tremendâ, cùm pronuncia-*
Iob. 9. *tur à te beatus pauper, humilis, mitis, & patiẽs? Quid reſpondebo tibi, ſi nunc virtutes illas, & occaſiones neglexero, & quomodo confundar coram orbe terrarum? O Redemptor mi, ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, doleo enim ex corde de*
1. Reg. 15 *peccatis meis, & cũ ſciam ſcriptum: Triumphator in Iſrael nõ*

par-

parcet, & pœnitudine non flectetur, ſupplex te rogo ô bonitas, nunc in tempore hoc, dum tempus eſt miſerendi, miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Amen.

Exercitium longius.

O *Domine, qui mihi adſtas, & vides gemitum meum & timorē, quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus! Venies enim tu, agne mitiſſime, quaſi leo de tribu Iudâ; quaſi vrſa raptis catulis, occurres impiis, qui nunc monita tua & inſpirationes ad virtutem contemnunt; & cùm reuelabitur dies ille, illuminabuntur abſcondita tenebrarum, & manifeſta erunt conſilia cordium. Vide nunc, obſecro, ô Saluator, ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in viâ æternâ. Inſpice qui ſcrutaris cor meum, ſi quid diligam præter te, aut non propter te, & eiice illud. Templum enim ſum tuum, & altare tuum, & habitatio tua, in quâ optarem etiam millies hodie te ſuſcipere & amplecti. Noli permittere vt domus patris tui fiat ſpelunca latronum. O hypocrita, ô luxurioſe, auare, ambitioſe, recordare, id quod iam verſas animo tuo, patebit orbi terrarum in die illâ, quando erit peccatori tribulatio magna, qualis non fuit ab initio, neque fiet; iſti verò qui virtutem colunt, lætabuntur ſicut in meſſe, ſicut victores dum diuidunt ſpolia. Iam ad modicum humiliari, & tecum nouiſſimum locum tenere, eſurire, ſitire, pati, deſpici graue eſt; ſed tunc glorioſa erit humilitas, & fiduciam dabit coram maieſtate tua, ô Saluator & Redemptor mi. Iam amici motus N. ſic frangere, alterius nutum ſequi, moleſtum; ſed tunc erit obedienti & mortificato laus à te coram orbe terrarum: Tunc patientia cum ſanctâ cruce fulgebit, murmurator cum reprobis eiulabit. Tunc afflicti leuabunt capita ſua, quoniam appropinquabit redemptio eorum. Tunc glorioſum huius ſæculi mancipium vinculis ſtringetur æternis, & flammis tremendis circumdabitur. Ignis enim in conſpectu tuo exardeſcet, & in circuitu tuo tempeſtas valida; ſed in dexterâ manu refrigerium erit, & corona his qui diligunt te, & quærunt te ex toto corde ſuo. O quantū optabit*

Iob. 14. Oſeæ. 13. Applicatio ad Communionem. Pſal. 49.

tunc

tunc improbus inter bonos numerari! ſed fruſtrà. qui enim iā ad virtutis monita obſurdeſcit, cum vitio flammis deputabitur æternis; & vbicumque ceciderit ſemel arbor, ibi manebit, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem. Quis poterit cogitare diem aduentus tui? quis enarrare, quàm triſtis ſeparatio à te omni bono & electis tuis in æternum? & hoc, quia ad momentum, ad modicum in hoc vitæ curriculo impii noluerunt laborare. Laſſati ſumus, inquiunt, in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus. quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia? quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tamquā vmbra, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus. Quærent iſti mortem, & non inuenient eam; & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Erit verò iucunda & ſuauis retributio bonorum, quibus modicum tribulatis æterna gloria à conſtitutione mundi parata tribuetur. Tunc cantabunt tibi, Domine IESV, *canticū nouum; quia glorioſè magnificatus es in eis: equum & adſcenſorem, & qui illos tribulabant, deieciſti in miſeriarum mare, ſed maximè, quia neque luctus, neque dolor erit vltrà, neque cadet ſuper illos ſol, neque æſtus, & amodò dicet Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, & epulentur in conſpectu tuo. Concede mihi, benigniſſime* IESV, *per viſcera miſerationem tuarum, & charitatem quâ dilexi nos, ſic iam viuere, virtutem* N. *colere, vt in æternum te fruar & cognoſcam, & amē toto corde, & totâ animâ meâ. Amen.*

Eccleſ. 1. Malach. 3. Sap. 5. Apoc. 9. Exod. 15. Apoc. 21. Apoc. 14.

Praxis ad iudicii memoriam recolendam

PRIMA. Conſiderare, quæ hîc videmus ſplendere, æſtimari, quo pretio tunc æſtimanda ſint, cùm Dominus ad iudicandū venerit: ibi enim erit vera libra, & pretium omnium.

Dies iudicÿ dies foris.

Secunda Hæc omnia, quæ videmus, reſpicere, vt igne illo terribili conſumenda, & contemptum mundi ſæpè excitare, æterniſque incumbere.

Vanitas mundi.

Tertia. Sæpè ſcrutari cor ſuum, & ita ſecum loqui: Ecce quod nunc cogito, ago, patebit orbi terrarum.

Nota remedium tentationū.

Quarta. Cogitare omnes tunc pares futuros, & nihil grauius

vius fore,quàm ob vnum aliquem hominem maximè Deo deteſtabilem, illi iniuriam magnam intuliſſe, vt faciunt mundani.

Quinta. In omni mortificatione cogitare, quid præſtet, coram orbe toto confundi,an paucis, vel vno confeſſario.

Sexta, Aliquando cùm timorem Domini ſanctum excitare libet, videre, vt omnia nos iudicii commonefaciant. Nam quot Religioſos videmus,tot iudices; quot creaturas, tot accuſatores, ſi illis abutamur: terra, carcer eſt, quo claudentur rei; aër, ſedes iudicis tremenda; quoties ſtrepitum audimus,fragores attendamus cælorum;quoties cantus, lamentationes damnatorum; ſi quid odoramur, vniuerſi ambuſtionem cogitemus. Denique videamus qualia futura ſint,quæ hîc videntur,&c. *Omnia nos poſſunt facere memores iudicii.*

Septima. In omni electione officii aut virtutis, cogitare quid tunc feciſſe voluiſſemus. Nunc faſcino oculi noſtri velantur,& iudicium ac ratio excæcantur; verùm tunc inſenſati ſuam videbunt inſaniam,& dicent: Nos vitam illorum æſtimabamus inſaniam,& finem illorum ſine honore; ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei,& inter Sanctos ſors illorum eſt. *Dignatus es*,vt ſup. pag. 10. *Sap. 5.*

JACVLATORIÆ.

Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui. Pſal. 118.
Iuſtitia tua ſicut montes Dei: iudicia tua abyſſus multa. Pſal. 35.
Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Pſal. 89.
Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Pſal. 142.
Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Soph. 1.
Magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum? Ioelis 2.

VIGE-

VIGESIMÆ PRIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Si dubitas in virtutis electione, vide an in omni æternitate non eam optabis te elegiſſe.

ANte omnia *A* æternitatem attende, & quomodo Sancti cælo, ac reprobi in inferno optent meliùs virtutem coluiſſe. O quàm longa eſt, cuius annos neque *B* arenę, neque *C* guttæ maris adæquant! vbi ſemel ceciderit *D* arbor, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi ſemper manebit: neque erit vltrà *E* tempus, aut *F* occaſio, aut *G* mors, niſi æterna. en, vt vel *H* vnum peccatum hominem inferno claudat. O quanti damnatus vel *I* horulam emeret, ſi pœnitentiam agere poſſet! ſed fruſtrà eſt, atque à dæmone *K* irridetur. Vide igitur quid & quâ *L* in æternitate iam ſcribas: ſemel enim cogitata, dicta, facta, æterna ſunt, & infecta eſſe nequeunt. Vtinam, vtinam ſaperes!

CAPVT XLIII.

De quinto medio Meditationẽ atque affectus eius ampliandi, ſiue de Æternitate.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM. I. Conſidera quod vti omnia flumina in mare vnde ortum habent redeunt, ita omnia temporalia in æternitatem tendunt, & corruptibilia nonnulla incorruptionem expectant perpetuam; alia verò in nihilum ſuum reuertentur, atque in eo perpetuò manebunt. Contemplare igitur velut è ſpecula creaturas vniuerſas, & expende quàm breui omnia tranſitura ſint, velut vmbra; tot flores, fructus, opera, animantia; ita vt numquam deinceps in æternum futura ſint: oculoſque ad te conuerte, certus quia, ſicvt illa, ſic vita tua præteribit, eademque numquam, præterquam iu iudicio, renouabitur. Sic Xerxes è monte exercitium maximum deſpiciens, & quàm breuis æui totus ille futurus eſſet, attendens, illacrymari cœpit. Tu verò vanitate rerum conſpectâ per hiemes & æſtates mortem & vitam, deſpice ea quæ te à virtute auertunt & vide an non ad eam atque æterna oculos animumque conuertere æquum ſit. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ fide*, &c. *Creata omnia quàm caduca.*

PVNCTVM II. Conſidera, quàm breuis ſit vita, & ab eâ deinde pendere duplicem æternitatem: felicem & infelicem, & neceſſe eſſe alterutram ſortiri: tuâque in manu eſſe iam virtutem N. ſequi, & feliciſſimam comparare; aut certè vitium, & æternis ærumnis mancipari. Quid videtur agendum, & quid agis? Expende hîc quid ſit illa æternitas, ſpatium ſcilicet temporis interminum, incomprehenſibile, longiſſimum. Plures in ea non anni tantùm, ſed myriades, immò millenæ myriades numerantur, quàm ſint cæli ſtellæ, arenæ maris, & pluuiæ guttæ, arborum flores, frondes. Atque adeò, *Æternitas quid ſit.* *Eius longitudo.*

 etſi

æternùm beatus eſſe velis, & ad horam cum eo laborare. *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM V. Conſidera in omni actione, cogitatione, &c. alterutrius ex æternitatibus electionem inſtituendam: quidquid enim ſemel cogitatum, dictum factumue fuerit, æternum erit: quia infectum eſſe nequit. & iterum hominem illud aut beabit, aut cruciabit. Maturè igitur & conſideratè ſingula opera perficienda ſunt, cùm regreſſus non detur, neque emendatio eiuſmodi, vt præterita eſſe deſinant; ſed, ſicut quidam dicebat, Pingimus, ſcribimus æternitati; laudabit aut vituperbit auctorem ſuum opus quolibet æternùm; etſi enim per pœnitentiam peccata deleantur, non tamen innocentia reſtituitur.

Semel factum infectum fieri nequit.

Exercitium breuius

O Rex regum credo tibi & te ſpero, & te toto corde diligo. O æternitas, æternitas feliciſſima & infeliciſſima, quis te nouit quid ſis, & quid non ſis? quando cœperis, quando terminaberis, oceane infinite? quis de te cogitat, & libet ei ad momentum ridere & æternum flere? quis credit te ſequi nos, & non properat, in virtutis ſtadio, vt conſequatur brauiũ, quod mihi tu es vnum, & eris Rex ſæculorum immortalis & inuiſibilis, Chriſte IESV? *O felix labor, quem tu æterna requies; felices lacrymæ, quos æterna gaudia; felix luctus & tribulatio, quam excipit æterna gloria! & tua ô* IESV, *infinita charitas. Nemo, nemo credere videtur, aiebat quidẽ. O Rex regum, qui factus es mortalis vt ego eſſem immortalis, natus es in tempore vt viuerem æternùm; Dirige, quæſo, ſic actiones meas, & ſtudia mea, vt eligam æterna pro momentaneis, & amore tuo uri, & frui omni bono, quàm deputari æternis.*

Exercitium longius.

O Deus meus, æterne, incõprehenſibilis, Alpha & Omega, principium & finis, ſine principio tamen & fine. & à fine ad finem pertingens. Regnum tuum regnum omnium ſæculorum

culorum & dominatio tua in generatione & generationem. Pſal. 114.
Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſæculo vſque in ſæculum tu es Deus. Et quamuis omnia ſicut Pſal. 89.
veſtimenta veteraſcant, tu idem ipſe es Deus meus, & anni tui non deficient. Non eſt apud te tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio. Nos verò quid ſumus vaſa figuli, opus ma- Pſal. 101.
nuum tuarum, vapor ad modicum parens, quaſi flos egredimur & conterimur, & fugimus velut vmbra, & numquā in eodem ſtatu permanemus, qui hodie ſumus, & cras non comparemus, & ſumus tamen æternùm, æternùm victuri. Sed vbi? vbi? vbi? tu noſti, vtinam tecū! Et verò tecum ſi te iam ſequamur, & cōſilia hæc tua N. vti optabimus in omni æternitate.

Ingemiſcimus, ſicut omnis creatura, donec corruptibile hoc 1. Cor. 15
induat incorruptionem, & mortale induat immortalitatem. ſiquidem cùm ad modicum viuere hic detur, ad perpetuam vitam ſuſpiramus; ſed vitam aut ignoramus aut cognitā, heu! derelinquimus. Quæ enim ea eſt, niſi inſiſtere veſtigiis tuis, qui es via in exemplo, veritas in promiſſo, & vita ſempiterna in præmio; cùm venerit tandem, & illuxerit dies illa æternitatis? O quanto gaudio, quàm inenarrabili tunc explebimur, ſi te & virtutē ſecuti fuerimus, & obediuerimus voci tuæ! O quàm volupe erit poſt ſecula plurima, illud integrum ſupereſſe! poſtquam torrente voluptatis tuæ potati erimus, oceanum bonorum reſtare & pelagus inexhauſtum, & fontem æternum! O felix eſuries & ſitis, quam eiuſmodi ſuſcepit ſatietas! O felix contemptus, quem æternus honor exaltat! O felix dolor, & virtutis labor, quem requies & gaudium ſequitur! Quàm dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini, & momentaneum & leue videtur omne tribulationis noſtræ, quod æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Verumtamen, quia neſcit homo an amore an odio dignus ſit, timor & tremor venerunt ſuper me; & quantum tua gloria Eccl. 9.
æterna inuitat, tantùm terret pœna ſempiterna. Habeo ta- Pſal. 45.
mē, habeo, & gratias ago tibi toto corde meo, ô Charitas mea, Applicatio ad
habeo futuræ gloriæ pignus, toties iteratū corpus & ſangui- Communionē.
nem

& qui adſtulerunt labores eorum, dicentes intra ſe, & præ anguſtiâ ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij: nos inſenſati vitam illorum pauperem, humilem, afflictã, æſtimabamns inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. *Haccine firmâ*, vt ſup. p. 7. vel, *O Iudex æquiſſime*, pa. 588. Inter hæc veniet Dominus

Lucæ 21. cum poteſtate magnâ & maieſtate; veniet in ſanctis millibus ſuis, cum ſanctiſſimâ matre ſuâ, arridebuntq; bonis, auerſabuntur malos. Quid tunc optabis? quo oculo aſpici? Apparebit mox ſignum filii hominis ſplendidius ſole; & leuabunt capita ſua filii Dei, gaudebuntque crucis & mortificationis imitatores, qui iam carnem ſuam crucifixerunt cum concupiſcentiis ſuis: exultabunt incredibili gaudio, videntes ſe ſcriptos. ô

Galat. 5. JESV dulciſſime, in manibus tuis, & vulneribus tuis ſacratiſſimis: erubeſcent, & contabeſcent aduerſarii tui, quid eligam tunc feciſſe?

Credo tibi, vt ſuprà pag. 7.

Conſcientia patebit omnibus. Deinde aperientur libri conſcientiarum, & manifeſtabuntur conſilia cordium. tunc exiſtimationes, opiniones, ſecretiſſima hypocriſis, perfidia, intentiones obliquæ vniuſcuiuſq; apparebunt. quanto, Deus bone, pudore malorum & confuſione? Vide an omnia arcana cordis omnibus patere velis; vide quid in libro il-

Matth. 10 lo iam ſcribas, virtutes an vitia; nihil enim opertum, quod non ſciatur. Mox accuſationes ſequentur terribiles, ſed quod ſuper omnia erit amariſſimum, finge te audiren quomodo tum omnibus & tibi Chriſtus exprobrabit beneficia; Sancti adhortationes & exempla; dæmones ſuggeſtiones & ſcelera; creaturæ omnes abuſum ſui. Scrutabitur Dominus Jeruſalem in lucernis. magnus verè dies Domini, terribilis valdè, quis ſuſtinebit eum? ardens furor eius, & grauis ad portandum. labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius

Accuſatores terribiles.

Sophon. 1.

Iſaiæ 30.

quaſi

quaſi ignis deuorans, ſpiritus eius velut torrens inundans ad perdendas gentes. ſtabit peccator, & videbit intus conſcientiam accuſantem, dæmoniaque vndique parata ad prædam: quò fugiet? infrà infernus hiabit, cælum ſuprà clauſum, & iudicem iratum intuebitur; quò ibit? *Peccatoris infelix ſtatus.*

O Domine qui, &c. vt infr. pag. 589.

PVNCTVM III. Conſidera quomodo tandem conuictis improbis, ita vt negare nequeant, & bonis laudatis feretur ſententia irreuocabilis de æternitate longiſſimâ & interminabili, & in comprehenſibili; de felicitate ſummâ, & ſuppliciis ſempiternis. Primò, dicet benigniſſimus IESVS: Venite (de cruce & tribulatione, ſcilicet) benedicti Patris me, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. O quantum, putas, ſtupebunt illi & omnes Angeli liberalitatem, & infinitam Dei charitatem! Contrà verò audient improbi: Diſcedite à me (ſcilicet omni bono, Patre & Deo veſtro) maledicti in ignem æternum, quia ad horam, ad momentum ſeruare noluiſtis mandata. Expende ſingula verba, &, ſi potes adhuc, theſauriza tibi iram in die iræ. Mox fiet executio, & ibunt hi in vitam æternã, illi autem in ignem æternum. Age, iunge te modò bonis plenis gratulatione, & experire, quo gaudio de virtute, de ſecuritate æternâ fruantur. Modò malis accede, & vitii, ac eorum amaritudinem inexplicabilem quòd ſeparentur æternùm à Deo, cælo, ſanctis amicis; expende, & vide quo oculo cælos & amicos adſpiciant; audi triſtiſſimum vale, quod amicis cognitis dicent, æternùm: & mox terra dehiſcens inuoluit eiulantes & horrendum ſtridentes permixtos dæmonibus infeliciſſimos homines, inter quos multi Reges, potentes, Prælati, nobiles, ambitioſi, luxurioſi. Sta, & æſtima librâ iuſtâ mundum, & concupiſcentias eius; ac vide quomodo euades tanta pericula. Inde redi ad electos, & cum iis mente in cælum abi; iiſque gratulare,

Matth. 25. Sententia bonorum.

Rom. 2.

lare. Poſtremò ad Dominum JESVM, agnum mitiſſimum, longanimem modò & patientem, & roga cùm ſic emerit & redemerit te, vt numquam proiiciat
Pſal. 142. te à facie ſuâ, obſecro te bone JESV, ne intres, quæſo, in iudicium cum ſeruo tuo: ſed fac mecum ſecundùm magnam miſericordiam tuam; quia, ſcio, ſcio non iu-
Iſaiæ 10. ſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quid facietis, ait Propheta tuus, in die viſitationis & calamitatis, de longè venientis? ad cuius confugietis auxiliũ? ah! Domine, tu ſcis, ô charitas Deus meus verè, non eſt auxiliũ, neque ſpes, neque ſolatium, niſi in te, ſuſceptor meus es tu, refugium meum, Deus meus, ſperabo in te. Tu liberabis me à laqueo venantium, & à verbo illo aſpero, ite à me. Nolo gratiâ tuâ, vel ad momentum vnicum, nolo, Domine, ſeparari abs te, nolo derelinquere te fontem aquæ viuæ, neque nunc, neque in æternum.
Rom. 8. Quis enim me ſeparabit à charitate tuâ, an tribulatio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? certus ſum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me ſeparare à charitate tuâ.

Exercitium breuius

O Iudex æquiſſime, credo tibi, & ſpero in te; & toto corde
Iſaiæ. 55. *te diligo. O quàm mendaces filij hominum in ſtateris! quantum exaltantur cogitationes noſtræ à cogitationibus tuis! Tu verò iudicas iuſtè, qui ſcrutaris cor & renes. Sapiens corde es, & fortis robore, quis reſtitit tibi, & pacem habuit? quomodo is turbabitur in die illâ tremendâ, cùm pronuncia-*
Iob. 9. *tur à te beatus pauper, humilis, mitis, & patiẽs? Quid reſpondebo tibi, ſi nunc virtutes illas, & occaſiones neglexero, & quomodo confundar coram orbe terrarum? O Redemptor mi, ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, doleo enim ex corde de*
1. Reg. 15 *peccatis meis, & cũ ſciam ſcriptum: Triumphator in Iſrael nõ*
par-

parcet,& pœnitudine non flectetur,ſupplex te rogo ô bonitas, nunc in tempore hoc,dum tempus eſt miſerendi,miſerere mei ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Amen.

Exercitium longius.

O Domine, qui mihi adſtas, & vides gemitum meum & timorē, quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me; & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus! Venies enim tu, agne mitiſſime, quaſi leo de tribu Iudâ; quaſi vrſa raptis catulis, occurres impiis, qui nunc monita tua & inſpirationes ad virtutem contemnunt; & cùm reuelabitur dies ille, illuminabuntur abſcondita tenebrarum, & manifeſta erunt conſilia cordium. Vide nunc, obſecro, ô Saluator, ſi via iniquitatis in me eſt; & deduc me in viâ æternâ. Inſpice qui ſcrutaris cor meum, ſi quid diligam præter te, aut non propter te, & eiice illud. Templum enim ſum tuum, & altare tuum, & habitatio tua, in quâ optarem etiam millies hodie te ſuſcipere & amplecti. Noli permittere vt domus patris tui fiat ſpelunca latronum. O hypocrita, ô luxurioſe, auare, ambitioſe, recordare, id quod iam verſas animo tuo, patebit orbi terrarum in die illâ, quando erit peccatori tribulatio magna, qualis non fuit ab initio, neque fiet; iſti verò qui virtutem colunt, lætabuntur ſicut in meſſe, ſicut victores dum diuidunt ſpolia. Iam ad modicum humiliari, & tecum nouiſſimum locum tenere, eſurire, ſitire, pati, deſpici graue eſt; ſed tunc glorioſa erit humilitas, & fiduciam dabit coram maieſtate tua, ô Saluator & Redemptor mi. Iam amici motus N. ſic frangere, alterius nutum ſequi, moleſtum; ſed tunc erit obedienti & mortificato laus à te coram orbe terrarum: Tunc patientia cum ſanctâ cruce fulgebit, murmurator cum reprobis eiulabit. Tunc afflicti leuabunt capita ſua, quoniam appropinquabit redemptio eorum. Tunc glorioſum huius ſæculi mancipium vinculis ſtringetur æternis, & flammis tremendis circumdabitur. Ignis enim in conſpectu tuo exardeſcet, & in circuitu tuo tempeſtas valida; ſed in dexterâ manu refrigerium erit, & corona his qui diligunt te, & quærunt te ex toto corde ſuo. O quantū optabit tunc

Iob. 14. Oſeæ. 13. Applicatio ad Communionem. Pſal. 49.

tunc improbus inter bonos numerari! ſed fruſtrà. qui enim iā ad virtutis monita obſurdeſcit, cum vitio flammis deputabitur
Ecclesſ. 1. Malach. 3. *æternis; & vbicumque ceciderit ſemel arbor, ibi manebit, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem. Quis poterit cogitare diem aduentus tui? quis enarrare, quàm triſtis ſeparatio à te omni bono & electis tuis in æternum? & hoc, quia ad momentum, ad modicum in hoc vitæ curriculo impii noluerunt laborare.*
Sap. 5. *Laſſati ſumus, inquiunt, in viâ iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles; viam autem Domini ignorauimus. quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis: tranſierunt omnia illa tamquā vmbra, & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere, in malignitate autem noſtrâ conſumpti ſumus. Quærent iſti mortem, &*
Apoc. 9. *non inuenient eam; & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Erit verò iucunda & ſuauis retributio bonorum, quibus*
Exod. 15. *modicum tribulatis æterna gloria à conſtitutione mundi parata tribuetur. Tunc cantabunt tibi, Domine* IESV, *canticū nouum, quia glorioſè magnificatus es in eis: equum & adſcen-*
Apoc. 21. *ſorem, & qui illos tribulabant, deieciſti in miſeriarum mare,*
Apoc. 14. *ſed maximè, quia neque luctus, neque dolor erit vltrà, neque cadet ſuper illos ſol, neque æſtus, & amodò dicet Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis, & epulentur in conſpectu tuo. Concede mihi, benigniſſime* IESV, *per viſcera miſerationem tuarum, & charitatem quâ dilexi nos, ſic iam viuere, virtutem N. colere, vt in æternum te fruar & cognoſcam, & amē toto corde, & totâ animâ meâ. Amen.*

Praxis ad iudicii memoriam recolendam

Dies iudicij dies foris. PRIMA. Conſiderare, quæ hîc videmus ſplendere, æſtimari, quo pretio tunc æſtimanda ſint, cùm Dominus ad iudicandū venerit: ibi enim erit vera libra, & pretium omnium.

Vanitas mundi. Secunda Hæc omnia, quæ videmus, reſpicere, vt igne illo terribili conſumenda, & contemptum mundi ſæpè excitare, æterniſque incumbere.

Nota remedium tentationū. Tertia. Sæpè ſcrutari cor ſuum, & ita ſecum loqui: Ecce quod nunc cogito, ago, patebit orbi terrarum.

Quarta. Cogitare omnes tunc pares futuros, & nihil grauius

vius fore, quàm ob vnum aliquem hominem maximè Deo deteſtabilem, illi iniuriam magnam intuliſſe, vt faciunt mundani.

Quinta. In omni mortificatione cogitare, quid præſtet, coram orbe toto confundi, an paucis, vel vno confeſſario.

Sexta. Aliquando cùm timorem Domini ſanctum excitare libet, videre, vt omnia nos iudicii commonefaciant. Nam quot Religioſos videmus, tot iudices; quot creaturas, tot accuſatores, ſi illis abutamur: terra, carcer eſt, quo claudentur rei; aër, ſedes iudicis tremenda; quoties ſtrepitum audimus, fragores attendamus cælorum; quoties cantus, lamentationes damnatorum; ſi quid odoramur, vniuerſi ambuſtionem cogitemus. Denique videamus qualia futura ſint, quæ hîc videntur, &c. *Omnia nos poſſunt facere memores iudicii.*

Septima. In omni electione officii aut virtutis, cogitare quid tunc feciſſe voluiſſemus. Nunc faſcino oculi noſtri velantur, & iudicium ac ratio excæcantur; verùm tunc inſenſati ſuam videbunt inſaniam, & dicent: Nos vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore; ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10. *Sap. 5.*

JACVLATORIÆ.

Confige timore tuo carnes meas: à iudiciis enim tuis timui. Pſal. 118.

Iuſtitia tua ſicut montes Dei: iudicia tua abyſſus multa. Pſal. 35.

Quis nouit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Pſal. 89.

Non intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Pſal. 142.

Dies iræ, dies illa, dies tribulationis & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Soph. 1.

Magnus dies Domini, & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum? Ioelis 2.

VIGE-

VIGESIMÆ PRIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Si dubitas in virtutis electione, vide an in omni æternitate non eam optabis te elegiſſe.

ANte omnia *A* æternitatem attende, & quomodo Sancti cælo, ac reprobi in inferno optent meliùs virtutem coluiſſe. O quàm longa eſt, cuius annos neque *B* arenę, neque *C* guttæ maris adæquant! vbi ſemel ceciderit *D* arbor, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi ſemper manebit: neque erit vltrà *E* tempus, aut *F* occaſio, aut *G* mors, niſi æterna. en, vt vel *H* vnum peccatum hominem inferno claudat. O quanti damnatus vel *I* horulam emeret, ſi pœnitentiam agere poſſet! ſed fruſtrà eſt, atque à dæmone *K* irridetur. Vide igitur quid & quâ *L* in æternitate iam ſcribas: ſemel enim cogitata, dicta, facta, æterna ſunt, & infecta eſſe nequeunt. Vtinam, vtinam ſaperes!

CAPVT

CAPVT XLIII.

De quinto medio Meditationẽ atque affectus eius ampliandi, ſiue de Æternitate.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM. I. Conſidera quod vti omnia flumina in mare vnde ortum habent redeunt, ita omnia temporalia in æternitatem tendunt, & corruptibilia nonnulla incorruptionem expectant perpetuam; alia verò in nihilum ſuum reuertentur, atque in eo perpetuò manebunt. Contemplare igitur velut è ſpecula creaturas vniuerſas, & expende quàm breui omnia tranſitura ſint, velut vmbra; tot flores, fructus, opera, animantia; ita vt numquam deinceps in æternum futura ſint: oculoſque ad te conuerte, certus quia, ſicvt illa; ſic vita tua præteribit, eadémque numquam, præterquam in iudicio, renouabitur. Sic Xerxes è monte exercitium maximum deſpiciens, & quàm breuis æui totus ille futurus eſſet; attendens, illacrymari cœpit; Tu verò vanitate rerum conſpectâ per hiemes & æſtates mortem & vitam, deſpice ea quæ te à virtute auertunt & vide an non ad eam atque æterna oculos animumque conuertere æquum ſit. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ fide*, &c. *Creata omnia quàm caduca.*

PVNCTVM II. Conſidera, quàm breuis ſit vita, & ab eâ deinde pendere duplicem æternitatem: felicem & infelicem, & neceſſe eſſe alterutram ſortiri: tuâque in manu eſſe iam virtutem N. ſequi, & feliciſſimam comparare; aut certè vitium, & æternis ærumnis mancipari. Quid videtur agendum, & quid agis? Expende hîc quid ſit illa æternitas, ſpatium ſcilicet temporis interminum, incomprehenſibile, longiſſimum. *Aeternitas quid ſit.* Plures in ea non anni tantùm, ſed myriades, immò millenæ myriades numerantur, quàm ſint cæli ſtellæ, arenæ maris, & pluuiæ guttæ, arborum flores, frondes. Atque adeò, *Eius longitudo.*

 etſi

etſi quiſpiam ab exordio mundi ad finem vſque maximos annorum numeros ſupputaret,& quaſi de æternitate detraheret, numquam tot tantoſque conciperet, quin æternitas tota atque integra adhuc permaneret. Jam vide quantum damnatorum pœnas augeat æternitas, n qua interruptio nulla, nullum ne quidem guttæ aquæ ſolatium, nullius terminus; quia vermis eorum non moritur. Deſcende tu viuens in infernum, lacumque intuere maximum, ardentiſſimum ſulphure & pice,& intuere hominum myriades,& in iis Prælatos, ſacerdotes & Religioſos, Reges & Monarchas, & vide v.g. quomodo Cain, aut diues Epulo, in ſenſibus ſingulis & membris torquētur. Deinde mentis oculo inſpice, quantus ſit in animis iſtorū dolor, timor, pudor, deſperatio, rabies, & furor inexplicabilis. Audi deinde amariſſimos fletus & eiulatus, quæ maledicta in Deum bonoſque omnes iaciant impiâ flammiuolâ linguâ. Pete ab horum aliquo quid de mundi gloriâ & deliciis ſentiat, quomodo horulam impenderet ad ſalutem ex iis quas tu otio & fabulis perdis. Nunc verò odorare ſulphureum illum & teterrimum odorem, & guſta quàm amarus ſit calix iræ Domini. Hæc contemplatus in flammarum vndis ſi quem illæ extulerint ad conſpectum tuum vt in lebeta fieri ſolet, percunctare quid in his omnibus maximè eos torqueat, & mox cum horrore, furore, ſtridore eiulans clamabit: Sola ſola æternitas. præ quâ illis omnia grauiſſima eſſent leuia, & tormenta leuamenta. Pete deinde quamdiu ibi fuerit, quamdiu erit, quod ſolatium exſpectet, nullum inquiet. Et rurſum vide vt in vorticem deſcendat, & reſorbeatur & voluatur in æternum. Hæccine verâ? & ſi vera, ita viuo, quaſi vera? ita contemno præſentia, ita ad virtutem in futura anhelo? *O Rex Regum*,&c. vt inf. pag. 596.

Aeternitas duriſſima malis.

Marc. 9.

PVNCTVM III. Nunc verò aſcende ô anima in montem Sion, accede ad Paſtorem tuum ſtantem in medio ouium ſuarum, paratum te amplecti, & æternùm inebriare

inebriare ab vbertate domus ſuæ. Vide ſedentes ſanctos in pulcritudine pacis, & requie opulentâ: vt in omnibus ſenſibus plenè ſint beati, membriſque omnibus; audi ſuauiſſimum melos laudantium Deum & illos qui virtutem N. ad horam hîc ſequuntur; vt poſſideant æternum quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Pete denique ab Angelo tuo, vel Patronis, quid de dolore, afflictione, humiliatione ſentiant, quid de mundi deliciis, quidve in cælo poſt Deum eos magis exhilaret; & reſpondebunt cum exultatione incomparabili, quòd pro horâ & momento obtigerit illis feliciſſima æternitas. O quanti videre Deum, & amare eum, & adeſſe illi, & poſſidere omne bonum in æternum, ſecurè & tranquillè frui omni bono, & carere omni malo? Ergo ſic ratiocinare tecum, & vide quo dementiæ veniat homo vt cruciatus æternos, & mortem eligat pro vitâ & gaudiis ſempiternis. Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer. Finge tandem, ſi libet, te ad horam beatum, vel, quod abſit, damnatum; & tuum de virtute & vitio ſenſum explora. *Ierem. 2.*

Haccine vera, &c. vt ſup. pag. 7. vel *ô Deus meus*, vt infrà pag. 596.

PVNCTVM IV. Conſidera hæc verba: Multi ſunt vocati, pauci verò electi: & vide quomodo connitendum tibi, vt inter Electos numereris conſtanti virtute, maximè humilitatis. Appende hæc verba: Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cùm autem intrauerit Paterfamilias, & clauſerit oſtium, incipietis foris ſtare, & pulſare oſtium dicentes: Domine, aperi nobis. Et reſpondens dicet vobis: Neſcio vos vnde ſitis. Conſidera è contrario, quantopere Deus & Dominus noſter cupiat omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, quomodo ſanguinem ſuum tibi præbeat in potum, & corpus in cibum, & omnia ſua promittat, vt *Matth. 20* *Lucæ. 13.*

æternùm beatus eſſe velis,& ad horam cum eo laborare. *Credo tibi*, vt ſup.pag.7.

PVNCTVM V. Conſidera in omni actione, cogitatione,&c. alterutrius ex æternitatibus electionem inſtituendam: quidquid enim ſemel cogitatum, dictum factumue fuerit, æternum erit: quia infectum eſſe nequit. & iterum hominem illud aut beabit, aut cruciabit. Maturè igitur & conſideratè ſingula opera perficienda ſunt, cùm regreſſus non detur, neque emendatio eiuſmodi, vt præterita eſſe deſinant; ſed,* ſicut quidam dicebat, Pingimus, ſcribimus æternitati; laudabit aut vituperbit auctorem ſuum opus quolibet æternùm; etſi enim per pœnitentiam peccata deleantur, non tamen innocentia reſtituitur.

Semel factum infectum fieri nequit.

Exercitium breuius

O Rex regum credo tibi & te ſpero, & te toto corde diligo. O æternitas, æternitas feliciſſima & infeliciſſima, quis te nouit quid ſis, & quid non ſis? quando cœperis, quando terminaberis, oceane infinite? quis de te cogitat, & libet ei ad momentum ridere & æternum flere? quis credit te ſequi nos, & non properat, in virtutis ſtadio, vt conſequatur brauiũ, quod mihi tu es vnum, & eris Rex ſæculorum immortalis & inuiſibilis, Chriſte IESV? *O felix labor, quem tu æterna requies; felices lacrymæ, quos æterna gaudia; felix luctus & tribulatio, quam excipit æterna gloria! & tua ô* IESV, *infinita charitas. Nemo, nemo credere videtur, aiebat quidã. O Rex regum, qui factus es mortalis vt ego eſſem immortalis, natus es in tempore vt viuerem æternùm; Dirige, quæſo, ſic actiones meas, & ſtudia mea, vt eligam æterna pro momentaneis, & amore tuo uti, & frui omni bono, quàm deputari æternis.*

Exercitium longius.

O Deus meus, æterne, incõprehenſibilis, Alpha & Omega, principium & finis, ſine principio tamen & fine. & à fine ad finem pertingens. Regnum tuum regnum omnium ſæculorum

culorum & dominatio tua in generatione & generationem. Pſal. 114.
Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſæculo vſque in ſæculum tu es Deus. Et quamuis omnia ſicut Pſal. 89.
veſtimenta veteraſcant, tu idem ipſe es Deus meus, & anni tui non deficient. Non eſt apud te tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio. Nos verò quid ſumus vaſa figuli, opus ma- Pſal. 101.
nuum tuarum, vapor ad modicum parens, quaſi flos egredimur & conterimur, & fugimus velut vmbra, & numquã in eodem ſtatu permanemus, qui hodie ſumus, & cras non comparemus, & ſumus tamen æternùm, æternum victuri. Sed vbi? vbi? vbi? tu noſti, vtinam tecũ! Et verò tecum ſi te iam ſequamur, & cõſilia hæc tua N. vti optabimus in omni æternitate.

Ingemiſcimus, ſicut omnis creatura, donec corruptibile hoc 1. Cor. 15
induat incorruptionem, & mortale induat immortalitatem. ſiquidem cùm ad modicum viuere hic detur, ad perpetuam vitam ſuſpiramus; ſed vitam aut ignoramus aut cognitã, heu! derelinquimus. Quæ enim ea eſt, niſi inſiſtere veſtigiis tuis, qui es via in exemplo, veritas in promiſſo, & vita ſempiterna in præmio; cùm venerit tandem, & illuxerit dies illa æternitatis? O quanto gaudio, quàm inenarrabili tunc explebimur, ſi te & virtutẽ ſecuti fuerimus, & obediuerimus voci tuæ! O quàm volupe erit poſt ſecula plurima, illud integrum ſupereſſe! poſtquam torrente voluptatis tuæ potati erimus, oceanum bonorum reſtare & pelagus inexhauſtum, & fontem æternum! O felix eſuries & ſitis, quam eiuſmodi ſuſcepit ſatietas! O felix contemptus, quem æternus honor exaltat! O felix dolor, & virtutis labor, quem requies & gaudium ſequitur! Quàm dilecta tabernacula tua, Domine, virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini, & momentaneum & leue videtur omne tribulationis noſtræ, quod æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Verumtamen, quia neſcit homo an amore an odio dignus ſit,
timor & tremor venerunt ſuper me; & quantum tua gloria Eccl. 9.
æterna inuitat, tantùm terret pœna ſempiterna. Habeo ta- Pſal. 45.
mẽ, habeo, & gratias ago tibi toto corde meo, ô Charitas mea, Applicatio ad
habeo futuræ gloriæ pignus, toties iteratũ corpus & ſangui- Communionẽ.

 nem

nem tuum. Et hoc tota fiducia mea, tota; dixiſti enim, & falle-
Ioan.6. *re non potes: hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ip-*
ſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis qui de cælo
deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternũ.
Igitur in fortitudine cibi huius, quo hodie frui ſpero, & ardeo,
pergam ad montem tuum, ad montem Dei Oreb. ibo de virtu-
te in virtutem, donec videam te Deum deorum in Sion.

Peregrinus adhuc ſum & aduena, fateor, fateor, & heu
mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, multùm incola
fuit anima mea. Quid agam? ingrediar momento hoc viæ la-
bilis in domum æternitatis meæ, & annos in mente habebo.
Et quorſum? certè vt te amem in æternum, qui ruiturum mil-
lies in æternas miſerias, ſeruas. Conſeruaſti me verè præ mil-
libus, vt ego æternùm, æternùm benedicam nomini tuo in ſæ-
culum, & in ſæculum ſæculi. O quid felicius feliciſſimâ æter-
nitate, quid infelici infelicius poteſt cogitari? cuius cogitatio
pœna eſt acerbiſſima; cuius duratio, tormentum grauiſſimum,
cuius nomen terribilium omnium terribiliſſimum. O quàm
rara es, quàm rara es in mentibus hominum! Cui, IESV bone,
ſalus mea, ſpes mea, cui liberet ad momentum, ad modicum
ridere, vt æternum fleret? Quomodo abdicare per virtutem
momentaneum mundi ſolatium, graue erit ei, qui æternitatẽ
cogitabit? Cui durus virtutis labor eſt futurus, qui præmia æ-
terna intuebitur? Aeterna offers gaudia, honores, ô æterna
Veritas; momentanea fallax mundus, quid elegiſſe in omnem
Lucæ 16. *optauero æternitatem? Quid Epulo eligeret, tot annis guttam*
aquæ flagitans in tormentis, ſed fruſtra? magnum chaos eſt
inter infelices illas & felices animas, & peccato vel vno, æter-
no carcere concluſæ ſunt: fruſtrà horam optant ad ſalutem,
Pſal.94. *qui tot annis obdurauerunt corda ſua ne cognoſcerent vias*
tuas; quibus iuraſti in irâ tuâ, ſi introibunt in requiem tuã.
Da mihi, benigniſſime Deus, ſic nouiſſima, æternitatemq́ eo-
rum conſiderare, vt in ſæcula ſæculorum laudare te poſſim
potiùs, quod horreſco cogitans, quàm te, quem hodie amantiſ-
ſimè exſpecto in cibũ & ſolatium æternum, qui me ſic amaſti,
& amas, odiſſe & blaſpemare. En optio mihi datur, tu elige,
quæſo, pro me, vt diligã te. Quid enim poſſũ abſque te? perire, &

hoc

hoc ſolùm. Et potero coram te ſpectante te? ô ſpes! ô fiducia mea! anguſtiæ mihi ſunt vndique, hoc ſolum habeo reſidui vt oculos dirigam ad te, & cùm optio mihi detur, & alterum vt eligam neceſſe ſit, da mihi vt cùm liber ſim eligam, cui viuo & moriar, in omnibus operibus, verbis, & cogitationibus potiùs æternum gaudere, propter te, quàm lugere & pœnitere. Scio, ſemel facta, dicta, cogitata æterna omnia ſunt: infecta numquā futura ſunt, ſed aut æternùm illa coronabis, aut certè quod abſit, cum dolore tuo, & perditione æternâ meâ vindicabit illa æternùm iuſtitia tua. Obſecro, Domine, per miſericordiam tuam, vt ſic operâ mea perficere poſſim, & virtutem ſequi, quemadmodum in omnem æternitatem optabo, & optabit æterna bonitas tua. Amen.

Praxis, vt æternitatis memoria altè menti infigatur.

PRIMA. Sæpè in creaturis earum attende vanitatem, ac certò tibi perſuade, ſi aliquam earum abnegaueris, quòd pro temporali æternam habebis: verbi gratiâ, ſi honorem, ſi nummum, ſi commodum aliquod corporis, ſi voluntatem propriam in re quapiam propter Deum repudiaueris, non perdidiſti; ſed, cùm temporalia eſſent, imò momentanea, ęterna effeciſti. Valdè eſt efficax eiuſmodi exercitiū, & præſertim ſi crebrò vſurpetur reipsâ, vel mente repræſentetur. Verbi gratiâ, afficeris inordinatè huic codici, imagini, domui, agro, liberis, finge tibi hæc eripi à Deo, vel illū abs te petere vt ęternùm ſeruet, vt ęterna efficiat. Ita enim verè contingit: & quæ nos in viâ Dei impediunt ob nimiū amorem, prouidus parens aufert à nobis, vt pueris cultum, uel crepundia, vt pro iis æterna reponat. Neque tantùm voluntate ea abnega, ſed reipsâ cùm id potes, aut eleëmoſynam dando, aut cedendo, aut contumeliam tolerando. Hoc exercitium, vti vides, reſignationem continet, quæ perfectionis vti eſt argumentum, ita etiam ad illam ſingulare auxilium. Poteris ergò vtiliter illud exercere circa omnia quę poſſides; vt in omnibus ante pugnam præludas. Imaginare tibi imperandum, vt locum mutes, officium, habitationem, vt vitę adeas periculum; & mox reſignato, immò libenti animo hæc ipſa tecum Deo offer, non veluti illa perditurus, ſed facturus vt æterna ſint ea quæ amas.

Vide vti facere queas quæ temporalia æterna.

Deus eripit vt ſeruet tibi.

Reſignationis praxis.

Quod enim de animâ Saluator noſter dixit. Qui perdiderit animam ſuam inueniet eam, in omnibus aliis valet. Neque tantum in futuris te exerce, ſed etiam in præteritis, in quibus repugnantem expertus es voluntatem, vt eam corrigas, & ad meliora inclines.

Quid ante actionem ſit cogitandum.

Secunda. Ante omnes actiones hanc conſiderationem præmitte, numquam infectas eſſe poſſe cum ſemel factæ ſunt: & prouide vt tales ſint, quales æternum optabis fuiſſe.

Quid poſtea.

Tertia. Poſt actiones peractas, eaſdem recognoſce, & expende rationem, ſermonem prolatum, quidque iam ad momentum factum vel cogitatum eſt, euaſiſſe æternum; quia cogitata, dicta, aut facta ſemel, infecta eſſe nequeunt. *Dignatus es*, vt ſupra pag. 10.

JACULATORIÆ.

Pſal. 143. *Homo vanitati ſimilis factus eſt dies eius ſicut vmbra prætereunt.*

Pſal. 102. *Homo ſicut fœnum dies eius tanquam flos agri ſic efflorebit*

Pſal. 145. *Exibit ſpiritus eius* (ſcilicet hominis) *& reuertetur in terram ſuam; in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

Pſal. 38. *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos, & ſubſtantia mea tamquã nihilum ante te: verum tamen vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Verumtamen in imagine pertranſit homo: ſed & fruſtrà conturbatur.*

Pſal. 36. *Nouit Dominus dies immaculatorum: & hereditas eorum in æternum erit.*

VIGE-

VIGESIMÆ SECVNDÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Attende exempla Sanctorum, & dicta eorum de N. virtute tibi propoſitâ.

VT potentiùs ad virtutem excitere, quære & *A* ſectare exempla Sanctorum, maximè Patronorum, ac *B* peccatum hinc te abſtrahens deteſtare. Expende quid de eà virtute ſenſerint, ſcripſerint, vt eam coluerint *C* Spiritu ſancto impulſi. Omnis virtutis exemplar optimum *D*. Mater Dei Maria, zeli ac ſtudii orationis *E* Paulus, pœnitentiæ *F* Hieronymus aut Antonius, patentiæ *G* Martyres. Vide etiã quid *H* Philoſophi in vmbrâ *I* virtutis ſolùm verſantes, de eâ ſenſerint, vt eam exercuerint. cur hos non imitaris? *Viri Niniuitæ*, ait Saluator, *ſurgent in iudicio cum generatione iſtâ & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce pluſquam Ionas hic.* Atque idem de Reginâ Auſtri, quæ venerat à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, aſſerit: idem de Philioſophis omnibus accipere debemus, & eorum vmbratili virtute ad veram nos ſtimulare.

CAPVT XLIV.

De ſexto medio Meditationem atque affectus eius ampliandi, ſiue de imitatione Sanctorũ.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. ORATIO, vt ſuprà.

Geneſ. 1. *Sancti velut ſtellæ.* PVNCTVM I. Conſidera Dominum præter luminaria duo magna in hoc mundo plurimas inſuper ſtellas, vt nobis per noctem lucerent, dediſſe: ſimiliter præter Chriſtum & B. Virginem, Sanctos in Eccleſiâ, qui viæ noſtræ comites & duces ſe præberent ad cæleſtem Ieruſalem. Vide an ſequaris, & attende, quomodo hi plurima patiendo, & humilitate & conſtantiâ ac fortitudine in prauis inclinationibus ſuperandis peruenerint ad illam præſtantem virtutem. Tu verò quomodo ad eam contendis? Secundò, quâ gloriâ Deum affecerint, exẽplo ſuo prouocando innumeros ad Chriſtum, eiuſque conſilia ſequenda; lucentes, vt Apoſtolus loquitur, *2. Pet. 1.* velut lucernæ in caliginoſo huius mundi loco. Percurre eorum maximè Patronorum N. tuorum inſignes victorias, etſi arduas, quas de ſe, abnegando honores, & carnis voluptates atque deſideria reportarunt. *Hebr. 11.* Lapidati ſunt, ait Apoſtolus, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ: & hæc omnia, vt teſtimonio fidei probati inuenirentur, & virtutem conſequerentur. Et ſanè meritò; cùm enim virtus ita præſtans ſit, *Labor SS. in virtute* quid mirum, ſi, quantum in perituris opibus mortales deſudant, tantum in ſempiternis viri boni ponant ſtudii ac laboris?

Aſpira, vt ſup. p. 8. *Hæccine firmâ.* ibid.

Iacob. 5. PVNCTVM II. Conſidera Sanctos, vt Apoſtolus loquitur, ſimiles nobis fuiſſe. Elias, ait, erat homo ſimilis nobis,

nobis, paſſibilis Ex eâdem certè maſsâ, iiſdem corporis & animi miſeriis ex humanæ naturæ lege erant obnoxii; & vide, vt multi ex iis primò magni fuerint peccatores, Matthæi, Sauli, Magdalenæ; qualeſque per gratiam deinde euaſerint coram Domino. & cognoſcat vnuſquiſque, qualis ſit homo per naturam, & rurſum qualis ac quantus per gratiam eſſe queat. Tu qualis fuiſti, qualis nunc es, & qualem te futurum ſperas, ſic agendo vt agis. Nec ſolùm attende ad peccata, quæ ante conuerſionem, ſed etiam, quæ poſt eam aliqui Sanctorum perpetrârunt, vt Moyſes, Dauid, Petrus: atque hinc etiam tuam miſeriam diuinamque miſericordiam collige. Progredere deinde; & inſpice quàm magni coram Domino facti ſint, quàm fideles, fortes, patientes, humiles, Dei amantes: & tuam virtutem exiguam & debilem cum eorum virtute confer. Oſtende, inquit Deus Ezechieli, domui Iſraël templum, & confundantur ab iniquitatibus ſuis, & metiantur fabricam, & erubeſcant ex omnibus quæ fecerunt: Quod verò hoc eſt templum, niſi, vt interpretatur S. Gregorius, vita Sanctorum, quos Dominus nobis ſtatuit in exemplum, qui verè mirabilis in Sanctis ſuis? Ante omnes autem Sanctos Beatiſſimam Virginem MARIAM, vt prototypon omnis ſanctitatis ac pietatis, ob oculos pone. Illa eſt enim mulier amicta ſole Juſtitiæ, in quâ poſuit Deus tabernaculum ſuum. quia, vt S. Thom. contemplando perfectiones ſolis, anima ad diuinas perfectiones aſcendere poteſt: ſimiliter contemplando perfectiones MARIAE, eiuſque heroïcas virtutes, perueniet ad mirabilem Dei cognitionem. Statue igitur illam patronam ſedulò colere, & imitari; præſertim humilitatem & charitatem eius, &c. Secundò, aduerte eos non ita diuinâ gratiâ præuentos fuiſſe, vt nullo negotio ad virtutem peruenerint: multis enim vigiliis, auſteritatibus, & oratione quaſi perpetua à diuinâ liberalitate dona impetrârunt: & quàm indignum confidere eâ nos

Sanctorum pænitentia & feruor.

Ezech. 43. Templum Salomonis typus perfectionis. Greg. lib. 24. Mor. cap. 21.

Apoc. 12. Thomas. B. Virgo ante omnes imitanda.

Sanctorum labor industria.

nos obtenturos, otioſè agendo, & remiſsè, aut certè perparum, ſi cum illis nos comparemus. Beatam Virginem ſic D. Bonauent. loquentem cuidam facit. Pro firmo ſcias, quòd ita me reputabam ream, & viliſſimam & gratiâ Dei indignam, ſicut tu; propterea petebam ſic gratiam, & virtutes. Filia, tu credis, quòd omnem gratiam, quàm habui, habuerim ſine labore: ſed non eſt ita. Imò dico tibi, quòd nullam gratiam, donum, vel virtutem habui à Deo ſine magno labore, continuâ oratione, ardenti deſiderio, profundâ deuotione, multis lacrymis, & multâ afflictione, dicendo, cogitando ſemper placita ſibi. Pro firmo ſcias, quòd nulla gratia deſcēdit in animam, niſi per orationem, & corporis afflictionem. Tertiò, conſidera quàm ſolliciti fuerint, etiam in minimis virtutum præſidiis ſtudiosè conquirendis & obſeruandis. hinc alii perpetuo ferè decreto linguam coërcebant, illi oculos, hi manus; ſiquidem qui contemnit modica, paulatim decidet: & plus ſæpè periculi ob tepiditatem in paruis, quàm grauibus peccatis.

Bonau. in Medit. de vitâ Christi.

Sancti etiā minima obſeruant.

Eccli. 19.

Haeccine vera, vt ſuprà p. 7. vel *O Saluator*, vt inf. p. 605.

PVNCTVM III. Conſidera Primò, quantâ perſeuerantiâ, ab infantiâ primâ vſque ad mortem Sancti in virtutem curſu proceſſerint: ſolus enim, qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Attende verò tuam inconſtantiam, & deteſtare. Secundò, quomodo perſeuerantiam conſecuti fuerint, nempe vtentes Dei gratiâ, & talenta eius non otioſâ relinquentes, incrementum gratiæ quotidie impetrârunt; atque ita ſemita eorum ſicut lux ſplendens creuit vſq; ad perfectam diem.

Matth. 10

Perſeuerantia Sanctorum

Prouer. 14

Hanc ſpera etiam à Domino, & æmulare chariſmata meliora. Conſidera Tertiò, vt egregiâ fortitudine virtutis ardua penetrârint, & omnia impedimenta ſuperârint, parentes, opes, liberos, habitus prauos, & in breui expleuerint tempora multa. Optimam & tu rationē vitæ delige, iucundam omninò faciet conſuetudo; idque diligenter expende. Accede verò ad Deū Patrem, eique

Conſuetudo bona quanti ſit.

eiq́ue offer laudes totius curiæ cæleſtis, & Sanctorum labores pro illius amore toleratos, in primis ardentiſſimam charitatem Deiparæ matris, in quâ ſibi ab æterno complacuit: & obſecra per hæc vt tibi & aliis obtineas gratiam ad imitationem neceſſariam: inuoca eorum interceſſionem, qui vehementer tuam non ſolùm optant ſalutem, verùm etiam excellentiorem longè ſanctitatem. Gratias age Deo pro illorum gloriâ, & de eâ illis toto animo gratulare, & ſingulos ordines Sanctorum percurre. *Gratulandũ Sanctis*

Exercitium breuius.

O Via, & vita noſtra, Chriſte IESV, credo tibi, & in te ſpero, & te toto corde diligo. Vtinam te ſequar, ſicut Sancti in hoc & illo N. ſi potuerunt hi, potuerunt per te ſolum, non enim ſumus ſufficientes facere aliquid ex nobis Sed & ſufficientia mea ex te eſt, & in te eſt paratum meum. Confundor & erubeſco ad feruorum eorum, & teporem meum, ad conſtantiam eorum & inſtabilitatem meã. Et ſtatuo firmiter in conſpectu tuo, non tantùm quæ mandas, ſed quæ conſulis, & inſpiras gratiâ tuâ ſequi, vt honorem te, & homines videntes opera mea bona glorificent te, & benedicat tibi anima mea, & omnia quæ intra me sũt nomini ſancto tuo. Amẽ.

Exercitium longius

O Saluator mundi, tu quidem es via, veritas & vita, & dux noſter in hâc noſtrâ ad æternitatem, quæ numquã Ioan. 14. iterari poterit, peregrinatione: veruntamen etiam Sanctos tuos mihi duces & comites in illâ dediſti. Obſecro ergo te per viſcera miſericordiæ tuæ, vt mihi gratiã dones, quà eos ſtrenuè ſequi valeam: Sic N. in verâ humilitate, cæteriſq; virtutibus, quas à me exigit ſanctiſſima voluntas tua, & vocatio mea. Erubeſco, Domine IESV, quòd tam præclara exẽpla hactenus neglexerim, & ſanctiſſimas inſpirationes tuas nõne me trahere debuerãt in odorem vnguentorũ tuorum? O Domine IESV; olim Diſcipulis multis abeuntibus retrò, ab *Confuſio ſui.*

Apo-

Applicatio ad Communionem. *Apoſtolis tuis petiiſti. vultis & vos abire? At illi: Domine, quò ibimus? verba vitæ æternæ habes. Quid ergo me facere oporteret & dicere, qui iam dediſti mihi toties corpus & ſanguinem tuum, vt ſequerer te, vt adhærerem tibi? Et quid me ſeparare poteſt à charitate tuâ? Ecce enim verè video nihil eſſe omnia, nec tantum ſunt vanitas, ſed vanitas vanitatum. eheu! hoccine me à virtutis ſemitâ, à te viâ & vita mea deuiare cogit? cùm mihi facem præferant tot tamq; illuſtres nō huius mundi, ſed Spiritu tuo ſancto afflatæ animæ, & tam fortis ſit tua, IESV bone, dilectio, & dura ſicut infernus æmulatio.*

O vtinam nunc me, qui cum Sanctis tuis æternùm regnare vehementer deſidero, & te laudare, ad momentum fortiter cū illis ſic ſeſe vincentibus, N. pugnare delectet? Quòd ſi enim ignauus fuero, quàm turpe mihi erit cum Sanctis tuis glorioſis athletis comparere coram te, Rex meus & Deus meus, quando illi magnas victorias ſuas tibi cum exultatione enarrabunt, quas gratiâ tuâ reportârunt? Ibi Beatiſſima Mater tua facta Lucæ I. *ancilla Elizabethæ & Ioſepho obediens, omniumq; ſe minimā agnoſcēs, magnificabit animâ ſuâ te Domine, quòd eam ſuper omnes choros extuleris quia infra omnes ſe collocauit. & confundentur filii Adæ, quos ſcientia inflat, potentia effert, diuitiæ turgidos faciunt, imò & iis pietas, neſcio quæ, animos addit: ſed non à te, qui mitis es & humilis corde. Ibi Apoſtolici* Triumphus Sanctorum. Matth. 11 *viri, qui hîc in paupertate, ærumnâ, in doloribus & pœnitentiâ aſperâ vixerunt, exultabunt, & centuplo fruentur, ſedes* Matth. 19 *duodecim occupabunt, quòd omnia reliquerint, & te ſecuti fuerint, animasq; ſuas dederint pro te, confundentur verò conquiſitor huius ſæculi & proprietarii Religioſi ac delicati.*

Ibi Abram ad nutum tuum obediens, & Religioſorum innumera turba, de amore trophæum per abnegationē ſtatuent; & quia hîc propriam abnegarunt, ibi perpetuò ſuam facient voluntatem. At verò quomodo iis ſeſe iunget, qui tunc ſolùm obedire conſueuit cùm ſibi probatur, & flexit ad voluntatem ſuam Superiores ſuos; qui quo in vitâ ſpirituali prouectior, eo in obedientiâ tardior, pluſq; ſibi vendicat propriæ voluntatis, Tepidorū mores. *quo diutiùs infelicem illam plantam conatus fuit eradicare; diſ-*

difficiliùs obedit quo diutiùs didicit obedire? Denique caſtitatis lilia & ſtolas puras habebunt, & te ſequentur Agnum agmina Virginum & Sanctorum, qui pepigerunt, ſicut Iob, fœdus cum oculis ſuis vt ne cogitarent quidem de virgine. O quàm exultabunt in illa vita, qui in iſta portas ſenſuum ſuorum diligentiſsimè cuſtodiuerint, & in virtutum ſolidarum ac perfectarum ſtudium incubuerint! Deſidero ergo, Domine Deus meus, ſic deinceps vitam inſtituere, vt in conſpectu Sanctorum tuorum & diuinæ maieſtatis tuæ non confundar, neque cùm loquendum mihi erit inimicis meis in porta, in exitu vitæ huius. Confido certè ego puluis & cinis in infinitâ bonitate tuâ fore, vt mihi gratiam tuam non deneges. Iob. 31.

Da mihi vt poſsim virtutibus N. ornatus portare nomen tuũ, & trahere ac conuertere animas ad te, vt mecum in cælo laudent & glorificent te, à quibus iam propter defectus meos & ſeruorum tuorum blaſphemaris. Verè enim dixit quidam ſeruus tuus, Apoſtolos orbem conuertiſſe, non quòd eos ſigna mirabiles facerent, ſed pecuniarum contemptus gloriæ deſpectus, ab omnibus huius vitæ negotiis ereptio: quæ ſi non habuiſſent, etſi mortuos ſuſcitaſſent, non iuuiſſent, ſed etiam seductores exiſtimati fuiſſent. Da mihi, benigniſsime Domine, horũ veſtigia ſequi, minimos etiã defectus vitare ne comedant alieni robur meum; da currere per ſemitam mandatorum tuorum, & non deficere. nemo etenim coronabitur cum Sanctis & electis tuis, niſi qui legitimè certauerit: nemo ingredietur tecum, ô ſponſe animarum noſtrarum, ad æternas nuptias, niſi qui conſtanter exſpectauerit aduentum tuum. nam qui perſeuerauerit in finem, ſolus ſaluus erit; & manifeſtabis ei teipſum, ac recumbere facies ad menſam tuam & tranſiens miniſtrabis ei, & dabis ei teipſum: hæc ſpes repoſita eſt in ſinu meo; quidquid enim tu non es præmium mihi leue eſt, neque enim cupio aliquid extrà te niſi quantum poſſum propter te.

Affectus zeli.

Chryſoſt. hom. 46. imperfect. in Matth.

Oſeæ 7.

2. Tim. 2.

Matth. 10

O beatiſsima Virgo, exaudi, quæſo, preces, quas coram te hodie effundo, & humillimè peto vt mihi, quem tibi cum Ioanne pro filio commendare dignatus eſt Dominus IESVS *filius tuus, ornamenta virtutum omnium, contemptum rerum humana-*

rum

rum, munditiem cordis & corporis, humilitatem & charitatem, & tui amorem, mihi quem noſti indigniſsimo, ſed tamen ſic commendato tibi à filio tuo, impetres ab eo. Ille tibi nil negare poteſt, & tu mater miſericordiæ, quid miſeris poteris clientulis tuis? quibus, es porta vitæ, ſalutis anchora, & portus, & ſpes, & ſolatium & refugium?

O Beatæ mentes quibus iam æterna iſta obtigit felicitas, reſpicite ad me fratrem veſtrum indigniſsimum adhuc peregrinantem in loco horroris & ſolitudinis, vt vos imitari poſſim & amare IESVM, *& vobiſcũ eundem laudare æternùm.*

O Angele Cuſtos, qui in ſpeculo lucidiſsimæ Deitatis vides pericula mea, & lapſus, & occaſiones eius: adeſto, precor, ſupplicationibus meis, & dirige in viam bonam, vt non pigeat, non doleat tibi de cura mei, ſed gaudeas in æternùm.

O Patroni mei NN. *veſtrâ tutelâ vndique hoſtibus irruentibus vallate, vt non accedat ad me malum, & flagellum non appropinquet tabernaculo meo. Angelis enim ſuis & vobis* Pſal. 90. *mandare dignatus eſt Dominus meus* IESVS *moriens & viuens, vt cuſtodiatis me in omnibus viis meis. Venite igitur in ſubſidium fortiſsimi Athletæ, vt auxilio veſtro vltionem videam ex inimicis meis, & vobiſcum in æternum laudem, & glorificem Dominum meum ac veſtrum, Patrem meum, & Patrem veſtrum* IESVM *in terrâ viuentium. Amen.*

Praxis pro cultu Sanctorum.

Exempla Sanctorũ poma odorifera. PRIMA, Vitas Sanctorum diligenter euolue, atque inſuper collige varia exempla virtutum: & illuſtre aliquod ſæpè mente pertracta accommodatum ad examen particulare hoc enim efficax antidotũ & remedium, ac velut odoriferum pomũ quo vires animę tuę recreare valeas.

Imitatio Patroni. Secunda. Conare etiam alicuius ſancti Patroni mores virtuteſq́ue in te effingere. ad hoc nos hortatur Apoſtolus *1. Cor. 4.* Paulus dicens: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.

Patroni menſtrui cultus Tertia. Patroni menſtrui vitam lege diligenter, & eum imitatione alicuius virtutis honora, atque ad eam illius patrocinium implora; omniumq́ue Patronorum indiculum facias, vt in horâ mortis propitios habeas, & quos in voces amicos.

Cultus Sanctorum per hebdomadam. Quarta. Sunt qui in dies ſingulos hebdomadæ Sanctorum

rum choros diuidunt, inuocando Dominicâ die Angelorũ choros; Lunæ, S. Ioannem Baptiſtam; Martis, Patriarchas & Prophetas; Mercurii, Apoſtolos; Iouis, Martyres; Veneris, Confeſſores; Sabbathi, Virgines. Sed ante omnia Regina cælorum, & princeps militiæ illius ſanctus Michaël, cum Angelo Cuſtode, ſæpè inuocandi ſunt.

Quinta, Laudabilis eſt etiam eorum exercitatio, qui per ſingulas diei horas, Sanctorum cultum diſtribuunt: & inuocant, horâ v.g. quartâ matutinâ SS. Trinitatem, ac petunt potentiarum animæ reformationem; quintâ Chriſtum paſſũ, & petunt illius imitationem; ſextâ, B. Virginem rogant, pro animi puritate; ſeptimâ Seraphim ardentes, pro charitate; octauâ Cherubim ſcientiâ plenos, pro Dei præſentiâ; nonâ Thronos, pro pace animi; decimâ Dominationes, pro paſſionum victoriâ; vndecimâ Principatus, pro humilitate; duodecimâ Poteſtates, vt vincant in bono malum; primâ Virtutes, vt proximum efficaciter iuuare poſſint; ſecundâ Archangelos, vt obedientiam impetrare; tertiâ Angelos, vt omnes modeſtiâ queant ædificare; quartâ Patriarchas obſecrant, pro deſiderio æternæ vitæ; quintâ Apoſtolos, pro zelo animarum; ſextâ Martyres, pro gratiâ mortificationis; ſeptimâ Confeſſores, pro dono orationis; octauâ Virgines, pro caſtitate & abſtinentiâ; nonâ, omnes Sanctos venerantur, & ad patriam ſuſpirant. *Alius per diem.*

Dignatus es, vt ſup. pag. 10.

JACVLATORIÆ.

Diligite Dominum omnes ſancti eius, quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus ſuperbiam. Pſal. 30.

Viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Domino. Ibidem.

Melius eſt modicum iuſto ſuper diuitias peccatorum multas. Pſal. 36.

Iuſti autem hereditabunt terram, & habitabunt in ſæculum ſæculi ſuper eam. Ibidem.

Cuſtodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico. Ibidem.

VIGESIMÆ TERTIÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

O quantam pacem haberes, ſi virtutem N. *coleres!* *expende ſeduſo.*

COnſidera quantâ fruereris pace, quantum honorem conſequereris, ſi virtutem coleres, vt *A* ſanctus Franciſcus, aliiq́; Sancti experti ſunt. nam *B* virtus ſemper cum *C* pace connexa eſt, ſimul in eodem corde habitat: ac *D* Ieſum in eodem quieſcere facit. Vide, precor, quantum eam honorent omnes, dum Sanctorum *E* caſas, & *F* ſepulcra ſummi iuxtà infimiq́; venerantur. quin & Deus eam honorat, & *G* Angeli in hoc mundo; atque hi cum Chriſto ob ſingularem virtutis prærogatiuam ſuâ eos familiaritate dignantur, vt patet in *H* ſancta Catharina Senenſi, cui Dominus cor ſuum largitus eſt. En quàm ſublimè *I* Dei mater per virtutem ſubuecta. Contrà *K* vitium animam torquet, inquietat, omniq; honore ſpoliat hominem, etiam in ſummis *L* mundi vanitatibus & deliciis.

CAPVT XLV.

De ſeptimo medio Meditationem atque affe-ctus eius ampliandi, ſiue de Pace & ſecuri-tate animæ, quæ ex virtute promanat.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. ORATIO, vt ſolet.

PVNCTVM I. Conſidera ſtudia ac cogitationes hominum hoc vnum ſpectare, vt pacem ac quietem animi ſui conſequantur. Nihil aliud auarus conquiſitor huius ſæculi, ambitioſus & curioſus propoſitum habet, quàm vt anhelum animum & inhiantem rebus caducis exſatiet; ac dicere poſſit: Anima mea requieſce: habes enim repoſita bona plurima in annos plurimos. Deſideria ſiquidem terrenorum velut motus ſunt, quæ tam diu vrgent miſeros, donec re cupitâ fruantur, & in eâ pacem inueniant, quam inuenire in iis homo non poteſt: ſed verè dicere, In omnibus requiem quæſiui, & non inueni: quia etiamſi vniuerſum mundum poſſideat, æquè, & millies magis inquietus eſt: vt per huius ſæculi potentes luce clarius euadit. Quæ igitur inſania, mundana conſectari, & certò ſcire nullam ibi quietem, & non quærere pacem in te, ô dulciſſime IESV? *Hæccine vera*, vt ſuprà pag. 7. vel *O Princeps pacis*, vt inf. pag. 616. Secundò, cogita vnde fiat, amatores ſæculi in terrenis nullam quietem obſequendo vitio, declinando à virtute, inuenire. Primò, quia pax & quies ibi ſolùm eſt, vbi bellum non eſt; at dum cupiditatibus ſuis carnalis obſequitur, bellum rationi, legibus ac Deo mouet; & animæ ſuæ ſubditos ſenſus ac paſſiones aduerſus rationem armat, & confligere cum eâ, immò cum Deo facit. quomodo igitur pax ibi eſſe poterit? quis enim, ait Iob, reſtitit ei, & pacem habuit? Et Baruch: Si in viâ Dei ambulaſſes, habitaſſes

Omnes pacē quærunt. Luc. 12.

Pax non eſt in bonis vanis.

Cur pax non ſit impio.

Iob. 9.
Baruch. 3.

bitaſſes vtique in pace ſempiternâ: quia ſcilicet virtutis cultores cupiditates ſubiiciunt rationi, & ipſam Deo, vnamque cum eo habent voluntatem; & expende quàm id æquum & pulcrum ſit, vitiumque deteſtare. Si mens, ait S. Leo, rectori ſuo ſubdita, & ſupernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, & in ſuo mortali corpore regnare peccatum non ſiuerit; ordinatiſſimum tenebit ratio principatum, & munitiones eius nulla ſpiritualium nequitiarum labefactabit illuſio: quia tunc eſt vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & anima Deo præſide gubernatur. Secundò, perturbatio naſcitur ex eo, quòd vitium ac cupiditas pro obiecto habent rem fluxam, mutabilem & caducam: cui animam ſuam homo affigit, & ſic affixam neceſſe perpetuò cum eâ volui, fluctuare ac mutari; vti nauis in turbido mari, ventis concuſſa, ſcopuliſque alliſa: at verò virtus animum Deo, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, coniungit, ipſaque in eo velut in Septemtrione acus nautica, & elementum in centro ſuo conquieſcit; vide verò in quo hîc anima tua, & abnega illud. Æger animus ſe vt ægrum corpus verſat in partem omnem, fruſtrà. Viciſſitudo eſt malorum, non remedium: palato infecto cibus quamuis varius non ſapit, ſed moleſtiam adfert. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Haccine firma fide.*

Leo ſerm. 1

Pax in quo ſita ſit.

Alia cauſa inquietudinis.

Iacob. 1.

Seneca.

PVNCTVM II. Conſidera tertiò oriri inquietudinem in peccatore ex perpetuo metu, qui vitium comitatur; metuit enim priuſquam quod optat obtineat, ne non conſequatur: grauiùs, ne obtentum amittat: grauiſſimè, ne cùm hoc orbatus fuerit, id recuperare non liceat; denique Dei vindictam formidat, cùm voluntati eius aduerſetur, & hoſtis eius ſit. Quod eleganter Iob expreſſit.

Iob. 21.

Quoties lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio, & dolore diuidet furoris ſui:

erunt

erunt ſicut paleæ ante faciem venti, & ſicut fauilla, quam turbo diſpergit. Iuſtus autem quaſi leo confidens abſq; terrore eſt; vnde dicite, ait Dominus, iuſto, quoniam bene. Expertus id Dauid cantabat: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es: ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum; Deum enim ſolum quærit iuſtus, eumque poſſidet, quia in pace factus eſt locus eius. *Credo tibi* vt ſuprà pag. 7. vel *O princepes pacis*, vt infrà pag. 616.

Impius ſemper timet. *Prou.* 28. *Pſal.* 22. *Pſal.* 26. *Pſal.* 75.

PVNCTVM III. Conſidera Primò, vnde præterea perturbatio in anima vitioſi hominis oriatur: vtique quia voluntatem ſuam explere non poteſt; ſed plurimos experitur diuerſam habere, immò etiam aduerſari, cùm eiuſdem habeat rei competitores ac corriuales, & plures eſſe nequeant eiuſdem poſſeſſores. Iuſti verò & virtutis ſtudioſi ſemper ſuam voluntatem perficiunt, quia aliam à diuinâ nullam habent; nihil autem eſt quod ei reſiſtere valet. Qui enim propriam non habet voluntatem, ſuam ipſius ſemper agit voluntatem, & ſic nolentes propriam explere voluntatem, inuenimur illam ſemper expleuiſſe, vt S. Dorotheus dicere ſolitus. atque ita talis arbitrio ſuo agit omnia, perpetuoque lætus iuge conuiuium in animo ſuo experitur; & cum ſtultus ſicut luna mutetur, homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol, Deumque imitatur. Secundò, attende quòd omnis qui facit peccatum, ſeruus ſit peccati. tantà autem ſeruitus eſt vitii vitioſique hominis, vt etſi ſuam videat ſe voluntatem explere non poſſe, ceſſare tamen ei non liceat; duæ enim ſanguiſugæ ſemper dicunt, Affer, affer, ait Sapiens. hinc ebrioſus etiamſi nequeat vina haurire, concupiſcere tamen & ad ea ſuſpirare iubetur, vt ſeruus peccati: etiamſi honor & fama legeſque vetent, tamen parere cogitur laſciuus luxuriæ, ebrietati, &c. eadem enim ſeruitus omnibus vitiis communis eſt. At virtute præditus vnum Deum timet,

Alia cauſſa perturbationis. *Iuſtus facit ſemper quod vult.* *Dorotheus.* *Eccli.* 27. *Ioan.* 8. *Libertas iuſti & ſeruitus peccatoris.* *Prou.* 30.

nullius iudicium metuit; nulli ſupplex & obnoxius eſt; ſed ſtans in quodam rerum vertice in verâ & aureâ libertate triumphat. Glorioſa, ait Ambroſius, libertas quam nulla ſeruitus culpæ, nulla peccatorum vincula conſtringunt, nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia degeneris nexui ſeruitutis addicunt.

Ambroſ.

Haccine vera, vt ſup. pag. 7.

Scrupuli & remorſus peccatorum.

PVNCTVM IV. Conſidera vitioſum, etiamſi facere voluntatem propriam valeat, nihilo tranquilliorem eſſe: quia illa cum diuinâ pugnat; ac proinde perpetuò ſcrupulis conſcientia agitatur, & ſe iudice nemo nocens abſoluitur, dum ſe verè accuſat conſcientia, eademque condemnat & torquet. O quantam ex eo gehennam experiuntur peccatores! neque tantùm, qui grauibus delictis obnoxii, verùm etiam qui defectibus ſeruiunt, neque mortificationi prauorum affectuum ſtudent. Præterea aduerte è contrario, quantum ſit ſolatium ex pace in animâ iuſti, & collige ex iucundo cœli aërisque tranquilli & maris aſpectu, vide qui fructus pacis in republicâ, & hæc ad animam transfer. quanti autem hæc, de quâ ſermo eſt, pax ſit, audiendus S. Paulus. Pax Dei, ait, quæ exuperat omnem ſenſum: nihil enim ei ſanè comparari poteſt, ſecuraque mens iuge conuiuium à Sapiente meritò appellatur: ſuperatque omnem ſenſum, nec æſtimabitur argentum aut aurum in comparatione illius. Quantum enim eſt, ait Ambroſius, non moueri aut turbari metu, non exagitari ſuſpicione, non dolore vexari; ſed quaſi in littore tutiſſimo aduerſus inſurgentes fluctus ſæcularium procellarum mentem immobilem fidâ ſtatione placidare!

Phil. 4.

Prou. 15.

Ambr. lib. 1. de Iacob.

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ*, &c ibid.

Quantus honor uirtutis.

PVNCTVM V. Conſidera quanto honore virtus vera, etſi in vili & obſcuro homine afficiatur, atque adeò etiam Ethnicis, in Veſtalibus & ſacrificulis fucata virtus ſummę venerationi fuerit, atque etiamnum ſit. Vide vt viuos Sanctos omnes honorent Imperatores & poten-

tes

tes ſæculi;eorum preces & ſuffragia apud Deum efflagitent;caſas eorum vt templa venerentur, vt oracula adeant. Antonium, ait Athan. hominē in extremo mundi limite conditum Principum & omnis celebrat aula regalis, agens de Conſtantino & filiis. Sepulcra verò Sanctorum ſunt velut aſylum, velut malorum omnium leuamen: quot peregrinationes illuc inſtituuntur? donaria mittuntur? quo honore eorum reliquiæ coluntur? quos, ſi genus cæteraque externa bona ſpectes, nullo mortales loco paulò antè habuerant, vel haberent, ſi abſque virtute eſſent. Secundò, vide quàm honos ille verus ac ſolidus ſit, cùm alius omnino vanus. neque enim, vt S. Chryſoſt. voces illæ populi per quas iudicibus acclamabatur, ex veritate proferūtur: ſed ipſæ ſunt, quibus fucatum nomē honoris depingitur. quod, vbi poteſtate defuncti ſunt, liquidò apparet. Memoria iuſti, ait Sapiens, cum laudibus, & nomen impiorum putreſcet. Virtute enim præditi, Reges appellantur: & verè ſunt fortiores & meliores, quia dominantur animo ſuo, expugnatore vrbiū. ſunt enim ſummi Regis amici intimi, qui cū ſuos voluerit honorare, quid non præſtat? Teſtatur D. Franciſcus eius deliciæ, D. Dominicus S. P. Ignatius, S. Catharina Senenſis: cū quâ & cor commutare dignatus eſt, alioſq; vt Magdalenam & innumeros, crebrò viſere, & magnâ familiaritate honorare. Quid verò Angeli facerent, cùm Regem ſuū tantâ nos dignatione afficere videāt? Ecce quàm verū hoc eſt: Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſeſe humiliat, exaltabitur? Quanta autē ſit ignominia vitiorum, patet ex ſuppliciis reorum quotidianis; quodq; quantumcumq; improbos, ſuorū ſcelerum pudeat: neque ſit quiſquam tam potens aut ſapiens, qui ſi vitiis ſeruiat, non ludibrium fiat ſuis, & amicis & inimicis ſubſannatio. Veriſſima enim ea D. Pauli ſententia: Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum. *Hæccine verâ, vt ſup. p. 7.*

Athan. in vitâ Antonii.

Chryſoſt. l. quòd nemo læditur niſi à ſeipſo.

Prou. 10.

Laus vera virtutis.

Honor quem Deus ſanctis habet.

Nota.

Lucæ 14.

Rom. 2.

Exercitium breuius,

O Princeps pacis, credo tibi, & in te ſpero, & toto corde te diligo. Conuertere, obſecro, vultum tuum ad me, & da mihi pacem propter nomen tuum, & amorem: vt in pace meâ fiat locus tuus & cordi meo, & ſufficit, & ſufficit mibi: ſi enim veneris ad me fons aquæ viuæ, declinabis ſuper me quaſi flu-
Iſaiæ 66. uium pacis, & theſaurum habebo abſconditum, & ſpero quòd in æternum non ſeparabor à te. Quis enim reſtitit tibi, & pacem habuit? Nemo: cupio igitur tecum pacem habere, vt non repugnet lex in membris meis legi mentis meæ, ſed idem tecum velim, tecum nolim, vnuſq; ſis mihi omnia in omnibus. Amen.

Exercitium longius

O Requies vera, & gaudium vniuerſæ terræ; vide affli-
Jerem. 2. ctionem noſtram, quâ quærimus ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquam. In omnibus requiem quærit cor noſtrum, pacem & tranquillitatem deſiderant vniuerſi: quia hæc vnica felicitas in hoc ſtatu, infeliciq; exilio, vbi militia eſt vita noſtra, inuenire pacem; & ad hoc
Rom. 5. iuſtificati ſumus à te, vt pacem habeamus apud Deum. per te Dominum IESVM Chriſtum. Omnium huc ſpectat labor, hanc luxurioſi, auari, ambitioſi quærunt, ſed fruſtrà: non eſt
Iſaiæ 48. enim pax impiis, non eſt pax niſi diligentibus legem tuam.
Pſal. 118. Tu illam nobis attuliſti è cælo benigniſſime IESV, & mundo nuntiaſti. Verè Princeps pacis lapis angularis, qui facis vtraque vnum, & in te reconcilias ima ſummis. O quanta felicitas illius animæ, quam per virtutem eleuas ſupra tempeſtates mundi huius, ſanctâ contemplatione defixam! non timebit mala, quoniam tu cum eâ es; non agitabitur cupiditatibus cor illius, quia tu ei omnia vnus es; inter proſpera & aduerſa ſecura & tranquilla, quaſi in quodam rerum vertice ſtat, & deſpicit vniuerſa.

O pax noſtra vnica Deus meus, quis mihi tribuat pennas
Pſalm. 54. ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam in foraminibus pe-
Cant. 2. træ, in cauernâ maceriæ? Veniſti enim vt pacem habeam, &
Ioan. 14. moriturus pacem reliquiſti mihi dicens, Pacem relinquo vobis,

bis, pacem meam do vobis. Propitius mihi eſto, Domine, ne dē hereditatem tuā, quam ſanguine tuo ſignatam reliquiſti mihi, pro re huius mundi vili, caducâ & tranſitoriâ: in pace factus eſt locus tuus, vt nec templum fieri tibi niſi à Salomone volueris, neque naſci, niſi in pace; neque mori, niſi vt pacem nobis impetrares. Ego ſi pacem habuero, certus ſum quòd tu Deus pacis & dilectionis eris mecum: & quid erit tunc quod vltrà petere poßim? pax enim iſta exſuperat omnem ſenſum. Vtinam guſtare eam poßim, & videre quàm ſuauis ſis, Domine, & præ dulcedine corporis & ſanguinis tui, ô Creator mi, amareſcat omnis creatura. Pſal. 75. Philip. 4. Applicatio ad Communionem.

O quanta, ô quantâ cordis pacifici felicitas, te habere, & te frui, te refici & paſci, nihil cupere, nihil timere, nihil ſperare, nihil velle præter te & tuam ſanctam voluntatem nullo conſcientiæ ſtimulo vrgeri, omni horâ ad mortem, ad aduentum tuū eſſe paratum! ſi quis hanc guſtauerit, neſcio, ait Bernard. tuus, an talis anima vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius pœnaliuſq́; ducit, quàm poſt ſpiritualis ſtudij huius guſtatam ſemel ſuauitatē, exire denuò ad illecebras, vel potiùs moleſtias carnis, ſenſuumq́; inexplebili mrepetere curioſitatē. Bernard. ſerm. 35. in Cant. Infernus videtur iuſto, pacē amittere.

Neque pacem tantùm virtuti tribuis; ſed decreto perpetuo diuinæ maieſtatis tuæ illam verus honor etiam ſequitur. regiâ enim quadam poteſtate ſe cohibens rex dicitur, quòd regere ſe nouerit, arbiter ſui, ſuiq́; iuris ſit, non captiuus trahatur in culpam, nec præceps feratur in vitium atque adeò ſola virtus honorem meretur, improbitatem honorabilem facere neque imperia, neque infulæ poſſunt: pluris eſt meritò apud omnis pauper virtute præditus, quàm omnis potentia ſæculi. Tantus enim quiſque eſt, quantus eſt oculis tuis: & certè eos qui diligunt te, Domine, etiam hîc glorificabis; qui autem te contemnunt, erunt ignobiles. Verè exclamauit Pſaltes tuus: Nimis honorati ſunt amici tui, Deus, nimis conſortatus eſt principatus eorum Cùm verò me infinitâ miſeratione dignatus ſis in amicum eligere, quia præcepta & conſilia tua omnia, quæ accepiſti à Patre, nota mihi feciſti; nolo eſſe amicus huius ſæculi, ſed vnum te amare toto corde, & totâ mente meâ, te Ambroſ. Honor virtutis. 1. Reg. 2. Pſal. 138. Affectus amoris.

ſtringere amplexibus animæ meæ, donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ, donec appareas mihi, & aperias theſauros charitatis tuæ, quâ dilexiſti me ante conſtitutionem mundi, Amen.

Praxis ad ſecuritatem animæ comparandam.

Reſignationis praxis. PRIMO, ſæpè reſignare ſeſe hoc vel ſimili modo: Deus meus & omnia, fiat in omnibus ſanctiſſima voluntas tua. Proponere verò quiſque ſibi diuerſa poteſt, vt tentes animum an repugnet nec ne, & ſe reſignare.

Pacis pretiũ pondera. Secundò, ſi quid aduerſi accidat, animum collectum ſeruare, & cogitare, Tanti eſt, & pluris pax: atque vti quis omnia pro vitâ exponit, ita omnia amittat potiùs quàm pacem.

Amaritudinẽ vita. Tertiò, frequens & humilis confeſſio.

Quartò, ſupra omnia manſuetudo, & omnem amarulentiam, ſuſpicioneſque ex animo ſuo expellere.

Occupationem moderare. Quintò, moderata occupatio. Martha enim turbatur erga plurima: de illâ etiam Moyſen Iethro monuit. *Exod.* 18.

S. Scripturæ lectionẽ frequenta. Sextò, lectio ſacræ Scripturæ frequens: quæ deſurſum enim eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica.

Septimò, ſenſuum diligens cuſtodia.

Dignatus es, vt ſuprà pag. 10.

JACULATORIÆ.

Philip. 4. PAx *Dei exſuperans omnem ſenſum, cuſtodiat corda noſtra, & intelligentias noſtras.*

Auguſt. *O Domine, feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Pſal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalũ.*

Pſalm. 4. *In pace in idipſum dormiam & requieſcam, quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.*

VIGESIMÆ QVARTÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

O quantum gaudium habet qui virtutem ſequitur! hoc ſaltem te trahat ad eam N.

VNiuerſus *A* mundus non valet explere cor tuum, quod variorum *B* deſideriorum flatibus exagitur. cur igitur à virtute abduceris ſtultis C vitiorum illecebris? nimirum vt è fœdo *D* lacu potes, ad quem periculoſâ & ambagioſâ *E* via deerras: vbi *F* ſuperbia, luxuria, auaritia, te allectum in *G* belluam deforment, & in *H* inferni barathrum detrahant. ecce *I* regnum Dei intra te eſt, quid fruſtrà alibi quæris? en maxima *K* gaudia virtutis quæ cor verè replent, quæ *L* B. Xauerius aliiq; Sancti, etiam in hac vitâ deguſtârunt. Hauſta certè ex Deo bonorum fonte gaudia ex *M* corde exundant, illudq; ſatiant: ex peccati autem lacu hauſtæ lætitiæ *N* perfluunt ac dilabuntur.

CAPVT

CAPVT XLVI.

De octauo remedio Meditationem atque affe-ctus eius ampliandi, ſiue de Gaudio, ob quod virtutem ſequi oporteat.

Compositio loci vt in imagine, Oratio vt ſuprà.

Gaudium ex virtute. Pvnctvm I. Conſidera Dominum pro ſuâ erga homines benignitate ita ordinaſſe, vt traherentur voluptate ad operandum: atqui ſi corporalis voluptas hanc vim habet, multo magis ſpiritualis, id eſt ea quæ ex virtute promanat. Si ergo voluptate à virtute abſtraheris (vnuſquiſque enim tentatur & auocatur ab ea abſtractus & illectus) vide quanto maior ac melior, eaque ſancta & vera, ex virtute quàm caducis iſtis huius mundi deliciis, voluptas emanet. Primò, quia iſta fœda & turpis & falſa eſt. Adeò vt Ariſtoteles dicat, *Ariſt. 10. Ethic. 3.* delectationes corporis fœdas ac turpes, non eſſe veras delectationes: quoniam non tales videntur, niſi iis qui *Voluptas peccati fœda.* malè ſunt affecti. ſicut, ait, pueri ſua crepundia æſtimãt, quæ viri contemnunt; fœdæ autem adeò ſunt, vt olim etiam Philoſophi ac Poëtæ homines in belluas ac feras mutari finxerint, qui amoribus Circes capti eſſent. Neque incommodè. Nónne enim videmus ſuperbum inſtar paui ambulare? luxurioſum inſtar capræ laſciuire? guloſum velut porcum in ventrem & cibum pronum ferri? Neque quiſquam eſt honeſtior, qui affectus eiuſmodi præ verecundia non diſſimulet. Vide igitur quàm in ſe turpia illa ſint gaudia, & vilia. Conſolatio *Serm. 4. in vigil. Natiuit.* enim verè, vti Bernard. mundi vilis eſt, & ad nihilum vtilis, quod magis metuendum, eſt veræ & ſalubris delectationis impedimentum. Equidem quid inſanè appetit guloſus, ob quod maria traiiciuntur, animæ intereunt, cæleſtis hereditas deperditur, vt Eſaui primogenitura; Religioſi etiam periclitantur? ſcilicet fruſtum carnis, bolus vnus, atque alter dulcior, & eo carior quo

quo rarior. Secundò, vide quantâ moleſtiâ, quàm longa ac difficili viâ quæratur, vt verè his applicet illa Iob Gregorius: Qui inter eiuſmodi lætantur, quaſi ſub ſentibus delicias reputant. neque enim, ait, ſine grauibns curarum moleſtiis poſſunt temporalia, quæ appetunt, vel non habita quærere, vel quæſita ſeruare, inter æquales præſtantiorem gloriam appetere, ſemper praua agere: & tamen, ne opinionem prauitatis habeant, formidoloſè cuſtodire. Hebræis iis ſimiles ſunt, quibus manna non ſapiebat propter ollas carnium, porros, & allia Ægypti. Quid enim ſignatur per ollas carnium, niſi carnalia vitæ opera, in tribulationis doloribus, quaſi ignibus excoquenda? quid per pepones niſi terrenæ dulcedines? quid per porros & cepas exprimitur (quæ plerumque qui comedunt lacrymas emittunt) difficultates vitæ præſentis, quæ à dilectoribus ſuis & non ſine luctu agitur, & tamen cum lachrymis amatur? Tertiò, attende, quòd hoc genus bonorum non tam bona ſint, quàm minora mala: iiſque nihil agi aliud, quàm vt grauiores compedes in leuiores mutemus. Fames vrget? ſuaue eſt comedere. ſatur es? grauius eſt edere, quàm eſurire. Itaque nulla delectatio liquida, aut pura, ſed permixta multis amaritudinibus. Denique ea conditio eſt delectationum ſenſualium, quòd dum habentur, faſtidiuntur; dum non habentur, deſiderio torquent: ſpiritualium verò & appetitus placet, & experientia magis. Igitur ſic ratiocinare: Si deſiderium torquet terrenorum, multo magis præſentia, ac proinde ea abominare. quis enim hoſtem propinquum, & intra muros exiſtentem propulſare poterit, ſi abſentis timore totus concutiatur? Quartò, attende ideò hominem verè recreari terrenis non poſſe, quia illius naturæ non conueniunt: ſicut videmus alios cibos hominibus, alios belluis gratiores. Cùm igitur hæc infima tantum hominem oblectent, quantum cum belluis participat, corpuſque & ſenſus habet, ſequitur propriam

Greg. 20. Moral. c. 6. *Voluptas ſæculi amara.*

Greg. hom. 36. in Euang.

Homo verè recreari terrenis nequit.

propriam nobilioremque illi longè eſſe ſecundùm rationem delectationem, ac multò maiorem.

Aſpira, vt ſup.pag. 8. *Haccine firmâ.*

PVNCTVM II. Conſidera maiores longè ſpiritus & virtutis eſſe delectationes, quàm corporis. Primò, quia ſpirituale bonum & obiectum melius eſt & nobilius: vnde oculo, quàm ratione carere malumus. Secundò, coniunctio maior, quia ſenſus tantùm in accidentibus hæret, & corporis delectationes perpetuò fluunt, mentis verò ſimul totæ ſunt, vt res ipſæ, quas concipimus. Tertiò, quia bona ſpiritualia manent, alia pereunt. Aduerte autem ſedulò obiectum gaudii ſpiritualis præcipuum, illud verò Deus eſt. quid ergo mirum, ſi amplexus eius, quo ei iungimur ſummo bono, ſuauiſſimus iucundiſſimuſque ſit? Fit autem ille, quando iungitur anima Deo per veram virtutem, maximè per amorem & contemplationem, in quâ etiam Ariſtoteles & Philoſophi beatitudinem poſuerunt.

Animi delectatio præſtantiſſima.

Credo tibi. vt ſup.pag.7. vel *O gaudium*, &c. vt inf.p.624.

Attende iam quanta gaudia Sancti ex ea perceperint, adeò vt ferre nequirent eorum magnitudinem, vt de B. Ephrem, B. Xauerio accepimus, cùm, Sat eſt Domine, ſat eſt, exclamarent. Ratio autem, quare in Deo beatitudo, ſola, vera & ſumma ſit delectatio hominis, eſt, quia finis illius Deus eſt: quidquid autem finem ſuum attingit, beatitudinem ſuam conſequitur. Primò, quia ſolus ille animam ſatiat, cætera omnia nullo pacto: non magis quàm ſi quis fumo aut vento ſe paſcat. Comedent (inquit Oſeas, de impiis loquens) & non ſaturabuntur. Sicut, ait Hieronymus, iuſtitia ſaturat, ſic iniquitas ſubſtantiam non habens vana comedentes fraude deludit, & vteros comedentium vacuos derelinquit. At Iſaias ſomniantibus mundanos comparat, qui ſibi comedere videntur, & expergefacti eſuriunt. O quæ infelicitas, pertuſo dolio haurire debere fruſtra laërem captare fruſtra! Ea eſt mundani inſania, ait

Cur anima in Deo lætetur.

Oſeæ 4. *Hieron.*

Mundi gaudia. *Iſaiæ 29.*

ait Bernardus,vt quaſi famelicus inflatis buccis aërem hauriat, eoque ſaturari ſperet, aut fumum ſulphureum excipiat:non enim impletur. Sapiens verò: Auarus,inquit,non implebitur pecuniâ, & qui amat diuitias,fructum non capiet ex eis:quod aliis omnibus vitiis commune eſt. Ecce nihil negauerat Salomon oculis ſuis ; & vidit omnia eſſe vanitatem & afflictionem animi. Contrà verò qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam ; & hîc & in futuro ſaturabuntur. Tertiò, vt homini bene ac beatè ſit,oportet,vt illud, per quod id ei obtingit, eo melius ſit,ac inuito auferri nequeat: quod virtus ſola, & Deus eſt,cui per virtutem homo coniungitur. O quanta rerum in mundo viciſſitudo & inconſtantia! At verò virtus, & eius opes, perpetuæ & inuiolabiles Dei gratiâ ſunt,noſtrâ cooperatione.

Vide Bern. in ſermone. Ecce nos reliquimus.

Eccleſ. 2.

Eccleſ. 2.

Matth. 5.

Gaudiũ è virtute volenti tantũ eripi poteſt.

Haccine vera,vt ſup.pag.7.

PVNCTVM III. Conſidera hominem omnem eſſe velut ſitibundum, & mundanum per ambages longas & moleſtas quærere explere ſitim, ſed inſtar hydropici augere, & haurire quaſi ex ſulphureo aut ſalſo lacu, quò concupiſcentia inuitat : iuſtum autem vbique Deum habere præſentem, fontem bonorum omnium, immò regnum Dei intra nos eſſe. O quanta igitur indignitas atque inſania, eum omnis boni fontem derelinquere! vti queritur per Ieremiam Dominus: Me dereliquerunt,ait,fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas,quæ continere non valent aquas. Sitiuit verò anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo, quando veniam & adimplebis me lætitiâ, cum vultu tuo? Secundò conſidera certiſſimum eſſe, ſi dimidium laboris & moleſtiæ cum gratiâ Dei, pro verâ virtute ſuſcipias,eius quæ pro mundo ſuſtinetur te beatum hîc verè æternùm futurum.

Diſcrimen pij & impij.

Ierem. 2.

Pſal. 42.

Exer-

Exercitium breuius.

O Gaudium noſtrum Deus meus credo tibi,& in te ſpero, & toto corde te diligo. Lætabor & exultabo in te, omnia enim oſſa mea dicunt mihi: Domine, quis ſimilis tibi? hortaris nos per Pſaltē tuum, dicens: Introite in conſpectu eius in exultatione, ſcitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus; ſcio per gratiam tuam,& audio, Delectare in Domino & dabit tibi petitiones cordis tui. Inuitas igitur vt verè de te gaudeā,& creaturæ ſpernam ſolatium, & promittis mihi dare petitiones meas; quæ verò iſtæ? vnam petii à te, Domine, hanc requiro, vt diligam te,& nihil me ſeparet à te in æternum. Amen.

Exercitium longius.

Pſal. 41. QVEMADMODVM deſiderat ceruus ad fontes aquarū, ita deſiderat anima mea ad te, Deus. ſitiuit anima mea ad Deus fontem viuum: quando veniam,& apparebo ante faciem tuam, Deus meus? Indica te mihi quē diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie; ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. Votum voui tibi, ſi dedero ſomnum oculis meis,& requiem temporibus meis, donec inueniam locum tibi, Domine IESV,& requieſcas in tabernaculo cordis mei. Ecce in terrâ hâc deſertâ inuiâ & inaquoſâ, ego ego quem noſti, infelix ego homo, felix tamen quia ſto coram te hodie, appareo tibi, vt guſtem quàm ſuauis ſis animæ meæ, vt videam virtutē & gloriam tuam. Obſecro te per magnam charitatem tuam, ne deſpicias exulem,& aduenā, ouiculam errantem,& ne abſcondas faciem tuam à me, tu enim nihil odiſti eorum quæ feciſti & multò minùs quicquam eorum quæ ſic refeciſti. Quæ enim eſt exſpectatio mea? nónne tu Domine mi, Saluator mi? quod eſt, eritq́, in æternum ſolatium meum? nónne tu Deus totius conſolationis?

Cant. 1. Applicatio ad Communionem. Pſalm. 62.

Abſit hoc à me indigniſſimo filio, vt aliquid à te velim ſuper terrā, vel extra te, vt ambulem vias difficiles & prauas, vt delecter,& capiar creaturæ ſolatio, id eſt muſcipula,& finē gaudii mei luctus occupet. Et quis ille? O vtinā is, quo doleam quòd te dereliquerim fontē aquæ viuæ, vti vehementiſſimè doleo, ex

amore

amore tui, quæſo, ne abſcondas faciem tuam à me: quæ enim eſt exſpectatio mea? nónne tu, Domine? non vltrà ambulabo vias difficiles & prauas. Vbi enim ſunt deliciæ, propter quas laſſati ſumus? nónne fœdæ, turpes, & illiberales, ob quas, cùm præteritæ ſunt erubeſcimus? Verè, verè amarum eſt, amarum te derelinquere, dulciſſime JESV. *Tu enim dulcedo ineffabilis, totus deſiderabilis. Væ ergo mihi, ſi derelinquam te dulciſſime* JESV. *O inſaniam filiorum Adam! Quid quæritis, obſecro, ciſternas, quæ continere non valent aquas? Quærite fontem aquæ viuæ, & bibite, & inebriamini ab vberibus conſolationis eius.*

Vide, Domine, afflictionem meam, vide, ô JESV; *etenim ſi hîc mihi, & omnibus præſens ſis, ô oceane bonorum omnium, eheu! fugimus te ſequentem, & quærimus fœdas lacunas velut Sodomæ lacum & mortuum mare. Non ſatiat illud ſitim, ſed accendit; verùm enim & ſolum hoc eſt gaudium quod de te ſumitur, Deus meus. Quale gaudium? nouit ille qui te nouit, qui guſtauit, quàm ſuauis ſis, Domine, his qui diligunt te, quid quæris anima mea? delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Bonum tuũ quære: eſt enim bonum aliud alteri, & omnes creaturæ habent quoddam bonum ſuum. pecori bonum eſt implere ventrem, carere indigentiâ, dormire, geſtire, viuere, ſanum eſſe, generare. Tale tu bonum quæris cohæres Chriſti? quid gaudes? quia ſocius es pecorum? erige ſpem tuam ad bonum bonorum omnium. Tu enim, Deus meus, omne bonum es, & ſolus ſatiare animum potes: tu ſolum gaudiũ continuâ iucunditate firmiſſimum, delectiones in dexterâ tuâ vſque in finem hoc eſt quod amo, cùm te, Deus meus, amo omne bonũ & perfectum, & permanens, & liquidum. Deliciæ omnes aliæ breues, ſiue ex honore, ſiue ex voluptate: vana enim omnia & caduca ſunt & incerta. quis enim gloriari de fauore mundi poteſt, qui momento fugit? incertus perpetuò eſt, blanditurq́ue, vt Ioab, & occultè occidit: leniter influit, & in fine mordet vt coluber?*

August. in Pſal. 102.

Quale de Deo gaudium.

Experiuntur filij huius ſæculi ſtimulos cogitationum, conſcientiæ morſus, quibus conditur aut potiùs extinguitur. quid eſſe dulce poteſt abſque te, ô dulcedo ſumma, felicitas noſtra,

& gaudium ſuper omne gaudium. Melior, melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia, meliores ſunt micæ quæ cadunt de menſa Domini mei, deliciis vniuerſæ terræ In te verò omnia habentes, propter quid, precor, te relinquemus? Miror in ſole ſplendorem, in flore pulcritudinem, in pane ſaporem, in terra fœcunditatem, ſed à te Deo vniuerſa hæc ſunt: nec dubiũ quin multò amplius reſeruaueris tibi, quàm dederis creaturis creator mi. Tæderet tamen fortè adſpirare, ſi longa per deſertum ad te & gaudium tuum foret via; ſed ecce, ſi volo, amicus eſſe iam poſſum per gratiam tuam, & lætari corã te, & in mente ſecurâ iuge tibi parare conuiuium, gloriaq́; & honore coronari. Videte quæſo, oculis veſtris, aiebat Eccleſiaſticus tuus, modicum laboraui & inueni mihi multam requiem: accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius: in opere enim ipſius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus eius. Cupio igitur ex nunc, ex hoc momento, ſeriò te, Domine IESV, *ſequi, & virtutem N. amplecti: ſi enim hoc fecero, ecce cor meum & caro mea exaltabunt in te Deum viuum: ſi non egero, tribulatio & anguſtia me manent. quid mihi ergo eſt in cælo, & à te quid cupio ſuper terram? Tu es ſpes mea, portio mea, in terrâ viuentium. Amen.*

Bernard. ſerm. 1. in feſt omnium Sanctorum. Eccli. 51. Pſal. 83. Pſal. 72. Pſal. 141.

Praxis ad gaudium è virtute captandum.

Suſpende animum in tentatione.

PRIMA. Cùm homo ſeſe voluptate allici ſentit, ſuſpendere animum, & moderari deſiderium: quia id quod per vitium quęrit, vel ſperat, orando, ſeque ſuperando, longè nobiliùs & vtiliùs acquirere poteſt.

Voluptas vti ſit repellenda.

Secunda. Quoties voluptas inuitat, cogitare quod D. Bonauent. ſe iam eâ fruitum eſſe: nihil enim intereſt, verè an ſolâ opinione tuâ voluptate fruitus ſis: cùm nihil poſt eam ſuperſit niſi dolor ex vſurpata voluptate, quàm poteris in Domino quærere, & haurire de fontibus Saluatoris.

Mortificatio neceſſaria & ſuauis. *Sap. 7.* *Matth. 19* *Centuplum datur mortificanti ſe.*

Tertia. Mortificationem & abnegationem in magnis & paruis rebus exercere: mirè enim id conducit; neque difficile erit, ſi pro tali creato ſolatio omiſſo, æternum paratũ eſſe certò ſciat: imò etiam diuinum nunc in hac vitâ. Quoties enim quis propter Dei amorem aliquid relinquit, & liberalem erga diuinam maieſtatem ſe oſtendit, toties illam erga ſe liberaliorem viciſſim experietur. Non vincit enim ſapientiam malitia, neque liberalitatem ipſam inopia

noſtra,

noſtra. Imò omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut Marc.10.
ſorores, aut patrem, aut matrem aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomẽ Domini, centuplũ accipiet, & vitã ęternam poſſidebit. At quando, inquies, illud centuplum? Reſpondit Dominus, Amen dico vobis, accipiet centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros, cùm perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam. Hoc eſt quod in Canticis inſinuat ſponſus: Veni in hortum meum, id eſt, animam, meſſui myrrham meam, quia ad mortificationẽ excitârat; co- Cant.5.
medi fauũ cum mello meo, bibi vinũ meum cũ lacte meo; comedite amici, & inebriamini chariſſimi. Mox enim poſt mortificationem fauum animæ habuit, & vinum propinat lætificans cor hominis. Viſitat animam & terram noſtram, Pſal.64.
inebriat eam, & multiplicat pluuias gratiarum, vt locupletet eam. *Dignatus es*, &c. ſuprà pag. 10.

JACULATORIÆ.

Pſalm.26

VNam petii à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluptatem Domini, & viſitem templum eius.

Credo videre bona Domini, in terrâ viuentium. Ibidem.

Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Pſalm.35.

Quoniam apud eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.

Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam, quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis, vſque domum Dei. Ibidem. Pſalm.41



VIGESIMÆ QVINTÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Inſpice,& imitare virtutis N.exemplar,quod tibi à Domino monſtratum eſt.

ATtende, Chriſtiane, quoties Spiritus ſanctus & Chriſtus Dominus in *A* Scripturâ,præclara tibi virtutum documenta dederit: en vt *B* virtus tibi oſtendat, quot exemplis *C* Dominus Ieſus præceſſerit; *D* hunc ſequere,& *E* inſpice,& fac ſecundùm exemplar in monte monſtratum. audi *F* Chriſtum in monte nos docentem, vt ſe,& *G* virtutem quam oſtendit, ſequamur: audi *H* Deum Patrem illud ipſum præcipientem; fuge denique *I* peccatum, quod à Chriſti ſequelâ, & crucis, ſiue virtutis arduâ viâ te in interitum auertit. Vnuſquiſque enim tentatur à concupiſcentiâ ſuâ abſtractus & illectus, & ad peccatum vel horrore aſperitatis, quæ in virtute eſt; vel amore voluptatis momentaneæ, quæ in vitio reperitur, inuitatur.

CAPVT XLVII.

De nono medio Meditationem atque affectus eius ampliandi, ſiue de Imitatione Chriſti.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM. I. Conſidera Primò, DeumPatrem illis verbis te alloquentem: Vide terræ vermicule, adſpice homo, vapor ad modicum parens: ſic ego Deus dilexi mundum & te, vt Filium meum vnigenitum darem, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. An vera hæc? obſtupeſce miſer, atque attende quanto amore tale prototypon tibi dederit diuina bonitas, infinities perfectius Sanctis omnibus. Adſpice quibus coloribus dignatus fuerit illud pingere: eſt enim in eo candor lucis æternæ & caſtitatis virgineæ imago, & figura ſubſtantiæ Patris, coccus & purpura è precioſo ſanguine agni immaculati. Et conſidera, precor, an, cùm tale dederit exemplar tanto ſumptu paratum, è cælo demiſſum, contemni illud à te deceat & deſpici. *Aſpira,* vt ſup. pag. 8. *Haccine firma fide,* ibid. *Ioan. 3.* *Quanti ſit exemplũ Chriſti.*

Imaginare Deum Patrem ſtatuere paruulum IESVM in medio noſtri, & dicere: Niſi quis humiliarit ſe ſicut paruulus iſte, non intrabit in regnum cælorum. Adſpice vt inuitet oculo, manu ad ſequelam & amplexus: ergo arctè ſtringe & amplectere illum, qui cùm ter maximus ſit, propter te factus eſt paruulus, & minoratus ab Angelis. Secundò, attende, quòd quemadmodum videre Deum in cælo, eſt beatitudo ſumma; ita hìc IESVM Chriſtum noſſe & imitari, ſumma ſit dignitas & felicitas. Tertiò, quàm triſte, vt ita loquar, ſit Chriſto Domino ipſum ſe ſtatuiſſe exemplar in cruce tantis cum tormentis, vt te beatum redderet, vt te illi, maximè tu, qui ſpiritualis eſſe cupis, conformares, & hoc ipſum à te contemni. Quartò, Dominum deſcendiſſe ex infinito amore de cælo, vt nobis, imò velut tibi ſoli *Ioan. 14.*

viam oſtendat,(ipſe enim via,veritas & vita) vt te ouẽ errantem reducat: & eheu! quoties extendis manum tuam, Iesv benigniſſime, & non eſt qui adſpiciat: vocas,& renuimus! ô quàm iuſtè quereris per Prophetam tuum: Tota die explandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem mihi! ô q àm l-ctuoſum tibi, bonitas infinita audire à filiis quos emiſti pretio magno ſanguinis tui, Recede à nobis, ſcire tuam viam nolumus!

Iſaiæ 65. Rom. 8.

Iob. 22.

Jesv, *amantiſſime*, vt infrà pag. 633.

Pvnctvm III. Conſidera, in quo maximè imitari Dominum Iesvm oporteat, & attende Primò, reformandas tibi eſſe tres potentias animæ tuæ, per peccatum originale plurimùm deprauatas Cogita igitur quàm ſanctas in memoria habuerit cogitationes, quàm purum ab omni errore & falſitate intellectum, voluntatem ab omnia amore terreno alienam,& infinito Dei Patris repletam. Excute verò tres potentias tuas, & earum vulnera Chriſti exemplo ſanare contende. Secundò, conſidera qualiter Jesvs paſſiones, quæ verſantur circa bona mundi, honeſtum, vtile, delectabile, &, velut Iacob & Eſau in ventre matris, ſic in animâ noſtrâ luctâtur, ipſe refrænârit, & ad meliora concupiſcibilem bona tranſtulerit, & ad mala animæ noſtræ iraſcibilem. Ingredere igitur cor amantiſſimi Jesv, Primò, ab omni perturbatione paſſionum liberum; Secundò, ab intentione obliquâ; Tertiò, à mundanâ delectatione; Quartò, à placendi hominibus deſiderio; Quintò, ab inutili cogitatione; Sextò, à ſuperfluâ curâ; Septimò, à noxiâ amaritudine; Octauò, ab inani complacentiâ; Nonò, ab affectu creatæ conſolationis; Decimò, ab anxietate; Vn[illegible]imò, ab impatientiâ; Duodecimò à propriâ voluntate, maluit enim perdere vitam potiùs, quàm obedientiam: atque illam adeò commendauit, vt centuplum ei promiſerit, & decreuerit eum, qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, ſuum non

Quale fuerit cor dulciſsimi Jesv.

non poſſe eſſe diſcipulum. Animaduerte ſimul paupertatis virtutem, manſuetudinis, ſancti luctus, quanta in Christo eſuries juſtitiæ, quanta miſericordia, cordis munditiés, amor pacis, patientia, zelus & humilitas: de qua quod dicit D. Leo, cæteris omnibus virtutibus poteſt applicari; nulli aſpernanda diuitum eſt, nulli eſt erubeſcenda nobilium: nec enim in tantum prouehi poteſt felicitas humana faſtigium, vt æſtimet ſibi pudendum, quod Deus in forma ſerui non eſt arbitratus indignum. O Jesv *amantiſſime*, vt infrà pag. 632.

Leo ſerm. 2. de Reſurrect.

Pvnctvm III. Conſidera conuerſationem Sapientiæ æternæ, in omni actione ſuauiſſimam ac prouidentiſſimam. certè nullam unquam, vt Sapiens ait, amaritudinem habuit, ſed in omnibus obedientiæ, caritatis, puræ intentionis, deuotionis heroica exempla reliquit. Tu itaque ſimiliter numquam à diuina voluntate deflecte, neque in opere, neque in modo; ſed in aduerſis & proſperis æquabilis ſemper eum intuere: quoniam oculi Domini multò plus lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum, & profundum abyſſi, & hominum corda intuentes, in abſconditas partes. Non patiaris exempla tam illuſtria fruſtra tibi eſſe propoſita. Exemplum enim dedit nobis, vt quomodo ipſe fecit, ita & nos faciamus. Et qui dicit ſe in ipſo manere, debet ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare. Conſidera præterea, quòd tibi non ſolùm Chriſtus Dominus imitandus ſit, ſed etiam Pater noſter cæleſtis: ſic enim mandatum habemus; Eſtote ergo vos perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Quocirca myſteria & virtutes humanitatis, veluti oſtium eſſe exiſtima, quo ingrediaris in potentias Domini, & ad conſiderationem perfectionum illius. Ego enim ſum oſtium, ait Dominus, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Itaque perfectiones Dei, v. g. longanimitatem, prudentiam, ſapientiam, liberalitatem & bonitatem,

Conuerſatio Chriſti Ieſu qualis, Sap. 8.

Eccli. 23.

Ioan 13.
1. Ioan. 2.

Deus imitandus.
Matth. 5.

Ioan. 10.

Vide libellū D. Thomæ de diuinis moribus.

etiam in tuis actionibus conſidera, ac tibi imitandas eſſe ſtatue, & gratiâ Dei vtere, ac prototypon Chriſtum IESVM, in corde tuo depinge, certè vt eleganter Gregorius S. Baſilii frater; Suæ quiſque vitæ pictor eſt, artifex huius operis eſt voluntas, colores ſunt virtutes, exemplar Chriſtus eſſe debet.

Epiſt 1. de perf. Chriſtum form.

Hæccine vera, vt ſuprà pag. 7.

Exercitium breuius.

O *Speculum ſine maculâ, Chriſte* IESV, *credo tibi, & in te ſpero, & toto corde te diligo. Video te Rex regum, Paſtor bone, Magiſter optime, & audio vocem ſuauiſſimam: veni, & ſic* N. *ſequere me, & centuplum accipies & vitam æternã poſſidebis. An credo & ſpero & non ſequor? qui fieri poteſt: velle quidem adiacet mihi, ſed perficere non inuenio. Trahe igitur me poſt te, & ſequar te omne bonum quocumque ieris. Verè etenim mihi adhærere tibi bonum eſt, & ponere in te. Domine* IESV *ſpem meam. Amen.*

Exercitium longius.

Coloſſ. Ioan. 1. O IESV *amantiſſime, limpidiſſime, fons & ſpeculum omnis perfectionis, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, in quo theſauri ſcientiæ & ſapientiæ Dei reconditi, de plenitudine tuâ omnes accepimus, & gratiã pro*

Pſal. 142. Chriſtus poſtulat vt ſequatur. *gratiâ. Verumtamen aret adhuc anima mea, & facta eſt ſicut terra ſine aqua tibi: necdum necdũ transformata eſt in te. Fac igitur mihi hanc gratiam, vt te imitari, in te eſſe, viuere, moueri perpetuò queam, ac perfectiſſima virtutum exempla in*

Prou. 12. *me ſecundùm ſignaculum tuum: exprimere Nónne enim meritò queri potes, ſi ego ſeruus miſer & miſerabilis, renuam*

Pſal. 35. *ſequi te: Quid pudebitne? ſed gloria magna ſequi Dominum. dolebit? ſed non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit, ſemperq́ eſt rectis corde lætitia, quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumẽ. Quid igitur me auertet à te & veſtigiis tuis, quæ video ſanguine rubere & lucere*

Exod. 25. *igne charitatis: exoſculor & exulto: ſentio ſpargere odorem,*

quo

quo rapiar in amorem tuum Tu es exemplar, quod nobis in monte monſtratum, cupio imitari per gratiam, cupio potentius animæ meæ tibi conſecrare.

Procul deinceps ſit tumultus cogitationum mundanarum, & inanium rerum, à memoriâ meâ: ornabo eam cæleſtium rerum cogitationibus, & auferam de templo tuo, id eſt, corde meo, hæc N. idola priſtinæ vanitatis meæ. O vtinam eorũ quæ retrò ſunt oblitus, ad ea quæ ſunt priora me extenderem, ſemper de te cogitarem ex omnibus quæ ſenſibus concipio, ingrederer in potentias tuas! quàm facilè, ſi hanc clauderem memoriæ portam, vt facere omninò ſtatuo, omnes animi mei motus ſedarẽ! Nam ſimul atque huc ingreſſus eſt inimicus, aut ſuperbiæ, iræ, luxuriæ ſcintilla admiſſa, conturbatur anima mea & offunduntur intellectui tenebræ, vt te lux vera, quæ illuminas omnem hominem, nequeam nec rationem, quam mihi ducẽ dediſti, intueri Veni lux beatiſſima, veni hodie & eum ita digneris, ſine bibam de calice tuo, & comedam panẽ in regno tuo, vt ſatiet me omne bonum, & intima cordis mei repleat immenſa charitas tua, vt nouerim me, & nouerim te, & quòd nihil ſint omnia præter te; ſcio enim, ſcio, tu ſolus es, qui es, cætera vmbra ſunt & vanitas vanitatum. Memoria vt excolenda. Philiph. 3 Ioan. 1.

Concede verò mihi, vt quæ beneplacita tibi eſſe cognouero, quæ iuſta, bona ac ſancta, ea etiam talia ego verè cæcus & inſipiens tandem talia eſſe iudicem. Tu ſapientiſſimus enim es, tu potẽtiſſimus, optimus, pulcerrimus, digniſſimus, vt ab omnibus, & ſolus diligaris. Tu lux æterna & ſapientia æterna, ſcrutaris omnia, vti feciſti omnia Quomodo igitur non credam tibi, ſed potiùs mundo fallaci? Aufer à me, quæſo, cæcitatem illam errorem, & ignorantiã. Da mihi credere Scripturæ tuæ, verbo tuo, & ſacris tuis Doctoribus, ac Superioribus meis. Sed cùm ſcienti bonum, & non facienti, peccatum ſit illi, da, obſecro, vt quod video bonum, hoc agere me delectet: da voluntatem ſanctam vt nihil velim niſi te, aut propter te: ſit mihi cibus facere voluntatẽ tuam, iudicium proprium abnegare, numquam niti prudentiæ meæ, ſit mihi vt tibi, benigniſſime Iesv *fuit, cibus facere voluntatẽ Patris tui, cibus verè & millies ſuauiſſimus. Illa* Obedientiæ exercitium. Ioan. 4.

enim eſt norma omnis bonæ voluntatis : quæcumque ab hâc deflectit, obliqua, & praua & iniuſta eſt. O *vtinam vnum ſit velle tecum, vnum iudicium nihil arbitrer me ſcire niſi te* JESVM *& hunc crucifixum; nihil ſperare aut velle queam, niſi fieri voluntatem tuam, vt mea illi vnita iam non mea, ſed tua, non hominis miſeri ac improuidi, ſed* Dei *mei ſit ac deiformis, vna ſit cum tua, quia tum demum, ſcio, recta erit, & ſancta, & perfecta.*

Da *mihi,* Deus *meus, fortitudo mea, ita paßiones amoris, odij, gaudij, triſtitiæ, ſpei, & timoris moderari, vt te, pulcerrime ſponſe animæ, in pace cordis mei, & hodie & vſque ad conſũmationem ſæculi, morari delectet.* O *quantum bonum habet, qui illas ſic reprimit, vt ſeruiant ſibi, & tibi propter te, & pacẽ habeat, ſed eheu! ſæpè hactenus abripor, & ſeruire cogor. Verumtamen ex nunc deteſtor & abominor eas, & tibi toto cordis affectu dedico, vt ſeruiant tibi omnibus diebus vitæ meæ, & imitator tui exiſtam, creatura* Creatoris, *mancipium* Domini, *diſcipulus* Magiſtri *optimi, filius* Patris *benigniſſimi.* Exaudi, Domine, *hoc deſiderium meum, vt iuxta vocationem meam exprimam vitam tuam, ô ſpeculum omnis perfectionis; in omnibus cogitationibus, verbis & actionibus meis, vitam meam tuæ ſimilem reddam; humiliter, tranquillè, feruenterq́;*
Ioan. 15. *operer ſecundùm voluntatem tuam, ſicuti enim palmes non poteſt ferre fructum niſi manſerit in vite, ſic nec ego niſi per virtutem in te manſero.*

O *vtinam, humillime* IESV, *cognoſcant omnes, quòd diſcipulus tuus ſim, non tantùm ſi charitatem habuero (quod eſt vinculum perfectionis) ſed etiam humilitatem abſcondendo virtutes, vt tu gloriam tuam; locum infimum ſemper petendo, non primas cathedras; quas, ſicut & ſuperbiam, deteſtor, vt pannum menſtruatæ.* Deſidero *tecum, humillime* JESV, *ambulare: nolo ſuperbire, cùm tu te humilias, nec ſedere, vbi tu ſtas,* Rex *meus, &* Deus *meus; nec deliciari vbi caput meum,* Chri-
Ioan. 8. *ſte* JESV, *cruciaris; neque honorari, vbi ignominiam elegiſti.* Ego, *aiebas, non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudi-*
1. Cor. 10 *cet: ita ego deſidero, ſiue comedam, ſiue bibam, ſiue quid aliud agam, omnia ad gloriam tuam facere; præſentia, caduca & fluxa*

fluxa contemnere; cœleſtia & æterna appetere; tibi me reſignare & omnia accipere de manu tuâ amabiliſsima per gratiam tuam Amen.

Praxis ad Chriſti imitationem dirigens.

PRIMA. In omni dubio, cùm hæres quid tibi dicendum vel agendum ſit, conſidera, quomodo Chriſtus IESVS, Sapientia æterna, ea diceret, & gratiam illius implora, vt eum valeas imitari. *Chriſtus ſit in omnibus exemplar.*

Secunda. Aliquando in examine idem cogita, & animaduerte, quomodo in hoc, vel illo, Dominus IESVS ſeſe geſſiſſet, qualiter locutus fuiſſet, quid egiſſet.

Tertia Cùm vitam tuam ordinare, actioneſq; tuas volueris in receſſu & quiete, finge Chriſtum Dominum tibi præſentem, & actiones ſingulas ad illius normam compone ac dirige.

Quarta. Cùm mandatum cæleſte acceperimus à Deo Patre, vt audiamus Chriſtum Dominũ & imitemur: ab Apoſtolis enim in monte Thabor cælitus hæc vox audita eſt: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi benè complacui, ipſum audite; neceſſe vt quoad fieri poteſt illud impleamus. Ideò enim Verbum caro factum eſt, & habitauit nobiſcum, vt exemplo ſuo nos inuitaret, & homo ſeſe ei conformaret. Quapropter qui vult ad perfectionem contendere, & ad vitam ingredi, faciat quod S. Bernard. feciſſe ſe profitetur: Meditationem inſtituat de vitâ & morte Chriſti Domini noſtri, & ex illâ & ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus illius colligat ſibi faſciculum myrrhæ, qui inter vbera ſua commoretur, id eſt, perpetuò oculis obſeruetur. Licèt enim variæ ſint Meditationis materiæ, hæc tamen vna inſtar omnium eſt, hæc oſtium ad omnem virtutem & contemplationem, quod Dominus innuere etiam voluit dicens, Ego ſum oſtium, per me ſiquis introierit, ſaluabitur, & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Ad quod eleganter & ſuauiter Bernardus: IESVS, inquit, eſt mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Sed eſt medicina. triſtatur aliquis noſtrum: veniat in cor IESVS, & inde ſaliat in os, & ecce ad exortum huius nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit ſerenum. Labitur quis in crimen, currit inſuper ad laqueum mortis deſperando? nónne, ſi inuocet nomen vitæ, confeſtim reſpirabit ad vitã. Cui aliquando ſterit ante faciẽ ſalutaris nominis, duritia vt aſſolet cordis, ignauię torpor, languor

Matth. 17.

Meditatio de vitâ Chriſti quàm vtilis. Bern. ſer. 43. in Cant.

Ioan. 10.

Serm. 15. in Cant.

Memoria IESV quàm dulcis & vtilis.

guor accedia? cui fons fortè ſiccatus lacrymarum inuocato IESV, non continuò erupit vberior? Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbię tumorem ſedat, ſanat liuoris vulunus, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem. Siquidem cùm omninò IESVM, hominē mihi propono, mitem & humilem corde, benignum, ſobrium, caſtum, miſericordē, & omni denique honeſtate ac ſanctitate conſpicuum, eundemque ipſum Deum omnipotentem, qui ſuo me & exemplo ſanet, & roboret adiutorio. Hæc omnia mihi ſonant, dum inſonuerit IESVS. Sumo igitur mihi exempla de homine, & auxilium à potente: illa tamquam pigmentarias ſpecies, hoc tamquā vnde acuam eas, & facio confectionem, cui ſimilem medicorum facere poteſt nemo. Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vaſculo vocabuli huius, quod eſt IESVS, ſalutiferum certè, & quod nulli vmquam peſti tuæ inueniatur inefficax. Semper tibi in ſinu ſit, ſemper in manu, quò tui omnes in IESVM & ſenſus dirigantur & actus. Pone me, inquit, ſignaculum in corde tuo, ſignaculum in brachio tuo. S. Bonauentura verò ſic ait: Venerabilis paſſionis Chriſti continua & deuota Meditatio mentem ab huius ſæculi mundanis & carnalibus concupiſcentiis ſequeſtrabit, cor tuum ad ſpiritualia ſubleuabit, quid cogitandum ſit, quid loquendum, quid reſpondendum, quid tacendum, quid vel qualiter agendum, tibi veraciter indicabit.

Qualem oporteat contemplari.

Electuariū animæ IESVS.

Cant. 8.

Bonauent. ſtim. diuin cap. 1.

Paſſionis Meditatio vtiliſſima.

Dignatus es, vt ſupr. pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Pſalm. 33.

AVdi Dominum quaſi tibi loquentem: *Venite filii, audite, me timorem Domini docebo vos.*

Ibidem.

Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.

Matth. 16

Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.

Ioan. 13.

Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

VIGESIMÆ SEXTÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Inſpice & imitare virtutis N *exemplar, quod tibi à Domino monſtratum eſt.*

COnſidera beneficia, quibus ad virtutem te inuitat Deus: *A* creationis, *B* incarnationis, c redemptionis, *D* Sacramentorum & gratiarum. Deus enim te *E* paſcit ac veſtit, *F* liberat à multis malis atque miſeriis, & per *G* Angelos ſuos dona mittit, vt olim *H* Iſraelitis. Deus *I* pluuias, *K* ſolem, *L* & incrementa frugum ad tuos vſus & oblectamenta offert; vt tu *M* virtutem ſequaris. Cumque hæc omnia Deus ex ſumma *N* charitate faciat, non liqueſces viciſſim amore? equidem par eſt vt virtutem, etſi per ſe amabilis eſt, vitiumq́; abominabile, amore Dei ac Domini noſtri, & ob beneficia quibus præuenit nos, amplectamur.

CAPVT

CAPVT XLVIII.

De decimo medio meditationem atque affe-ctus eius ampliandi, ſiue de beneficiis Dei, quibus ad perfectionem nos inuitat.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine. ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò hominem à Deo eius beneficentiâ ex nihilo creatum eſſe ad imaginem & ſimilitudinem ipſius; ac proinde non ſicut pullum onagri liberum, ſed Deo ſubiectum eſſe oportere; eiuſque non mandatis tantùm, ſed nutibus & inſpirationibus, ſi ſuo rectè velit munere fungi, obedire. Ad hoc enim creatus eſt à Domino, cuius ipſe totus eſt. Clamat, ait Laurentius Iuſtinianus, innata ratio, vt quiſque ſe illi ſubiiciat, à quo habet vt ſit: numquid ergo gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe. Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ: numquid dicet lutum figulo ſuo, Quid facis? aut homo, Quare præcipis nobis, aut eligis hæc? hæc verba appende & ingratitudinem tuam. *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7. Conſidrea etiam præſtantiam & excellentiam diuinæ maieſtatis, præſertim ſi nobiſcum comparetur, eaque de causâ ſtudendum illi omnibus modis placere & ſeruire, cùm minùs præſtantia aliis præſtantioribus naturaliter ſubdantur *Credo tibi*, vt ſuprà pag. 7. Secundò, incarnationis, redemptionis beneficium expende, emptoſque eſſe nos pretio magno, ſanguine Agni immaculati, vt glorificemus & portemus eum in corpore noſtro. Tertiò, etſi iſta magna ſint, valde tamen illuſtrantur, ſi attendamus Deum ab æterno nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus filii eius & vaſa in honorem; ad hoc media decreuiſſe. & mox vt nati ſumus, ad Baptiſmi

Iob. 11.
Ad quid creatus es.
Laur. Iuſt lib. 1. c. 5.
Iſaiæ. 45.
1. Pet. 2.
Electio Dei.
Quot quantaque beneficia.

Baptiſmi fontem perduxiſſe, in Eccleſiâ educaſſe, in arca vera conſtituiſſe, Sacramenta dediſſe, vt eſſemus genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vtque virtutes ejus annuntiaremus. Miſericordiſſime Deus, quid retribuam æternæ bonitati tuæ, qui me video vocatum ad fidem & gratiam tuam, & ſimul innumeros in gentilitate & perfidiâ naſci & mori? Certè bone IESV, non poſſunt mihi mandata tua & conſilia eſſe grauia, & virtutem, id eſt, pulcritudinem, ſalutem, decorem, opes, gloriam animæ meæ amplecti: præſertim cùm non ſolùm tanta dederis, ſed etiam majora multò promiſeris, oſtentans perpetuò cælum, ſolium regni tui, præmium noſtrum inferno abſtruſo: quia amari mauis, quàm timeri. *1. Pet. 2.*

Magnificat, vt infrà pag. 641.

PVNCTVM II. Conſidera quoties id Rom. 3. uſurpare poſſis: Iuſtificati ſumus gratis, per gratiam ipſius. Quoties diuina miſericordia tam longanimiter te ad pœnitentiam expectârit, & pereuntibus ſingulis horis millibus plurimis, tibi tamen pepercerit, eò quòd precioſa eſſet anima tua in conſpectu ejus. Secundò, expende hæc verba: Complacuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me. Et vocationi tuæ applica, & peculiari gratiæ, quæ radicis inſtar eſt, alias progignens, aut fonti, alias fundens. Etenim dum ſtatum vel munus Dominus largitur, etiam dat media & gratiam ad illud obeundum. vt patet in ordine, Matrimonio &c. Si Religioſus es, Religioſæ vocationi tuæ accommoda, & vide vt vocatus ſis de medio nationis prauæ, & ſæculo nequam vocatus es ad verum paradiſum, & felicitatem in terris, Apoſtolicum vitæ genus, certiſſimam ſalutis viam. Verè applicare ſibi quiſque Religioſus poterit illud Mardochæi: Paruus fons creuit in fluvium magnum, in lucem ſolemque conuerſus eſt, & in aquas plurimas redundauit. Mox enim vt vox tua, Domine

Donum conuerſionis.

Galat. 1.

Religioſa vocatio quanti.

Eſther 10.

Domine JESU, in auribus meis audita eſt, ecce venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & gratiæ plurimæ redundârunt de pelago miſericordiæ tuæ, *Magnificat* vt infrà pag. 642. Tertiò, conſidera plurima alia particularia beneficia naturæ, quòd bonis ortus parentibus, bonos nactus ſis præceptores, ſocios, neceſſaria vitæ, quòd tot creaturas dederit ad recreationem & neceſſitatem. Omnes enim etſi non immediatè, mediatè nobis vtiles, & ſæpè neceſſariæ ſunt. Quæ egregiè

Bal. ho. 3 proſequitur Baſilius homilia 3 Ex nihilo, ait, effecit, vt eſſemus, ac produxit, è terræ viſceribus elementa eduxit, in miniſterium dedit omnigenum pecus; propter nos imbres, ſol, montana, campeſtris regio pulcrè exculta; propter nos omnes fluunt, promanant fontium ſcatebræ, &c. Quid iam dicam, amantiſſime Pater, ſi

Beneficiū magnum à malis præſeruari. conſiderem quanta ſunt, quàm multa incommoda, pericula, quæ aliis eueniunt, & à quibus me viliſſimum peccatorem & ingratiſſimum præſeruare, vel eripere dignatus es? neque verò hæc omnia tanti fortè facerem, niſi hæc ex infinito amore viderem emanare ab æterno ac porſus gratuitò. O quàm turpe nolle tibi Domino dulciſſimo benefactori mutuum reddere amorem, ſed eum tribuere vili creaturæ, & amore proprio à ter ſummo bono, & virtute N. auerti.

Auguſt. PVNTVM III. Conſidera Primò, quòd, vt dicit Auguſtinus, cultus Dei in hoc maximè conſtitutus ſit, vt anima Deo non ſit ingrata, ingratitudinemque Deo

Gratitudo quam neceſſaria. eſſe, vti etiam hominibus videmus, maximè odioſam: adeò vt Dominus, quaſi tactus dolore cordis intrinſecus, dicat per Iſaiam: Filios enutriui, & exaltaui; ipſi

Iſaiæ 1. autem ſpreuerunt me. Vide an non ſic de te queri poſſit, ſi ſanctas eius & plurimas ex infinito amore profectas inſpirationes neglexeris. Cùm decem mundati eſſent leproſi, vno tantùm gratias agente, aiebat JESVS,

Luc. 17. Nónne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? non eſt inuentus niſi hic alienigena, qui daret gloriam Deo.

Munda-

Mundatus es à Domino; caue ne ingratus eius reſpuas doctrinam; & exempla virtutis ſequi. Secundò, conſidera ſecundùm D. Bernard. nihil adeò impedire ne orationes noſtræ exaudiantur; atque ingratitudinem. Quid ſibi vult, ait, quòd inceſſanter orantes; obſecrantes, poſtulantes non exaudit; quibus tantam & tam gratuitam miſericordiam prærogauit? & reſpondet; nec reprehenſibile quòd inſtanter petimus; ſed planè petitioni negat effectum; quòd inuenimur ingrati. Idem ſermone in Cantica: Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio: ingratitudo ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Vide igitur, cùm Dominus tanta tibi conferat beneficia, & hæc non alio fine, quàm vt eum ames & per virtutem honores & colas; qualiter ei ſtudere te oporteat, & retribuere tantæ maieſtati. tam amanter; tam dulciter à te flagitanti, vt ſe ſequaris & ames. Tertiò, conſidera Primò, quid requiratur ad gratitudinem; nempe Primò, non dicere tantùm, Domine, Domine, ſed facere voluntatem eius. quæ enim gratiæ acceptæ eſſe poterunt, ſi labiis honoretur, & factis inhonoretur æterna bonitas? Secundò; vt verè gratis diuinæ ſtatuas bonitati ſeruire, & dicere poſſis: Voluntariè ſacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo; quoniam bonum eſt, & quoniam ex omni tribulatione eruiſti me. Tertiò, vt offeras te magno affectu ad omnes labores & afflictiones à Domino immittendas: animumque reſignatum, vt iiſdem beneficiis, ſi ita ei placeat, priueris. Si enim tot bona de manu eius accepimus, mala quare non ſuſcipiamus? In omnibus igitur gratias agamus, & immolemus Deo ſacrificium laudis, & reddamus Altiſſimo vota noſtra. ſacrificium enim laudis, ait, honorificabit me; & illic iter, quo tibi oſtendam ſalutare Dei. hac enim gratitudine ad aperienda myſteria ſua maximè inuitatur Dominus, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

Bernard. *Ingratitudo orationes facit inefficaces.*

Serm. 51.

Gratitudo vt exigat. *Pſal. 53.*

Iob. 2.

Pſal. 49.

Exercitium breuius.

QVid retribuam tibi, Deus meus pro omnibus quæ retribuiſti mihi, cor, corpus, & animam meam? credo enim tibi, & in te ſpero, & verè toto corde te diligo. Ecce vota mea
Pſal. 115. tibi Domino meo reddam coram omni populo tuo. & deſideria hæc qui dediſti incipere N. dabis ſpero perficere. Spondent hoc beneficia plura, ſanguis tuus & corpus pignora mihi ſunt, ſed ſuper omnia charitas tua, quòd non me deſeres, neque derelinques. Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi
Pſal. 66. omnes. Repleatur os meum laude tuâ, vt cantem gloriam tuã, totâ die magnitudinem tuam, & vt videant homines opera mea bona, & glorificent te qui in cælis es. Amen.

Exercitium longius.

MAGNIFICAT anima mea te, Domine Deus meus, quia reſpicere me dignatus es de excelſo ſolio gloriæ tuæ. Quis enim ſum ego, Domine, vt memor ſis mei, & quæ domus patris mei? N. Tu ſcis, & imperfectũ meũ viderunt oculi tui, & tamen hactenus ſpero, non auertiſti tuos à me ſeruo nequã & prodigo, & oue errante; immò quotidie me paſcis teipſo, & nutris ſanguine tuo; & poteris obliuiſci mei, aut ego tui? exaltabo te, Deus meus Rex, & benedicã nomini tuo in ſæculum ſæculi.

Applicatio Communionẽ.

Pſal. 144. Per ſingulos dies benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in
Pſal. 65. ſæculum ſæculi: venite, & audite, & narrabo, omnes qui timetis
Prou. 8. Deum, quanta fecit animæ meæ: ab æterno ordinauit me ex antiquis, antequam terra fieret, & videns me in communi & infelici ſorte filiorum Adam, originali labe damnationi obnoxiũ, ex infinitis propè millibus elegit ante conſtitutionẽ mundi; & antequam eſſem, ab æterno dilexit; & cùm iam eſſe cæpiſſem, & adſpicerem hanc lucẽ, illuminauit me luce verâ, & ſol iuſtitiæ ortus eſt mihi: aliis plurimis præmaturâ morte raptis, me ad Baptiſmi gratiam, & fidem, ac Eccleſiæ gremium perduxit, & aluit carne ac ſanguine filij ſui: & tamen, Pater benigniſſime, ſciebas ab æterno, quod aliquando te peccatis meis offenderem, quoties tibi inſultarẽ, quod mihi amore tui dolet quàm

quàm maximè. Vicit char.tas tua malitiam meam, vicit ignis ille frigus meum, vicit benignitas omnia peccata mea. & quid eſt, Pater æterne, quod me poterit ſeparare à charitate tuâ? quomodo non libenter obediam omnibus mandatis tuis, & faciam omnes voluntates tuas? virtutem N. ſequar, & veſtigia dilectiſsimi filij tui?

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliviſci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuã, qui coronat te in miſericordiâ & miſerationibus. Niſi enim tu, Domine, adiuuiſſes nos, & quotidie ſeruares; paulò minùs in inferno habitaſſet anima mea: ſed manus tuæ quæ plaſmauerunt me, & fecerunt me, illæ fecerunt virtutem, & liberarunt me de inimicis meis, impleuerunt me omni benedictione. quæcumq; enim video creata, dona tua ſunt, quibus me inuitas, vt ſeruiam tibi: nõ enim ea propter te, quaſi iis egeas, neq; propter ſe, ſed vt electis tuis ſeruirent, & illi tibi. Neq; minoris ea æſtimare debeo, quòd aliis communia; quia hoc ipſum beneficium mihi eſt maximum, & pro eo gratias tibi ago, Domine, ac pro beneficiis omnibus alicui mortalium conceſsis, eoq; magis, quò minùs illi agnoſcunt, & benedicunt te. Pſal. 102.

Gratiarũ actio pro beneficiis aliis conceſſis.

Ago verò tibi in primis gratias, quòd capiti noſtro Chriſto IESV, *humanitati eius dediſti diuino Verbo copulari, & diadema ſpeciei, vt ſit Rex regum, & Dominus dominantium. Pro omnibus item donis & gratiis illi collatis, de cuius abundantiâ nos omnes accepimus. Gratias ago pro omnibus item beneficiis, quæ liberali manu tuâ in puriſsimam Virginem contuliſti, quodq; eam in matrem Filij elegeris, & ſupra Angelos collocaſti. Gratias etiã ago pro Angelis fidelibus, qui retinuerunt gratiâ tuâ principatum ſuum; pro Sanctis, qui ad finem vſq; perſeuerârunt propter te, & de ſe ac mundo triumphârunt; pro iuſtis denique omnibus & improbis, quos magnificâ gratiâ tuâ præueniſti, & quotidie præuenire dignaris dignus es enim, Domine Deus, vt benedicant tibi cœlum & terra,* Pſal. 68.

& omnia quæ in eis ſunt, & omnia enarrent gloriam tuam. Vtinam, vtinam ſic viuam, ne pœniteat te aliquando liberalitatis tuæ, ne iraſcaris propter iniquitatem auaritiæ meæ, & abſcondas faciem tuam à me. Sed ſpero quòd non poteris, quia pignus habeo amoris tui, corpus & ſanguinem tuum, & ſcio quia diligentes te diligis, & ego vti ſpero te diligo, ſaltem diligere toto corde volo, & ſi deſiderium pauperum exaudis, & voluntatem timentium te facis; confido humillimè quod non proiicies me à facie tuâ, neque deſpicies me in æternum. Sed veniens venies & non tardabis, & merces tua tecum, id eſt, teipſum dabis mihi, vt ego me tibi. Qualis permutatio! ô quanta tua dignatio! Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula, &c.

Applicatio ad Communionem.

Gratiæ pro vocatione.

Memento, Domine, quòd vineam hanc animam meam, de Ægypto & Ægyptiis tenebris tranſtuliſti, proieciſti gentes plurimas, & plantaſti eam, dux itineris fuiſti in conſpectu eius, & conſtituiſti eam in monte ſancto tuo, Eccleſiâ tuâ, & huius vocationis. quæſo te per immenſam charitatem tuã, noli permittere, vt, cùm exſpectaueris ab æterno, & ſperaueris vuas, tibi proferam labruſcas: ne dicere illud, quod olim de populo electo, de me poſſis: Ego te plantaui vineam electam, omne ſemẽ verum: quomodo ergo mihi conuerſa es inprauum vinea aliena? Auertatur, obſecro, ira tua iſta à me, & ne vnquam ponas eam deſertã, vt aſcendant vepres & ſpinæ, ſed ſit anima mea ſicut hortus irriguus virtutibus floridus, ſicut lignum quod plantatum eſt ſecùs decurſus aquarum, quod fructum tibi reddat in tempore ſuo; ne veniens, & non inueniens fructum veræ virtutis maledicas mihi, vt ficui illi, & numquam quiſquam ex eâ fructum videat. Benedic, Domine, operi manuum tuarum animæ meæ, vt benedicat tibi in omni tempore, nunc quidem virtute verâ & pietate, in æternum verò laudibus, & hymnis, & canticis, ardentiſſimaq; charitate Amen Amen.

Iſaiæ. 5. Ierem. 2.

Pſal. 1.

Matth. 21

Praxis agendi Deo gratias ob beneficia.

Certis feſtis beneficia recole.

PRIMÒ, ſæpè per diem, & maximè in Sacro & examine, Deo pro omnibus gratias agere.

Secundò, beneficia pręcipua aliquibus per annum feſtis recolere:

recolere: quemadmodum in publicis fieri videmus, ac proinde diem natalis, vel proximum aliquem pro gratia Baptiſmi ſolemnem habere, & confeſſione, communione, eleëmoſynis, & eiuſmodi pietatis exercitiis colere, &c.

Tertiò, etiam praxis vtilis eſt, idque maximè diebus Dominicis; per ſingulas horas vnum aliquod memorare beneficium, Deumque laudare, atque ita cæleſtem vitam in terris inchoare. *Dominicis beneficia recole.*

Quartò, non ſolùm autem pro magnis, ſed etiam pro minimis beneficiis gratum eſſe oportet. vnde D. Franciſcus, inſpirationem percipiens, mox vel in mediis plateis conſiſtebat, gratias agebat, & hoc ipſum pro ſingulari gratiâ accipe, te poſſe Deo grates perſoluere. *Minima etiam appende.*

Quintò, obſerua omnia, quę nobis obueniunt à quocumque, Deo retribuenda eſſe, & accepta ferenda, vt ſic amor & charitas maximè in Deum auctorem omnis boni referatur; neque tantùm de bonis id accipe, ſed etiam aduerſis. Non minùs prodeſt medicus ſecans, quàm demulcens, neque vrens quàm refrigerans. Quid ergo melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo ſcribamus, quã, Deo gratias? hoc nec dici breuiùs nec audiri lætiùs, nec intelligi grandiùs, nec agi fructuoſiùs poteſt. *Tribue omnia Deo. Auguſt. ep. 77. ad Med.*

Dignatus es, vt ſuprà pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Pſal. 102.

Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Ibidem.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Pſal. 115.

Venite, audite, & narrabo, omnes qui timetis Deum, quanta fecit Dominus animæ meæ. Pſal. 65.

Miſericordias Domini in æternum cantabo, in generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. Pſal. 88.

VIGESIMÆ SEPTIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Contemplare hinc Deum, inde Luciferum: vide an huic per vitium, an illi præſtet per virtutem ſeruire.

ALter vtri ſeruias neceſſe eſt, aut *A* Deo, aut *B* diabolo, vtrum præſtat? *C* Virtus, vt Deo; *D* vitium, vt dæmoni ſeruias, inuitat. Vide quid agas. quis enim Deus? *E* trinus & vnus, *F* fons omnis boni, *G* æternus, *H* omnipotens, *I* ſapientiſſimus, *K* liberaliſſimus, ſolus *L* cor exſatians, omnia *M* implens, & vbiq; præſens, *N* iuſtiſſimus & *O* Rex ſummus. Ad eum accede, omniaque ei offer, *P* cor ei, velut ardens amore *Q* ſponſa, per *R* fidem, ſpem & charitatem trade, quouſq; potes, ad eius amorem *S* trahe, zelo honoris eius ſuccenſus, omniaque ad gloriam eius facito.

CAPVT

CAPVT XLIX.

De vndecimo remedio, Meditationem atque affectus eius ampliandi, ſiue de Perfectionibus Dei, quibus meritò prouocamur, vt ei per virtutem ſeruiamus.

COMPOSITIO LOCI, vt in imagine, & ORATIO, vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera, ô anima Chriſtiana, quæ ad virtutem amplectendam, & perfectionem vocaris, neceſſariò tibi ſeruiendum eſſe, aut Deo per illam, aut dæmoni per vitium; idque attendere licet in ſingulis actionibus, cogitationibus, verbis, deſideriis, &c. & dic mihi, vtri eligas parere. Nemo enim poteſt duobus dominis ſeruire, Deo & mammonæ: non capit idem locus Arcã & Dagon: non eſt conuentio Chriſti ad Belial: neque eſt participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut ſocietas luci ad tenebras. Quid verò præſtat? *Aut Deo aut dæmoni ſeruiendum.* *Matth. 9.* *2. Cor. 6.*

Haccine vera, vt ſuprà pag. 7.

Conſidera Secundò, quid ſit diabolus, cui ſeruit omnis peccator: hoſtis Dei & tuus infeſtiſſimus & crudeliſſimus, qui illecebris mundi te inuitat ad flammas æternas, in quas innumeros præcipitauit Reges, Principes, & ſæculi amatores: diriſſimum monſtrum, in quo nulla pietas, æquitas, largitas, ſed omnium vitiorum ſentina & malorum. Inuitat autem ex ſummo odio & inuidiâ, quâ Lucifer cælo priuatus nos ſimiliter excludi æternis vellet gaudiis, & in eâdem ſecum eſſe damnatione; atque ad hoc omne genus fraudum & deliciarum excogitat, vt ad vitium alliciat, maximè ſuperbiam & ambitionem, & amorem diuitiarum. Putas qui hæc credit, ei vult ſeruire? Tertiò, conſidera peccatum nihil (vt ſic loquar) aliud agere, quàm vt ei ſeruiatur; virtutem verò, vt Deo optimo maximo. Quartò, cogita quid ſit diabolo per vitium ſeruire; nempe ad *Seruitus vitij.*

viliſſima indigniſſimaque præſtanda compelli, omni horâ ac momento alligari catenâ prauæ voluntatis, rei abiectæ & vili, eique mancipari: ſeruit enim pecuniæ auarus, ſeruit voluptati luxurioſus, &c.

Quid ſit Deus.

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ fide.*

PVNCTVM II. Conſidera Primò, ac viuâ fide apprehende eſſe verè Deum optimum, maximum, cui omnes ſeruire oporteat, eumque ſolum verè eſſe, cùm cætera tanquam nihilum ſint, ante illum; ideoque: Qui eſt, dicebat Moyſes, miſit me. Eundem attende eſſe ſpiritum nobiliſſimum, amabiliſſimum, & ſimpliciſſimum abſque vlla compoſitione, vnum quidem in ſubſtantia, ſed trinum in perſonis, & immortalem. Vide ergo an ei qui eſt, an ei quod non eſt, & mundo perituro, hoſtibuſque tuis magis quàm immortali Deo ſeruire expediat. Secundò, conſidera eum fontem omnis boni atque perfectionis, omniaque in ſe eminenter habere vnde B. Franciſcus ſic orare ſolitus: Deus meus, Deus meus, Deus cordis mei, & omnia. Percurre, ſi libet, perfectiones creaturarum, & ad Deum fontem bonorum, in quo omnes ſimul ſunt, & ex quo omnes manarunt, & dimanant quotidie, amorem transfer: ipſe enim fecit omnia, & coram eo omnia velut gutta roris antelucani, aut momentum ſtateræ. Tertiò, æternus eſt & immutabilis: à ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus, aiebat Dauid; nos verò ad momentum, & numquam in eodem ſtatu permanentes; ſed ſi virtutem eius, & mandata diligamus, æternos nos ſecum efficiet & beatos. Illum igitur Dominum colamus, qui ſemper idem ipſe eſt, cuius anni non deficient. Quartò, attende, quòd ſit omnipotens, qui verbo vno creare infinitos mundos poteſt, & ſimiliter annihilare in ictu oculi. Adſpice hanc mundi machinam, maria contemplare, & cælos: hæc ipſe dixit vt eſſent & facta ſunt, ipſe appendit tribus digitis orbem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtaterâ: ipſe eſt fons ſapientiæ,

Exod. 3.

Fons omnis boni Deus.

Sap. 11.
Iſaiæ 40.
Pſal. 101.

Deus æternus cætera momentanea.

Deus omnipotens.

Iſaiæ 40.

tiæ, qui ab æterno omnia cognouit, naturam, potentiam, perfectionem rerum omnium, motum, ſpeciem & ordinem, diſtinctiſſimeque omnia in pondere, numero & menſurâ, ſingulaque indiuidua, omnes capillos capitis noſtri. Ipſe numerat multitudinem ſtellarum, & omnes eas nomine vocat; ipſe menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit, & diem præuidit, ortus & occaſus omnium ab æterno, meritaque & demerita, circumſpiciens omnes vias hominum. Illi ſi omnis ſcientia humana & angelica comparetur, vera eſt inſipientia. Numquid ergo audebis arguere opera eius, & dicere, Quare ſic præcepiſti nobis, aut cur hoc ita accidit? non eſt conſilium, non eſt ſapientia contra Dominum: omnium eſt artifex, omnia ille adinuenit: lux omnes illuminans, & reuelans profunda cogitationum & myſteriorum. Sed inprimis, appende amorem, quo diligit omnia quæ fecit, & nihil odit eorum. In hoc enim amore complacet ſibi, operatur omnia propter ſe, & diligit ab æterno ſpontaneè, beneficè: zeloſus pro gloriâ ſuâ, pro iuſtis ſuis; in pace tamen, auctor pacis, & cum tranquillitate zelat & iudicat: longanimis ſuper malitiâ hominum, dans metuentibus ſe ſignificationem, vt fugiant à facie arcus: miſerator & miſericors, ſtatim obliuiſcens iniquitatum, vt in Niniue apparuit: liberaliſſimus etiam in hoſtes ſuos, & ingratos mortales: immenſus, quem cæli cælorum capere non poſſunt, & vbique præſens: in ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus, vt non ſit quod vltrà quæramus, cùm in ipſo omnia habeamus: iuſtiſſimus iudex & rectiſſimus; vltor terribilis, pius, beneficus, affabilis, fortis, magnificus, patiens, benignus, clemens, manſuetus, ſuauis, dulcis, ſanctus, purus, creator, conſeruator, omnia prouidentiâ ſuâ gubernans & cuſtodiens. Ipſe enim verus Dominus eſt, & Dominus exercituum, & Rex regum, & Dominus dominantium, magnus, immenſus, ſublimis, excelſus, totus amabilis, deſiderabilis, laudabilis,

Deus eſt ſapientia.

Iſaiæ 40.

Nemo eum arguere poteſt.

Iob. 12.

Sap. 11.

Deus eſt charitas.

Pſal. 59.

Actor. 17.

Perfectiones diuinæ.

dabilis, incomparabilis: talis ac tantus eſt Dominus, & nos ſerui, creatura, & nihil. Quid igitur nos remoratur, ne ei ſeruiamus? eheu! quàm promptè in duriſſimis obſequiis mundo ſeruitur! & pro te, Deus meus, graue nobis eſt per virtutem veram, veram humilitatem, puritatem, reſignationem, eſſe beatos. O malitiam & cæcitatem filiorum Adæ!

Domine Dominus, &c. vt infrà pag. 651.

PVNCTVM III. Conſidera quomodo tota curia cæleſtis nutui eius obediat, Angelici illi ſpiritus, & Sancti omnes, maximoque amore eius honorem & gloriam ſtudeant laudibus perpetuis celebrare, zeloque ardentiſſimo ferantur: neque hi tantùm, ſed etiam venti & mare, & omnia obediant ei; tu verò inter omnia repugnare poteris voluntati eius? O quàm eſſet æquum te puriſſimâ intentione, id eſt, quia ei placet, & vult, atq; digniſſimus eſt, virtutem colere & pietatem, perfectioniique ſtudere potiùs, quàm aut ſpe præmiorum, aut pœnę timore! Dignus eſt enim accipere honorem, & gloriam, & benedictionem, qui ſolus eſt Dominus, ſolus altiſſimus. Secundò, finge hinc dæmonem, mundum, & propriam voluntatem; inde Deum optimum maximum: ſimulque aduerte omnem omnino creaturam ab eo creatam ad gloriam nominis ſui: quamque impium & indignum obliquâ intentione auertere eas à fine ſuo, & ſe conuertere à Creatore ad illas. Tertiò, conſidera Dominũ in omni creaturâ præſentem, eaſque conſeruantem, & operantem in iis gratuito amore, propter te; & quàm turpe te mercenarium eſſe, neque ſincerâ charitate ei ſeruire, totoque eum corde diligere.

Intentio recta laudatur.

Apoc. 4.

Contemplatio vtilis.

Deus gratis tibi omnia præſtat.

Exercitium breuius.

NOn nobis, Domine, nõ nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Tibi meum & omne genu flectatur cæleſtium, terreſtriũ & infernorum, non teterrimis hoſtibus meis. Tibi flecto genua

cordis

cordis mei, & de profundis clamo ad te Domine, & deſidero toto iā corde ſeruire tibi. Magnus enim es Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non eſt finis. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam pronunciabunt. Magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt. Memoriam abundantiæ tuæ eructabunt, & iuſtitia tua exultabunt, & ego gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in Deo IESV *meo: Credo enim tibi, & in te ſpero, & toto corde te diligo. Amen.* Pſal. 144.

Exercitium longius.

DOMINE *Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra! quis in nubibus æquabitur tibi, aut ſimilis erit in filiis Dei? tu enim excelſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria tua eſt. Veniant igitur omnes gentes, quaſcumq; feciſti, adorent te, & glorificent nomen tuū, nomē ineffabile, quod eſt ſuper omne nomē, & in nomine tuo omne genu flectatur, cæleſtiū, terreſtrium & infernorum. quis enim Deus magnus, ſicut Deus noſter, ô anima mea? Ipſe eſt omnipotens ſuper omnia opera ſua, & multa abſcondita ſunt maiora his: pauca enim videmus operum eius. Terribilis Deus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius. Glorificantes Dominum, quantumcumq; potuerimus; ſuperualebit enim adhuc, & admirabilis magnificentia eius.* Pſal. 8. Philip. 2. Eccli. 43. Ibid. Laus Dei

Benedicentes Dominum exaltemus illum, quantum poſſumus: maior eſt enim omni laude. Quis videbit eum, & enarrabit? quis magnificabit eum ſicut eſt ab initio? Ecce Deus magnus, vincens ſcientiā noſtrā; numerus annorū eius inæſtimabilis, excelſior cælo eſt, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognoſces? longior terrâ menſura eius, & latior mari: ſi ſubuerterit eam, vel in vnum coarctauerit, qui contradicet ei? Nemo poteſt, ſed etſi tam magnus ſis & terribilis; attamen cum veniâ tuâ dicam, mihi certè amabilis es nimis, etſi magnitudinis tuæ non eſt finis, video quòd neq; etiam amoris tui. Vnde enim aliter meminiſſe mei poteras tu, qui Deus meus es, & quidem nouiſſimi ſeruorum tuorum? & venire ad me, & Iob. 11. Applicatio ad Communionem.

me,& dare te mihi & deſiderio deſiderare eſſe & manere mecũ? Abſit,abſit.vt vltrà contradicere poßim,vita mea,charitati tuæ,quem tã ſuauiter,tu ô bone IESV,inuitas ad virtutem, & amorem tuum amabilißime IESV,& mandas voce illâ tuâ,
Matth.11 quæ valeat confringere cedros Libani, & petram durißimam dicens;Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde : tollite
Ioan.6. iugum meũ ſuper vos:iugum,ais,meũ, ſuaue eſt, & onus meũ leue;& ecce durus hic ſermo multis videtur,& vix eſt qui poſſit eũ audire.Nónne ergo tibi ſeruire regnare eſt? nónne glo-
Rom.8. ria magna ſequi te, Domine?quis eſt ergo , qui nos ſeparare
1.Pet.5. poterit à caritate tuâ?an hoſtis teterrimus,qui circuit tanquã
Cui ſeruire velis vide. leo rugiens,& quærit quem deuoret ? an mundus vanißimus, honoris fumus,vmbra & vapor ad modicum parens? voluptas fœda & momentanea? hæc ſunt,pro dolor! quæ miſeros mortales agunt præcipites in ruinam , & miſeriam ſempiternam ; quæ auertunt à te,ô omne bonum , Pater æterne , qui tam longanimiter ſuſtines nos,& expectas ad pœnitentiam.

Iob.31. Peccator ſibi nocet. Verè miſericordia tua ſuper omnia opera tua.neq; enim ſi peccauerimus, nocebimus tibi; & ſi multiplicatæ fuerint iniquitates noſtræ, nil faciemus contra te ; & ſi iuſtè egerimus, nihil donabimus tibi, aut aliquid de manu noſtrâ accipies:tu
1.Tim.2. ſolũ quæris vnde nos corones,ideoq; vis omnes ad agnitionem veritatis venire,& neminẽ vis perire,quia bonus es,& quia in
Pſal.72. ſæculum miſericordia tua. Mihi ergo adhærere tibi Deo meo
Pſal.118. bonũ eſt,& ſeruire tibi omnibus diebus vitæ meæ.Concupiſcit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore: verè enim dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel & fauũ ori meo.Nónne tibi ſubiecta erit anima mea? immò iuraui,&
Ibidem. ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ,& cuſtodiam legem tuam ſemper,in ſæculum,& in ſæculũ ſæculi.Tu enim Rex potentißimus,ſapientißimus,liberalißimus,benignißimus, iuſtißimus, pulcerrimus,ineffabilis,& totus deſiderabilis.

Liceat ergo mihi,cum veniâ infinitæ benignitatis tuæ deſiderare te in nocte hâc N.miſeriarum mearum,te lucẽ veram, ad quam in vmbrâ mortis poſitus anhelo.Suſpiro ad te potentißimum infirmus,ſapientißimum ſtultus,& tardus corde ad credendum in omibus quæ ſcripta ſunt,& quæ dicta ſunt mibi,pau-

hi, pauper ad liberaliſſimum. Et cur anhelo & ſuſpiro? vt te amem. hoc vnum peto, te vnum quæro, vt ſequar te per infamiam & bonam famam, per inopiam & abundantiam, ſiue in vitam ſiue in mortem: ſequar per gratiam tuam, quocunque ieris in æternum. Ecce coràm te proteſtor ex intimo affectu. Nolo conformari vltra huic ſæculo nequam, ſed probare, quæ ſit voluntas tua bona, & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam tuam quæ data eſt mihi, nolo alteri Domino ſeruire, concupiſcentiæ carnis, oculorum, aut ſuperbiæ vitæ, ſed tibi, amantiſſime Jesv, *Rex regum, & Dominus dominantium, tibi vni placere in iuſtitiâ & ſanctitate: ſcio enim, ſi hominibus placerem, tuus ſeruus eſſe non poſſum.* Proteſtatio. Actus zeli. Galat. 1.

O vtinam omnes ad te exemplo bono & virtute adducere poſſem, à tenebris ad lucem, ab errore ad viam, à mendacio ad veritatem! cupio impendi, & ſuper impendi pro gloriâ tuâ, pro ſalute proximorum meorum, vt cognoſcant, & diligant, & ſciant, quia Dominus meus Jesvs *ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter te, Redemptor mi. Adiutor ergo meus eſto, & ne derelinquas me, neque deſpicias me vnquam, Deus ſalutaris meus: in te enim ſolo Domine, & ſperaui, & non confundar in æternum; in te ſalutare meum, & gloria; Deus auxilium & ſpes mea in te eſt, quia pater meus & mater mea dereliquerunt me, tu autem, Domine, ſpero, aſſumpſiſti me: in te confirmatus ſum ex vtero matris meæ, tu es protector meus: diligã ergo te, Domine, fortitudo mea, ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ mente meâ, & ex totis viribus meis, quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? abſorbeat me, dulciſſime* Iesv, *immenſa & melliflua vis amoris, vt amore amoris tui moriar, qui amore mei dignatus es mori. Amen.* 2. Cor. 12. Pſal. 10. Pſal. 26. Actus amoris. Pſal. 72.

Praxis exercendi ſeſe circa perfectiones diuinas.

PRIMA. Exercitium fidei, ſpei, charitatis, de quo pluribus actum eſt ſuprà. Hæ enim Theologales virtutes diuinæ bonitati animam vniunt.

Secunda,

Communicatio cum Deo Secunda. Communicatio cum Deo, quâ homo ex creatis aſcendit ad Deum, & ex eorum perfectione in diuinarum perfectionum admirationem rapitur & amorem.

Intentio recta. Tertia. Pura intentio in omnibus actionibus, quoad fieri poteſt.

Reſigatio. Quarta. Reſignatio, quâ quis ſua, & voluntatem maximè, diuinæ voluntati dedicat atque conſecrat, & in omnibus conformat.

Quinta. Oratio affectiua; quæ ab aliis Recollectio appellatur. Quæ breuiter hic perſtringo, eò quòd infrà pluribus de iiſdem tractandum ſit, cùm de contemplatione agemus.

Dignatus es, vt ſup. pag. 10.

IACVLATORIÆ.

Pſal. 41. *Qvemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Ibidem. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?*

Pſal 26. *Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram.*

Pſal. 62. *Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea.*

Pſal. 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in ciuitate Dei noſtri, in monte ſancto eius.*

Pſal. 88. *Quis in nubibus æquabitur Domino, ſimilis erit Deo in filiis Dei?*

Pſal. 444. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non eſt finis.*

VIGE-

VIGESIMÆOCTAVÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

In omni oratione & obſecratione, cum gratiarum actione petitiones tuæ innoteſcant apud Deum: quia ſine ipſo nihil potes.

FRuſtrà hæc omnia expendiſti, niſi Deus adſit. Pete igitur virtutem per *A* paſſionem Chriſti, & *B* peccatum deteſtare, atque iterum hic in fine orationis ſeu meditationis ſtatu præuiſis *C* occaſionibus virtutem, ad quã te in Meditatione excitaſti, exerce. *D* Obſecra Deum pro illâ virtute impetrandâ, *E* Sanctos quoque roga, vt pro te Deum deprecentur. precare ardenter, velut *F* moriturus, aut in ſummis periculis poſitus. Ora etiam pro *G* fide, *H* ſpe, *I* charitate, *K* humilitate. *L* liberalitate, *M* caſtitate, *N* ſobrietate, *O* manſuetudine, *P* diligentiâ. Demùm charitatis memor, ora pro totâ *Q* Eccleſiâ, *R* parentibus & Superioribus, *S* ſubditis ac tibi commiſſis, vti Dauíd, *T* benefactoribus, *V* inimicis, W peccatoribus conuertendis & *X* animabus purgandis.

CAPVT

CAPVT L.

De Petitione.

Quomodo vtendum petitione.

QVAMVIS tot ac tanta habeamus, ô Lector, adminicula ad intellectum illuminandum, & voluntatem accendendã, tamen parùm proderit quidquid eiuſmodi eſt, niſi adſpiret Dei gratia: & hærebit, vt ſic loquar, nauis animæ noſtræ miſerrima malacia & tædio: ſi verò Spiritus Domini ſpiret, & nos gratiæ cooperemur, lætiſſimum celeuſma canentes in portum prouehemur æternum. Quid verò faceret nauta inſtructiſſimam habens nauim vento nullo ſpirante? nónne ſibi diffiſus rogaret eum qui producit ventos de theſauris ſuis? Hunc ergo frequenti petitione & obſecratione pro nobis & aliis orantes imitemur, Deo adſpirante, forma hæc forſitan vſui tibi eſſe poterit, ſi propria deſint.

Exercitium Petitionis.

Eſdr. I.

QVÆSO Domine Deus fortis, magne atq; terribilis, qui cuſtodis pactum & miſericordiam tuam, cum his qui te diligunt, & cuſtodiunt mandata & conſilia tua N. Fiant aures tuæ auſcultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem ſerui tui hodie, quia tempus miſerendi, quia venit tempus; & ignoro quando veniet nox. Audi ergò, obſecro orationem ſerui tui, quã ego oro corã te hodie, vt poßim facere voluntatem tuã, & inſpirationes ſanctas fideliter exequi: niſi enim dignata fuerit maieſtas tua reſpicere me benignis miſericordiæ ſuæ oculis, vanus eſt labor meus, & meditatio mea. Obſecro ergo, Domine, ſit auris tua attendens ad orationem ſerui tui, & da mihi virtutes animæ meæ neceſſarias, fidem viuam; ſpem firmam, charitatẽ perfectam, da cor humile & contritum, vt tibi placeam; largum & liberale, vt te imiter; caſtum & purum, vt in eo conquieſcas hodie, in eo tibi complaceas, in eo tibi eſſe deliciæ ſint, & ſi non ſit locus in diuerſorio, ſit ſaltem in ſtabulo hoc & præſepio, vt pro infinitâ charitate tuâ; aliquando me recipias in æterna tabernacula tua,

Applicatio ad Communionem.

la tua, & abſcondas me in abſcondito faciei tuæ à contradictione linguarum, in die illâ tremendâ da mihi cor dulce, vt te amem; ſobrium vt te guſtem; manſuetum, vt diſcipulus tuus appaream; ſtudioſum & ſtrenuum, cùm promiſeris mihi quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcẽderunt, quæ præparaſti diligentibus te. & maximè quia dediſti te mihi toties bone IESV, *hodieq́; mihi dabis, vt vitam habeam, & abundantius habeam, vt moriar in te & viuam tibi.* 1. Cor. 2.

O Pater æterne, Domine Deus virtutum conuertere, reſpice de cælo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua, & ſuper filium hominis, quem confirmaſti tibi: commoueant paternæ viſcera tua pericula noſtra Deus meus, Deus totius conſolationis, & reminiſcere miſerationum tuarum, quæ à ſæculo ſunt: tu qui verbo vno potes omnia, & dediſti nobis vnigenitum Filium tuum, quomodo non omnia nobis cùm illo donabis? Exaudi, Domine orationem ſerui tui. & preces eius, propter temetipſum, propter gloriã nominis tui libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris, ne des nos in opprobrium propter nomen tuũ, neque facias nobis contumeliã ſolij gloriæ tuæ. tu enim dixiſti, Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Pſalm. 79. Pſalm. 24. Obſecratio. Dan. 9. Pſalm. 78. Pſalm. 49.

Venio igitur ad thronũ miſericordiæ tuæ, & quomodo repulſã pati potero; cùm & ſanguis dilectiſſimi filii tui clamet pro me de terrâ, nõ vindictam, ſed pietatem? meritus ille fuit, vt non deſpicias demerita mea: ille pro me poſtulauit cum lacrymis, & exauditus eſt pro reuerentiã ſuâ, etiam pro me minimo ſeruulorum ſuorum. ſi manus meæ plenæ ſint ſanguine peccatorum, reſpice, quæſo, ad manus illas, in quibus me ſcribere dignatus eſt; reſpice cor eius ſacratiſſimum, & inueniet Maieſtas tua memoriam mei, & amorem & benignitatem erga me. Promiſit ille, Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; benignitatis tuæ eſt annuere, ô Veritas æterna, quod petimus in nomine vnigeniti Filii. Reſpice, quæſo, in faciem illius, & ad ſacrificium eius, quod deſpicere non potes: reſpice ad preces Sanctorum tuorum, Beatiſſimæ Matris Filii tui, & Patronorum meorum. Scio, Domine, Hebr. 5. Ioan. 14. Obſecratio per Sanctos.

ſcio quia de ſe iam ſecuri, de nobis ſolliciti ſunt: ipſi in portu, nos in mari naufrago: attende charitatem, quâ te complexi fuerunt & ſanguinem ſuum fuderunt pro te. Monſtra apud

Oratio pro aliis. *filium, ô Beatiſſima Virgo, nunc te eſſe matrē matrem gratiæ, matrem miſericordiæ; neque mihi tantummodo, ſed Eccleſiæ afflictæ, parentibus, & ſuperioribus meis, vt ſecundùm voluntatē filij tui omnia ſincerè dirigant; ſubditis, vt feruenter ſeruiant tibi; benefactoribus, vt pro temporalibus æterna conſequantur; aduerſariis meis, vt in æternum Deo meo viuo & vero, & mihi charitate verâ coniungantur; peccatoribus, eheu! vt tandē oculos ſuos conuertant ad ſolē iuſtitiæ; denique animabus, vt ad ſperatos amplexus citò veniant, & te videant cū Filio regnantē, & benedicant in ſæcula ſæculorū. Amen.*

Praxis ad petitionem in oratione exercendam.

1. *Tim.* 12. VARII orandi modi hîc traduntur, quos S. Paulus 1. ad Timoth. 2. commendat dicens: Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarū actiones pro omnibus hominibus: hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Quid ſit oratio. Primus modus eſt oratio, quâ mentem eleuamus ad Deū, vt eum laudemus & glorificemus, vt Sancti in cælo perpetuò faciunt. Decet enim ſic orationem inchoare, & ob id eam maximè iuſtituere, Deumque exaltare magnaliaque eius commemorare, ac quaſi litaniam facere ex eius perfectionibus, & ab vna in cęteras debita cū mora tranſire, laudando eum, vt ſummè potentem, ſapientem, bonum, ſanctum, liberalem, longanimem, fortem, prudentem; item propter officia quæ erga creaturas præſtare ſolet. Eſt enim creator, conſeruator, protector, gubernator, magiſter, pater, medicus, ſeruator, glorificator earum. Sed de hoc modo actum ſuperiori capite.

Pſal. 103. Idem modus poteſt exerceri, percenſendo virtutes & excellentias Chriſti Domini noſtri, in conſpectu eius; quas in Incarnatione, Natiuitate, cæteriſque myſteriis monſtrauit, dicendo: Gaudeo vehementer, dulciſſime IESV, ob immenſam charitatē tuam, & humilitatem, quâ de ſinu Patris dignatus es in vterum Virginis deſcendere propter nos homines & ſalutem noſtram, &c. Similiter poteſt quis potentias ſingulas animæ ſuæ prouocare in laudem Dei, cum Prophetâ dicente: Benedic anima mea Domino, & omnia

quæ

quæ intra me ſunt,nomini ſancto eius:vel omnium creaturarum nomine eius laudes velut linguâ earum celebrare, eodem,quo pueri in camino Babylonis.Benedicite omnia opera Domini Domino, huc etiam pertinet diſcurrere per Angelorum choros,& Sanctorum ordines,eoſque ad Dei laudem inuitare. *Dan.3.*

Secundus modus eſt,per gratiarum actionem, qui modus & affectus ſępiſſimè in oratione,& per diem vſurpandus, de quo pluribus ſupra dictum. *Gratiarū actio.*

Tertius modus eſt,per petitiones,quibus mala deprecamur,& bona nobis petimus,virtutes & gratiam Dei,deuotionem.Fit autem petitio hæc,mala & plagas, vt mendici faciunt,Domino noſtro oſtendendo, & deſideriis ardentibus eius auxiliū implorando.Secundò,per inſinuationem, cùm perpaucis neceſſitatem noſtram & deſiderium exponimus, atque eo ſuſpenſi ſtamus coram Domino velut catelli comedentes de micis quæ cadunt de mensâ domini ſui,& ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ: in oculi noſtri ſint ad Dominum Deum noſtrum,donec miſereatur noſtri.Sic petebat ille dicens, Domine, ſi vis, potes me mundare:ſic & Martha,Domine,ſi fuiſſes hic,frater meus nō fuiſſet mortuus,fitque ex reuerentiâ magnâ,vel magnâ fiduciâ,vt cùm ſorores dicerent IESV, Ecce quem amas, infirmatur. *Petitio. Vide P. Lud.de Puente tr. 1.de orat. cap.1. Matth. 8. Ioan.11.*

Quartus modus eſt,explicitè petere à miſeriis liberari,& virtutes obtinere cū obſecratione, quæ eſt ſimilis cuidam adiurationi, offerendo varias rationes. Prima eſt propter Deum ipſum:ſic Dauid orabat dicens:Propter nomen tuū propitiaberis peccato meo: multum eſt enim. id eſt, quia decet magnitudinem & bonitatem tuam,& ne hoſtes illudant tibi,vel iis qui confidunt in te,quaſi non adiuues, & fruſtrà tibi ſeruiatur.Item quia eſt pater & protector,&c. Secunda ratio, ſeu titulus obſecrandi eſt, per Chriſtum Dominum:merita enim illius allegare poſſumus, vitam, paſſionem,& mortem eius,promiſſa illi facta, quòd hoc ad gloriā eius ſpectet. Tertia ratio obſecrandi eſt, offerre Domino merita Sanctorum, & maximè D. Virginis & matris vnigeniti filii eius. *Obſecrati Pſal.24.*

Notandum verò Primo,quòd Granatenſis admonet,expedire in petitione varias poſtulare virtutes,& remedia defectuū noſtrorū; hoc enim modo renouari ſaltē propoſita, & plurimùm ſpiritū promoueri.Ideò hic virtutes,quę vitiis capitalibus opponuntur appoſitę ſunt,vna cū fide & ſpe. *Plurimæ virtutes petendæ.*

Neque tantùm pro ſe quis obſecrare debet; ſed ex charitate pro Eccleſia,Superioribus,benefactoribus,aduerſa- *Proquibus orandum.*

riis, peccatoribus & animabus defunctis, quos omnes in Chriſti crucifixi membris collocare poſſumus: Eccleſiam eius ſponſam in corde, Superiores in capite, ſubditos in ſiniſtrâ, benefactores in dextrâ, aduerſarios in genibus, peccatores in pede ſiniſtro, animas purgandas in dextro.

Notandũ Secundò, ſeptem Horas canonicas his ſeptẽ ordinibus hominũ, pro quibus orandũ eſt, poſſe applicari.

Notandum Tertiò, ad attentionem conciliandam etiã fore vtile diſcrimina illa, quæ corporaliter hîc videre licet expreſſa, ſpiritualiter cõcipere, atque hoc pacto ſtimulos nobis addere, ad feruorem in oratione aliiſque pietatis exercitiis.

Dignatus es, vt ſupr. pag. 10.

CAPVT LI.

De affectibus Orationis in genere.

NOTA diligenter animam noſtram ſolâ voluntate bona mereri, ſola illa ſancta verè Deo placere. Attende igitur in omni Meditatione & piâ conſideratione nullum meritum eſſe, & parum vtilitatis, niſi voluntatis actus & affectus ſimul exerceantur. Pluris certè vnus voluntatis actus eſt apud Deum, quàm ſcientia totius orbis terrarum. Quid enim prodeſt homini, ſi cum nouerit, immò lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? Hæc adfero vt in omni Oratione affectibus maximè inſiſtas, & ante omnia amori. Inſiſtere autem affectui potes, ductum Spiritus ſancti ſequendo, quoties ille ſpirat in animâ tuâ. Quando verò non ſpirat, vela, vt ſic loquar, piarum cogitationum pande, & vel iaculatoriis his vtere, aut prolixiori affectu te exerce. Aduerte igitur præcipuum fructum in affectu poſitum eſſe, vnus enim charitatis actus vel contritionis Filium Dei & beatum facit. Hos itaque familiares habe, neque tamen alios neglige. Cauendum autem tibi, ne ſicut picæ de vno in alterum affectum tranſilias, ſed altè imbibas oportet vnum aliquem, maximè charitatis, humilitatis, patientiæ, &c. Inter affectus numerare etiam poteris Dei præſentiam, quam in omni Oratione, maximè tamen initio viuificare oportet, idque eò faciliùs,

Matth. 16.

Affectibus maximè inſiſtendũ.

Quomodo affectibus vtendum.

Non eſt de vno in aliũ leuiter tranſeundũ affectibus etiam adiice Dei præſentiã.

faciliùs, quòd anima iuſti templum ſit Dei, & ſedes Sapientiæ. Itaque cum Prophetâ dic: Tu autem in nobis es Domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos Domine Deus noſter. vel cum Pſalte: Adhæreat lingua mea faucibus meis ſi non meminero tui. vel illud verſa: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi. vel illud: In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus. Quemadmodum autem affectus alii augeri poſſunt, ita & hîc; verbi gratia: 1. Affirmatione cum fide viuâ, 2. Reprehẽſione ſui & contritione. 3. Interrogatione cũ motiuo aliquo è primâ hebdomadâ: atque ita vides hos tres actus ad illam ſeu viam purgatiuam pertinere. Pro illuminatiuâ pete affectum N. vel virtutem à Deo, & diffide tibi. 2. Obſecra Deum, & per Sanctos eum roga, eoſque imitari propone. 3. Propoſitum firma magno affectu, & ad particularia deſcende. Pro Vnitiuâ admirationem 1. Excita ſimul & amorem, ex quo 2. progredere ad perfectam reſignationem, quâ virtutis obex tollitur. 3. Intentione purâ ex ſincero amore affectum in Deum conuerte.

Anima iuſtè eſt Dei templum. *Ierem.* 14. *Iaculatoriæ pro Dei præſentia.* *Pſal.* 136. *Matth.* 28. *Actor.* 17. *Quomodo affectus augeri poſſint.*

Iaculatoriæ pro Dei præſentiâ.

VEré Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Gen. 28.

Si in te viuo, moueor, & ſum, quomodo eheu obliuiſci potero tui, & in medio ignis charitatis tuæ non æſtuare? Actor. 17

Quid faciam tibi, ô Iudex ſupreme; quid in iudicio ad hac reſpondebo tibi? Iob. 31.

Pro illuminatiuâ dic: *Oſtende mihi faciem tuam & ſaluus ero, adimplebis enim me lætitia cum vultu tuo.* Pſal. 79.

Obſecro te, qui cælum & terram imples, per amorem tuum, da vt numquam cogitatione, verbo aut opere recedam à te. Ierem. 25

Prouidebo Dominum in conſpectu meo ſemper N. quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Pſal. 13. Pſal. 8

Pro vnitiuâ. *O Domine, quis tu es, & quid eſt homo obliuioſus quòd memor es eius? adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui.* Pſal. 136.

Ecce ſto coram te hodie, & paratum tibi cor meum. Pſal. 56.

Pſalm.72. *Quid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram, qui vbique es, & vnus omnia mihi es?*

Adorãdus Deus humillimè. Iob.26. Nota, poſt memoriam præſentiæ Dei, vt minimùm diuinam eius Maieſtatem adorandam, maximè fidei, ſpei, & charitatis actibus, ſummaq; humilitate, ad quam Maieſtas & magnitudo illius, & vilitas & nihilum noſtrum excitare nos poteſt. Quid enim faciet vermis & non homo, coram illo, coram quo tremunt Poteſtates, & columnæ cæli contremiſcunt? Dilatari hic affectus adorationis poſſet, ſicut ille de præſentiâ Dei, præſertim Regio Pſalte ſpiritu Domini modulante, & ſuppeditante tam dulcia de hac re carmina & eloquia Scripturarum.

Actus viuæ fidei. Poſt hunc affectum Adorationis actus viuæ fidei exercendus eſt, vt & conſideratio viua ſit, & illius boni fructus colligantur. Cæteri affectus Compaſſionis, Contritionis, Imitationis, Gratitudinis, Admirationis, Gaudii, Spei, Amoris & Reſignationis pro re natâ excitari debent, iiſque ſe anima quaſi immergere, & impinguari in oleo deuotionis. Habent tamen affectus hi aliquem ordinem, reſpondentque diuerſis viis, verbi gratia, Viæ purgatiuæ, affectus Timoris, Contritionis, Deteſtationis peccati & fiduciæ: Viæ autem Illuminatiuæ, affectus Imitationis, Lætitiæ, Gratitudinis, Compaſſionis: Unitiuæ, affectus Admirationis, Dilectionis, & ex affectu Amoris vnitiui puriſſimę & Deificæ intentionis.

Obſerua autem ex Amore Dei ad amorẽ proximi deſcendendum eſſe, & ſæpè hunc exercendum. Imò vehementer expedit præcipuarum virtutum affectus in animo ſuo dilataſſe, vt ſi quando illarum occaſio occurrat, faciliùs exerceri poſſint & radicari: præcipuæ autem virtutes ſunt Dei præſentia, humilitas, paupertas, patientia, pura intentio, & contemptus rerum humanarum, qui ſicut & patientia, ſummam perfectionis continet iuxta illud dictum, Suſtine & abſtine. & Spi-

Iacob.1.

ritus

ritus Sancti pronunciatum: Patientia opus perfectum habet,quâ ſolâ poſſidere poſſumus animas noſtras. Verum cùm virtutes præcipuæ alias ferè omnes complectantur, hîc infrà habes earum breue exercitium, quoties in meditatione aliquod eius motiuum occurrit.illud etiam vſui eſſe queat,vt altius illius virtutis affectus in animo radicetur. Si longius deſideres, id ex ipſarum loco proprio petendum erit.

CAPVT LII.

De affectu viuæ Fidei & modo eũ exercendi.

HIC quanti ſit, apparet, cùm ſit ſubſtantia rerum credendarum argumentum non apparentium. *Hebr.* 11.
Continet hoc 1.pium affectum erga Deum, & æternam veritatem,quo quis ei vbique præſenti, corde aſſentitur,& adhæret,eumque adorat.

2. Humilitatem,qua reiectis argumentis contrariis captiuamus intellectum, in obſequium Chriſti & 2.*Cor.* 11.
Dei,non tantùm in vno,ſed in omnibus quæ credenda ſunt.

3. Conſtantiam, quâ etſi blandiatur mundus, aut *Vti Martyres fecerunt.*
premat,nos toto corde veritati adhæremus iis, quæ præcepti,& conſilii nobis ab optimo Domino noſtro proponitur.

4. Argumenta probabilitatis valdè iuuat expendere,cùm ad hoc ſignatum ſit ſuper nos lumen vultus Domini noſtri.

5. Nota vtiliſſimum eſſe in omni oratione fidem viuificare, & iuxta illam operari, & ſancta concipere deſideria.

Exercitium Fidei breuius.

CREDO *tibi,ô veritas,ô bonitas, & hîc,& vbique mihi* Rom. 15.
præſentiſſima,& hæc,& quæcumque ſcripta,facta & à te dicta ſunt, ad meam eſſe inſtructionẽ, & certiſſima eſſe profiteor coram curiâ tuâ,neque eſſe quod excuſem,niſi credã illa,& opere id oſtendam per gratiam tuam. Tu potentiſſimus, Iacob. 2.

mus,& ſapientiſſimus,& optimus, & ego non credam tibi? & hæc teſtimonia voluntatis tuæ non amplectar? verè credibilia mihi,& amabilia facta ſunt nimis. Siue rationem N. & Sapientes N. ſiue rerum naturam inſpiciam, & audiam. Vtinam te audiſſem ſemper, ô omne bonum, & numquã te offendiſſem. Vtinam vita mea te honoraſſem,& ex patientiâ meâ oſtendiſſem fidem meam. verùm ex nunc in æternũ credam, & diligã te opere, & veritate N. Fac de me quod tibi viſũ in æternum, & ego gratiâ tuâ quã ſciuero voluntatem tuam faciã ex intimo tui amore,& quæcumque reuelaſti pro ſalute meâ amplectar,& omnes voluntates tuas ô vita mea, & omne bonum. Amen.

Dei mandata credibilia.

Contritio

Reſignatio.

Exercitium viuæ Fidei initio Orationis & quoties eius occaſio in Meditatione occurrit.

VERANE *ſunt hæc N. veranę Deus meus te eſſe hic & vbique adeſſe mihi?& hæc N. ita ſe habere coram te, & ſic bis inuitari me abs te,vt ſeruiam tibi,& amem te! an ita afficior ac ſi veræ eſſent,& ideò omnia creata deſpicio,& te vnum amo?& mandata ac conſilia tua? O vtinam! an ita loquor ibi & ibi N. an ita operor hic & nunc? ſcio tamen eheu miſer, vera & certa magis quàm eſſe me,& viuere, & hæc pertinere ad æternitatem,& ob amorem maieſtatis tuæ ob quæ viuo,& ſpero, quem totâ mente concupiſco.*

Fidei beatitudo

Mirabilia quidem opera & iudicia tua Domine,ſed vera, & iuſtificata in ſemetipſa,& teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis ſapienti,& timenti te; vir enim inſipiens nõ cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc; nimis enim profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. captiuo itaque intellectum meum in obſequium fidei,vt hoc N. credam,& amanter credam, quamuis fortè non videam,neque intelligã, fides enim eſt credere quod non vides,neque habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentũ;credo itaque hoc quia tu Deus ſapientia æterna,infallibilis veritas,ſic dicis. ſic ſuades, credo vti & omnia myſteria vitæ tuæ,& quæ cuique per Eccleſiam propoſita

Pſal. 18. Mirabilia ſunt Dei opera,ſed tamen credibilia

Quid ſit fides.

ſita ſunt: omnes enim viæ tuo veritas ô Deus meus & omne bonū meū, imò tu mihi eſſe dignaris via & veritas, & vita. Itaque propter te, & ex amore tuo, & reuerentiâ, quā debeo tibi ô veritas, quæ dignata es reuelare, & vbique eſſe te, & hæc N. vera eſſe, ita firmiter hoc N. & alia credo coram te, & curiâ tuâ, vt quamuis Angelus de cælo aliud euāgelizaret te, anathema foret mihi propter te ô veritas, ô charitas Deus meus. Iam verò ſi omnes mundi ſapientes in hoc N. vel aliis aliter ſentirent, magis anathema mihi forent. Actus fidei. Fortitudo fidei. Galat 1.

Verùm ſi rectè iudicemus, teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis, tu enim omnipotens, & ſummè ſapiens, & ſummè bonus, quid ergo non credibile eſt verè timenti, & amanti? verùm non ſæculi filiis quorum ſapientia animalis, & diabolica, & ſtultitia apud te eſt. Quamuis ergo contrarium iudicaret mens mea, imò & ſi viderem oculis meis, & manibus palpare viderer, attamen crederem tibi; illudere equidem ſenſibus meis poteſt faſcinatio creaturæ, tu fallere nō vis, neque potes ô infinita bonitas. imò etſi id quod credo videre poſſem v g. in venerabili Sacramento, nollem cum Diuo Ludouico: certior enim fides, quàm fallax oculus meus, & experientia mea. Denique ſi pro hâc veritate de tui amore cum martyribus ſupplicia infamia, exilium, mors toleranda forent, en paratum cor meum Deus, paratum cor meum, vt millies potiùs quàm te ô veritas, negando, vel dubitando inhonorem, & quaſi mendacii arguam: dignare obſecro Domine per fidem habitare in corde meo, & per charitatem in eo manſionem facere, vt quod nunc video per ſpeculum in ænigmate, aliquando videam clarè facie ad faciem. O quando hoc erit! quando veniam & apparebo ante faciem tuam! Cur credibilia miſteria fidei. Iacobi 3. Fidei firmitas. Affectus martyrii. Epheſ. 3. 1. Cor. 13

O quando tolles, ô lux mea, ô veritas, ô amantiſsime IESV, *velamen de oculis meis, & illuminabis me lux vera, vt videam vana hæc omnia, & mandata tua vera, & vtiliſsima cognoſcam! ô quantum tunc mirabor incredulitatem meam! adiuua nunc precor illam, & adauge mihi fidem. omnia enim poſsibilia ſunt credenti, imò & facilia; quid enim formidat in hoc mundo qui æterna timet & credit ſupplicia? quid* Adſpiratio. Marci 9. Credenti omnia poſſibilia

 ſperat

ſperat, qui gaudia ſempiterna, & annos æternos in mente habet? ambulat ſimpliciter corã te, & confidenter; quia credit in te, & quamuis mortuus foret operibus malis, viuet, & iterum inſiſtet firmæ petræ, tibi amantiſsime IESV, *neque aduerſis ſpe præmiorũ, neque ſecundis timore gehennæ commouebitur. Inſiſtet etiam columnæ, & firmamento veritatis Eccleſiæ tuæ.*

Huic qui non credit, & in hoc N. vel illo N. Eccleſiæ tuæ nõ adhæret verâ fide, certè cæcus &, eſt ſicut ethnicus & Publicanus. Illa enim eſt ciuitas ſupra montem poſita, & velut Eccleſiæ credendũ *Pharos in naufrago mari. Nemo eam ignorare poteſt, niſi cæ-* Matth. 19 *cus, & in tenebris palpans hæreſeos, aut impietatis. Ego verò per gratiam tuam credo firmiſsimè pro amore & reuerentiâ, quam tibi debeo, & cæcus te ducem, & in tenebris te lucẽ, &* Fides de Deo vno. *toto corde ſequor, & te amo Credo quidquid de te Deus meus reuelaſti, qui vbique es, & omne bonũ mihi es, & per manda-* Pſal. 118. *ta tua illud mihi tribuere vis, ideò dilexi ea ſuper aurum & topaſion.*

Fides de Deo trino *Credo tibi, ô Fili Dei, amor noſter, quidquid de te Patre, & Spiritu ſancto reuelare dignatus es. credo iis, quæ per Scripturã locutus es, profiteor corã te, ô Mater pulcræ dilectionis, & veritatis, & coram vobis Angeli Dei mei, & omnes Sancti, corã te Rex regum, qui es mihi via, veritas & vita, & amor, & omne bonum meum. O vtinam hæc ſincerè apprehenderẽ,* Viuæ fidei vis. *& ſemper viuè crediſſem tibi, quo ſtudio operatus fuiſſem ſalutem meam! qui viuerem dum æternitas impendet capiti* Æternitatis conſideratio. *meo, & ſubter me hiat æternitas, æternitas infeliciſsima. Duplici æternitate vallaſti me, in alterutram eundum, an ſic ago, cogito, loquor tamquam ſi ceruici hæc impenderent meæ, velut gladius anceps? an in æternitate, in morte hîc mihi ſenſus* Effectus fidei mortuæ. *erit de hoc & illo ſicuti modò eſt? vbi es fides mea ſi non viuis? an crendenti vlla difficilia, pœnitentiæ labor, dolor imò &* Lucæ 17. *tormenta? an credit quis te eſſe vbique, & ita nos amare, & nõ liqueſcit amore? an credit te eſſe Iudicẽ, & adeſſe, & hæc, &* Applicatio ad Communionem. *illa N. ſic commendare & mandare & nõ timet? adauge ergo mihi fidem in omnibus, & maximè de dulciſsimâ veritate, & ſuauiſsimâ charitate tuâ, quâ verè te præſentem in Venerabili Euchariſtiâ, iſtis, mirabili quidem modo, ſed ſuprà modum cre-*

credibili. Eſt enim memoriale mirabilium tuorum, eſt potentia & bonitatis tuæ monumentum, quo charitas tua in ipſo fonte degu ſtatur, & vallis hæc lacrymarum tolerabilior ſit viatori, quem iſte panis confirmat, & vinum iſtud lætificat. Adauge ergo mihi fidem, nam ſine fide impoßibile eſt tibi placere, & id vnum ſuſpiro, vt ſcis, & peto, & obſecro, vt tibi complaceat in me, & ſit hoc ſacrificium meum cordis mei, & intellectus mei, ſicut dies ſæculi, & anni antiqui. Da mihi fidem, & adauge illam, vt exiſtimem omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam tuam IESV *Chriſte, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt te lucrifaciam, & inueniar in te non habens iuſtitiã, quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt, ô Chriſte* IESV. *Vtinam confiteri te, & fidem tuam poſſem, & hanc veritatem N. ore, & factis ipſis coram omnibus hominibus, & Regibus. Vtinã pro tot hæreticis & blaſphemis & impiis tibi benediceret mecum omnis creatura, & fide humillimâ omnis ſpiritus laudaret te Domine* IESV, *& obmuteſcerent ora loquentium iniqua.*

Quid ſit Euchariſtia.

Malach. 2

Philip. 3.

Martyrii deſideriũ

Ah vtinam ego reſarciam tunicam tuam, quam Arius & eius ſimiles gladio linguæ proſcindunt! Vtinam pro iis, qui te oderunt, ô veritas, ego te, ſicut toto corde deſidero, te impenſiùs amarem, vt ſcuto circumdaret me veritas tua, & ſub vmbrâ alarum tuarum protegeres me, &, quod vnũ peto, perfectè te noſcerem, & amarẽ, & adhærerem tibi, & vnius ſpiritus eſſem tecum in æternum! Deſiderium hoc pauperis exaudi Domine, & præparationem cordis mei audiat auris tua. Amen.

Actus zeli.

Hebr. 10.

IACVLATORIÆ.

CVm ſine fide impoſſibile ſit placere tibi, adauge hic N. mihi fidem. Iudicia enim tua verè iuſtificata in ſemetipſa. Hebr. 11. Lucæ 17.

Heu mihi, ô veritas, ô bonitas, vt quid dilexi vanitatem, & quæſiui mendacium, credo & in hac fide viuere & mori cupio. Pſalm. 4. Ioan. 9.

Quid faciam cùm tu Domine ad iudicandum veneris, & feciſſe nunc vellem? Iob. 31.

Sentite ait ille, de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum, quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum: appare igitur mihi viua ſpes, & tota fiducia mea. Sap. 1.

Obſecro te, ô IESV, *per charitatem tuam, da mihi fidem vt granum* Matth. 17

num ſinapis, vt glorificem te Patrem meum, ſicut illi Sancti tui Martyres & Thaumaturgi.

Marc.9. *Si omnia poſſibilia ſunt credenti, credo Domine hæc N. gra-*
Jacob.2. *tiâ tuâ, & ſic ex operibus per gratiā tuā cupio oſtēdere fidē meā.*
Sap.3. *O quanti eſt apud te Domine, meritò vera & viua fides: da mihi fidei donum electum, & ſortem in templo tuo acceptiſſimā.*
Luc.17. *O quando audiam fides tua te ſaluum fecit; quando & tibi*
Ioan 3. *plenè reſignatum erit cor meum, vt credens in te habeam vitam*
Galat.5. *æternam!*

Domine Ieſu Chriſte Paulus tuus ait: Neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides quæ per charitatem operatur. Credo igitur, & amo toto corde, & adhæreo tibi ô æterna veritas, tota anima mea.

CAPVT LIII.

De affectu Admirationis & modo eū exercēdi.

1. EXCITARI hic ſolet ex conſideratione perfectionum diuinarum, & myſteriorum Fidei.

Secundò ex conſideratione peccati, miſeriæ & vanitatis humanæ. Hæc enim duo, dum ſibi oppoſita conſiderantur, velut abyſſum abyſſus inuocat.

Tertiò Creaturarum liber magnam materiam admirationi præbet.

Quartò beneficiorum Dei copia erga nos, & maximè
3 Reg.10. Paſſionis Chriſti Domini; ſi enim Regina Saba videns ſapientiam Salomonis, non habebat vltrà ſpiritum, quid faciat anima quę videt vitam pro ſe morientem? nota autem omninò conuenire, vt ex vnà admirationis cauſa oblata, ingrediatur anima in potentias Domini, & progrediatur ad alia admirabilia eius.

Exercitium breuius Admirationis.

Pſal.112. QVIS *ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terrâ! O quāta Maieſtas! ô quanta bonitas, quanta potentia! O quanta benignitas erga me, qui verè ſū vermis & nō homo, & vapor & nihil. Quicquid video vel audio magnificentiam ſanctitatis tuæ loquitur mihi, & narrat mirabilia tua. Verè exclamat Apoſtolus Deum diuitē in miſericordia, & nimiæ charitatis, qui cùm eſſemus*

mus mortui peccatis, viuificauit nos in Chriſto, vt oſtenderet ſaculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ in bonitate ſuper nos in Chriſto IESV. *Verè, verè apparet benignitas infinita & in iis pondus, numerus, & menſura, & humanitas tua, Saluator mi, & nota tibi egeſtas mea, medico animæ meæ infirmitas mea. Sufficit vt noueris. An enim amas & deſeres! exaltare ſuper cælos Deus meus, & ſuper omnem terram gloria tua. Confitebor tibi, Domine, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis; cōſideraui enim ea & expaui, ſed ſuper omnia ſupereminentem charitatem tuam, propter quam diligo te ſuper omnia, & in æternitate diligam te quando eris mihi omnia in omnibus. Amen.* Pſal. 59. Pſal. 138. Abac. 1.

Exercitium Affectus Admirationis.

MIRABILIA *iudicia tua Domine, ideò ſcrutata eſt ea anima mea. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. Magnus enim es Domine, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non eſt finis. Generatio, & generatio laudabit opera tua, & potentiā tuam pronunciabunt, magnificentiam gloriæ ſanctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt, & virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt, memoriā abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt, & iuſtitiâ tuâ exultabunt. O Domine Deus meus verè magnificus es vehemēter. quid ergo ego puſillus puluis, & cinis in Oceano iſto bonitatis tuæ ingrediárne & introibo in potentias tuas? Nónne ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloriâ? Verumtamen ego in humilitate, & ſinceritate cordis mei conſiderabo mirabilia de lege tuâ. Quàm enim bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde! quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Pſal. 144. Pſal. 144. Geneſ. 18 Pſal. 70. Prou. 25. Pſal. 27. Pſal. 30.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuū in vniuerſâ terrâ! Deus in Sancto via tua. Quis Deus magnus ſicut Deus noſter? tu es Deus qui facis mirabilia: Confitebor ergo tibi Domine, quia terribiliter magnificatus es. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet ea. Tui enim ſunt cæli, & tua eſt terra, orbem terræ, & plenitudinem eius tu fun- Pſal. 8. Pſal. 138. Pſal. 38.

Pſal.103. *fundaſti, aquilonem & mare tu creaſti, tu fundaſti terram ſu-*
Pſal,91. *per ſtabilitatem ſuam, nõ inclinabitur in ſæculum ſæculi Tuus*
Pſal.118. *eſt dies, & tua eſt nox, tu fabricatus es auroram & ſolem, &*
ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt ti-
Pſal.83. *bi. Omnis ergo terra adoret te, & pſallat tibi, pſalmum dicat*
Iob.11. *nomini tuo. Sed quis veſtigia tua comprehendet. excelſior, in-*
quit ille, cælo eſt, quid facies? profundior inferno, & vnde cog-
noſces? longior terrâ menſura eius, & latior mari: ſi ſubuerte-
rit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei? ipſe
enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nónne conſiderat? Nimirum interroga iumenta, & docebunt te,
Iob. 12. *& volatilia cæli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi, & narrabunt piſces maris. Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis & ſpiritus vniuerſæ carnis hominis, apud ipſum eſt fortitudo, & ſapientia: ipſe habet conſilium, & intelligentiã. ſi deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet; ſi incluſerit hominem, nemo eſt qui aperiat: ſi continuerit aquas, omnia ſiccabuntur; & ſi emiſerit eas, ſubuertent terram. apud ipſum eſt fortitudo, & ſapientia. ipſe nouit & decipientem, & eum qui decipitur, adducit conſiliarios in ſtultum finem, & iudices in ſtuporẽ. Baltheum Regum diſſoluit, & præcingit fune renes eorum. Ducit Sacerdotes inglorios, & optimates ſupplantat. commutans labium veracium, & doctrinam ſenũ auferens Effundit deſpectionem ſuper Principes, eos qui oppreſſi fuerant, releuans, qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis. qui multiplicat gentes, & perdit eas, & ſubuerſas in integrum reſtituit: qui immutat cor Principum populi terræ. & decipit eos, vt fruſtrà incedant per inuiũ. Palpabunt quaſi*
Iob. 26. *in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quaſi ebrios. Ecce gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cũ eis. Nudus eſt infernus coram illo, & nullum eſt operimentum perditioni. qui extendit Aquilonem ſuper vacuũ & appendit terrã ſuper nihilũ: qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt nõ erumpant pariter deorſum. Qui tenet vultum ſolij ſui & expandit ſuper illud nebulam ſuam. Terminum circumdedit aquis, vſque dũ finiantur lux, & tenebræ, columnæ cæli cõtremiſcunt, & pauent ad*

Creaturæ nobis de Deo loquuntur.

ad nutum eius, in fortitudine illius repentè maria congregata ſunt, & prudentia eius percuſſit ſuperbum: ſpiritus eius ornauit cælos, & obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus. Ecce hæc ex parte dicta ſunt viarum eius, & cùm vix paruam ſtillam ſermonis eius audiuerimus, quis poterit tonitruũ magnitudinis illius intueri? Sic vir ille ſimplex & rectus magnitudinem tuam narrat nobis, & quis nõ obſtupeſcet ad hæc magnalia tua? Magis tamen ac longè magis, ſi conſideret magnitudinem tuam ſimul & quam paruus ſis factus pro nobis. ô infinita & incomprehenſibilis bonitas Deus meus, tu qui Iſaiæ 19.
æternus es, natus es in tempore, & Rex ſæculorum immortalis, & inuiſibilis, factus es puer vnius diei ſuper terram viſibilis, & mortalis, & paulò minus es minoratus ab Angelis, imò factus es ſicut colonus in terrâ, & ſicut viator declinans ad manendũ. & eheu! in propria veniſti & venis, & tui te nõ ſuſceperunt, nec ſuſcipiunt, & tamẽ veniſti in propria Rex regũ, & Dominus dominãtiũ. Veniſti, & venis quotidie in cor meũ, vt videas ſi floreant mala, & fructus parturiunt: vtinã te dignè ſuſcipere poſſem, quando tu immenſe Deus magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu dignaris ad me venire, & ſic exemplo tuo, & ſanctiſſimâ doctrinâ tuâ erudire. ô ineffabilis Deus qualis eſt hæc memoria mirabiliũ tuorum! ô verax Deus; quanta eſt abyſſus bonitatis, & ſapientia tua! vtinam ſicut tu verax es ita & ego veritatem amem, & cognoſcam nihilum meum! vtinam amem bonitatem tuam: & oſtendas mihi omne bonum, & deteſter omne malũ! vtinam nihil pulcrum videatur, quod abducat abs te. tu enim confeſſionem, & decorem induiſti. Vtinam nihil admirer niſi te vnum, cuius mirabilia opera ſunt & ineffabilia. quidquid hic mortale ſeſe ingerit oculis meis, contemno illud præ te vita mea vt cor meũ & caro mea exultent in te Deum viuum. tu enim ſapientiſſimus, & attingis à fine ad finem fortiter, & omnia in numero, pondere, & menſura diſponis, & tribus digitis appendis molem terræ, tu omnium artifex ô æterna ſapientia, tua igitur conſilia, tuam viam ſequar, & nõ ambulabo in tenebris. Tu enim mihi lux es, tu illuminator meus. tu reuelas profunda. tu deniq; diligis

1. Tim. 1. Pſal. 8. Hebr. 2. Ierem. 14. Applicatio ad Communionem. Ierem. 32. Pſal. 103. Pſal. 83. Sap. 11. Iſaiæ 10. Sap. 7. 1. Ioan. 1. Prou. 28. Dan. 2.

gis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti; quomodo igitur non diligam te Deus meus. fortitudo mea, quando
Oſeæ 2. *ſponſabis me tibi in iuſtitiâ, & iudicio, & miſericordiâ. Vtinam magne Deus zelotes, Deus æmulator, nullius alterius rei amor occupet cor meum ſed toto corde tibi adhæream & in pace in idipſum (quoniam tu Princeps es, & Auctor pacis) dormiam & requieſcam. Amen.*

IACVLATORIÆ.

Pſal. 143. Iacobi 4. *DOmine, quid eſt homo, quia ſic N. verè innotuiſti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Ecce enim ventus eſt vita noſtra, & vapor ad modicum parens.*

Pſal. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terrâ? Ecce cor contritum & humiliatum, O Ieſu reſpice in me.*

Rom. 11. *O Altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.*

Pſal. 118. *O Sapientia æterna, da mihi intellectum, & ſcrutabor mirabilia de lege tua, ſine te enim nil poſſum facere.*

Pſalm. 70. *Obſecro te per charitatem tuam, vt conſiderem mirabilia, & memorer iuſtitiæ tuæ ſolius.*

Pſal. 16. *Non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorũ tuorum cuſtodiui vias duras.*

Pſalm. 8. *O Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt hîc nomen tuum & in vniuerſâ terra.*

Pſal. 88. *Tui ſunt cæli, & tua eſt terra, & in manu tua omnes fines terræ, fac de me beneplacitum tuum.*

Galat 2. *Viuo ego iam non ego, viuis verò in me Chriſte* IESU, *& ego tibi, Deus cordis mei & omnia.*

CAPVT LIV.

De affectu Compaſſionis & modo eũ exercẽdi.

HIc exerceri poteſt, & debet potiſſimùm in Meditatione Paſſionis Domini, etiamſi in variis locis vitæ Chriſti Domini idem etiam ſit locus. & quoties conſideramus quantis iniuriis à peccatoribus afficiatur, pro hâc Primò conſidera quis patiatur.

Secundò, quo pacto hæc in te ſentire debeas, vtpote patienti amore, cognatione, & aliis infinitis titulis coniuncto.

Tertiò,

Tertiò,quomodo in te,& in aliis impedire queas peccata,& imperfectiones emendando,ne patiatur iis,cui tanta debemus,Deus noſter.

Quartò,offer te viciſſim ad tolerandum quæcumque placita fuerint diuinæ bonitati, & gratias age, ac tantum benefactorem(plus eſt enim pati pro aliquo,quàm facere)magno amore complectere.

Exercitium breuius compaſſionis.

QVID video,quid audio? Deus, & naturæ Auctor, Rex
meus,& Dominus,& paſtor,patitur pro me,pro me! an
capio me & credo? Deo patiente pro me gemuit orbis;cælũ lu-
get, Angeli pacis amarè flent, & ſaxa dolore rumpuntur, &
velum templi ſcinditur,& ego vix commoueor? & necdum de- Iſaiæ 33.
ducunt oculi mei lacrymas,vt plangam ſuper te, ſicut mater
ſolet ſuper vnigenitum? Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, Rex meus, Ierem.6.
& Deus meus,& Pater meus & amiciſſimus meus,ſponſus ani- 2 Reg.1. Ierem.2.
mæ meæ,tam indigna,tam multa patitur,& ego non compa-
tior,filius Patri,ſeruus Domino,miles Regi immortali,qui pro
me mortalis factus vt ego æternis fruar deliciis, patitur,vt
ego eximar æternis tormentis & non compatiar? Liceat mihi,
ô Domine IESV,*dicere;Baptiſmo hoc habeo baptiſari propter* Lucæ 12.
te,& quomodo coarctor donec perficiatur in me, donec ſen-
tiam in me,ô Pater æterne,quod & in Chriſto IESV? *O* IESV,
quàm verè dixit ille: Paruulus datus eſt nobis,verè datus,& in Philip. 2.
laboribus fuiſti pro me à iuuentute tua. Ego etiam tua miſe- Pſalm.87.
ricordia in flagella paratus ſum pro te,vt æternùm te laudem
& amem,paratus ſum quoniam tu es fortitudo mea, refu- Pſalm.37.
giũ,& liberator meus. Amen.

Exercitium affectus compaſſionis.

VERANE *hæc ſunt Deus meus quæ te pati longanimiter audio,quæq; video te tã amanter ſuſtinere! ſi vera credo, cur nõ contremiſco & ardeo amore ſimul & dolore? doleo ſuper te mi bone* IESV,*doleo,& eò magis,quòd ego vermis,& c-*

nu, & quòd his peius eſt, peccator (qualis autem, & quantũ tu noſti) quòd ego te tanta pati video, & quòd corde lapideo iſta non vti debeo, ſentio. numquid ſic ſcriptum; ſi compatimur tibi, & conregnabimus? ſcio, & quis ſis ſcio, amor meus es, frater meus primogenitus in multis fratribus, & ego minimus tuorũ; ſed tamen tuus ſum, & vltrò ex ſummo amore mei pro me hæc pateris, & quid ego? Operuit confuſio faciem meam, quia non ſentio, vti volo, dolores tuos, & iniurias tuas. Compateréne maleſico, & canti ſic miſerando? ita: & tibi? Eheu addam afflictionem afflicto tepore, languore? Peccata mea ſicut onus graue grauata ſunt ſuper te.

Rom. 8.
Pſal. 68.
Pſal. 37.

Fili mi ſi compati non vis mihi, tibi compatere & miſerere animæ tuæ. O IESV mi, bone IESV, obſecro te quid dicis æterna bonitas, durus eſt hic ſermo. Egóne nolim cõdolere, aut te amare potiùs? volo, & infinities, & in æternum. Non poſſum non amare te, & condolere tibi, vt fratri pro me patienti (ita enim me dignatus appellare) quid dico fratri? nónne Pater meus es tu, qui toties prodigum cum lacrymis præ gaudio recepiſti?

IESVS.
Homo.
Ioan. 6.

Si ergo Pater tuus ſum, à quo omnia habes: ſi tui amantiſſimus ſum, vbi eſt amor meus? Tu ſcis Domine mi, doleo ſuper te Deus meus, doleo ſuper te ſpreto ferè ab vniuerſo orbe, & contempto tot peccatis, tamquam ſi non eſſes, & in paſſione ita afflicto, quaſi eſſes opprobrium hominum, & abiectio plebis. Tu gloria noſtra, Rex Regum & Dominus dominantium Tu nobis Pontifex ſanctus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cælis factus. Tu ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris. Tu portas omnia verbo virtutis tuæ, & ſedes ad dexteram maiæſtatis in excelſis: & vtinam non à me ab hoc momento in æternum patereris! ego ſum qui peccaui & erraui, & pro feſtucâ vendidi te! pro bulla contriſtaui, & in agoniâ conſtitui, flagellaui, coronaui, & rurſum te mihimet crucifixi. Sed ecce doleo ex amore vehementi; & me offero, vt compatiar tibi, tecum contemnar, omni ſolatio & affectu humano priuer. Deus bone, ſi hac parùm ſentio, nónne (horreſco referens) patrem amo, omni amore digniſſimum? ſúmme ergo filius tuus ſi non ſentio? ſpero gratiâ tuâ, ſpero equidem,

IESVS
Homo.
Apoc 19.
Hebr 7.
Hebr. 1.
Ididem.
Contritio

ſed

ſed quia non vt volo amo,& ſentio mala tua, vereor eheu ne ſpurius ſim,quē tam parùm tangit amor tui,& commiſeratio!

Quomodo non eſt,qui conſoletur te, ex omnibus charis tuis Deus meus? ſed amici & proximi tui, etiam ego, longè receſſimus à te,& ſicut populus ſic & ſacerdos; quæ membra non ſentiunt capitis dolores? ô IESV *tu caput meum es plenum rore ſanguineo, & cincinni tui guttis noctium & tenebrarum noſtrarum,& ego ſub ſpinoſo capite membrum eheu delicatū; quæ ſponſa non tabeſcit ſponſi mærore; Tu verò, bone* IESV, *ſponſus ſanguinum mihi es,& quod ſuper hæc omnia tu Deus meus es,& omne bonum meum, & non compatior malis tuis? immò verò etiam contriſto ſpiritum tuum, dum adſpicis & vides ſi eſt intelligens aut requirens te:vtinam ſicut in* Iobo, *ita & in me lætari poſſes,& dicere;* Numquid vidiſti *ſeruum meū quòd non ſit ſimilis ei in terrâ, timens,& amans me? vbi tot ſunt,qui irrident & contemnunt, & conculcant me. quis ſapiens,& intelliget hæc? tu es frater meus infinitâ dignatione,& Pater amantiſſimus,& ſponſus amabiliſſimus, & Deus totius conſolationis,& ego non miſerebor, & compatiar tibi ſic contempto,ſic illuſo pro me? Complaceat tibi Domine, vt eruas me,Domine ad adiuuandum me reſpice,vt amem te toto corde meo,totâ animâ meâ. Tu enim Deus meus,& Rex meus, magnus ſuper omnes Deos, cuius ſicut iræ reſiſtere nemo valet,ita multò minùs debet poſſe amori tuo,qui hîc,& vbique lucet,& vrit, & vulnerat cor meum; ſub quo meritò curuantur qui portant orbem. Tu excelſior cælo poteſtate es, ſapientiâ profundior abyſſo,æternitate longior terrâ, immensâ charitate latior mari:& tamen in paſſione tuâ redemptione meâ, vt video,afflictus es & humiliatus es nimis. Egridimini filiæ Sion,& videte Regem gloriæ in diademate quo coronauit eum mater ſua, & peccata mea.Verè dixit ſeruus tuus,& magnus amicus tuus.Inter omnia opera Dei in quibus humanæ admirationis fatigatur intentio, nihil ita contemplationem mentis noſtræ oblectat & ſuperat, ſicut Paſſio Saluatoris,de cuius omnipotentiâ,quæ ei cum Patre vnius, & æqualis eſſētiæ,quoties,vt poſſumus, cogitamus, mirabilior ſit*

[Margin notes: Pſalm.37. Oſeæ 9. Cant.2. Bernard. Exod.4. Pſal.13. Iob.2. Pſal.39. Nemo reſiſtere debet charitati Dei. Iob.9. Cant.4. Iob.9. Cant.3. Leo.]

humilitas, quàm poteſtas, & difficiliùs capitur diuinæ Maieſtatis exinanitio; quàm ſeruilis formæ in ſumma prouectio.

Iſaiæ 53. Pſalm. 21. *Ita verè eſt dulciſſime* IESV, *compati tibi debemus, ſi hæc attendamus maximè ſi, quòd pro me tu omnipotẽs, factus es; quaſi impotens, tu ſapientia, quaſi inſipiens, tu infinita bonitas cum iniquis & ſceleratis deputata es, & factus es vermis, & non homo pro me vinctus, calcatus, conſputus, illuſus, cæſus, & vulneratus. Verene ita eſt, pro me hæc pateris, tu iuſtus pro iniuſto, agnus pro lupo, bonitas pro ſcelerato? pro me? tu* Rex *regũ qui verbo creaſti omnia, & momento cùm vis deſtruis omnia, Verèm hæc credo, & vt credens operor? in æternum? in æternum nõ declinabo à mandatis tuis, nec minimo quidem peccato, quantũ potero per gratiam tuam. Sed amo, & amabo te ſuper omnia in æternum. Quî enim aliter potero quando ſic* Deus *meus dilexiſti me, vt filium tuum vnigenitum dares in preciũ magnũ, in cibum precioſum, & vitæ æternæ præmium?*

Fides viua exercenda. Pſalm 118. Ioan. 3.

Applicatio ad Communionem. *Et pignus illius tu bone* IESV, *etiam hodie dare paratus es corpus & ſanguinem tuum: ita credo, ita ſpero, quid enim negare nobis potes, qui ſic dediſti in mortem pro me animam tuã? & quid ego vltra in rebus creatis ſperare poſſum, cùm tu vltrò te offeras mihi omne bonum? Vtinam nullum aliud a te bonum vmquam me trahat, vel diſtrahat cogitatione à te; tu enim dignus es, vt non cogitẽ niſi de te, qui ſic mei curã geris in bonis & malis, velut ſi vnius mei curã gereres. Hoc loquuntur mihi dona tua plurima* N. *ſed magis vulnera tua, in quibus, vt in foraminibus petræ, vtinam tutò lateat! & maneat anima mea, columba tua.* Reddo *tibi me ſincero, & quanto poſſũ amore, reddo tibi quod tuum eſt malè mutilatum. Vtinam augere donum poſſem, ſicut vis, ſicut optas! gratias tibi ago* Deus Pater, *& tibi* Chriſte IESV, *tibi Spiritus ſancte, pro amore hoc veſtro, in me æterno, amore tam gratuito, ſpontaneo, recto, ſingulari, mihi vtiliſſimo exhibito à te, qui bonorum noſtrorũ non eges, cuiq; nihil accedere poteſt. Viciſſim ego amo. ſed quãtum; quantum equidem poſſum, nihilq; peto extrà te, aut præter te, aut vmquam petam aut optabo: fac de me ſecundùm diuinam voluntatem tuam. Si bona de manu tuâ accepi, debeo vtique & cupio accipere mala de manu tuâ, vt compatiar, & regnem,*

August.

Bernard.

regnem, vt tecum nouiſſimus hîc ſim & ſedeã tecum, & epuler in regno tuo. Ecce ego, paratum cor meum Deus, paratum cor meum ire extra caſtra, & improperium tuũ portare, ſequi te, & ferre crucem meã hanc N. & illa N. ſi oportuit te pati, & ita intrare in gloriam tuam, nec poſſum, ſcio, nec volo, niſi ſicut decretum eſt ſapientiſſimæ bonitati tuæ patiendo te ſequi quidquid volueris. Si graue fuerit, tu fortitudo mea, nec ſines me tentari ſupra id quod poſſum: ſi d..rũ, moleſtum, fortis erit per gratiam tuam vt mors, dilectio mea, & flumina ſpero tribulationum non obruent illam. Vtinam omnia creata conuertere poſſem in ardentiſſima corda quale tuũ illud erat, ô beatiſſima Virgo Maria mater mea, & tuum dulciſſime IESV, *ſpes vnica & ſalus mea illis te ſtringerem, & amarem, & nihil eſſe vellem inter omnia vt tu eſſes omnia, & mihi omnia. In hâc iam ſum voluntate vti ſpero, & teſtis es mihi in cœlo Deus meus, cum curiâ tuâ, & ero per gratiam tuam in æternũ, & moriar tibi, vt tibi vni uiuam in æternum. Amen.* 1. Cor. 10 Cant. 8.

IACVLATORIÆ,

O Anima mea, verè languores noſtros ipſe tulit: & dolores noſtros ipſe portauit: Tune æterne Deus pro me? O quomodo commendas mihi charitatem tuam! Iſaiæ 53. Roman. 5

Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum? eheu his plagatus es in domo meâ, & eorum qui diligebant te. Zach. 13.

An gratiam fideiuſſoris mei obliuiſci potero, qui dediſti pro me animam tuam? Eccli. 29.

Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui: ſi enim in viridi ligno hæc fiunt, in arido quid fiet? Pſal. 118. Lucæ 22.

Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui, ô Pater æterne: vox ſanguinis filii tui clamet ad te de terrâ pro me. Pſal. 83. Geneſ. 4.

Verè languores noſtros ipſe tuliſti, & labores noſtros ipſe portaſti, & ego adhuc addã tibi, ô charitas bone IESV *dolorẽ peccatis meis?* Iſaiæ 53.

Quis eſt iſte qui aſcendit de Edom tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua, & gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ. Iſaiæ 63.

Tune vulneratus propter iniquitates meas, & attritus propter ſcelera mea: & quomodo non gaudebo, cùm dignus ero contumeliam pati pro nomine tuo Rex meus & Deus meus? Iſaiæ 53.

Quid reliquum eſt, niſi vt qui viuat non ſibi viuat, ſed tibi, ô IESV, *qui pro nobis mortuus es & crucifixus?* 2. Cor. 5.

CAPVT LV.

De affectu Cōtritionis & modo eum exercēdi.

EXCITATVR ille Primò, conſideratione Charitatis Dei erga nos, & Maieſtatis eius, & vilitatis noſtræ.

Iſaiæ 1. Secundò, Beneficiorum Dei erga nos maximè particularium, & quòd tamen, etſi bos cognoſcat poſſeſſorem ſuum, nos eius obliuiſcamur.

Iſaiæ 53. Tertiò, Conſideratione Paſſionis amantiſſimi Domini noſtri qui vulneratus eſt propter nos, & attritus propter ſcelera noſtra; imò nos ſumus qui peccauimus, & ſic attriuimus illum.

Quartò, Conſideratione malorum quæ infert peccatum, & bonorum quibus nos priuat.

Quintò, Admirare crebrò longanimem patientiam erga te Dei tui, deinde obſtupeſce eum in omnibus creaturis tibi quaſi ſeruire, & eas non vindicare ingratitudinem tuam.

Sextò, Nota hunc affectum vtiliſſimum ad ſalutem, ideoque creberrimè vſurpandum eſſe, vt & charitatis, his enim portis certus in cælum patet aditus.

Exercitium breuius Contritionis.

DOMINE IESV *Chriſte, verè Deus & homo, Creator pariter ac Redemptor, doleo ex intimo corde me offendiſſe diuinam tuam Maieſtatem, quia tu es Deus meus & omnia, quē ſuper omnia diligo & colo. Proinde firmiter ſtatuo ac propono, me non amplius te offenſurū, ſed omnes peccādi occaſiones pro viribus deuitaturum, inſuper de noxis meis ritè confeſſurū, & pœnitentiam quæcumque imponetur impleturum: ad pleniorem verò ſatis factionem hodie tibi meipſum offero, vitam meam & mea omnia, & omnes labores meos. Et quem admodum rogo te ſuppliciter, & flagito veniam delictorum meorum, ita cōfido me eam impetraturum per infinitam miſericordiam ac benignitatem tuā, per merita quoque pretioſiſſimi ſanguinis ac ſanctiſſimæ*

mæ

ne paſsionis tuæ,daturum te quoque gratiam emendandi vitã meam,& in bono vſque ad finem perſeuerandi. Amen.

Exercitium longius Contritionis.

D*Vm hæc attendo,& vitam meam legi tuæ, & monitis & exemplis Sanctorum adeo diſsimilem; maximè verò infinitam bonitatem & charitatem tuã erga me, & patientiam tuã tanto tempore in tot peccatis meis, verè magna facta eſt, magna velut mare contritio mea. Veni enim in altitudinem maris,& tempeſtas demerſit me. O Chriſtiane aiebat quidam & rectè: non ſunt in te charitatis viſcera, ſi luges corpus à quo receſsit anima, animam verò à quâ receſsit Deus, non luges. Vtique lugeo, ô benigniſsime Redemptor, propter te & amorẽ tui & dolor meus in conſpectu tuo ſemper, ſed numquid dixiſti: beati qui lugent, quoniã ipſi conſolabuntur? ſpero itaque quòd & mihi dicere licebit cum Iſaiâ: gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis,& indumento iuſtitiæ circumdedit me,& quaſi ſponſum decoratum coronâ,& quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis: tu enim nudus coram me pendes in cruce, vt ego veſtiar veſte nuptiali,& purpuratâ ſanguine tuo. tu vulneratus es, vt ſanentur vulnera mea. Sana me Domine,& ſanabor, & anima mea tibi viuat,& ſemen meum ſeruiat tibi.*

Quæ attendenda ad Communionẽ. S. Auguſt ſerm 41. de Sãctis. Iſaiæ 61. Fiducia in Deo. Lucæ 35.

Venio ecce de regione loginquâ, vt Prodigus,& ſupplex iã expecto ſtolam primam & annulum in digito meo. vt deſponſata ſit tibi anima mea in charitate. Vtinam iam tandẽ gaudium ſit tibi ſuper me peccatore pœnitentiam agente, & Angelis tuis! Quid enim feci tibi? & quid mihi boni debuiſti facere,& non feciſti? fugi tamen à te eheu! & dereliqui te fontẽ aquæ viuæ; fugi, ſed ecce reuertor, reuertor vt intuear te, & tu me reſpicias oculo miſericordiæ tuæ. Vide, Domine, vt exitus aquarũ deduxerint oculi mei: doleo enim ex amore tui vehementer, quòd non reſponderim tanto amori,& tanto, tam gratuito, tam continuo erga me, etſi inimicus tuus eſſem, tanto & miſericordiſsimo benefactori; imò ego tibi, Potentiæ, Sapientiæ, & Bonitati immenſæ: & quare? quia lubebat eheu,

Peccator fugit à Deo.

Vermis terræ retribui tibi mala pro bonis. Et quot mala & peccata N. pro tantis bonis.

Peccatorum multitudo. *Multiplicata ſunt ergo peccata mea ſuper numerum arenæ maris, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Sed tamen miſericordia tua ſuper omnia opera tua, & maior eſt bonitas tua quàm iniquitas mea. Quid ergo faciam miſer factus mihimetipſi grauis? Imò cõprehenderunt me iniquitates meæ & nõ potui vt viderem. Quid faciam? ibo, ibo: & quò? niſi ad te bone* IESV, *qui dũ tempus eſt miſerendi benigniſſimè peccatores recipis, & manducas cũ eis: recipe me obſecro te per viſcera miſericordiæ tuæ, & ſanguinem & lacrymas tuas. Audiui vocem tuam & audio inter tot anguſtias comprehenſus, tot hoſtes & timores, cùm neſciam, amore an odio dignus ſim: Venite ad me*

Geneſ. 3. *omnes qui laboratis & onerati eſtis. An vt Adam in Paradiſo abſcondam me? imò dico & dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, & mox tu remiſiſti iniquitatem peccati mei. Nolo obdurare cor meum: nolo propter amorẽ tui vltra vel leuiſſimo peccato contriſtare te, ô bonitas infinita! ô amor! & licet cũ Publicano vix audeam oculos ad te leuare, faciã tamen; imò cũ Magdalenâ lacrymis rigabo, & deoſculabor pedes tuos,*

B. Magdalenæ exemplũ. *& deoſculor, ex quo intrare mihi licet in conſpectum tuũ: vtinam audiam, Remittuntur illi peccata multa, quoniam dilexit multum. Numquid, ô* IESV *ſpes mea, non veniſti vocare iuſtos, ſed peccatores, quorum primus ego ſum? & fateor, nouiſſimus virorum, prodigium humanæ fragilitatis, & tuæ miſericordiæ & benignitatis per gratiam tuam futurus in æternum.*

Audio Ioëlem tuum dicentem: Conuertimini ad Dominum Deum veſtrũ, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitiâ nónne verè ita eſt? ſurgo igitur, & venio corde contrito & humiliato, & vulnerato amore tui, ad te Patrẽ meũ verè prodigus, & dico: Pater,

Lucæ 17. *peccaui in cælum, & etiam fateor coram te & curiâ tuâ; non ſum dignus vocari filius tuus, ſed fac me ſicut vnum ex mercenariis tuis, & tamen aliam non peto mercedem niſi te, nam ſufficis mihi. O quàm amarum eſt dereliquiſſe te Dominũ meũ.*

Peccati damna. *quid enim feci dum id feci & peccaui? ecce omnia, omnia bona animæ præter fidem, & ſpem perdidi; & dolor & tremor & anguſtiæ*

anguſtiæ & horrores inuenerunt me, &, ô lux, ô ſol iuſtitiæ, contexerunt me tenebræ. Exuta fuit *anima mea ſtolâ gratiæ tuæ, & veſte nuptiali, & iucunditatis, & nuda atque infamis ſtetit coram te, & ſtaret, niſi tu pro me* Mediator Dei *& hominum ſtares, & interpellares pro me; ſtaret inquam, & causâ caderet coram orbe toto in iudicio, & in æternum, qui non vnius hominis deriſionem ferre valeo.* Fierine *potuit vt credens ego te ad iram prouocarem in re viliſſimâ, & momentaneâ, & pudendâ, & deſpicere te & dona & lacrymas tuas?* Et *quomodo famuli tui* Rex Regum, *id eſt creaturæ, quas hic percipio, terra, cælum, aqua, aër, & quæ ex eis feciſti omnia, pro me obſequium ſolitum non negarunt? maximè fideles ſerui, animæ &* Angeli, *cùm viderent me velle contriſtare te & conculcare te, & iterum crucifigere, quomodo continuerunt manus ſuas? id mihi ſuper omnia dolet, quia ſuper omnia te diligo.*

Quid ſit peccare.

Creaturæ cur parcant peccatori.

Et ideò doleo ex animo & ex toto corde meo. Et *licet omnes honores & opes, & deliciæ in vno peccato forent* N. *& illo* N. *maximè ad quod inclinor, ſi iis totis ſæculis frui, & ſine ſcrupulo impiùs poſſem, neque parceres tantùm ſed in æternum beares me; & ſi etiam omnia mala euadere poſſem impendentia, & niſi te offenderem, forent iam à* Tyranno *inferenda, infamia, dolores, mors, adhærerem, vt ſpero, omni bono amore tui propter te: non enim ſunt, non ſunt condignæ paſſiones ad futuram gloriam, & multò minùs ad tuum ardentiſſimum amorem erga me canem mortuum & tuam in me patientiam; & ſcio non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit.* Ita *ſtatuo corã te, & curia tua, ita volo propter te ex amore tui.* Et *poteriſne cui proprium eſt miſereri, auertere faciem tuam à* Magdalenâ, *à prodigo, à publicano, & à me, à teipſo, inquã, quia vnũ tecũ ſum per amorem, aut ſaltẽ eſſe volo, & tu vis, & ſum dignatione tuâ ſeruus, & filius & membrum tuum?*

Propoſitũ firmum.

Pſal. 50.

Recordare, Domine, *tui laboris* N. *doloris* N. *& mortis tuæ, ô vita mea, ô infinita charitas, & obliuiſcere peccatorũ meorũ, & ſana me.* Dixit Dauid, *peccaui, & tranſtuliſti peccatũ eius.* Dico *& ego, & gemitus meus non eſt ante te abſconditus, & ne abſcondas obſecro faciam tuam à me.* Manaſſes *coanguſtatus vndique & catenis preſſus leuauit oculos ad te, & reſpexi-*

Obſecratio.

ſti eum;& ego leuo ad te lacrymoſos oculos & confido,quia veniet auxilium mihi, quoniam miſericordia tua ſuper omnia opera tua.

Exempla pœnitentium. *Plorarunt Niniuitæ,plorauit & Petrus,& miſertus es eius, neque vnquam exprobraſti,neque principatum eius alteri dediſti.Conuerte igitur Domine,& deprecabilis eſto ſuper ſeruo,& dele ſanguine & lacrymis tuis,dele N. iniquitatẽ meã.*

Pſ.120. *Et vos ô cæli ciues, quos video lætantes, etiam ſecuros per amorem veſtrum,& Regem* IESVM,*rogo vos,vt & vos rogetis, quæ ad pacem animæ meæ.Tu inprimis,B. Virgo mater mea, refugiũ peccatorum,Angeli,Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, N.Virginis. Memento Domina mea, mementote Domini mei, quod ſim ego miſerrimus, & vos feliciſſimi,quod ſim redemptus ſanguine Regis veſtri. Sponſa ꝓſius ſit anima mea.an poteſtis deſpicere inopem diuites, vel miſerũ beati?veſtrum fratrem ſed prodigum;conſeruũ,ſed indigniſſimum?& vos vidiſtis pericula in quibus fuiſtis, & in quibus adhuc ego ſum horrendis præcepitiis æternæ damnationis, & poteſtis non miſereri amici mei,Patroni mei?charitate pleni, & in eâ radicati & fundati?ſed videtis peccata mea,perfidiã, torporem;videte,obſecro,amorem Domini erga me;videte vtin manibus ſuis deſcripſerit me:compatimini illi, & miſeremini mei membri eius,etſi viliſſimi,membri tamen.*

Amoris actus. *O Pater!ô bonitas!ô* IESV!*quid ago?cur non potiùs propero ad te fontem Iacob,ſicut ceruus ad fontes aquarum amore tui ſaucius,quo me dignaris & compellis vt amẽ?tu fateor,tu verè infinita bonitas,ſapientia,potentia. Quid autem tibi facio cùm te amo?volo te eſſe eum qui es,& tibi eſſe omne bonum. quod ipſe es Et exulto & delector quia id es,quod es,nõ vt mihi benè ſit,ſed tibi.Vtinam ergo ex nunc,vtinam in æternum omnis ſpiritus te laudet,omnes creaturæ,puſilla,& magna! Dignus es enim accipere omnem laudem,gloriam,& honorem.Vtinã ego iam toto corde te diligam,qui ab æterno dilexiſti me, & iam*

Applicatio ad Communionem. *in tempore hoc,tanquam omnium peccatorem meorum oblitus,paratus es de cæleſti palatio venire, & gaudiis Beatorũ, in cordis mei anguſtias, & verè vallem lacrymarum. Sed*

Vt aquæ amaræ per lignum olim dulces redditæ ſunt, ſic tu dulcedo ſumma amaritudinem omnem tolles: & ſicut farina mortem, quæ in ollâ erat, ab Eliſæo immiſſa eam fugauit, ſic cùm veneris vita mea, veſtigia mortis & peccati dele quæſo, & pone te vt ſignaculum ſuper cor meum, vt viuam in te.

Ecce antepono te omnibus donis tuis, id eſt, oceanum guttæ, terrã arenæ: & diligo totâ animâ & omnem operationem eius & vitam tibi dico, vt ſit plus vbi amat, quàm vbi animat. O vtinam etiã mente meâ totâ in te ſim, & non ſciam niſi te Dominum meũ, neque ſcire velim, aut profitear niſi te, bone IESV *crucifixe, quẽ amplector omnibus viribus meis animæ & corporis; nihil iis cupio, quàm cùm tua ſint, tibi vni ſeruire: vtinã totâ virtute meâ etiam diligentiùs quàm filii ſæculi; & fortiùs! fortis enim eſt vt mors dilectio tua.*

O quis mihi det vt ſemper inſeparabiliter adhæream tibi omni bono, & non me retrahat peccatum vllum, omne malũ: neque affectus meus vllo creaturæ amore deprauetur, aut defatigetur, aut ſuperetur, vt dicere cum Paulo poßim: Quis me ſeparabit à charitate tuâ, cupio enim alligari tibi funiculis charitatis tuæ, & vulnerari amore, & languore, & omnia reſpuere terrena, & inſatiabiliter appetere te omne bonum. Cupio te amare ſine ceſſatione, ſine modo, ſine termino, vt tu me dilexiſti ab æterno in æternum, & in tempore hoc ſine termino, & modo beneféciſti mihi: Liquefiat anima mea igne hoc amoris tui, & ſeparet omne quod diſplicet, & purificet omne quod placet in me, & habeam te ſemper præſentẽ, & in te viuam, non in me: mouear non falsâ perſuaſione, ſed ſincerâ operatione comitante, vt in me charitas tua patiens ſit, benigna, non æmuletur, non agat perperam, non infletur, non ſit ambitioſa, non quærat quæ ſua ſunt, non irritetur, non gaudeat ſuper iniquitate, congaudeat autem veritati: omnia ſufferat, omnia credat, omnia ſperet, omnia ſuſtineat. Amen. 1.Cor.13.

IACV-

IACVLATORIÆ.

Pſalm.68. *DEus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea non ſunt à te abſcondita;peccaui enim in cælum & coram te.*

Ibidem. *Vt quid dereliqui te fontem aquæ viuæ, vt quid erraui ſicut ouis quæ periit? exitus aquarum deduxerunt oculi mei.quia non*

Pſalm.39. *cuſtodierunt legem tuam.*

Quare triſtis es anima mea,& quare conturbas me? comprehenderunt me eheu iniquitates meæ,& non potui vt viderem:reſpice in me ô IESV & miſerere mei.

Pſalm.37. *Domine ante te omne deſiderium meum & gemitus meus non eſt*

Iſaiæ 49. *à te abſconditus:dereliquit enim me virtus mea,& tu lumen ocu-*

Pſalm.82. *lorum meorum.*

Pſal.118. *Reſpice Domine manus & pedes tuos,in quibus deſcripſiſti me, & tu Pater æterne reſpice in faciem Chriſti tui.*

Pſalm 91. *Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ:odiui Eccleſiā*

Iſaiæ 38. *malignantium & cum impiis non ſedebo.*

Quàm magnificata ſunt opera tua! nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ,dum recogito tibi annos meos,& charitatem tu-

Iob.29. *am quâ aſſumpſiſti me de aquis multis.*

Quis mihi tribuat vt ſim iuxta menſes priſtinos ſecundùm dies,

Pſal.102. *quibus cuſtodiebas me quando eras in tabernaculo meo!*

Iſte Deus meus,Saluator meus, Adiutor meus,benedic anima mea Domino,& omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius.

CAPVT LVI.

De affectu Spei, & modo eam exercendi.

SPEI affectus excitari poteſt Primò, Conſideratione alicuius beneficii diuini,aut promiſſionis; qui enim tribuit beneficium, inuitat ad ſpem. Itaque in omni myſterio exerceri hoc poteſt. Secundò, quoties beneficio aliquo nouo à Deo donamur,aut etiam aduerſitate aliquâ affligimur. Tertiò, nulla eſt creatura quæ non ad gratiarum actionem ſimul & ſpem excitet; qui enim vltrò hæc vidit, certè maiora rogatus concedet, nempe gratiam, gloriam, cæteraque media ad ſalutem neceſſaria, quæ ſingula percurrere potes. Denique in præſentia Dei te ſtatue,id eſt, in medio Oceani bonitatis eius, neque poteris diffidere omni bono. Poſtremò,

peculiaria

peculiaria beneficia Dei erga te percurre, & ſpem illius gratiâ adauge.

Exercitium Spei breuius.

TV ſcis Deus meus, tu ſcis quòd non ſimus ſufficientes aliquid facere ex nobis, vti nec hoc N. tanquam ex nobis. Itaque ego puluis & cinis ad te confugio, vt per te & patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeam, & in te ſperans non confundar. Tune enim ô bonitas ſic N. me vocas, & repellere me poteris? ſic inuitas & trahis ad ſequendum te, & deficere ſines in viâ? In te Domine ſperans ſcio non confundar in æternum, etſi inueniam in membris meis legem repugnantem legi mentis meæ, neque dignus ſum gratiâ tuâ; ſed qui dediſti mihi corpus et ſanguinem tuũ in precium, et te hodie paratus es dare in pignus ſalutis, et qui tot beneficiis N. præueniſti me et petere toties inſtiſti, et dare promiſiſti ô bonitas, ô veritas, dabis vtique mihi quod petam, vt toto corde ſperem in te: et quamuis occideris me ô ſpes et vita mea, in te ſperabo; et ſi conſurgerent in me caſtra mundi huius et vanitatis, vt reclamarent, tamen portio mihi erit ſic N. cuſtodire legem tuam et te ſequi; quò enim ibimus à te bone IESV? *nónne vita mea es, et verba vitæ æternæ habes?*

Humiliatio ſui. 2. Cor. 3. Rom. 15. Pſalm. 30. Beneficia Dei & promiſſa excitant.

Exercitium affectus Spei.

DVm hæc cogito, et video donum hoc tuum N. et vniuerſum, et dignationem tuam quâ iam mihi vermi terræ libet, et licet loqui, tibi mihi, qui nõ ſum, ad te, et audire te Deus meus qui es, et omne bonũ es; arrhã teneo, et pignus habeo, quod vnũ peto, amo, amplector, pignus ſcilicet amoris, amoris tui, et ſpei meæ quæ me, ſpero pro infinitâ charitate tuâ, non confundet, ſed te laudabit in æternum, in æternum. Etenim gratiâ tua veniet, veniet, ô quando veniet illa dies quæ non habebit occaſum, et introibo in domum tuam, & me ſeruum tuum, famulum tuum cohæredem facies, et veſties byſſino ſplendenti, et veſtibus iucunditatis, et lumen dabis, quo te lux vera adſpiciam, et nemo me deſpiciat. ô quantum, quantum id deſidero! tu ſcis, qui hic adſtas, & vides me, et audis, et ſpero et exaudis,

Pignus habemus amoris Dei. Eccli. 22. Apoc 19. Zach. 19.

te habitas in medio cordis mei: quem amplector totis viribus animæ meæ; huius enim dignaris eſſe ſponſus, & finis, & quies, & centrum, & omne bonum.

Spes reſurrect. omnis.

Neque tantùm adimplebis eam lætitiâ cum vultu tuo ſed & hoc corpus meum ſuſcitabis de puluere, & quaſi de nihilo, & omnia oſſa mea, & ſenſus mei pleni gaudio de te, tibi cum iucunditate, & gaudio & amore puro dicent. Domine quis ſimilis tui? credo enim quòd tu Redemptor meus viuis, & gratulor, & in carne iſtâ videbo viſionẽ magnam, videbo te, & æternùm amplectar, & fruar te Saluatore meo.

Et ſicut hæc ſpero, ità media ad illa; Primò peccatorum veniam. Secundò virtutum humilitatis & charitatis & patientiæ ornamenta, vt nullis in te ſperans aduerſis opprimar, ea enim à manu tuâ paternâ & amantiſſimâ medicina eſt malis meis neque ſecundis efferar; Vanitas enim vanitatum, & omnia vanitas; vnde nec ſatiare, neque pacare me quidquam poteſt: cur ergò appetam aliquid extrà te, & præter vnum amoris tui precioſum donum? ô quàm ad illum ſuſpiro, & ad dona tua, virtutes, quibus placeam tibi N. ſed ſuper omnia tuã charitatem; hæc ſpes repoſita eſt in ſinu meo.

Abnegatio creaturæ.*

Pſal.62. Pſalm.25. 2.Reg.22 Eccl.2.

En credo tibi, & in nullâ creaturâ pedem vllum, vt ſic loquar ſpei defigo. Sed in te Deo meo eſt ſalutare meũ & gloria mea, Deus auxilii mei, & ſpes mea in te Deo meo eſt. Conſerua me Domine, quoniam ſperaui in te: Deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges. Sed tu Domine petra mea, robur meũ, & Saluator meus tu Deus fortis meus ſperabo in te: tu ſcutũ, & cornu ſalutis meæ, Eleuator meus, & refugium meum; Saluator meus, de iniquitate liberabis me. Laudabilem inuocabo Dominum & ab inimicis meis ſaluus ero. Et nónne pro charitate tuâ recuperabis me, & diriges viam meam? & ſpero in te, & ſeruabo timorem tuum, & in illo veteraſcam: quis enim permanſit in mandatis, & derelictus eſt? aut quis inuocauit te, & deſpexiſti eum? Salue ſpes mea, amo te, & amplector te, & renuntio omnibus, quæ poſſidere poſſum, aut amare, cùm, vti ſpero, te habeã, & habere vbique poſſim ſũmũ, & omne bonũ.

Sed quomodo hæc ſpero infelix peccator, et ingratus pro tot donis

donis tuis quorum minimum, fateor, eſt infinities maius omnibus meritis meis? Non in arcu meo ſpero, ſed in infinito ergà me amore tuo, à manibus tuis in quibus me deſcripſiſti, non ex meritis meis, nulla enim certò agnoſco, & ſiquid eſt, gratiæ debetur tuæ, quam copiosè contuliſti in me ingratum, & immemorem; vt laborarem in vineâ tuâ, & tu eſſes merces operi meo magna nimis; non tamen confido in laboribus, aut induſtriâ meâ, ſed ſãguine tuo, & ſudoribus, & bonâ volũtate tua: non in exercitatione, aut ſtatu, aut vllâ creaturâ; maledictus enim homo qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium ſuum. Ego autem in miſericordiâ tuâ ſperaui; exultauit cor meum in ſalutari tuo. cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Siue ergo mala ingruant, non timebo mala, quoniam tu mecũ es. & ſi bona obueniant aut petenda mihi ſint, quid nõ ſperare iubes; dixiſti enim, ô infinita bonitas, ô fidelis veritas, Petite, & accipietis: peto igitur & accipiã, quærite ais & inuenietis: quæro gratiã in oculis tuis inuenire & nihil vltrà. Vtinã inueniam eã. Nihil vltrà peto: tu teſtis in cælo Deus meus. Promiſſio Dei ſpem auget.

Pulſate, ais, & aperietur vobis; nẽpè theſauri miſericordiæ tuæ aperientur, & abyſſus miſeriæ, & inopiæ meæ. In hâc fiducia in pace hâc dormiam, & requieſcam: & gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in Deo IESV *meo, qui dat laſſo virtutẽ, & his qui nõ ſunt fortitudinẽ, & robur multiplicat. neque enim gratia tua vnquam nos deſeret, ſed oculi tui ſemper aperti ſunt, & aures tuæ erectæ ad me: nónne enim ego tẽplũ tuũ? liceat ergo obſecro mihi, vſurpare quod de Salomonis tẽplo lego, idẽ de corde meo, & aure interiore illius audire: Elegi enim, & ſanctificaui locum iſtum, vt ſit nomen meum ibi in ſempiternũ, & permaneant oculi mei, & cor meum ibi cũctis diebus. ô quàm dulcia faucibus meis hæc eloquia tua! Verbũ hoc tuũ penetrabilius omni gladio ancipiti, vt vulneret corda filiorũ Adæ, & ſuſpirent ad te, ſitq́; eorum tota fiducia.* 2.Par.7. 1.Cor.3. Applicatio ad Communionem. Pſal 118. Hebr.4.

Augetur autem fiducia hæc mea ab immensâ liberalitate, & miſericordiâ tuâ; neque enim ſufficit tibi impartiri mihi dona tua, ſed teipſum præbes, vt verè dicere poſſis: ego

quaſi

Oſeæ.11. *quaſi nutrix Ephraim portabam eos in brachiis meis, & ero quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad ad eum, vt veſceretur. O amor, ô charitas! & fieri poterit vt nõ confidam tibi! Vtinam ſicut confido, ita fiat mihi! & placeat tibi anima mea, & venias ad eam, & manſionem in eâ facias, & oleo miſericordiæ tuæ vngas eam, & bibat vinum tuum in lætitiâ. Quæſo te per viſcera charitatis tuæ, ne ei fiat, quod* Mich.6. *comminatus es olim, calabis oliuam, & non vngeris oleo, & muſtum & non bibes ex eo. Calicem ergò hodie ſalutaris accipiam, & nomen tuum, Domine, inuocabo: calix enim tuus* Pſal.22. *inebrians, quàm præclarus eſt! calix vtique benedictionis, & æternæ ſalutis. da mihi illũ obſecro, vt illo inebrier, ita vt omnium oblitus memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructet cor meum, & exultet ſpiritus meus in Deo ſalutari ſuo. Amẽ.*

IACVLATORIÆ.

Ioan.16. Lucæ 11. DIXISTI, *ô veritas, quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; & rurſum: Petite, & accipietis, quærite, & invenietis; ſi hæc vera, quid dubito modicæ fidei?*

Ierem.17. *Maledictus homo, qui ponit carnem brachium ſuum, ideò doleo valde ex amore tui, & omnem ſolicitudinem meam proiicio in te, quoniam tibi eſt cura de nobis.*

1. Cor. 4. *Quid proderit vniuerſa vanitas, cùm nouiſſima hora veniet, & reuelabis conſilia cordium?*

Pſal.67. *Confirma hoc Deus in nobis, quod operatus es in nobis, quid enim poſſumus facere ſine te, qui ſolus es quod es?*

Hebr.11. *Obſecro per miſericordiam tuam, vt quemadmodum Sancti tui per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, ita & ego gratia tua id faciam.*

Pſal.56. *Miſerere mei, Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in vmbra alarum ſperabo donec tranſeat iniquitas.*

Pſal.26. *In te cantatio mea ſemper, tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis: verè mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam.*

Pſalm.4. *In pace in idipſum (ſcilicet reſignatus) dormiam & requieſcã, quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.*

Pſal.72. *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponam in te Domine* IESV *ſpem meam. In manibus enim tuis ſortes meæ, & tempora mea, & æternitas mea,*

CAPVT LVII.

De affectu Imitationis & modo eum exercẽdi.

HIc ferè præcipuus eſt: ad hoc enim dirigitur Oratio, vt Chriſtum Dominum ſequamur, & ad hoc venit Filius Dei in mundum, vt redimeret, & exemplo ſuo nos doceret; omnis enim Chriſti actio noſtra eſt inſtructio. Poſtquam igitur aliquod exemplum Chriſti meditando conſideràris; Primò, confunde te, & vide quantum diſtes à veſtigiis, & exemplo Domini tui, & excitatâ contritione, emendationem propone, vitiumque contrarium deteſtare. Secundò, gratias age Deo quòd tale tibi monſtratum fuerit, & quàm illud pretioſum reſpectu eius qui præbet, & indignitatis eius cui præbetur, attende. Tertiò, lauda illud & virtuti illi affici ſtude, & vide quomodo imitari poſſis, non tantùm in genere, ſed etiam in particulari: neque tantùm in vnâ virtute, ſed in omnibus potentiis, & viribus tuis, vt quoad fieri poteſt, mores tui clament: Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Quartò & poſtremò humillimè gratiam efflagita, & obſecra per illud exemplum Chriſti, cæteraque eius merita, &c.

Exercitium breuius Imitationis.

IAM *audio clamantem voce magnâ & amantiſſimâ, Exemplum dedi vobis, vt quemadmodũ ego feci, ita & vos faciatis. & iterum: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſũ & tollat crucem ſuam & ſequatur me Nemo alius ad te veniet, nemo, ô Pater æterne, & audio vti Moyſi, ita mihi dictum: inſpice & fac ſecundùm exemplar quod tibi monſtratũ eſt. Inſpicio & aſpicio in Auctorem fidei, & conſũmatorẽ* IESVM, *qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Sed & recogito te, Domine* IESV, *qui talem ſuſtinuiſti aduersùm temetipſũ contradictionẽ. Sed tu, miſericors Deus, vide infirmitatẽ meã, & legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Quis me liberabit, niſi tu Redemptor mi, liberator meus? Redime ergo me,* Hebr.22.

& miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego: redime me &
Pſal 24. *trahe me poſt te, ſequar quocunque ieris, imò ſequor Regẽ ſer-*
uus, Patrem filius, Creatorem creatura, & ſic curro in odorem
vnguentorũ, in viam mandatorum tuorũ. Tu æterna Sapien-
tia & veritas non me falles, tu æterna bonitas, ſcio nõ me de-
ſeres, tu æterna es potentia, vt in te poßim omnia qui me co-
fortas. Pone te vt ſingnaculum ſuper cor meum, vt ſignaculũ
ſuper brachium meum, Amen.

Affectus Imitationis Chriſti Domini.

O Redemptor mi: Cæcus quidam ſedebat ſecus viam, &
clamabat ad te, vt videret te viam veram & ſequeretur
Luc. 18. *te. Ego verò ſecus viam ſedeo, & viã video, & veſtigia tua per*
gratiam tuam, & velle quidem adiacet mihi, perficere autem
Pſal. 28. *non inuenio: ô ſapientia! ô infinita bonitas! quantum prædicas*
verbo, tantũ clamas exemplo, imò vox hæc tua, vox eſt præpa-
Propoſitum requirendi Ieſum. *rãtis ceruos, & cõcutientis deſertũ, & potens, vt commoueat*
cedros Libani, id eſt Principes, & Reges terræ, vt te ſequantur,
et ego manebo ſecùs viam ſedens, & non ſequar, & non ad-
hærebit tibi anima mea? adhæreat potius lingua mea faucibus
meis, quàm non ſequar te lumen oculorũ meorũ. Quis enim te
non libenter ſequatur, magiſter bone qui, veniſti primùm fa-
cere, & deinde docere? quis ſedens in tenebris & videns te lucẽ
magnam non properet, & hæc N. & illa exempla tua ſequatur,
quibus recedat à miſerâ ſeruitute peccati, & reſpiret in liber-
tatem filiorum tuorum?

Abiiciamus ergo opera tenebrarũ: induamur ô anima mea,
arma lucis, vt ſicut in die honeſtè ambulemus, & honorifice-
mus te Dominum noſtrum. Tùne etenim benignißime IESV,
præibis, & exemplum relinques, vt ſequar veſtigia tua, & ego
ſequi detrectabo? Tu enim Dominus, & ego viliſſimus ſeruus;
tu Pater, & ego indigniſſimus filius; tu Deus meus, & Creator,
& ego terra & cinis, opus manuum tuarum, ſed ex nunc co-
gitationes meæ, & viæ meæ per gratiam tuam nolo vt exal-
Iſaiæ 55. *tentur à tuis ſicut olim queſtus es dicens: nõ enim cogitationes*
meæ, cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Do-
minus

minus, quia ſicut exaltantur cæli à terrâ, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Ergo quomodo deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terrã, & germinare eã facit, & dat ſemẽ ſerenti, & panem comedenti, ſic fit obſecro Domine verbum tuũ quod egreditur de ore tuo: non reuertatur ad te vacuum à me, ſed faciat quæcumque volui ſti, & proſpretur in his ad quæ miſiſti illud. Gratia Dei non dabet eſſe vacua

Scriptum audio: Quærite Dominum dum inueniri poteſt, & inuocate eum dum prope eſt: derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deũ noſtrũ, quoniã multus eſt ad ignoſcendum. Itaque, benigniſſime IESV, *derelinquo viam meam, & cogitationes meas, & reuertor toto corde ad te. Miſerere igitur, vt in viam mandatorum tuorum curram, & praua mea fiant in directa, & aſpera in vias planas. Prauũ enim eſt cor hominum & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? tu qui ſcrutaris cor, & renes. Fac igitur, vt quod cor meum trahit deorſum, videlicet creaturæ inane ſolatium, vel pondus potius amoris mei, fiat in directum, & cor meum, & caro mea exultent in te Deum viuum. Non me moueat temporale, quando æternum bonum mihi adeſt, nec amaritudo, (quo nomine meritò, omnis creatura, quia verè decipula & laqueus, appellatur) dum cupis vt guſtem, & videam quàm ſuauis ſis.* Ibidem. Ibid. Lucæ 3. Iſaiæ 14. Ierem. 17 Cor hominis inſcrutabile

Cor mundum, obſecro, crea in me Deus, & quidquid eſt ibi idoli vanitatis, tu dele, qui figura es ſubſtãtiæ Patris & imago bonitatis illius; vt nulla intentio praua deprauet cor meum, nulla delectatio inanis & vana occupet illud, neque impleat tamen. Nõ enim ſatiari poteſt orbe toto, ſed in te vno qui eſcit: ideò etiam hominibus placere non cupio, ſed tibi vni, & apud te infelix vermis & non homo, apud te inuenire gratiam. Sicut enim oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ſic oculi noſtri ad te Dominum Deum noſtrum, donec miſerearis noſtri. Qui hominibus placent, inquit ille, confuſi ſunt, Deus ſpreuit illos: placebo ergo tibi, Domine, & nullius quæram gratiam, nullius amor cogitationes meas inquinabit, vt tu totum poſſideas, quod totum totus tibi dicaui. Cordis mundities neceſſaria. Pſal. 52.

Aſpera quoque fac in vias planas, vt te ſequar; dixiſti enim: Omnis enim vallis implebitur, & omnis collis humiliabitur. Tolle igitur à me ſuperbiam & anxietatem, quæ diſplicet tibi, & impatientiam, tu quia mitis es, & humilis corde, & quidquid placuerit infamiæ, contumeliæ aut deſolationis immittere, fac vt accipiam de manu tuâ verè paternâ, & benignâ. Fac vt volupè mihi ſit compati tibi, vt conregnare poſſim; neque diſcutiam per quem exercear: ſed quis tu ſis, medice ſuauiſſime, qui animæ meæ vulnera curas, ſecas tamen & forſitan vris. Ah vtinam inebriaret me amor tuus, & ignis ille vreret, quem voluiſti vehementer accendi! Labor enim meus non eſſet tunc vnius horæ, & ſi amplius eſſet, non ſentirem præ amore. O quis mihi tribuat hunc ignem, vt in illo tamquam in fornace purificetur intentio & amor meus, neque petã quidquã abs te, niſi propter te. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Tu enim præmium meum, & merces magna nimis; neque enim peto gloriam, niſi vt glorificetur Dominus meus in ſeruulo ſuo neque dona tua, niſi vt magnificet anima mea te Domine, & omnia quæ intra me ſunt, benedicant nomini ſancto tuo.

Reſignatio.

Non eſt attendendum quis nos exerceat.

Luc. 12.

Bernard.

Eliſæus dum puerum ſuſcitaret applicuit os ori, manus manibus vt ſuſcitaret eum. Contraxit ille ſe, & ego te magne Deus, rogo ne deſpicias me, ſed contrahe magnitudinem tuam, & fac obſecro vt os meum non loquatur opera hominum, ſed te vnum. Memoria mea tui memoriâ impleatur, & vanitas creaturæ non occupet illam, intellectus meus nihil quæſo ſciat, niſi te Dominum meum IESVM, *& hunc crucifixum; hæc eſt enim vita æterna, vt cognoſcant Deum Patrem, & te filium eius. Cor verò meum ſit thronus miſericordiæ tuæ, & lectulus floridus, in quo requieſcas ſponſe animæ meæ. Si enim occupaueris illud, oculi mei & aures, omneſq; ſenſus mei conuertentur ad te, neque quærent in vanitate creaturam, quod coram habent in Creatore.*

Pſ. 16.

Regnum Dei intra nos eſt, & tu deſideriũ animæ meæ: quid enim diligere poteſt extra te, qui nouit te eſſe intra ſe? an alta, quæ tu à longè cognoſcis, qui me doces eſſe mitẽ, & humilẽ corde, qui minoratus es paulò minus ab Angelis? & ego maior

Matth. 11

Hebr. 2.

eſſe

eſſe cupiam, quàm ſim, & exiſtimabo me aliquid eſſe cùm nihil ſim? Primus Cathedras & primos accubitus petã, & te videbo in nouiſſimo ſedere? Non faciam per gratiã tuam, ſed vilis ero & humilis in oculis meis. Et ſi tu pro me pauper factus es cùm eſſes diues, ego pauper diu eſſe nolo, vt paupertate tuâ diues ſim.

Lucæ.50.

Humilitatis affectus.

Voluptas autẽ non me trahet, ſi amor tuus & funiculi charitatis tuæ traxerint me. qui enim tui ſunt, carnem ſuã crucifixerunt cum concupiſcentiis ſuis; militant enim illa aduerſus animam meam, & aduerſus te Deum meum. ideò non habitabunt in medio domus meæ, & in matutino interficiam omnes peccatores terræ meæ. Adoro enim & laudo te Deus meus, & benedico te toto corde meo, quòd cùm in formâ Dei eſſes, te ſic contraxiſti & exinaniſti, vt eſſet quod ſequerer exemplũ, vel potiùs quod me traheret. Quẽ enim nõ trahat paupertas, & cunæ tuæ, & panni tui? quis te nõ ſuſcipiat in corde ſuo, dum videt in propria te veniſſe, & quòd tui nõ receperint te, nec habueris vbi caput reclinares? ſed quem non trahat patientia tua, dolores, ignominiæ, & vulnera tua? dicit Apoſtolus tuus benigniſſime IESV, *nã quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui; nolo igitur conformari huic ſæculo nequam, ſed reformari in nouitate mentis meæ; & quãuis ægrè poſſim & certe non æquis paſſibus, ſequi te ſpero tamen quia habeo, & teneo promiſſum, & negare non potes: dixiſti: petite, & accipietis, quærite, & inuenietis. Peto igitur ex intimo corde hoc ſentire de honore, & vanitate, & voluptate, & hominum iudiciis, quod tu Chriſte* IESV. *tu enim reliquiſti hæc mihi exempla, vt ſequar veſtigia tua. Et certè qui dicit ſe in te manere, debet ſicut tu infinita bonitas ambulaſti, & ipſe ambulare. Cupio igitur ambulantem per ſpinas cruentatis plantis, vt me quæras, & animas errantes ſicut oues abſque Paſtore, cupio te non fugere ſed ſequi ex intimo corde, & illas non fugare, ſed charitate omnimodâ quærere, ducere, trahere ad te omne bonũ, ſponſas tuas, & precium magnum ſanguinis tui. hoc cupio ſentire in me, quod tu bone* IESV *in te: & Apoſtolo tuo clamante: induimini Dominum* IESVM *Chriſtum, parere exopto, & hodie te amantiſſime ſuſcipere, vt viuam ego iam non ego, viuas*

Pſ.100.

Exemplũ IESV trahit.

Rom.8.

Confidentia in Deo.

1.Pet.2.

Epiſt.1.c.2.

B.Ioan.

Rom.13.

Applicatio ad Communionem.

Cant.8. *verò tu in me Chriſte* IESV. *Pone, obſecro te, vt ſignaculum ſuper cor meum, vt ſignaculum ſuper brachium meum: fac vt qui portaui imaginem primi hominis terreni, portem imaginem cæleſtis Sic enim ſpero ibo de virtute in virtutem, & ſpiritu tuo* 1.Cor.10 *agar, vt filius tuus ſim, & repleas in bonis deſideriũ meum, & renouetur vt aquilæ iuuentus mea. Vtinam hoc cibo refecto deſipiat mihi vniuerſi mundi ſolatium! Vtinam huius ſuauitate animæ meæ illectæ mundi huius oblectamenta vertantur in abſinthium! Vtinam ſileat in conſpectu tuo omnis terra, & totum ſic occupes me, vt nullum in me reperiat locum, hoſtis, & tu vnus ſis mihi omnia in omnibus. Amen.*

IACVLATORIÆ.

Pſ.44. *O Specioſe formâ præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, trahe me in odorem vnguentorum tuorum.*

Pſ.118. *Erraui eheu! ſicut ouis quæ periit, quære ſeruum tuum, quia mandata tua non ſum oblitus.*

Iſaiæ 64. *Vtinam dirumperes cælos, & deſcenderes! nequando rapiat vt leo animã meã, dum non eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.*

Pſ.84. *Oſtende nobis, Domine, miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.*

Pſ.24. *Deſcende, obſecro, & veni, & reminiſcere miſerationum tuarũ antiquarum quæ à ſæculo ſunt, vt ſequar te.*

Cant.5. *Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum, & deſideriorum meorum.*

Cant.2. *O ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ Patris, portans omnia verbo virtutis tuæ! Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera matris meæ?*

Thren.3. *Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea exſpectabo eũ.*

Rom.8. *Quid me ſeparabit à charitate tua, ô Deus? tribulatio, anguſtia, an fames? certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia per gratiam tuam in æternum.*

CAPVT LVIII.

De affectu Gratitudinis, & modo eũ exercẽdi.

HVNC vt exerceas, Primò agnoſce beneficium quaſi tibi ſoli collatum, etſi fortè pluribus commune.

Secundò,

Secundò, Appende autem ſingula ex eo quòd in ſingulis plurima contineantur.

Tertiò. Vide quanta tua indignitas.

Quartò, Quanta ſit liberaliſſimi Domini charitas.

Quintò, ex malis contrariis, quæ aliis obueniunt, & tibi obuenire poſſunt, benignitatem Dei erga te extolle.

Sextò, Sic vno appenſo beneficio cùm omnia connexa ſint, perge ad aliorum conſiderationem, quæ à cælo, elementis quatuor percipis, aut in corpore, aut animâ, aut externis rebus: infinita enim Dei beneficia ſunt.

Septimò, Gratum te exhibe tanto Benefactori, præſtando aut offerendo te ad ea, quæ ille petit abs te, & omnes creaturas invita, vt te ad laudandum iuuent.

Affectus gratitudinis breuior.

CONFITEBOR *tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua. Mirabilis enim facta eſt ſciētia tua ex me ſuper miſericordiâ, & veritate tuâ erga me. Vnde enim hoc mihi vt recorderis mei, & tot N. me præuenias benedictionibus dulcedinis, & amantiſsimæ charitatis tuæ? Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi nō meminero tui in principio lætitiæ meæ. Tu enim potentiſsimus, & ego vapor; & nihil tu ſapientiſsimus, & lumen, & ego tenebræ, & ignorantia; tu bonitas ipſa, & iuſtitiæ meæ ſicut pannus menſtruatæ, & tamē hæc mihi præſtas, & aperis manū tuam mihi, & imples me omni benedictione. Ideò eructauit cor meum verbū bonum, & dico tibi opera mea, & totum me, vt facias de me voluntatem tuā in bonis & malis N. in tempore, & in æternitate trado me tibi, qui tradidiſti temetipſum pro me. Reddo me tibi, tuus enim ſum ego, viuo denique tibi, vt viuas in me, & ibi moriar, & diligam te toto corde meo. Amen.*

Pſal. 137. Pſal. 138. Pſalm. 20. Admiratio Pſal. 136. Reſignatio. Gal. 2.

Affectus gratiarum actionis,

Humiliatio ſui.

O Domine Deus meus, ô bonitas infinita, quis ego ſũ homo miſer, & miſerabilis, vt memor ſis mei? immò verò vermis ſum ego, non homo, opprobrium meritò hominum, & abiectio plebis; & dignum ducis ſuper huiuſmodi aperire oculos tuos, & aſſtare, & largiri dona hæc N. tua? Benedic anima mea Domino & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius. Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus quæ retribuiſti mihi, & pro hoc N. nominatim, quodq́; toleres me ſtare in conſpectu tuo, & oculi tui in omni loco contemplentur me, vt ſub vmbrâ alarum tuarum protegas me, vti benigniſſimè facis? Quanta enim & quàm innumera mala me circumſtant! ſcio & aures tuas intentas ad deprecationem meã, quæ tamen qualis ſit, & à quo nouiſti dulciſſime IESV, quẽ præſentem amplector, & amo toto corde quantum poſſum.

Præſentia Dei. Pſal. 102.

Deus præſeruat à malis. Pſal. 39.

Et vnde quæſo hoc mihi, amantiſſime Domine mi, vt tu in ſplendoribus Sanctorum memineris mei, & tenebrarum mearum? Eramus enim aliquando tenebræ, nunc autẽ ſpero lux in te Domine. Vtinam ergo luceã tibi cum iucunditate, & ſic luceant opera mea coram hominibus, vt glorificent te Patrẽ noſtrum, qui es in cælis! ſed vnde, obſecro, Rex regum, & Dominus dominantium, vnde hoc mihi, vt in gloriâ tuâ, & lætitiâ, memineris lacrymarum mearum, & recorderis mei, quaſi guttulæ in vaſto mari, & arenulæ in vniuerſo hoc? Et hæc N. mihi tribuas, cùm tot milliũ obliuiſcaris, id eſt, perire eos ſinas, & me, me, me (quis, obſecro, quis ego ſum) me eximas de pereuntium numero, & ames? túne Deus meus infinita bonitas, de ventre matris meæ recordatus es nominis mei, & dignatus es eſſe protector & ſuſceptor meus? & ego obliuiſci tui aliquando potero, aut legis tuæ, quâ me te amare iubes? & non cantare in æternum miſericordias tuas?

Epheſ. 5.

Electio & conſeruatio Dei gratuita. Iſaiæ 39.

Si oblitus fuero tui, IESV dulciſſime, quem amo, & amplector, obliuioni detur dextera mea, & adhæreat lingua mea faucibus

cibus meis ſi nõ meminero tui. Quis enim ſũ ego, & quæ domus Patris mei, vt vnum me eligas, & innumeros relinquas? me inquam, vermiculum vnum, arenulam, guttulam vnam, vel atomũ in magno hoc vniuerſo, quod tamen eſt corã te inſtar guttæ roris antelucani. Vnde inueni hanc gratiam in oculis tuis? ſcilicet oſtendere vis diuitias miſericordiæ tuæ in me. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei mei! ô abyſſus miſericordiæ, qui me tot bonis cumulas, undique circumdas, vt ab infinitis prope malis præſeruas! & quorſum hæc? ſcilicet vt gratus tibi ſim, & erudiar ad amorem abs te, & prouoces me, vt pia mater ad amplexus, denique vt adhæream tibi omni bono, & bene atque optimè mihi ſit in te. quod vehementer opto, ſed non niſi propter te, in quo viuo, moueor, & ſum, & ero gratiâ tuâ in æternum. Tu enim in manibus tuis portas me, ne fortè offendam ad lapidem pedem meum.

Sap. 11. — Rom. 11.

Et hæc præſtas quamuis iniurius tibi fuerim, & quotidie multis peccatis contriſtem ſpiritum tuum, ego inquam puluis, & cinis, & vapor ad modicum parens, & nihil, ô quam doleo ex amo re tui quòd vmquã id fecerim, aut facere cogitarim! ô vtinam ſaltem ex hoc nunc in æternum tot bonis prouocatus à te, non declinem à mandatis tuis, non derelinquã te fontẽ aquæ viuæ! ſed eheu! neſcio, neſcio quid ſerus veſper vehat; & audio: Qui ſtat videat ne cadat: & poſt hæc omnia dona tua horreſco, dũ cogito, quòd ecce Domine mi, niſi tu adiuuares me, etiã hoc momento calcarem te, & rurſum crucifigerem te mihi, pro tot ſcilicet donis tuis. Quod enim eſt peccatũ quod facit homo, quod non facerem ego ſine te, & obliuiſcerer Amoris, & infinitæ charitatis tuæ? Quas ergo gratias tibi referam? Venite & audite Angeli Dei, & ſãcti eius, qui me intuemini, & hæc auditis clamantem, & ſuſpirantem in valle lacrymarum, vel in naufrago mari inter mille ſcopulos luctantem, inter hoſtium myriades inermem, & fragillimum conſtitutum. Venite, & audite quàm ſuauis ſit mihi Dominus, vos qui guſtatis & videtis. Venite, & audite, & narrabo vobis, qui timetis & amatis Deũ, quanta fecerit animæ meæ.

Contritio — Iacob. 4. — Humiliatio. — Aug. — Pſal 33.

Miſericordias tuas Domine in æternum cantabo, in generatione

tione

tione & generationẽ aununtiabo veritatem tuam in ore meo.
1.Reg.24 *Quid enim, quæſo, inueniſti in me, cur præ cæteris me beatum eſſe velles, & me, me hiſce donis tuis N. cumulares canẽ mortuum, & pulicem vnum? ecce vis diuinæ conſortẽ facere naturæ, & regni tui, cuius non erit finis. Benedicam itaque te Domine in omni tempore, ſemper laus tua erit in corde, & in ore meo: quia eripuiſti animam meam de morte, & pedes meos à*
Pſal.144. *lapſu, & de manu canis vnicam meam. Exaltabo te Deus meus Rex, et benedicam nomini tuo in ſæculum, et in ſæculum ſæculi. Per ſingulos dies benedicã tibi, & laudabo nomen tuum in ſæculum, & in ſæculum ſæculi. In omnibus, & de omnibus benedicam tibi, vt ingratitudo mea nõ areſaciat fluenta miſericordiæ tuæ, quæ fluunt, & affluunt in me tanto impetu charitatis de Libano, & fonte bonitatis tuæ. Vtinam fluant de*
Leo de Ieiunio. ſer.1. *vẽtre meo flumina aquæ viuæ, quibus irrigetur vniuerſa creatura, & confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & Sãcti tui benedicant tibi. In his igitur, & pro omnibus, quæ feciſti mihi, gratias ago; nam non per omnia tibi gratias agere, quid eſt aliud, quàm quadã te parte reprehendere, ſicut diues, qui non tam magnitudine fructuum ſibi gratulatur, quàm de vilitate conqueritur. Etſi centuplum, imò mille cuplum dediſti, &*
Reſignatio. *vnum negaueris mihi pro æternâ ſapientiâ tuâ, ô medice, & ſalus animæ meæ, numquid oculus meus nequã erit, quia tu bonus es? & obliuiſcar bonitatis tuæ, quia præteritis donis non*
Apoc.3. *adiicis quod optabam; ego, inquã, cæcus, & infirmus, & miſer, & miſerabilis, neſcius quid expediat ſaluti meæ, & gloriæ tuæ.*
Pſalm.77. *Tu verò pro ſapientia, & clementiâ tuâ diſponis omnia, et miſericorditer multa negas, quæ iratus concedis improbis filiis tuis. Sic filiis Iſraël carnes dediſti, & adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira tua aſcendit ſuper eos. Siue igitur mihi petita neges, ſiue tribuas hæc vel illa N. ſemper tibi gratias agam, & ago pro bonis & malis præteritis, præſentibus, & futuris. Pater optime, tu ſcio, quem diligis caſtigas, & flagellas omnem filium quem recipis.*

1. *Noli, obſecro, reprobare me à pueris tuis. Seruus enim tuus ſũ ego & filius ancillæ tuæ. Et cur nõ tibi Domino prudẽtiſſimo,*

ſsimo, & optimo Patri permittemus tuas vt opes diſpertiâris arbitratu tuo? Si quid tribuas, gratos nos eſſe oportet. ſi quid item neges, confidere bonitati tuæ, & acquieſcere ſanctiſsimæ voluntati tuæ: ita volo, ita facio per gratiam tuam. Si enim bona de manu tuâ accepimus, mala quare non accipiamus? accepio, accipio, & te amo totâ animâ meâ, & mente meâ, & licet occideris me, in te ſperabo. Ecce nunc benedicite Dominū omnes ſerui Domini, qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. Dicite laudem Deo noſtro omnes ſerui eius, & qui timetis eum; puſilli & magni, & ô vtinam, Domine, complaceat tibi laus mea, & ſpecioſa ſit hæc in ore meo! vtinam ſic vitam inſtituam meam, vt omnes videant opera mea bona, & glorificent te, qui in cælis es! opto omnium Sanctorum, & Angelorum, & beatiſsimæ Matris tuæ laudes offerre tibi ex hoc nunc & in æternum. Serò enim te cognoui pulcritudo tam antiqua, tam noua; bonitas inexhauſta, & incomprehenſibilis charitas. Atque vtinam poſſem creaturam omnem & arenam & guttas, & atomos in Sanctorum, & Angelorum choros conuertere, & laudarent te pro me, pro omnibus quæ retribuiſti mihi, ex die quo conceptus fui, & in hanc ætatem perductus ſum. Recogitabo tibi omnes annos meos, & dona tua in dulcedine animæ meæ. Nullum enim fuit momentum, quo nō innumera mihi impendentia mala auerteris, & dona concefferis, & quod caput eſt in ſingulis prope donis vniuerſa: vt enim vno dono fruar, tu infinita propè mihi, & alius tribuis, vt hoc vno mihi liceat frui, v. g. fruſto panis paſcar, cælorum motus, & influentias, & elementorum inter ſe pugnantium conſenſum, & cauſarum atque hominum ſeries, à te facta, & ſeruata fuit, vt paratus mihi eſſet cibus in tempore opportuno. Ordinatione enim tuâ ſeruiunt mihi. audio amplius, in his omnibus, tu qui es, & operaris omnia, nónne tu quaſi ſeruis mihi in his Deus cordis mei & omnia?

Baſil. hom. 3. de Mart.

Pſ. 133.

Apoc. 19.

Iſaiæ 38.

In vno dono Dei plurima ſunt.

Reuela quæſo oculos meos, vt conſiderem mirabilia de lege, & charitate tuâ. Aperi quæſo omnium oculos, vt tibi Regi cælorū, & immortali, ſoli honor, & gloria ab omnibus tribuatur. Nolite, quæſo, filij hominum diligere vanitatem, & quærere mendacium

Pſ. 118.

Soli Deo gloria tribuenda.

1. Tim. 1.

dacium. Nolite dicere, manus noſtra, & nō Dominus, fecit hæc omnia: nolite tribuere laternæ lumen, ſcriptionē calamo, imaginem cælo, panem aratro, &c. Audite, audite: ipſe fecit nos, &
Pſal. 202. nō ipſi nos, omnia in nobis ipſe operatus eſt, nō tamē ſine nobis & ſine ipſo factū eſt nihil. Benedic ergo anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſācto eius. Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuā, qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus: qui replet in bonis

Applicatio ad S. Communionem. desiderium tuū, & renouabitur, vt Aquilæ, iuuentus tua. Ecce enim venit dilectus tuus ſaliens in montibus, tranſiliens colles.
Cant. 2. Surge igitur ô anima mea, & aperi dilecto tuo, vt benedicat tibi anima eius, & expleat omne deſiderium tuum. Quod verò
Pſalm. 41. deſiderium hoc meum? tu noſti, tu vnus es, IESV benigniſſime. Quemadmodum enim deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad te Deum fortem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciē tuam? ecce nunc cantamus canticum tuū in terrâ alienâ: quando dabitur, vt in cōſpectu Angelorum pſallā tibi, & adorabo ad templū ſanctū tuū, & con-
Pſal. 137. fitebor magno nomini tuo? Magnus enim es Dn̄e, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ nō eſt finis. Generatio & generatio laudabit opera tua, & potētiā tuā pronuntiabit, magnificentiā gloriæ ſāctitatis tuæ loquentur, & mirabilia tua narrabunt, & virtutē terribiliū tuorū dicent, & magnitudinē tuā narrabūt. Memoriam abundantiæ ſuauitatis eructabunt, & iuſtitiâ tuâ exultabūt. Miſerator, & miſericors Dominus, patiens & multum miſericors. Suauis Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & ſancti tui benedicant tibi. Lauda anima mea Do-
Pſ. 145. minū. Laudabo Dominum in vitâ mea, pſallam Deo meo, quādiu fuero. Amen.

IACVLATORIÆ.

Tob. 12. Benedicimus Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam.

Pſ. 115. Pſ. 50. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam, & ecce tibi, ô IESV, cor contritum & humilitatum quod tu non deſpicies.

Benedic

Benedic anima mea Dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Pſ.102.

Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Pſ.70.

Ego autem cantabo fortitudinem tuam, & exaltabo manè miſericordiam tuam, quia factus es ſuſceptor meus, & refugium meum in die tribulationis meæ. Pſ.58.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi eius, in atriis domus Domini, in medio tui Hieruſalem. Pſ.115.

Quàm bonus Iſraël Deus his qui recto ſunt corde! quoniam magnificata eſt ſuper cælos miſericordia tua, & vſquè ad nubes veritas tua. Pſ.72.

Confitebor tibi Domine rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum, confitebor nomini tuo, fac de me ſecundum beneplacitum tuum. Eccli. 51.

Venite & audite omnes qui timetis Deum, & narrabo vobis quanta fecit animæ meæ. Anima mea illi viuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi. Pſ.65.

CAPVT LIX.

De Affectu Gaudii Spiritualis, & modo eum exercendi.

EST gaudere primò de Deo, & de perfectionibus illius, potentiâ, ſapientiâ, bonitate, quæ illi intrinſeca ſunt.

Secundò de extrinſecis bonis eius.

Tertiò de bonis quæ anima cum Deo habet, & à Deo fonte omnis boni conſequitur veniam peccatorum, gratiam, & gloriam, &c.

Quartò reſpuere omne creatum bonum, tamquam inimicum veræ lætitiæ & gaudii.

Quintò rogare Dominum, vt gaudium nobis concedat & confirmet.

Ex-

Exercitium breuius gaudii ſpiritualis.

QVOD mihi in hâc ſolitudine gaudium, Deus meus, niſi
1. Cor. 13. tu omne bonum? ſed eheu! longè & à me, & prope, &
Tobiæ 5. intra me, videoq́ te per ſpeculũ in ænigmate. Quantum ergo
& quale gaudium mihi eſſe poteſt, qui in his tenebris ſedeo, &
Iſaiæ 61. lumen tuum, ô ſol iuſtitiæ, non video? Gaudens tamen gaudebo
Pſ. 83. in Domino, & exultabo in Deo IESV meo, quia poſt tenebras
ſpero lucem. Vtinam cor meum & caro exultent in te Deum
Pſ. 18. viuum! vbique enim etiam in hâc lacrymarum valle materia
gaudii mihi eſt. Seruit enim mihi omnis creatura, & cæli enar-
Pſ. 136. rant gloriam tuam, & annuntiant mihi amorem tuum. Muros
Pſ. 91. video cæleſtis Ieruſalem poſitos in oculis meis, ne tui, ne pa-
Pſ. 32. triæ obliuiſcar. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non
Philip. 4. meminero tui. Delectaſti me Domine in facturâ tuâ, & in o-
peribus manuum tuarum exultabo, & cùm ſcriptum legam:
Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui: nonne
Rom. 14. dabis eas mihi quæ ſunt gaudere in te Domino meo ſemper, &
exultare in te in gloriâ tuâ, quodq́ tibi flectatur omne genu?
Vtinã ſic gaudeam, vt vitæ huius gaudia repellam conſtanter,
Pſ 72. & te fruar, ac tœdia feram fortiter. & quidquid tibi viſum
fuerit; tuus enim ſum: & quemadmodum deſiderat ceruus ad
fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.

Affectus Gaudii.

O Quam bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde! verè
Pſ. 41. ſuauis eſt, Domine, ſpiritus tuus, qui iubes me delectari in
te, & ſi id fecero, promittis mihi dare petitiones cordis mei: di-
Pſal. 36. xiſti enim per Pſaltem tuum: Delectare in Domino, & dabit
Gaudium in Deo omnia impetrat. tibi petitiones cordis tui. At quænam iſtæ ſunt? nullæ, ſpero, niſi
vt lætetur ſapiens in aſtutiâ ſuâ, & fortis in fortitudine ſuâ;
ego autem in eo, quòd cognouerim te omne bonũ, & quòd ex-
Pſ. 31. ultent iuſti in te Domine, & glorietur in te omnes recti corde.
Gaudium de bonis Dei. Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes
recti corde. Laudamini in nomine ſancto eius, lætetur cor quæ-
Iſaiæ 55. rentium Dominũ. Et quomodo non lætetur in te is, qui quærit

te

te, dum inuenire potes, & inuenit te? dicebat ille amicus tuus: Memor fui Dei mei, & delectatus ſum; nónne & me replebis lætitiâ cum vultu tuo? & introibo in conſpectu tuo in exultatione? ſto enim hodiè coram te, & lætabor, & exultabo in te: pſallam nomini tuo Altiſſime. Memoria dulciſſima Pſal.76. Præſentia Dei.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo: Cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini Dei Altiſſimi: Quanta enim bona de manu tuâ accepi præ aliis plurimis, à quibus me nihil diſcernit, niſi gratia tua? Itaque dicam cum Pſalte tuo: Dominus regit me & nihil mihi deerit; nihil, nihil in loco paſcuæ, vbi me collocauit: ſuper aquas refectionis educauit me: animam meam conuertit: deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ propter nomen ſuum. Quis enim homo nouit viam ſuam, & finem ſuum, niſi tu Domine? paraſti inſuper in conſpectu meo menſam carnis, & ſanguinis tui ferculis inſtructam, aduerſus eos, qui tribulant me, impinguaſti in oleo miſericordiæ tuæ caput meũ, & calix tuus inebriãs, quàm præclarus eſt! Pſal.9. Pſal.12. Gratiarũ actio. Pſal.22. Enumeratio beneficiorum Dei & cauſæ lætitiæ.

Super omnia tamen hoc me delectat, quòd miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ: idq; vt inhabitẽ in domo Domini in longitudinem dierum. ſic detergo omnem lacrymam ab oculis meis, quia oculi mei te conſpecturi ſunt, & vias iuſtas & æquas, quibus me perduxeris ad te. O quomodo anima mea tunc exultabit in te Domine, & delectabitur ſuper ſalutari tuo! omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? quando nempe inebriabor ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis me. Deſiderium vnionĩ cum Deo. Pſal.39.

Nunc hic ure, hîc ſeca, quod bonum eſt in oculis tuis hoc facito; tuus ſum ego: tu noſti quid expediat non tam mihi, quàm magno nomini tuo. Tu medicus, & ego æger; tu benigniſſimus Pater, & ego filius, quis, qualiſq; tu noſti qui ſcrutaris cor & renes: ſufficit vt noueris, non enim amas & deſeris. Etenim agnoſco Patrem, ideoq; & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Reſignatio.

Lætabor & exultabo in te, & gloriabor in te Deo Saluatore meo. Abſit enim gloriari niſi in te & in cruce Domini noſtri IESV *Chriſti, & in amore tuo bone* IESV. *Exultabimus, &* Cant.1.

lætabimur

lætabimur in te, memores vberum tuorum ſuper vinum. Vbiq; enim elucet potentia, ſapientia, & bonitas tua, & in omni myſterio vitæ meæ charitas immēſa erga me elucet & me trahit. Video enim hæc geri vt mortem me appetentem interimas, & viuam tibi; vt ignorantiam meam pellas, & cognoſcam te eſſe omne bonum & me, & omnia nihil eſſe in conſpectu tuo, nec ſatiari poſſe cor meum, niſi te vno, eo quòd creaueris nos ad te. Doces me vincere hoſtes meos, & gratiâ tuâ præuenis, & vbique gloriæ æternæ pignora oſtentas mihi, & vbique ô gaudium, ô fiducia mea, vbique es mihi præſens & omne bonum.

Affectus zeli. Cant. 1. Pſal. 20. Iſaiæ 53. *O vtinam cognoſcant te, & te præſentem intelligant omnes mortales. gaudeo interim & gratulor, quia recti diligūt te, & ſperant in te, qui nouerunt te. Inter hos ego minimus ſeruorū tuorum, quem tot benedictionibus dulcedinis præueniſti, & in amaritudine animæ meæ delicias mihi præparare dignatus es. Condonaſti etiam, vt ſpero, mihi omnia peccata mea, qui dolores meos, & languores verè portaſti, & tormēta tua mihi voluiſti eſſe vera ſolatia, tuas calumnias mihi gloriam, & doctrinam, & arma mea, imo veſtem meam, ad quam me hortaris per Apoſtolum amantiſſimè, dum dicit, Induimini Dominū* Rom, 13. Actus amoris. IESVM *Chriſtum: quid illud eſt? lucem inacceſſibilem, charitatem ineffabilem, vt omnis ignorantia tollatur, & omnis amaritudo euacuetur. Gloria enim magna indui veſte tuâ, & te Domine mi ſequi.*

Non feciſti, nō feciſti taliter omni nationi, vti mihi, & cur mihi? equidē quia amabas me. & ego vllo momento vitæ meæ, aut æternitatis tuæ te non amabo? dico tibi, dico obſecro, ne iraſcatur Dominus ſi loquatur puluis & cinis, dico ex intimo corde coram curiâ tuâ; per gratiam tuam amo ſincere te, amo Affectus amoris. Pſal. 103. *& ex hoc momento in æternū omnes reſpirationes & motus, actus eſſe cupio ardentiſſimi amoris. Cantabo Domino in vitâ meâ, pſallam tibi Deo meo quamdiu ero. Iucundum ſit tibi eloquium meum: ego enim delectabor in te Domine, & amabo te toto corde meo.*

Gratulatio. *Gratulor tibi, & gaudeo de omnibus bonis tuis, non quia cōmunicare ea mihi vis, ſed quia tu ea poſſides, & iis gaudes ô infinita*

infinita bonitas, ſapientia, & potentia, ſufficit mihi hac eſſe tua, & me eſſe nihil in conſpectu tuo: qui enim exiſtimat ſe aliquid eſſe cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit: gaudeo tamen de præſentiâ tuâ cui flectitur omne genu, quem ardentiſſimo corde complectitur vniuerſa curia Sanctorum, & Angelorum. O vtinam etiam ſic vniuerſum cor humanum tecum eſſet, te vnũ amaret, & ſperaret. Non eges quidem, non eges iſtis amatoribus, non eges tu Domine Deus bonorum meorum; ſed quod tibi debeo, infinitis ticulis. malignè quidem reddo; reddo tamen, & cum gaudio: Confitebor tibi in vaſis Pſalmi, & veritatem tuam Deus pſallam tibi in citharâ ſanctus Iſraël. Galat. 6. Pſal. 70. Deus non eget nobis. Pſ.15. Pſ.70.

O vtinam ego, & omnes perfectè te diligant omne bonum! vtinam exemplari vitâ, qualẽ me ducere decet & exigit charitas tua, ſic honorificare poſſem te, vt traherẽ omnes in odorem vnguentorum tuorum; tu enim amor noſter, & gaudium, tu delectatio noſtra, tu ſpes & gloria noſtra Fac igitur vt omnẽ riſum reputem errorem, & in te ſolo, & de te ſolo gaudeam. Hoc enim ſcio à principio, ex quo poſitus eſt homo ſuper terram quòd lætitia impiorum breuis eſt, & gaudium hypocritæ adinſtar puncti. Si adſcenderit vſque in cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit; quaſi ſterquilinium in fine perdetur; & qui viderint, dicent, vbi eſt? velut ſomnium auolans nõ inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna, & cùm dulcè fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub linguâ ſuâ, panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum: intrinſecus diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus: caput aſpidum ſuget, & occidet eum lingua viperæ. Abſit ergo, abſit à corde ſerui tui, qui confitetur tibi, abſit ut quocumque gaudio gaudeam beatum me putem. Eſt enim gaudium quod datur impiis, ſed eis qui te gratis colunt: quorum gaudiũ tu ipſe es, & ipſa vita eſt beata gaudere ad te, de te, & propter te; ipſa eſt, & non eſt altera, neque ad alteram tuâ gratiâ ſuſpiro: Quidquid enim in mundo eſt, vniuerſa vanitas eſt, & afflictio ſpiritus. In te verò qui exultat animus, tranquillus eſt, neque habet quod expetat extra te. Animi enim tranquillitatem & lætitiam, inquit Chryſoſtomus tuus, non principatus magnitudo, non pecuniarum copia, non potentiæ tumor, non corporis Actus zeli. Eccli.2. Contemptus ſæculi. Iob.20. Ibidem. Aug. lib. 10. con. c. 22. Eccleſ. 1. Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. ad Rom.

 for-

fortitudo, non menſæ ſumptus, non veſtium ornatus, non aliud quidquam rerum humanarum afferre conſueuit præterquam rectè factum, & bonum ſpirituale, & munda conſcientia, quã certè qui habet, vt pannoſus ſit & cum fame luctetur, tamen tranquillior, & beatior eſt iis, qui inter delicias degunt; quemadmodum & qui malè ſibi conſcius eſt, etſi omnia bona poſſideat, omnium eſt miſerrimus.

Mundus non ſatiat. Eſther 3. 3. Reg. 21. *Ecce Aman mediâ in felicitate quidquã ſe habere negat, eò quòd Mardochæus ſe non colat, & infelix Achab, quòd vineã Naboth non poſſideat. Apoſtolus verò tuus in fame & ſiti, in frigore, & nuditate, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, Repletus ſum, ait, conſolatione, ſuperabundo gaudio. Da mihi, obſecro, hoc gaudium, & amara ſit mihi omnis delectatio, quæ extra te eſt: huius enim extrema luctus verè occupat, & triſtitia ſæcularis, quã, obſecro, vt auertas à ſeruo tuo. Sicut enim tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi: & à triſtitiâ cordis feſtinat mors, & cooperit virtutem, & triſtitia cordis flectit ceruicem, & omnis plaga triſtitia cordis eſt, verùm hæc non inuadit ſeruum tuum, qui deſpicit vniuerſa propter te, & nouit quàm precioſa ſit anima ſua ſibi, & tibi; quodq́ pro eâ nullam commutationem dare poterit. Empti enim ſumus à te precio magno, ô ſapientia, ô bonitas, & verè quàm precioſus tibi ſum ſeruus, qui vt tuus eſſem, formam ſerui accepiſti in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo.*

1. Cor. 11. 2. Cor 7. Triſtitia noxia. Prou. 25. Eccli. 38. & 55. Iuſtus nõ triſtatur. Matth. 16. 1. Cor. 6. Philip. 2.

Contemptus ſui. *Et vnde tibi tam precioſus eram, qui ſum verè & ſincerè viliſſimus, & talẽ me haberi volo & velle debeo? quomodo emiſti me precio tam magno, vt ſcilicet glorificarem & portarẽ te in corpore meo, & vnum te diligerẽ? & poteróne alium præter te? quàm præcioſa debet eſſe gloria, & deſiderabilis, quã ſic emiſti mihi! quàm terribilis infernus, à quo me ſic redimiſti, & præſeruaſti, in quem innumeros ruere video, quia derelicti ſũt à te, quia dereliquerant te. Exultabunt labia mea, cùm cantauero tibi, & anima mea quam redemiſti: ſed & lingua mea totâ die meditabitur iuſtitiã tuã, cùm confuſi, & reueriti fuerint, qui quærunt mala mihi. Exurge Deus meus, exurge gloria mea:*

Pſalm. 70. Pſalm. 70. 56. 9. 21 34

mea: lætabor, & exultabo in te, & narrabo nomẽ tuũ fratribus meis, & in populo graui laudabo te; quia viciſti leo de tribu Iuda, & illuminaſti me ſedentem in tenebris, vt ſurgerem, & Apoc. 5.
ſequerer te, & intrarem in gaudium Domini mei. Vnũ id peto, ſed non niſi propter te; non cupio videre bona tua, niſi vt laudem te, nec euadere ſupplicia æterna, niſi vt honorificeris & iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris: omnia Pſal. 50.
enim propter temetipſũ feciſti; tu vnus ſufficis mihi, & ſufficit mihi gratia tua. Non ergo ſapiat mihi mundus, aut bona illius, quando guſtaui, & vidi quàm ſuauis ſis, Domine IESV, 2. Cor. 12. Pſalm. 33
quẽ amo toto corde meo, non delectent me ſyrenũ cantus fallaces, quando vox tua dulcis ſonuit in auribus meis, & dulcia facta ſunt faucibus meis eloquia tua ſuper mel & ſauum.

Quid mihi delectabile eſſe poteſt poſtquam vidi te Domine, & ſalua facta eſt anima mea? quid me cõtriſtare deinceps poteſt? gaudens gaudebo in Domino, & exultabo in Deo IESV Abacuc. 3
meo. Tu enim regis me Domine, & nihil mihi deerit. Cur ergo ſperare, aut alicui obnoxius eſſe volo, qui in te vno omnia habeo? ſi fameo, ecce paraſti in cõſpectu meo mẽſã. Et tu qui cibus es Angelorũ, factus es cibus viatorũ, & feciſti mihi conuiuiũ pinguium & manna abſconditum, & panẽ præparaſti omne delectamentũ in ſe habentẽ. Gaudens ergo gaudebo in Domino, & exultabo in Deo IESV *meo, quia hodie licebit reſci pane Angelorum, & non tantùm vt catellus comedere de micis, quæ cadunt de menſa dominorũ meorum. Si æger fuero, ecce impinguaſti in oleo miſericordiæ caput meũ, & calix tuus inebriãs quàm præclarus eſt! ſi cõturbatus, ecce guſtare dediſti &* Applicatio ad Communionem. Pſalm. 22.
videre quã ſuauis ſis, etiam in hac valle lacrymarũ; tolerabilẽ hanc mihi facit prouidẽtia tua, qua & capillos meos numeraſti, & ne quidẽ vnũ decidere poſſe abſque tua prouidẽtiâ noui. Fiducia in Dei prouidentia
Hinc nox illuminatio mea ſit in deliciis meis, quãdo tu in tenebris lux orta es mihi, & vti ſpero, & opto, recto corde lætitia. Matth. 10 Lucæ 21.

Narrabo nomen tuum fratribus meis, & in medio Eccleſiæ laudabo te. Qui timetis Dominum laudate eum; vniuerſum ſemen Iacob glorificate eum. Laudate nomen eius, quoniã ſuauis eſt Dominus, in æternũ miſericordia eius, & vſque in ge- Pſal. 138. Pſalm 21 Pſalm. 99

Pſalm.95. *neratione veritas eius: cantate Domino, & benedicite nomi-*
ni eius: annuntiate de die in diem ſalutare eius : annuntiate
Pſalm.93. *inter gentes gloriam eius, in omnibus populis mirab.lia eius:*
quia ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo,
conſolationes tuæ Domine lætificarunt animã meã, ſed ſuper
Pſalm.83. *hæc omnia quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum!*
concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini : quando
Pſalm.15 *veniam & apparebo ante faciem tuam ? quando reddes mihi*
lætitiam ſalutaris tui, & implebis me cum gaudio vultu tuo, &
oſtendes mihi delectationes tuas in dexterâ tuâ vſque in finẽ?

IACVLATORIÆ.

Rom.11. *O Altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm verè incomprehenſibilia ſunt iudicia tua, & inueſtigabiles viæ tuæ! quàm magna multitudo dulcedinis tuæ!*

Pſalm.30. Dan.3. *Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. O quàm doleo quòd non omnia opera mea ſemper benedicant tibi.*

Eccli.51. *Cur ad modicum piget hic ô anima mea laborare & flere, & invenire in te multam requiem?*

Pſalm.76. *Da mihi, Domine, qui ſolus potes, de te gaudere, vt dicere poſſim: Memor fui Dei mei, & delectatus ſum, & exercitatus ſum, & defecit ſpiritus meus.*

Pſal. 118. *Obſecro te per miſericordiam tuam, particeps ſim ego omnium timentium te, & gaudii Sanctorum tuorum N.*

Phliip. 4. Matth. 5. *Gaudebo in te Domine ſemper, & ſine intermiſſione, vt videant homines opera mea bona, & glorificent te.*

Cant.8. 1. Pet. 3. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem & gaudiũ Sanctorũ in tribulationibus, quid ergo mihi nocere poterit, ſi boni æmulator fuero?*

O Domine, da mihi guſtare & videre quàm ſuauis ſis, & nihil velle præter te, aut extra te.

Pſal.72. Act.20. *Nihil vereor horum, nec facio animam meã pretioſiorum quàm me, dummodo conſummem curſum meum, & placeam tibi.*

CAPVT LX.

De affectu Amoris, & modo eũ exercẽdi.

1. EX omni creaturâ hîc elici poteſt, ex omni beneficio, ex omni vitæ Chriſti myſterio; ad hunc autem conducet ſe in præſentiâ Dei ſtatuere quieto corpore

corpore, ac animo, eum que intueri ſummum & omne bonum.

Secundò, Illi gratulari, & optare hoc ipſum quod eſt.

Tertiò, Supra omnia æſtimare, & quidquid creatum eſt deſpicere.

Quartò, Gaudere de perfectionibus eius.

Quintò, Optare vt omnes eas cognoſcant, & ament, & dolere quòd neque tu, neque homines id vt meretur faciant.

Sextò, Reſignare voluntatem ſuam perfectè.

Septimò, Statuere cuncta eius mandata & conſilia ſeruare.

Octauò, Id ſperare ad vnionem cum illo. Vide P. Paez tertio Tomo Libro 4.

Exercitium Charitatis breuius.

O Charitas Deus meus, da mihi intellectum, & diſcã mandata tua, ſiue per Epiſtolam ſiue per creaturam loquaris ad cor meum. Quidquid enim ad ſalutem diſco, tu præſentiſſimus mihi me intimo amore doces, ô ſalus mea, & medicina animæ meæ. Et quanto quanto id amore doces me, qui nihilũ ſum apud te! túne bonorum meorum eges, vt tam ſpontaneo amore tot me bonis & charitate tuâ præuenias? Sic enim Pater æterne dilexiſti mundum, vt filium tuum vnigenitum dares. Sic tu benigniſſime IESV *fili Dei, vt pro me in mortẽ dederis animam tuam: & grauia mihi eſſe queant mandata & cõſilia tua? diligã ergo hæc* N. *te Deus fortitudo mea, ô quàm tibi adhærere mihi bonum eſt, quid ergo me ſeparare poterit à charitate tuâ? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculũ? an perſecutio? an gladius? fortis enim vt mors dilectio tua, & aquæ multæ ſpero non potuerunt extinguere charitatem, id eſt, ignem quem veniſti mittere in terram, & vis vehementer accendi.*

Pſal. 118.
Deus ex amore docet.
Ioan. 3.
Rom. 8.
Reſignatio.
Cant. 8.

Exercitium quo excitatur affectus Amoris Dei.

SI vera ſunt hæc, & tãta bona tua ſunt, quæ mihi largiris, & tot mala à quibus me præſeruas, ne me ſicut alios premant, vti manifeſtè video, & firmiſſimè credo, ſi tu mihi vbique præſens es, & vndique me circumdas omne bonum, quid aliud præter te quæro, aut ſpero, aut quo trahor Deus meus abs te, qui ignis es conſumens, & Deus, qui exaudis per ignem. Quomodo, quomodo cor meum non eſt ardens in me, dum hæc video & te audio tot mihi loquentem vocibus quot circumdor vndique creaturis; totidem enim beneficiis præuenis me, tot funiculis trahis vt fruar te, immò centies millies quotidie à ſummo cælo deſcendis in ſacerdotũ manus propter me, atque adeò ſpeculator adſtas deſuper, qui nos diebus omnibus actuſq; noſtros proſpicis à luce primâ in veſperam. Et verò quid per hæc omnia requiris à me, niſi hoc vnum vt diligam te? hoc vnũ à me poſtulas ſiue bona mihi tua tribuas, ſiue ſuppliciis terreas. Vis enim vt fugiam mala, quia me amas, vt in te inueniam bona, immò poſſideam omne bonum. Si bona tribuis, inuitas vt maioribus me bees, & te omnium authorem diligam toto corde, & animâ meâ.

Deus ignis. Hebr. 12. Amari cupit.

Amo igitur te Deus meus, id eſt bene tibi volo, & ſeruare tua omnia, etiam minima mandata; vt placeam tibi, & complaceat tibi in me. itaque ego te, ego te præſentem arctiſſimè cõplector & ſincerè amo; atque vtinam ignis iſte amoris, & dulciſſimæ charitatis tuæ in omni meâ meditatione exardeſcat, immò in omni loco & momento ex nunc vſque in æternũ, & iucundum tibi foret hoc eloquium meũ, & lætareris ſuper me hæreditate tuâ, poſtquã toties, quod vehementer ex amore tuo doleo, contriſtarim te amantiſſimum Patrem meum.

Pſal. 38. Pſal. 103. Contritio

Sed cur amari à me vis? vtique vt mihi benè ſit, & amarum mihi eſſe poteſt, ô Deus meus, amare te? nõ poteſt. Amo, amo, & coram cælo & terrâ, & omni creaturâ amare te volo æternùm & re buo omnem creaturæ amorem, nihilq; volo extra te, licèt reſiſtat caro, reclamet mundus, & diabolus retrahat. Et verò nihil

nihil vltrà præſtari à me vis præter amo ẽ;n h l. Sed vnde id faciam, niſi per te? Obſecro te igitur humillimè da mihi vt te amem & nihil extra te, aut ſaltem non niſi propter te. Sed, ô Maieſtas infinita, obſecro ne indigneris ſi coràm curiâ t' â ego puluis & cinis loquar ad te. Quis ego ſum vt à me diligi velis & vehementer optes? tu à me? noſtine me nominè te? priuſquam me formares in vtero noſti me; ſed ego, eheu! vtinam & nihil præter te, amantiſſime IESV*! ſed quid? Tu à me amari vis, qui ſum peccator, & abyſſus miſeriarum; ſcio, vis, & viciſſim amas & mihi ades & vides me, & in adiutorium meũ intendis, & amari à me deſideras, hæc altiſſima abyſſus eſt bonitatis miſericordiæ, & charitatis tuæ: non potero ad eam, nõ potero ad eam.* Admiratio quod Deus velit diligi. Ierem. 1. Pſal. 41.

O vtinam haberem latitudinem cordis ſicut arena maris, & nunc tandem aliquando amarẽ te latiſſimè & in omni creaturâ te omnium Auctorem! vtinam ab initio fuiſſẽ ſemper ſecundùm cor tuũ & feciſſem ex ſincero amore omnes volũtates tuas! qui enim habet mãdata tua, & ſeruat ea, hic ſolus diligit te Vtinam in omnem æternitatem, ex hoc nunc ſaltẽ amare te poſſem, & amore ſublimi tranſcenderẽ terrena omnia, & deſcenderem ad te, & amplecterer te omne bonum, ſed non niſi propter te. Vtinam profundiſſimè in me deſcenderẽ, & ex amore tui ſub omnibus me collocarem! recumberem tecum in nouiſſimo, & inuenirem te, & ſuper me requieſceret ſpiritus tuus dulcis & omnia mea in te cẽtro ſuo, extra quod illi omnia mala & in quo ei omne bonũ, quod certè nõ peto, niſi propter te, vti neque debeo, ſed vt laudari à me, & in me poſſis, & recreari, & tu omne bonum benedicere mihi propter te. Charitatis latitudo, &c. Ioan 14.

Quis mihi det, vt cum Moyſe voces me in caliginem, & tu ſolus mihi appareas, & oſtendas mihi omne bonum! tum ſileret terra omnis in conſpectu tuo, nec eſſet quod me traheret, aut terreret. Sed quid dico? quid audeo; non ſum ego Moyſes, non ſum; quid ergo ſum vt clamẽ & loquar ad te; ego vox animæ clamantis in deſerto, ego vox ouiculæ relictæ, & errantis in vaſtâ ſolitudine inuocantis amorem tuum. Non ſum ego *Moyſes aut ſimilis ei, qui hoc audere debeam:* Non ſum, ſed Exodi 33.

 verè

verè nouiſſimus ſum virorum, & omnium peripſema, ſed quid? amare tamen te debeo, & cupio toto corde. Ignoſce, quæſo, ignoſce. & memento Domine, quia pro infinitâ bonitate tuâ, mandaſti mandatum hoc tuum cuſtodiri nimis, vt diligam te Deum ex toto corde meo, ex totâ mente meâ, ex totis viribus meis. Scrutabòr hanc legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo: dulciora ſiquidem eloquia hæc tua ſuper mel & fauum ori meo. Momento vno, vno te, qui ab æterno amaſti me, diligi cupis: momento, inquam, vitæ huius, & ſi fecero, omnia & te mihi dabis: charitate enim perpetuâ dilexiſti me, & ideò attraxiſti miſerans mei.

Amoris Dei exceſſus. *O Amor quàm gratuitus es erga me, quàm liberalis, quàm magnus es, & exceſſiuus! quid hoc eſt; fierine poteſt vt cogites de me? quid dico? etiam de ſinu Patris deſcendiſti & 33. annis quæſiuiſti me, vt amarē te. Venditus es pro me in preciū meū, ô Rex regum, & qui es gaudium Angelorum, triſtatus es vſque ad mortem propter me, & factus es opprobrium hominum, vt*
Pſ. 21. *gauderem de te, & amarem te. Eras fons vitæ, & aruit tanquā teſta virtus tua, & infirmus homò factus es, vt fortis forem: & mortuus es, vt ego viuerem; & quomodo non viuam tibi ô infinita bonitas, potentia & ſapientia? quomodo nō amabo te, vel*
Quid ſit amare Deum. *quomodo potiùs amabo te? Quid enim facio tibi dum te amo? volo te eſſe qui es, & tibi eſſe omne bonū, non mihi; quia tu ſolus es. Tibi flecti omne genu, & per miſericordiam tuam in te poſſidere omne bonū. Sed verè non opto niſi propter te, vt laudem te intimo corde meo. Itaque obſecro fac ne me etiā diligat vllus homo, niſi propter te. Non mihi tribuat quidquam niſi vt tibi Deus meus benè ſit per me. ſi me paſcat, vnum de minimis tuis, te paſcat in me: ſi potet, te potet in me, & ſoletur; ego enim verè minimus ille ſum, de quo tu ter maxime Deus, dicere dignatus es: quod huic vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: Túne dicis & cenſes fieri tibì, quod mihi? & ego quid faciam? non viuam niſi in te, nec fieri mihi quidquam volam, aut volo, niſi quod tibi vtile, honorificum & iucundum.*

Matth. 25. Dan. 7. *Millia millium miniſtrent tibi, & decies millies centena millia aſſiſtant tibi. & ego inter ea adſtabo minimus, vt appareat maxima charitas, & dignatio tua. Vidit Ioannes amicus tuus, &*

& dilectiſſimus Patronus meus fluuium aquæ viuæ ſplendidũ tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei, & Agni: quis ille niſi amor tuus dulciſſime IESV? *ſine ergo Domine mi, ſine fluat in ſitientem animam meam, vt ferat tibi per menſes ſingulos fructum ſuum; & licèt me gratiâ tuâ indignũ & egenum videas, memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti. Illud verò eſt: ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Ecce Domine mi promiſiſti! fallere neque vis, neque potes. Merita ſi fortè non habeo, ſpero tamen, quia gratis promiſiſti, vt pauper & inops laudent nomen tuum, & ament infinitam bonitatem tuam. Sed quis erit diligendi modus; vereor enim ne plus, minùſue quàm oportet, inflammer deſiderio, & amore Domini mei. Ex toto, inquis, corde, non eſt ſatis. ex totâ animâ tuâ: ne hòc quidem ſatis eſt. ex totâ mente tuâ. Quid vis ampliùs? vellem fortaſſe, ſi viderem quid poſſet eſſe ampliùs: vellem vtique ex intimo corde dicere poſſe cum Apoſtolo: Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an gladius? Certus ſum, aiebat ille, quid verò dicam ego, neſciens amore an odio dignus ſim? dicã tamen gratiâ fretus tuâ: certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia ſeparare me à charitate tuâ poterit ô Deus, quæ eſt in Chriſto* IESV *Domino noſtro: toto enim corde te diligo, & diligere volo.*

Apoc. 22. Apoc. 21. Bernard. de diligẽdo Deo. Rom. 8.

Quid verò illud eſt, diligere te, clementiſſime Domine IESV? *non abduci blanditiis, nõ ſeduci fallaciis, nõ frangi iniuriis, ſed integrè ſic te diligere toto corde, vt ad nullius rei dilectionem cor meum magis inclinetur, quàm ad te, nec delectetur in aliqua re magis quàm in te: minùs enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Totum namque exigis, qui totũ hominem feciſti. Hoc opto & perfectè te amare in æternũ; qui enim nõ diligit, manet in morte, & qui diligit viuit in te, ô vita mea, & viuet in æternũ: aquæ enim multæ non poterunt exſtinguere charitatẽ, nec flumina obruent illã; imò fortis erit ſicut mors dilectio, & dura ſicut infernus, æmulatio. Pro te igitur viuam & moriar, mortificabor*

Auguſt. 1. Ioan. 3. Pſalm. 72.

tota die : mihi enim adhærere tibi Deo meo bonum eſt,
Pſ.72. *& ponere in Domino Deo ſpem meam : tu enim Domi-*
Pſ.15. *ne pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues*
Pſ.38. *hæreditatem meam mihi: verè funes ceciderunt mihi in*
præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi. Etenim
Pſ.72. *nunc quæ eſt exſpectatio? nónne Dominus? & ſubſtantia mea*
apud te eſt. Quid ergo mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſu-
per terram? Defecit caro mea, & cor meum, Deus cordis mei,
& pars mea Deus in æternum.

IACVLATORIÆ.

Pſ.72. *QVid mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? defecit caro mea, & cor meum Deus cordis mei; & pars mea Deus in æternum.*

Ierem. 2. *O quàm amarum eſt mihi reliquiſſe me te Deum meum & omne bonum.*

Sap.11. *Quis reſiſtet tibi & charitati tuæ coram quo ſic eſt orbis terrarum tamquam gutta roris antelucani?*

Cant.8. *Pone te vt ſignaculum ſuper cor meum, vt ſignaculum ſuper brachium meum.*

Lucæ 1. *Obſecro te per viſcera miſericordiæ tuæ, in quibus viſitaſti nos oriens ex alto, & viſitas quotidie, reſpice in me.*

Pſ.27. *Mihi autem adhærere Deo meo bonum eſt, & ponere in Domino*
Ierem.2. *ſpem meam.*

Prouer.8. *Vnde hoc mihi vt recorderis mei! vnde hoc mihi, vt deliciæ tuæ*
Pſ.56. & *ſint eſſe mecum.*
107. 118. *Paratum cor meum Deus ſiue ad proſpera, ſiue ad aduerſa; pa-*
30. *ratum cor meum tibi, tuus ego ſum, tu quæſo, ô Deus, eſto meus.*
Exodi 33. *Si inueni gratiam in conſpectu tuo oſtende mihi faciem tuam,*
Pſ.5. *& dirige in conſpectu tuo viam meam. Amen.*

CAPVT LXI.

De exercitiis præcipuarum virtutum.

CONTINET hoc caput exercitia breuia virtutum præcipuarum, & adſpirationes, vt ſi quando in meditatione harum motiuum occurrat, his, ſi libet, affectus earum augere queas.

Exer-

Exercitium breuius, de Charitate proximi.

O Charitas Deus meus, credo tibi & ſpero in te, & diligo te toto corde & proximũ propter te. Etenim in hoc cognoſcent omnes quòd diſcipuli tui ſumus, ſi dilectionem habuerimus ad inuicem. Hoc inquiebas eſſe mandatum ſimile maximo. Qui enim diligit proximũ, verè legem impleuit, & qui non diligit, manet in morte. Si ergo ante omnia mutuam in noſmetipſos continuã charitatem habere debemus, ex hoc in æternũ ſuper omnia hanc ſeruare volo, & diſcipulus tuus eſſe, neminẽ iudicare, neminẽ verbo aut opere contriſtare, ſed ſolari, iuuare, vltrò honore omnes præuenire, omnes in te diligere, omnibus etiam minimus facere quod tibi facerem, ô amantiſsime IESV. *Mandatum enim dixiſti, nouum do vobis, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Cùm igitur dignatus ſis animam ponere pro nobis & me: & ego debeo & cupio gratiâ tuâ pro fratribus non pecuniam, non commoditatẽ ſolùm ponere, ſed animã meã. Da autem mihi, ô* IESV, *non diligere verbo, neque lingua, ſed opere & veritate, vt quæcumque volo vt faciant mihi homines, id faciam illis ſeu tibi potius: quâ enim menſus menſurâ fuero, remetieris mihi, & teipſum dabis mihi, qui es ſpes mea, ſalus mea & refugium meum.* Matth. 5. Rom. 13. Ioan. 13. Matth. 7.

IACVLATORIÆ.

CRedo Domine hoc eſſe præceptum tuum, vt diligamus te, & inuicem ſicut dilexiſti nos? cumq; in his vniuerſa lex pendeat & prophetæ, cupio implere ea toto corde meo, & diligere proximum ſicut meipſum. Matth. 22

Vt quid, ô IESV, *ergo diligo vanitatem & quæro mendacium? vt quid in aliis hæreo, & decimo mentham & anethum, & toto corde non diligo te in proximo meo, & tolero defectus eius, & adimpleo legem tuam?* Pſal. 4.

Certè etiamſi fide montes transferam, & tradidero corpum meũ ita vt ardeam, & vniuerſum mundum lucrer, charitatem autem non habuero, quid mihi prodeſt, aut proderit in iudicio tuo? Matth. 23.

Da quod iubes Domine IESV, *& iubes quod vis, paratum eſt cor meum, & non eſt abbreuiata manus tua.* 1. Cor. 13.

Obſecro te, charitas Deus meus, per uiſcera tuæ miſericordiæ, da mihi vt diligam proximum propter te: inimicos meos & gaudeã de bonis, & malis illius doleam, vt filius tuus ſim. Matt. 5.

Cùm tu charitate perpetua dilexeris me, diligã te Deus fortitu- Ierem. 31.

de

do mea, & animam meam pono pro fratribus meis, quanto magis omnem ſubſtantiam meam!

Pſalm.8. *Domine, quid eſt homo quod ſic memor ſis eius, vt tibi fieri dicas, quod vni ex minimis fecero? numquam ergo auertar ab vllo vt numquam auertaris à me.*

Prouer.8. Rom.5. *O vtinam deliciæ tuæ ſint eſſe mecum, & charitas tua diffuſa ſit in corde meo, & faciam omnes voluntates tuas, & placeam in bono proximo meo.*

Galat.2. Pſal 21. *Viuo ego iam non ego, ſed tibi, & viuet tibi anima mea in omnibus, & ſemen meum ſeruiet tibi. Amen.*

Exercitium breuius de affectu Reſignationis.

1.Cor. Act.17. Pſalm.72. *O Chriſte IESV, refugium meum, Domine mi, credo, & in te ſpero, & te toto corde diligo. Cùm verò in te viuamus, moueamur, & ſimus, ex hoc momento in æternum tibi viuam & mouebor & ero. Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid*

Tobiæ 10 *volui ſuper terram? Si quid eſt, toto corde abnego, vt amem te totâ animâ meâ. Et verò quid velle miſeri extra te poſſumus,*

Eccli.15. 3.Reg.3. *in te vno omnia habentes? Ecce appoſuiſti mihi in hoc N. aquam & ignem, mortem & vitam, triſtia & læta, ſperanda & timenda: quid optabo aut timebo? ad quæ extendam manum? ego neſcio introitum & exitum meum, ô IESV, neſcio, tu ſcis,*

Pſalm.30. *fac de me quod placet tibi, tuus ſum ego toto corde. In manibus tuis ſortes meæ: ſiue in morte, ſiue in vita ad te leuabo ocu-*

Pſalm.133 Pſalm.72. *los meos, & extollam manus meas in ſancta, benedicā te Domine in æternum, in æternum. O vnica mea ſpes Chriſte IESV Deus meus fiat volūtas tua, ſicut in cælo & in terrâ, fiat, fiat, non quod ego volo, ſed quod tu. Ecce vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum, ideò omnem ſolicitudinem meam, ſiue de publicis ſiue priuatis agatur, in te proiicio ex nūc in æternum; quoniā ſcio, ſcio, tibi, tibi de illis & iſtis ter maxime Deus, eſt cura, etiam de me; etiam de me, etſi noueris me*

1.Pet.5. *& nihilū meum. Cuſtodi me obſecro te propter te vt pupillā oculi, & ſub vmbrâ alarū tuarū protege me. Et ſi non eſt ma-*

Amos 3. *lū in ciuitate quod non feceris, amantiſſime Domine mi, quid querar? fiat, fiat voluntas tua, & ſi non eſt bonum niſi à te, ad quem reſpiciam niſi ad te? & præſtolabor cum ſilentio ſalu-*

Threm.3. *tare tuum Deus meus, & diligam te toto corde meo. Amen.*

IACVLATORIÆ.

Verè, ô IESV, *neſcit homo finem ſuum, neſcit ingreſſum & introitum ſuum, ideò ad te Domine leuaui animam meã, Deus meus, in te confido, & non erubeſcam.* Eccli. 9. Pſ. 24.

Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachium ſuum. O vtinam ô IESV *id nunquam feciſſem, cùm tu præſens adſtes mihi ſpes mea & gloria mea.* Ierem 17

Et nunc quæ eſt expectatio mea? nonne Dominus? & ſubſtantia mea apud te eſt. Pſ. 38.

Eſtò mihi in Deũ protectorẽ & in locũ refugii, vt saluũ me facias: nõ enim in arcu meo ſperabo, & gladius meus nõ ſaluabit me. Pſ. 30.

Obſecro te per charitatem, vt qui docuiſti me à iuuentute mea, vſque in ſenectam & ſenium Deus ne derelinquas me, ſed perfice greſſus meos in ſemitis tuis, vt non moueantur veſtigia mea. Pſ. 70. Pſ. 16.

Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniã in te confidit anima mea, & in vmbra alarum tuarum ſperabo. Pſ. 51.

Domine quid eſt homo quòd memor es eius? aut filius hominis quia viſitas eum? & apponis erga eum cor tuum? Pſ. 8.

Quis mihi tribuat vt ſub vmbra eius quem deſideraueram ſedeam? Quis mihi tribuat vt ſim iuxta menſes priſtinos, ſecundùm dies, quibus tu Deus cuſtodiebas me? quando ſplendebat lucerna eius ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris! Iob. 29. Pſ. 24.

Ad te Domine leuaui animã meam: dirige me quæſo in ſemitam mandatorum tuorum, quia ipſam volui. Pſ. 118.

Exercitium breuius de affectu Humilitatis.

DISCERE *me iubes à te Magiſter bone, vt mitis ſim & humilis corde, & vnde obſecro, qui nihil ſum, & vapor, ignorans odio an amore dignus ſim, vnde inflari poſſũ: ſi exiſtimẽ me aliquid eſſe cùm nihil ſim, ſcio ipſe me ſeduco; ſi nihil ſũ, ſi nihil habeo quod non accepi, & tua ſunt omnia, cui me præponam? Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à te Patre luminũ, & Deo gratias, Deo gratias, Deo gratias. Video quis ſim, vbi ſim, & qualis; vbi, eheu eſſe hodie poßim, quid faciam & facere hodie poßim? mala ſcilicet omnia ex me, & bona aliqua per te; non enim ſumus ſufficientes facere aliquid ex nobis tamquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex te eſt, & omnia opera noſtra operatus es in nobis. Nunquid ergo gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in eã, & coràm te, ter maximè Deus, qui exal-* Matth. 11. Galat. 3. Iacobi 1. 2. Cor. 3. Iſaiæ 26. Iſaiæ 10. Lucæ 1.

tas humiles, & deſpicis ſuperbos, etiam Angelos mente cordis
Dan. 3. *tui, & humilias omnem ſuperbum. Cupio igitur gratia tuâ recumbere tecum in nouiſſimo, de nullo queri, omnia enim in vero iudicio feciſti, nullum æmulari, ex te enim & in t. & pro te ſunt omnia Deus cordis mei & omnia. Amen.*

IACVLATORIÆ.

Pſ. 113. *NOn nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, omnia enim in nobis operatus es.*

Iſaiæ 10. *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in eâ, aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur?*

Iſaiæ 28. Pſ. 115. *Gloriam tuam, Domine, alteri non dabis, ideo vota mea tibi Domine reddam, & confitebor nomini tuo in conſpectu Sanctorum tuorum.*

Sap. 4. *Da mihi Domine, ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, vt mecum ſit & meum laboret, & tibi ſoli honor ſit & gloria in ſæcula ſæculorum.*

Obſecro te Domine, qui pro me veniſti miniſtrare & non miniſtrari, da mihi vt tecum recumbam in nouiſſimo loco, & exaltes me in tempore viſitationis tuæ.

Ioan. 15. Pſ. 43. *Sicut palmes non poteſt ferre fructum niſi manſerit in vite, ſic neque nos niſi in te manſerimus. In te igitur laudabitur totâ die, & in nomine ſancto tuo ſperabimus.*

Pſal. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra?*

Pſalm. 5. *Domine deduc me iuſtitiâ tuâ propter inimicos meos, dirige in conſpectu tuo viam meam.*

Pſ. 16. *Non loquatur os meum opera hominum, ſed benedicant omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto tuo.*

Exercitium breuius de contemptu rerum terrenarum.

Matth. 13 Pſ. 77. Matth. 5. *O Sapientia æterna, ô veritas, ô Magiſter bone, qui eructaſti nobis abſcondita à conſtitutione mundi, da mihi vt idē ſapiam tecum, idem loquar, beatos eos appellem, nempe pauperes, mites, patientes, pacificos, quos tu appellaſti, & ſunt in æternū apud te tot Sancti & electi tui. Da vt de mundo & concupiſcentia eius ſentiam quod tu Deus meus: nónne enim tranſit inſtar nauis, floris, volucris, fluminis fumi & vaporis quidquid eſt? Quid enim qui ab orbe condito hoc in loco, vrbe, regione,*

regione vel etiam à ſæculo fuerunt, vbi nunc ſunt? vbi ego & illi breui erunt qui nunc ſunt? Tranſierunt illi, & non eſt, inuenire veſtigium eorum, tranſibunt & hi. Vanitas vanitatū, & omnia vanitas. Scio, ſcio, & tu ſola veritas, ſola bonitas, quam diligo ſuper omnia pro quâ diſpono omnia. Quid enim prodeſt mihi & vlli homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur: quid prodeſt? Verè enim non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu impletur, neque anima his terrenis omnibus; res enim omnes extra nos ſola cognitione ferè in nobis ſunt, immò æquè anima in opinione ſola, atque re ipſa quieſcit, neque in vllo omninò quieſcere poteſt cor meum, niſi requieſcat in te. Cur ergo in vanum curro, & aërē verbero? cui vllius hominis diem quæro, aut iudicium reuereor? Mihi pro minimo eſt ab vllo iudicari, aut ab humano die. Quid verò mihi opus eſt cætera quærere, quibus expleri non poſſum, & quæ ſi primò quæſiuero, tu vltrò adiicies mihi! Eant igitur qui confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates, conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem, oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt, & cùm dictum ſit à te, niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, abnego omnia & abdæreo tibi Deus meus omne bonum. Amen.

Eccleſ.1. Matth 16. Eccleſ.1. 1. Cor.4. Matth.6. Pſalm.37 Pſal.7. Iſaiæ 56.

IACVLATORIÆ.

Spes impij tamquam lanugo quæ à vento tollitur, & tamquam fumus qui à vento diffuſus eſt; idcirco adhæreo tibi, ô veritas, toto corde meo, neque peto vltra quicquam de hoc mundo. Sap.5.

Filij hominum vſquequo diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Pſalm.4.

O fili ſæculi, nónne ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes? Iſaiæ 14.

Ecce tranſibit vita noſtra tamquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſoluetur quæ fugata eſt à radiis ſolis, ideò fac Domine, vt adhæreat anima mea poſt te & ſuſcipiat me dextera tua. Sap.2.

Obſecro te per charitatem tuam, da mihi Domine ut ſapiam & intelligam, & nouiſſima prouideam: odiſti enim obſeruantes vanitates ſuperuacuas. Pſalm.30.

Non ſedi in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introbo, ô æterna Sapientia, ſed ſequor veſtigia pedum tuorum. Pſalm.25.

Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? Matth 16

Super

Super flumina Babylonis, illic ſedimus & fleuimus dum recordaremur tui Sion.
Pſ.36. *Deduc me Domine in ciuitatem munitam*
Pſ.59. *ſecundùm beneplacitum tuum.*
Beatus vir, cuius nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in
Pſ.39. *vanitates, & inſanias falſas.*

Exercitium breuius de Paupertate.

Lucæ 5. O Rex regum, & Dominus dominantiũ, qui mihi hic ades, & vbique me conſeruas, verène dixiſti: Beati pauperes ſpiritu, ô veritas, & ego beatus eſſe nolim & habere regnum tuũ, & ſimilis eſſe tibi Regi meo Deo meo, & ſedere aliquando,
Matth.19 & tecũ iudicare: verè elegiſti pauperes in hoc mundo, & deſi-
Iacobi 2. derium pauperum ſoles exaudire. Elige ergo me & exaudi me, quia ecce toto corde & ſincero abnego omnia propter te parua & magna, ſaltem affectu, vt dicere aliquando poſſim. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? quid; certè theſaurus maximus in cælo. Et quis ille? Tu
Iob.1. amantiſſime IESV, tu enim theſaurus meus, in quo eſt cor meũ
Matth.19 & omne deſiderium meum. Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc, & ego nudus, nudum te IESVM ſequi cupio, & perfectus eſſe, & vendere omnia vt inueniam in te hic & in æternum centuplum & omnia. Amen.

IACVLATORIÆ.

Matth.5. *VEre beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorũ eſt regnũ cęlorũ. Credo, Domine, adiuva incredulitatem meam.*

Thren. 3. *Recordor, Domine IESV, paupertatis, & abſinthii, & fellis Domini mei, & ego poſt hæc de vllo queri potero?*

Matth.19 *Ecce nos relinquimus omnia, & ſequimur te, quid ergo erit nobis in die illa tremenda?*

Pſ.109. *Deſiderium pauperum exaudiſti Domine.*

Pſ.118. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor hæc mirabilia de lege tua, & pretium paupertatis tuæ.*

Obſecratio. *Obſecro te per præſepe tuum & panniculos tuos, Domine IESV, da mihi vt in omnibus gaudeam imitari paupertatem tuam, de nullo queri nihil appetere.*

Lucæ 14. *Volo Domine venire poſt te, & abnegare omnia; qui enim non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt eſſe tuus diſcipulus.*

Iacobi 2. *Nónne tu, Domine, elegiſti pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod promiſiſti diligentibus te?*

Domine,

Domine quid eſt hoc, vulpes foueas habēt & volucres cæli nidos, & tu fili hominis Deus meus nō habes vbi caput reclines pro me? Lucæ 9.
Quid mihi, ô Domine eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram; Pſ.72.

Exercitium breuius de Obedientiâ.

HVmiliaſti temetipſum Domine Deus meus & Rex meus, factus obediens vſque ad mortem, mortem autē crucis, vt diſcerē à te eſſe mitis & humilis corde, & ego non ſequar te ſic inuitantem me? non audiā te dicentē, Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit; Sequar per gratiā tuam: melior certè eſt obedientia quàm victimæ, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum; quaſi enim peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Itaq; per gratiā tuam ſubiectus ero omni creaturæ propter te, maximè Superioribus meis, ſiue bonis, ſiue dyſcolis, & voluntariè ſacrificabo tibi, qui oblatus es propter peccata mea, & attritus propter ſcelera mea, vt nec in vllo opere inueniatur voluntas mea, Neque inquiram velut nec Abrahā, quare præceperis mihi, tu enim ſapientia æterna es & ego puer neſciens introitum & exitum meum. Tu bonitas infinita es & de me quaſi ſolus eſſem ſollicitus eſſe digneris, & ſcio vir obediens loquetur victorias. Quid igitur eſt Domine IESV Redemptor mi, quid vis me facere? paratum: cor meum paratum: da quod iubes, & iube quod vis ſeruo tuo, filio ancillæ tuæ. Veni enim facere voluntatem tuam, Deus meus volui, & volo legem tuam in medio cordis mei. Amen.

Phil. 1. Lucæ 10. 1. Reg. 15

IACVLATORIÆ.

BEati immaculati in via qui ambulāt in lege Domini, & quæ via hæc quam monſtraueris mihi? audiui enim hanc vocem tuam. Qui vos audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. pſ.118.

Dixi, Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & inobedientiam meam, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei, quaſi enim peccatum ariolandi eſt repunare. Lucæ 10. Pſ.31. 1.Reg.15

Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea, à iudiciis enim tuis timui. Pſ.118.

Reuela Domine oculos meos, & cōſiderabo mirabilia de lege tua Ibidem.

Obſecro te Deus per charitatem tuam legem pone mihi viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper Ibidem.

Pſal.118. *Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.*

Ibidem. *Mirabilia teſtimonia tua Domine, ideo ſcrutata eſt anima mea; ergóne omnia ſeruient tibi & non ego?*

Ibidem. *Vtinam dirigãtur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas, & facias de me ſecundùm eloquium tuum!*

Ibidem. *Leuaui manus meas, id eſt opera, ad mandata tua quæ dilexi, & exercebar in iuſtificationibus tuis Domine, quid vis me facere?*

Exercitium breuius de Caſtitate.

O Fili virginis IESV *Chriſte, dilectiſsime animæ meæ, cuius oculi contemplantur me omni loco. Beati ſanè ſunt mundi corde, verè beati, quoniam ipſi te videbunt; videbunt te? hoc eſt vnicum votum meum, & omne deſiderium meũ. Audivi dicentem Eccleſiaſten tuum: Qui diligit cordis munditiam,* Prouer. 22. *propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum regẽ: ideò ego eã diligo, vt tu mihi amantiſsime Domine mi amicus ſis, qui dediſti mihi gratiam vt caperem verbum quod non omnes capiunt, vt non nuberẽ, ſed eſſem ſicut Angelus Dei, ſollicitus tantùm quæ Domini mei ſunt, vt anima mea tota pulcra & ſine macula & ruga audire aliquando mereatur, veni veni de libano ſoror mea ſponſa, veni, coronaberis. Sed quia ſcio quoniã aliter non poſſũ eſſe continens, niſi tu Deus des mihi, rogo* Pſal.85. Prouer.5. *te per viſcera miſericordiæ tuæ, cuſtodias animam meam, quoniam ego ſanctus ſum, vt vitẽ occaſiones eas, & conuerſationem, & diligentiſsime ſic N. ſenſus cuſtodiam, vt ignem illum euadam qui ad internecionẽ deuorat, & vrat me ignis amoris tui, quem voluiſti vehementer accendi. Amen.*

IACVLATORIÆ.

2.Cor.7. 1.Cor.3. *VOlo ſine ſollicitudine eſſe per gratiam tuam bone* IESV, *& abſit à me, vt peccem in Dominum meum & templum eius.*

Heu mihi, quod vel minimo nævo offenderim puriſſimos oculos tuos Chriſte IESV.

Prouer.21 *Nónne qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum ſuorum habebit, ô* IESV, *te amicum regem ſuum in illâ die?*

Sap.5. *Da mihi hanc margaritam ô virginum ſponſe in æternum: Scio Domine quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi tu dideris.*

Pſal 50. *Obſecro te per virginum Reginam Matrem tuam, cor mundum*

crea

crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.

Cùm qui non nubunt neque nubentur, ſint ſicut Angeli Dei, Lucæ 10
cupio omne periculum vitare gratia tua Deus meus.

O quàm pulcra eſt caſta generatio cum claritate! immortalis Apoc.14.
eſt enim memoria illius.

O quis mihi tribuat ſequi te Agnum immaculatum, quocumq́; Sap.4.
ieris in æternum?

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Matth. 5.

Exercitium breuius de Patientiâ

AVDIO *te patientiſſime* IESV, *& video te velut præſen-*
tiſſimum virum dolorum, & ſcientem infirmitatē, audio
docentem verbo & exemplo, vt in patientiâ poſſideam animam
meā: Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur Eccle.21.
me, ita cupio tollere crucē, & ſequi te. ſcio enim quòd non ſines
me tentari ſupra id quod poſſum. Tu *noſti onus iumenti tui*
quale ego factus ſum apud te, & ſcio, bona & mala, paupertas Amos 3.
& honeſtas à te Deo *meo ſunt; neque eſt malū in ciuitate quod*
non fecerit Dominus *meus. Et ſi bona de manu tuâ accepimus,* Mich.7.
mala quare non ſuſtineamus? Iram tuam Domine portabo, Iacobi 1.
quoniam peccaui tibi. Omne gaudium exiſtimabo, vti me hor- Hebr. 11.
tatur Apoſtolus, cùm in varias tentationes incidero, & recogi- 1.Reg. 2.
tabo te amantiſſime IESV, *qui talem ſuſtinuiſti aduerſus te-*
metipſum pro me contradictionem, vt patientia mea multo pre- 1.Cor. 4.
tioſior auro inueniatur in laudem & gloriam nominis tui, qui
tot ac tanta pro me paſſus es, vt intrares in gloriam tuā. Et
ſpero momentaneū hoc N. *& leue tribulationis noſtræ, ſupra*
modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operabitur in
nobis. Amen.

IACVLATORIÆ

R*Ecogitabo te,* Domine IESV, *in his* N. *qui talem ſuſtinuiſti* Hebr.11.
aduerſus temetipſum contradictionem pro me, vt non fatige-
tur anima mea.

Quis ego ſum, qui dicam tibi, cur feciſti nobis ſic? Tu enim Do- Rom.9.
minus, & nos ſerui tui, opus manuum tuarum. Exod.23.

Quis ſum ego qui contradicam ſermonibus Sancti Dei mei? Pſ.127.
quis ſum ego, vt loquar ad meum Deum? puluis & cinis, etiamſi Iob.6.
inimici mei maledicant mihi. Pſ.6.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripeas me Obſecratio.

Obſecro te, patientiſſime IESV, *qui ſic à tuis derelictus, ſic ab ho-*

1.Pet.4. ſtibus aſſlibus fuiſti, da mihi te in cruce paſſo eadem cogitatione armari.

Prou.3. Diſciplinam tuam Domine, non abiiciam, nec deficiam cùm à Patre corripior, audiui enim, quem diligit Dominum corripit, & quaſi in filio complacet ſibi.

Luce 24. Galat 6. Act.5. Itáne oportuit te Rex gloriæ pati, vt intrares in gloriam tuã? abſit ergo mihi gloriari niſi in cruce Domini mei.

Hebr. 10. Vtinam dignus ſim cum Apoſtolis tuis gaudenter pro nomine tuo contumeliam & pauperem & quidquid tibi placuerit pati.

Patientiam audio neceſſariam vt reportent remiſſionem. Itaque fac vt pro te pati mihi dulce ſit, & vita ſit pro te mori, & cibus meus facere voluntatem tuam.

Exercitium breuius de Abſtinentiâ.

O Aeterna Sapientia, fierine poteſt, vt non tinniant adhuc ambæ aures noſtræ præcepto illo tuo primo dato homini primo & ſancto: In quocumque die comederis, morte morieris, & adhuc Eua noſtra libet auſcultare, & hoſti huic viliſſimo ſuccumbere, & ventri vt Deo parere? & edere, & nunquam ſatiari ſiliquis porcorum? Iuſtus comedit & replet animam ſuam, venter autem impiorum inſatiabilis. Nónne omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & ille quidem vt corruptibilẽ coronam accipiant, nos autẽ incorruptam? Nolo igitur amore tui, qui pro me eſuriiſti quadraginta dies, & ſitiiſti, felle & aceto in cruce potatus es, nolo propter viliſſimam eſcam, momentaneam voluptatem deſtruere opus tuum Deus meus; ſed libens ſi placuerit, ſequar te Domine cum Nazaræis, vinum & ſiceram non bibam, in quo eſt luxuria, ſed deſidero cum Daniele & Eliâ, Ioanne, & omnibus Sanctis tuis ſobriè, & iuſtè, & piè tibi viuere, & expectare beatam ſpem, & aduentum gloriæ tuæ ô Deus, ô ſatietas, ô verè omne meũ. Amẽ

(Margin: Prou.13. 1.Cor. 9. Rom. 14.)

IACVLATORIÆ.

Pſal. 109. CRedo, Domine, initium omnium malorum noſtrorum eſt gula, ideò ſoli neceſſitati parebo, & ſpero quòd de neceſſitatibus meis etiam eripies me.

O quàm verè panis in vtero peccatoris vertitur in fel aſpidũ intrinſecus! O quàm amarum mihi eſt [illegible] uiſſe te Dominũ meũ!

Nónne turpiſſimũ erit, & tamen [illegible] mum in iudicio de pomo, de carnis fruſto damnari?

DA

Da mihi Domine ſpiritu ambulare, & deſideria carnis non perficere ad gloriam tuam. Galat. 5.

Obſecro te per eſuriem tuam, & acetum, & fel, quibus in cruce potatus es, Domine extingue in me gulæ concupiſcentiam inſidiantem mihi. Obſecratio.

Si eſca aut modus, aut tempus ſcandalizat fratrem meum, aut tibi diſplicet Redemptor mi, non comedam in æternum.

O quàm comederunt Patres noſtri vuam acerbam, & adhuc dentes filiorum obſtupeſcunt. Ierem. 31

O quàm beatū hic eſurire, & ſatiari, cùm apparuerit gloria tua. Pſ. 16.

Meus cibus, Domine IESV, *ſit, obſecro, facere voluntatem Patris tui, & tuam qui elegiſti me.* Ioan. 4.

Exercitium breuius de ſpirituali feruore contra Acediam.

Túne Domine IESV *Rex meus & Deus meus, túne in laboribus es à iuuentute tua pro me & omnes Sancti tui? & omnis creatura tua laborat mihi vt ſeruiam tibi, & quomodo ſudat mundus vt pereat tibi & ſibi ego igitur ſeruulus tuus emptus pretio tam magno, non iam portabo & glorificabo te in corpore meo? Per gratiam tuam quodcumque poteſt facere manus mea, inſtanter pro te operabor qui ſic operaris omnia in omnibus pro me, & ſic es operatus ſalutem meam in medio terræ. Bonum autem facientes ſi non deficiamus, tempore ſuo metemus Et quid obſecro niſi frumentum, ſcilicet electorum quod tu es, ô ſola ſatietas? & beati & læti comedemus panem in regno tuo in æternum, ſi in momento hoc in ſudore vultus veſcamur pane & regno tuo vim faciamus? vt quid ergo in pigritiis humiliatur contignatio mea, & cur manus meæ vt fortium non parat diuitias? Sed quæ eſt fortitudo & laus mea? tu Domine & hodie factus es mihi ſpero in ſalutem: etenim cupio perfectè ſeruire tibi & diligere te, non cæcum & claudum offerre tibi. Mors inſtat tempus volat irrecuperabile, & fortior morte dilectio & charitas tua vrget me. Quis ergo tyrannus amputabit vltrà ſummitates manuum mearum, vt olim Adonibeſec ſeptuaginta regibus, vt egeſtatem hic operer, & filius fiam æternæ confuſionis? Abſit abſit. non ſunt enim condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, ideò non defraudabor à die bono, & particula*

Galar. 6. Iudic. 1. Eccli. 14.

ticula boni diei non præteribit me vt in æternum amodò iam dicat ſpiritus vt requieſcam à laboribus iſtis. Amen.

IACVLATORIÆ.

Pſ.131. *SI dedero ſomnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.*

Pſ.17. *In via tuâ Domine non progredi, regredi eſt; pone ergo pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuas me.*

Matth.20 Lucæ 8. *Quid faciam quando vocabis operarios, vt reddas eis mercedem ſuam? vt quid terram occupo, terram Sanctorum, & non reddo tibi frugem in tempore ſuo?*

Bernard. Pſ. 118. *Retribue ſeruo tuo, viuifica me, & cuſtodiam mandata tua. Quàm mitius me priuares ô amara mors vitæ vſu, quam fructu, quem tibi ô* IESV, *debet terra animæ meæ!*

Pſ.54. *Obſecro te amantiſſime* IESV, *per labores & ſudores tuos, da mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam in te ſpes mea.*

Thren. 3. Bernard. *Quamdiu vixero, memor ero laborũ quos ſuſtinuiſti in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo & recordabor etiam dolorum tuorum.*

Tob.5. Matth.25 *Nónne ſicut auis ad volandum, ſic homo natus ad laborem? & adhuc quærimus requiem? nónne ſcio iudicia tua inſcrutabilia, quia habenti dabitur, & à pigro auferetur talentum ſuum?*

2 Cor. 4. *O quàm momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis!*

S.Amb. *Amor tuus ô* IESV, *non eſt otioſus, operatur enim magna ſi eſt, & ſi operari recuſat, amor non eſt.*

CAPVT LXII.

Exercitium poſt Meditationem.

Gratias age pro audientia.

PRIMÒ, gratias age Deo pro dono orationis, quòd infinita maieſtas dignata fuerit te ad ſui conſpectum, ad colloquium admittere, & diſtractas orationes ac laudes non aſpernari; etiamſi ſit in medio cæleſtis aulæ ſuæ, & nuptiali conuiuio, quod fecit Rex filio ſuo, inter Angelorum ac Beatorum laudes & hymnos, quodque cum iis te clementer audire non recuſârit: & generatim pro omnibus beneficiis. Secundò

conſidera defectus admiſſos in Meditatione, quomodo pane cæleſti, & mannâ piæ orationis ac meditationis confirmatus, non tantùm eos, ſed & alios (qui breuiter in memoriam reuocandi, ac deteſtandi) vitabis; maximè tamen illum defectum, quem in perfectionis progreſſu potiſſimam eſſe remoram aduertis, ac per examen particulare ſtudes expugnare. Tertiò, conſidera breuiter quæ tibi agenda illo die, eaque Deo offer, ac debitè ordina. Quartò, proſpice quæ accidere poſſint aduerſa, & animum reſignatione inſigni ad ea compara. Eſt verò eiuſmodi exercitium breuiter, vt ratio ipſa dictat, & vtiliter poſt meditationem pro recollectione tantummodo perſtringendum; niſi tamen infelix meditationis ſucceſſus ſuadeat diutiùs immorari; & ſic illum defectum ſupplere: quod quàm commodè eo pacto fiat, vſus ipſe edocebit. Itaque cùm hanc vtilitatem, & alias complures habeat, fuſiùs de eo ſuprà dictum eſt. Siquidem illa quatuor puncta complectuntur inſuper modum vtiliter meditandi, ſeu potiùs recolligendi, & renouandi vitam, modum item incumbendi, & faciendi examen, ſurgendi manè, ſeſe præparandi ad Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, audiendi Sacrum, &c, vt pluribus expoſitum eſt ſuprà.

Defectus examina.

Conſidera quæ agẽda & quæ patienda.

Quomodo defectus ſuppleri queant.

Exercitium breuius poſt Meditationem.

QVIS *ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Túne Rex regũ, & Domine dominantiũ, dignaris me reſpicere, & audire & alloqui, qui ſum puluis & cinis? Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius: benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: ſed ſeruiamus illi in corde perfecto, & induamur Dominũ* IESVM *Chriſtum in omni cogitatione N. verbo N. & actione N. tollamus crucẽ eius, & ſequamur eum. O dulciſſime* IESV, *ſuſcipe, quæſo, hoc deſideriũ meũ, & omnia mea manibus B. Virginis*

Pſal. 102.

matris tuæ, in vnione omnium meritorũ tuorũ, & fac de me ſecundùm ſanctiſſimam voluntatem tuã. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus, cordis mei, & omnia. Amen.

Exercitium breuius poſt Meditationem.

Contritio EHEV! *Domine, vnicum auxilium meum, Rex regum, & Domine dominantiũ, ego cinis & puluis in tot periculis conſtitutus, quàm frigidè & diſtractè ob negligentiã coſtodiæ ſenſuũ meorũ, & cordis mei, tecum locutus ſum coram curiâ tuâ vniuersâ, quæ toto corde te laudat, ſicut & animæ omnes*

Humiliatio. *iuſtæ ac verè religioſæ! Miſerere mei infantis, omniũ egeni, vix valentis in ſummis periculis, patris ſui, patris, miſericordiarũ,*

Oblatio. *tuam, dulciſſime* IESV, *opem implorare: & ſuſcipe ſi quid boni feci, gratiâ tua, in vnione meritorũ, vitæ & mortis tuæ, B Vir-*

Reſignatio. *ginis & Sanctorum tuorum, maximè eorum quos in patronos delegi, diſpone de ſeruo tuo, ſi vti tibi viſũ fuerit; ſiue cõſolari libeat ſiue relinquere me; tua voluntas fiat: dignus verè ſum, ſi me reſpicis, quẽ relinquas; ſed, ſi te, & vulnera tua, erit vnde me nõ deſpiciæ, vt ſit miſericordia tua ſuper omnia opera tua.*

Propoſitorũ renouatio. *O Domine, da mihi gratiam, vt quod me docuiſti, Pater benigniſſime, ad ſalutem & ſolatiũ animæ meæ, pro amore tuo & infinitâ charitate, promptè exequar, cùm manifeſtè cognouerim voluntatẽ tuam. Tu ſcis, tu ſcis qui noſti omnia, ardens deſiderium meũ quodq; abominer has imperfectiones meas, N.*

Confidẽtia in Deo. Diffidentia ſui. *& voluntatem propriam, carnemq; grauiſſimum hoſtem meũ: verùm, niſi miſeratio tua magna ſit, peribo vtique in infirmitate mea; ideoq; tu es ſpes & fiducia vnica mea: quomodo enim mihi qui nihil ſum, & nihilo peius, confidere potero; Vilis*

2. Reg. 6. *certè & miſer ſum, ſed vilior fiam, atque humilis ero, ſaltẽ in*

Iudith. 9. *oculis meis, quia humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. Vilis etiam haberi optabo, & opto, delicias mũdi ſpernere & in præſentia tua ambulare, Superioribus meis obedire ſicut tibi, proximum amare propter te, maximè aduerſarium, nè ſim ſicut Ethnicus & Publicanus, qui ſolùm diligentes*

Rom. 12. *ſe diligunt. Quis mihi det vt poſſim carbones ardentes*

Iacobi 1. *beneficiorum congerere ſuper caput eius propter te, vt ſim ve-*

rè

re filius tuus? Tu ſolus dare potes, à quo omne datum optimũ, & omne donum perfectum deſcendit. Da *mihi, obſecro te, ô Deus meus, gratiam vt emendem has imperfectiones meas* N. *& omnia mea opera* N. *perfectè, ſicut propoſui faciam ad maiorem gloriam nominis tui; ne conſiderationes hæ atque exempla tum tua, tum Sanctorum, cùm tot exhortationibus & mediis, mihi in die iudicii ſint in ſingultum & in dolorem tibi, quòd toties me viſitaueris, & viſitatio tua non cuſtodierit ſpiritum meum; quòd toties me paueris, & non ſim ſaturatus, toties vitam dederis & panem vitæ æternæ, & tamen mortuus ſim. Verùm gratiâ tuâ viuens, viuens ipſe confitebor tibi, laudabo nomen tuum, & exaltabo miſericordiam tuam, & amabo bonitatem tuam ſincero corde, ex nunc & in æternum. Sed ſi te amo, quid ſpero, & toto corde opto, nónne libenter pro te iſta pati debeo? ideò ex nunc accepto omnia aduerſa de manu tuâ* N. *& amplector cruces, mortificationes, dicteria, vt tibi ſimilis ſim, & Sanctis tuis; vt pro peccatis meis ſatis faciam, vt te perfectè, ô bonitas infinita, amem ex totâ animâ meâ. O vtinam digneris te ponere vt ſignaculum ſuper cor meũ, vt ſignaculum ſuper brachium meũ, vt nemo mihi deinceps moleſtus ſit, & ſciant omnes quia tuus ego ſum, & tu meus; vtinam digneris manſionem apud me facere, vti deſiderio deſideras hoc paſcha mecum manducare, & quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita etiam deſideret anima mea ad te,* Deus *Quando id dabis mihi; quando pro infinita miſericordia me ægrum, & pauperem, & miſerabilem trahes ad teipſum, qui es ſalus, & potentia, & felicitas noſtra, & recipies in æterna tabernacula? Quando introduces me in domũ Patris tui; quãdo; ô bene* IESV, *introibo in potentias Domini mei, & videbo, & conſiderabo de magnitudine atque abyſſo charitatis tuæ tua; Amen.*

Applicatio ad Communionem.

Reſignatio.

Cant.6.

Recollectio mentis in Deum poſt Meditationem, vel in eâ, vel ante ſacrum, vel poſt illud.

Præſentia Dei.

INTVEOR *cælum & terram, & animam meam, & plena omnia Maieſtate tuâ* O *quàm mihi gratulor & gaudeo, dũ video me quaſi in medio tui, ô* Deus, *ô charitas, ô ignis ſemper ardens: & meritò exclamo:* Magnus es Deus *& laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non eſt finis. Vidi eum, & ſalua facta eſt anima mea, vidi te hodie dulciſſime* IESV; *imò video vbique te, & mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. In his enim omnibus quæ coram me ſunt, te video magis, & amo, quàm ipſa, & ineffabilem charitatem, ſapientiam potentiam, & bonitatem tuam video, & ſi volo, ecce teneo te, & amplector vlnis animæ meæ ô amor! ô oceane bonorum omnium, ſi volo, ecce totâ mente mergor in te, & vndique circũdas me miſerum & miſerrimum, ac beatum facis, ſi volo amare te ſolũ, & alia non niſi propter te, & in te. Volo & toto corde te amo, nihilq́; cupio extra te, cùm in te habeam omnia: nihil timeo extra te, quia non ſines me tentari ſupra id quod poſſũ; imò cuſtodis me vt popillam oculi tui.*

Attende in omnibus Deum, eiuſque perfectiones

Actus amoris.

O pelagus immenſæ felicitatis, ô IESV, *reſpice quæſo in me; nã abyſſus nihilitatis ac miſeriæ meæ voce grandi & clamore valido inuocat abyſſum immenſæ charitatis tuæ: quanto affecto filius prodigus in exilio & deſerto hoc te* Patrẽ *miſericordiarum inuocet, quanto pauper & inops, & in mille periculis æternæ deſolationnis conſtitutus te* Deum *totius conſolationis; tu noſti qui ſcrutaris corda & renes, quo ardore vel potiùs tepore, tu noſti ô amor & ignis conſumens, ô ignis qui ſemper ardes, quot & quantis me beneficiis accendis; ſi quando me reſpicis, quàm ſuauiter aduris? maximè quoties ad me venis in* Ven. *Euchariſtiâ, vt inflammes frigidum cor meum. Ideò enim venis in terram hanc, & vallem lacrymarum animam meam, vt ignem mittas in eam, & vehementer accendatur, conſumat me, vt ſim quaſi non ſim, in quo eram cùm non eſſem, & quie-* ſcam

Applicatio ad Communionem.
Cant. 2.

ſcam in te vita mea, vt viuam & moueat in te, imò tecum ſim, vt tu & Pater vnum eſtis.

O vtinam id mihi contingat! & de te vno ac gloriâ tuâ ſollicitus ſim, & de me omnem in te proiiciam ſollicitudinem meã: Tu enim ſollicitus eris de me, ſi ego non fuero niſi de te. Et verò de quo ſollicitus eſſe poſſũ? eſt ne aliquid quod extra te aut præter voluntatem tuam volo aut ſpero, aut ſperare poſſim, cùm ſciã nihil eſſe omnia, & tu mihi ſis omnia? ſolus dignus es accipere gloriam, honorem, & benedictionem; & ante omnia omnium amorem; minùs enim te amat, qui tecum aliquid optat aut amat, aut perdere formidat, cùm in te omnia habeat, & tu ſis in medio cordis noſtri, vel potiùs nos in medio cordis tui. Clamas enim: Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero. circumdas me enim, & nutris me, & protegis ſub vmbra alarum tuarum; neque accedere poteſt ad me malum, niſi per te, vt ſic loquar tranſeat, qui ſtas ſuper cuſtodiam meam, & contemplaris me in omni loco, & velut ſcuto circumdas me, vt flagellum non appropinquet tabernaculo meo.

Reſignatio.

Apoc. 4.

Iſaiæ 46. Vndique nos Deus circũdat.

Quòd ſi tamen acceſſerit malum per te qui cingis me, & es omne bonum, & bonum tibi videtur vt patiar, idq; ſit ad gloriam tuam, & ſecundùm voluntatem tuam: bonũ mihi eſt & valdè bonũ, tuus enim ſum ego, tibi viuo & moriar, omnia ſiquidẽ & me propter temetipſum feciſti, & propter me, atq; adeò mortuus es, vt viuam ego iam non ego, tu autem viuis in me Chriſte IESV, *& ego in te, & omnia mea: paßiones ſenſus* N. *& actiones* N. *ſic hodie componam ſecundùm exemplar monſtratum à te in temetipſo per miſericordiam & gratiam tuam, cùm ſine te nihil poßimus facere, nihil ſimus extra te. O pelagus inexhauſtæ bonitatis, ex quo omnia fluunt, & in quod refluunt vniuerſa.*

Oblatio ſui.

Galat. 2.

Flumina ex te quatuor manare video ô Paradiſe deliciarũ. Primum eſt ſacratißima humanitas tua ô Chriſte IESV *: ſecundũ glorioſißima Mater tua, & Angeli, & nos miſeri mortales, & omnis creatura: tertium, innumera beneficia quibus has & me ſuſtentas & perficis: quartũ, innumera mala quòd ea auertere digneris à me ſeruo tuo, ô fons domus Iacob,*

Flumina 4. paradiſi.

quantæ

quantæ fluunt ex te aquæ conſolationis, & miſerationũ, quanto impetu de Libano! in te ergo vno omnia habentes, quomodo poſſumus te derelinquere? Idcirco gaudens gaudebo, & lætabor in te, inebria me ex abundantiâ tuâ, vt ſincerè te ſolũ diligam, qui ſolus bonus es, ſolus dignus amari in omni quod videre vel audire, guſtare, vel quo frui aut ſolatium capere poſſũ: deſiderare neſcio niſi te, IESV, quẽ diligo, & cui me toto corde committo.

Tob. 10.

Curioſitatis abnegatio.

Scire non cupio quid facturus ſis publicè aut priuatim, aut de me, ô ſapientia & bonitas infinita. Nihil ſollicitus ſũ, quid futurum, quid dicturi aut facturi homines; incertæ enim prouidentiæ noſtræ: & tu ſolus attingis à fine vſque ad finẽ, fortiter & ſuauiter omnia diſponis; curas me acſi ſolus eſſem, ſolamq́ue mei curam gereres ab æterno. Ab æterno enim amaſti me, & cùm habitares lucem inacceſſibilem, & in ſplendoribus Sanctorum ageres beatus, memoria memor fuiſti, & miſeratus es exulem me, recordatus miſericordiæ tuæ, deſcendiſti à ſummo cælorum vſque ad inferiora terræ, vt quia nemo aſcẽdit, niſi qui deſcendit, per te aſcenderem ô vita mea, qui per me in mortem deſcenderam, & in lacum profundum.

Prouidẽtia Dei ſingularis.

Ioan. 3.

O Deus meus, vnde hoc mihi vt veneris ad me; vnde vt inter innumeros pereuntes vnum eum caueris, ſelegeris, quẽ ſeruares & amplectereris, &, ne ſic loquar, amares (obſtupeſcite cæli, obſtupeſcite) pluſquam te ipſum; & operareris ſalutem meam in medio terræ, triginta tribus annis, & in laboribus plurimis à iuuentute tuâ, & potueris aliquando derelinquere me; & operi manuum tuarũ non porriges dexteram; dies illi pauci ſunt viſi tibi & parui præ amoris magnitudine. vnde hoc mihi, vnde illa tibi charitas, nónne tibi benè erat ſine me; erat equidẽ niſi quòd tecum non eſſem, ideo deſcendiſti vt aſſumeres me ad teipſum, & eructares abſcondita à conſtitutione mundi, & ignitũ eloquium tuũ vehementer ſonaret in auribus cordis mei.

Spes in Deo.

Quid dicam ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ, & tanquam nihilum ante te, vtinam nihil mihi dulce ſit extra te infinita ſuauitas, vtinam omnia præter te amare mihi ſint, vtinã videam te ſolum, & audiam loquentem ad cor meum: Ex corde enim

enim & corde tuo verè ardenti loqueris mihi in quo video nomen meum ſcriptum ab æterno. Sicut etiam eſt in manibus tuis, noli, obſecro, te, piiſſime IESV, *me delere de hoc libro vitæ; noli permittere, vt me rapiat aliquis de manu tuâ, & memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.* Pſ.118.

O quomodo coarctor donec perficiatur illa in me! ideò defecit cor meum, & caro mea, & languerunt oculi mei, veni & deſcende in hanc vallem lacrymarum, ſpes mea, & fortitudo mea. Veniſne bone IESV? *& millenis viis per Sacerdotum manus, etſi impuras ad me properas vt ſis mihi cibus, mihi vermi, & non homini, & potus ſuſpiranti & ſitienti ad te fontem aquæ viuæ? Quin igitur bibo & inebior? quid vltrà ſitio & perdere me tuo, qui verè omnia in te habeo, quin curro ad te vt ceruus ad fontes aquarũ? quid me retinet? an hominis gratia? an creaturæ fallacia? Ecce tranſeunt omnia inſtar floris, & roris, & fumi, & vaporis ad modicum parentis. Tu autem idem ipſe es & anni tui non deficient neque amor tuus, vt ſpero, erga me, vnde mihi ſitienti irriguum eſt ſuperius & inferius, & bonorum abyſſus, cùm creata omnia ſint inſtar puncti, arenæ, guttæ ſtillæ amaritudine plenæ. In te eſt quidquid oculus vidit, aut auris audiuit, aut in cor hominis deſcendit: omne delectabile, omne deſiderabile ſine termino, modo, & menſurâ.*

IESV mille viis ad nos venit.

Vanitas rerum.

In Deo omnia.

Et hæc coràm habeo, & poſſideo ſi te amo, neque neceſſe habeo optare vt quidem videam, habeam, audiam, guſtem, ſi guſto & video te, quoniam ſuauis es. Non me torquebit deſiderium, ſi te amo deſiderium collium æternorum; non me affligent publica vel priuata mala, ſed te ſtringam & amplectar ſinceram & omne bonum: non viuam ſollicitus, aut quidpiam optabo fieri mihi dici, cogitari, aut aliquo malo liberari, vita mea eſt & ſolatiũ vt fiat voluntas tua, cumq; futura ſit ea, ſemper ſecurus ero, quid ſerus veſper vehat, quid pariat dies. Tu enim ſtas ſuper cuſtodiam meam, & placet mihi magis ordo rerũ quem elegiſti ab æterno, quàm inſipiens votum meũ; malo vt fiat quod manus tua & conſilium tuum decre-

Reſignati beatitudo

Iſai.21.& Habac.2. Rom.3.

Iob.1. *decreuerunt fieri, quàm vt impleatur cœcum deſiderium meū quod torquere ſolùm me poteſt,ſi aliò me rapiat, quàm in tui amorem.*

Quomodo ſit Deus amandus. In Deo omnia. Nota.

Sed quomodo id poterit fieri vt aliud præter te amem? ſi vitam amo,vt vita mea es,& cùm ſtarem corā iudice Patre tuo mortis reus,dediſti mihi vitam tuam,& chirographum mortis deleuiſti ſi amo potum,adſtas mihi fons vitæ, & ne ſitiam, de corde tuo fluit mihi ſanguis tuus flumina aquæ viuæ,& in aceto dolorū propinas mihi cor tuum liqueſcens amore mei: ſi cibū concupiſco,tu panis omne delectamentum in ſe habens,confortans cor hominis:ſi amo amantem me,cur non magis te qui amaſti me pluſquam te? cùm enim decretum eſſet vt biberem calicem mortis,rapuiſti eum de manu mea,& vltrò bibiſti;cùm nudandus eſſē,ſponte nudatus & pro me flagellatus,& coronatus;cùm ſoluendo non eſſem,ſoluiſti nouiſſimum quadrantem morte tuâ,& vltimam ſanguinis guttam dediſti mihi ô oceane bonorum,ô abyſſus amoris! amo te toto corde meo,& amare te volo in æternum,& aut eſſe nolo,aut amare te ex nunc in æternum. Amen.

Aſpira, vt ſup. Hæccine fide, *vt ſup. pag.* 8.

Praxis eorum quæ poſt meditationem facienda ſunt, ac primò de Diſtractionibus, & earum remediis.

*Thren.*1. *Vnde mentis inſtabilitas.* *Eccleſ.* 10. *Cyprian. de orat. Dominica.* *Diſtractio quam ſit indigna.*

PECCATVM, ait Propheta, peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt: peccauit vtique & anima noſtra, atque inſtabilis facta eſt, abiitque vaga poſt amores multos & concupiſcentias ſuas; ita vt nullo loco cōquieſcere poſſit, ſed in varias partes diſtrahatur. Cùm verò diſtractio hęc, animique euagationes velut muſcę morientes perdant omnem ſuauitatem vnguenti ſeu orationis, vtilitatemque eius non parùm impediant, ſtudioſè remedia adhibenda ſunt. Quomodo enim, ait Cyprianus, te audiri à Deo poſtulas cùm te ipſe non audias? Vis Deum eſſe memorem tui cùm rogas, cùm tu ipſe memor tui non ſis? hoc eſt vigilare oculis, corde dormire, cùm debeat Chriſtianus etiam cùm dormit oculis, corde vigilare.

Primum ac præcipuum eſt, ante orationem animũ ſeruare collectum. Quales enim orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus; ex præcedenti enim ſtatu mens atque animus in ſupplicatione firmatur, eo autem id diligentiùs eſt faciendum, quia oratione velut aquæ ductu gratiarum aquæ ad nos dimanant, atque adeò nihil eſt quod proinde dæmones horreant magis, conentur impedire. *Caſſian c.6 cap.2. Quomodo ſperanda.*

Secundum verò remedium, ac præcipuũ eſt, præter præparationem, de quâ dictum lib.1.cap.11. præſentiam diuinæ Maieſtatis retinere, viuamque eius fidem crebrò excitare, ac magnâ reuerentiâ, etiam exteriori, coram illâ atque curia eius ſtare, tamquã ſpectaculum facti ſimus mundo, Angelis & hominibus. Quòd ſi coram Ven. Sacramento orare poſſis, id etiã facito. ſin verò id non licet, verſus illud vbicumque quis ſit ſeſe conuertere pium atque vtile eſt; cùm etiam in orando ad templum ſe conuertere Iſraëliticus populus à Domino edoctus fuerit. Ad reuerentiam pertinet valdè quieto eſſe corpore, & ſimul imaginationẽ certo certo loco per compoſitionem loci, de qua actum pluribus, alligare. *Orationis præſtantia* *1. Cor. 7. Corã Ven. Sacramento oratio fructuoſior*

Tertiò, obſerua tria nos in oratione diſtrahere, præſentia, præterita ac futura. Præſentia maximè tum, quando affectũ ad ſe trahunt, inquietos efficiunt, & curioſitate diſtrahunt; ideoque ſolitudo, quies & ſenſuum cuſtodia maximoperè commendantur. Præterita verò nos impediunt, ſiquãdo aliquid malè geſtum fuit, vel accidit ingratum: hæc enim pertractare ſecũ animus & retractare ſolet eò quòd priùs vt ſe inſpiceret non conquieuerit. Si quis igitur inter orandum quietem quærat; examinet ſe priuſquã ad orationẽ accedat, cõtritionẽ excitet, & de ſingulis decernat. Primò, nihil eſſe omnia præ ſtudio placendi Deo, & eius voluntatem implendi, atque ita nihil ſe velle cogitare aliud, quàm id quod diuinæ maieſtati gratum; nolle pro incenſo & odore ſuauitatis offerre fœtentis & vilis animæ exhalationes, curas ſcilicet ac cogitationes vanas, inutiles, turpes & malas. Studioſè autem ſibi perſuadeat ac firmiter credat, perdere ſe, atque impedire negotiorum ſucceſſum, ſi de iis cogitet, cum per iſtos defectus & intellectus tenebreſcat, & voluntas tardior fiat ad bonũ; & gratia Dei, lux noſtra ac robur noſtrum per eos impediatur. Si ſic egerit, & nihili præ Deo, eiuſque honore fecerit omnia, certum quòd facilè rerum mundanarum obliuiſcetur, vt ſolemus alia contemptibilia & res nihili difficilè recordari. *Tria in oratione diſtrahũt.* *Remedium diſtractionis examen ante orationem.* *Nota negotia retardari diſtractione.*

Ne

1.Pet.4. ſtibus afflibus fuiſti, da mihi te in cruce paſſo eadem cogitatione armari.

Prou.3. Diſciplinam tuam Domine, non abiiciam, nec deficiam cùm à Patre corripior, audiui enim, quem diligit Dominum corripit, & quaſi in filio complacet ſibi.

Lucę 24. Itáne oportuit te Rex gloriæ pati, vt intrares in gloriam tuã? abſit ergo mihi gloriari niſi in cruce Domini mei.

Galat 6.

Act.5. Vtinam dignus ſim cum Apoſtolis tuis gaudenter pro nomine

Hebr. 10. tuo contumeliam & pauperem & quidquid tibi placuerit pati.

Patientiam audio neceſſariam vt reportent remiſſionem. Itaque fac vt pro te pati mihi dulce ſit, & vita ſit pro te mori, & cibus meus facere voluntatem tuam.

Exercitium breuius de Abſtinentiâ.

O Aeterna Sapientia, fierine poteſt, vt non tinniant adhuc ambæ aures noſtræ præcepto illo tuo primo dato homini primo & ſancto: In quocumque die comederis, morte morieris,

Prou.13. & adhuc Eua noſtra libet auſcultare, & hoſti huic viliſſimo

1.Cor. 9. ſuccumbere, & ventri vt Deo parere? & edere, & nunquam ſatiari ſiliquis porcorum? Iuſtus comedit & replet animam

Rom. 14. ſuam, venter autem impiorum inſatiabilis. Nónne omnis qui in agone contendit ab omnibus ſe abſtinet, & ille quidem vt corruptibilẽ coronam accipiant, nos autẽ incorruptam? Nolo igitur amore tui, qui pro me eſuriſti quadraginta dies, & ſitiſti, felle & aceto in cruce potatus es, nolo propter viliſſimam eſcam, momentaneam voluptatem deſtruere opus tuum Deus meus; ſed libens ſi placuerit, ſequar te Domine cum Nazaræis, vinum & ſiceram non bibam, in quo eſt luxuria, ſed deſidero cum Daniele & Eliâ, Ioanne, & omnibus Sanctis tuis ſobriè, & iuſtè, & piè tibi viuere, & expectare beatam ſpem, & aduentum gloriæ tuæ ô Deus, ô ſatietas, ô verè omne meũ. Amẽ

IACVLATORIÆ.

Pſal. 103. CRedo, Domine, initium omnium malorum noſtrorum eſt gula, ideò ſoli neceſſitati parebo, & ſpero quòd de neceſſitatibus meis etiam eripies me.

O quàm verè panis in vtero peccatoris vertitur in fel aſpidũ intrinſecus! O quàm amarum mihi eſt [illegible] te Dominũ meũ!

Nónne turpiſſimũ erit, & tamen [illegible]mum in iudicio de pomo, de carnis fruſto damnari?

Da mihi Domine ſpiritu ambulare, & deſideria carnis non perficere ad gloriam tuam. Galat. 5.

Obſecro te per eſuriem tuam, & acetum, & fel, quibus in cruce potatus es, Domine extingue in me gulæ concupiſcentiam inſidiantem mihi. Obſecratio.

Si eſca aut modus, aut tempus ſcandalizat fratrem meum, aut tibi diſplicet Redemptor mi, non comedam in æternum.

O quàm comederunt Patres noſtri vuam acerbam, & adhuc dentes filiorum obſtupeſcunt. Ierem. 31

O quàm beatũ hic eſurire, & ſatiari, cùm apparuerit gloria tua. Pſ. 16.

Meus cibus, Domine IESV, *ſit, obſecro, facere voluntatem Patris tui, & tuam qui elegiſti me.* Ioan. 4.

Exercitium breuius de ſpirituali feruore contra Acediam.

Túne Domine IESV *Rex meus & Deus meus, túne in laboribus es à iuuentute tua pro me & omnes Sancti tui? & omnis creatura tua laborat mihi vt ſeruiam tibi, & quomodo ſudat mundus vt pereat tibi & ſibi ego igitur ſeruulus tuus emptus pretio tam magno, non iam portabo & glorificabo te in corpore meo? Per gratiam tuam quodcumque poteſt facere manus mea, inſtanter pro te operabor qui ſic operaris omnia in omnibus pro me, & ſic es operatus ſalutem meam in medio terræ. Bonum autem facientes ſi non deficiamus, tempore ſuo metemus Et quid obſecro niſi frumentum, ſcilicet electorum quod tu es, ô ſola ſaties animas? & beati & læti comedemus panem in regno tuo in æternum, ſi in momento hoc in ſudore vultus veſcamur pane & regno tuo vim faciamus? vt quid ergo in pigritiis humiliatur contignatio mea, & cur manus meæ vt fortium non parat diuitias? Sed quæ eſt fortitudo & laus mea? tu Domine & hodie factus es mihi ſpero in ſalutem: etenim cupio perfectè ſeruire tibi & diligere te, non cæcum & claudum offerre tibi. Mors inſtat tempus volat irrecuperabile, & fortior morte dilectio. & charitas tua vrget me. Quis ergo tyrannus amputabit vltrà ſummitates manuum mearum, vt olim Adonibeſec ſeptuaginta regibus, vt egeſtatem hic operer, & filius fiam æternæ confuſionis? Abſit abſit. non ſunt enim condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, ideò non defraudabor à die bono, & par-*

Galat. 6. Iudic. 1. Eccli. 14.

ticula boni diei non præteribit me vt in æternum amodò jam dicat ſpiritus vt requieſcam à laboribus iſtis. Amen.

IACVLATORIÆ.

Pſ.131. *SI dedero ſomnũ oculis meis, & palpebris meis dormitationẽ, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.*

Pſ.17. *In via tuâ Domine non progredi, regredi eſt; pone ergo pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuas me.*

Matth.20 Lucæ 8. *Quid faciam quando vocabis operarios, vt reddas eis mercedem ſuam? vt quid terram occupo, terram Sanctorum, & non reddo tibi frugem in tempore ſuo?*

Bernard. Pſ. 118. *Retribue ſeruo tuo, viuifica me, & cuſtodiam mandata tua. Quàm mitius me priuares ô amara mors vitæ vſu, quam fructu, quem tibi ô* IESV, *debet terra animæ meæ!*

Pſ.54. *Obſecro te amantiſſime* IESV, *per labores & ſudores tuos, da mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam in te ſpes mea.*

Thren. 3. Bernard. *Quamdiu vixero, memor ero laborũ quos ſuſtinuiſti in prædicando, fatigationum in diſcurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lacrymarum in compatiendo & recordabor etiam dolorum tuorum.*

Tob.5. Matth.25 *Nónne ſicut auis ad volandum, ſic homo natus ad laborem? & adhuc quærimus requiem? nónne ſcio iudicia tua inſcrutabilia, quia habenti dabitur, & à pigro auferetur talentum ſuum?*

2 Cor. 4. *O quàm momentaneum & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis!*

S.Amb. *Amor tuus ô* IESV, *non eſt otioſus, operatur enim magna ſi eſt, & ſi operari recuſat, amor non eſt.*

CAPVT LXII.

Exercitium poſt Meditationem.

Gratias age pro audientia.

PRIMÒ, gratias age Deo pro dono orationis, quòd infinita maieſtas dignata fuerit te ad ſui conſpectum, ad colloquium admittere, & diſtractas orationes ac laudes non aſpernari; etiamſi ſit in medio cæleſtis aulæ ſuæ, & nuptiali conuiuio, quod fecit Rex filio ſuo, inter Angelorum ac Beatorum laudes & hymnos, quódque cum iis te clementer audire non recuſârit: & generatim pro omnibus beneficiis. Secundò

conſidera

conſidera defectus admiſſos in Meditatione, quomodo pane cæleſti, & mannâ piæ orationis ac meditationis confirmatus, non tantùm eos, ſed & alios (qui breuiter in memoriam reuocandi, ac deteſtandi (vitabis; maximè tamen illum defectum, quem in perfectionis progreſſu potiſſimam eſſe remoram aduertis, ac per examen particulare ſtudes expugnare. Tertiò, conſidera breuiter quæ tibi agenda illo die, eaque Deo offer, ac debitè ordina. Quartò, proſpice quæ accidere poſſint aduerſa, & animum reſignatione inſigni ad ea compara. Eſt verò eiuſmodi exercitium breuiter, vt ratio ipſa dictat, & vtiliter poſt meditationem pro recollectione tantummodo perſtringendum; niſi tamen infelix meditationis ſucceſſus ſuadeat diutiùs immorari; & ſic illum defectum ſupplere: quod quàm commodè eo pacto fiat, vſus ipſe edocebit. Itaque cùm hanc vtilitatem, & alias complures habeat, fuſiùs de eo ſuprà dictum eſt. Siquidem illa quatuor puncta complectuntur inſuper modum vtiliter meditandi, ſeu potiùs recolligendi, & renouandi vitam, modum item incumbendi, & faciendi examen, ſurgendi manè, ſeſe præparandi ad Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, audiendi Sacrum, &c, vt pluribus expoſitum eſt ſuprà.

Defectus examina.

Conſidera quæ agēda & quæ patienda.

Quomodo defectus ſuppleri queant.

Exercitium breuius poſt Meditationem.

*Q*VIS *ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Túne* REX *regũ, & Domine dominantiũ, dignaris me reſpicere, & audire & alloqui, qui ſum puluis & cinis? Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius: benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: ſed ſeruiamus illi in corde perfecto, & induamur Dominũ* IESVM *Chriſtum in omni cogitatione N. verbo N. & actione N. tollamus crucẽ eius, & ſequamur eum. O dulciſſime* IESV, *ſuſcipe, quæſo, hoc deſideriũ meũ, & omnia mea manibus B. Virginis*

Pſal. 102.

matris tuæ, in vnione omnium meritorũ tuorũ, & fac de me ſecundùm ſanctiſſimam voluntatem tuã. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus, cordis mei, & omnia. Amen.

Fxercitium breuius poſt Meditationem.

Contritio EHEV! *Domine, vnicum auxilium meum, Rex regum, & Domine dominantiũ, ego cinis & puluis in tot periculis conſtitutus, quàm frigidè & diſtractè ob negligentiã coſtodiæ ſenſuũ meorũ, & cordis mei, tecum locutus ſum coram curiâ tuâ vniuersâ, quæ toto corde te laudat, ſicut & animæ omnes*

Humiliatio. *iuſtæ ac verè religioſæ! Miſerere mei infantis, omniũ egeni, vix valentis in ſummis periculis, patris ſui, patris, miſericordiarũ,*

Oblatio. *tuam, dulciſſime* IESV, *opem implorare: & ſuſcipe ſi quid boni feci, gratiâ tua, in vnione meritorũ, vitæ & mortis tuæ, B Vir-*

Reſignatio. *ginis & Sanctorum tuorum, maximè eorum quos in patronos delegi, diſpone de ſeruo tuo, ſi vti tibi viſũ fuerit; ſiue cõſolari libeat ſiue relinquere me; tua voluntas fiat: dignus verè ſum, ſi me reſpicis, quẽ relinquas; ſed, ſi te, & vulnera tua, erit vnde me nõ deſpiciæ, vt ſit miſericordia tua ſuper omnia opera tua.*

Propoſitorũ renouatio. *O Domine, da mihi gratiam, vt quod me docuiſti, Pater benigniſſime, ad ſalutem & ſolatiũ animæ meæ, pro amore tuo & infinitâ charitate, promptè exequar, cùm manifeſtè cognouerim voluntatẽ tuam. Tu ſcis, tu ſcis qui noſti omnia, ardens deſiderium meũ quodq́; abominer has imperfectiones meas, N,*

Confidẽtia in Deo. Diffidentia ſui. *& voluntatem propriam, carnemq́; grauiſſimum hoſtem meũ: verùm, niſi miſeratio tua magna ſit, peribo vtique in infirmitate mea; ideoq́; tu es ſpes & fiducia vnica mea: quomodo enim mihi qui nihil ſum, & nihilo peius, confidere potero; Vilis*

2. Reg. 6. *certè & miſer ſum, ſed vilior fiam, atque humilis ero, ſaltẽ in*

Iudith. 9. *oculis meis, quia humilium & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. Vilis etiam haberi optabo, & opto, delicias mũdi ſpernere & in præſentia tua ambulare, Superioribus meis obed re ſicut tibi, proximum amare propter te, maximè aduerſarium, nè ſim ſicut* Ethnicus & Publicanus, *qui ſolùm dili-*

Rom. 12. *gentes ſe diligunt. Quis mihi det vt poſſim carbones ardentes*

Iacobi 1. *beneficiorum congerere ſuper caput eius propter te, vt ſim ve-*

re filius tuus? Tu ſolus dare potes, à quo omne datum optimũ, & omne donum perfectum deſcendit. Da *mihi, obſecro te, ô Deus meus, gratiam vt emendem has imperfectiones meas* N. *& omnia mea opera* N. *perfectè, ſicut propoſui faciam ad maiorem gloriam nominis tui; ne conſiderationes hæ atque exempla tum tua, tum Sanctorum, cùm tot exhortationibus & mediis, mihi in die iudicii ſint in ſingultum & in dolorem tibi, quòd toties me viſitaueris, & viſitatio tua non cuſtodierit ſpiritum meum; quòd toties me paueris, & non ſim ſaturatus, toties vitam dederis & panem vitæ æternæ, & tamen mortuus ſim. Verùm gratiâ tuâ viuens, viuens ipſe confitebor tibi, laudabo nomen tuum, & exaltabo miſericordiam tuam, & amabo bonitatem tuam ſincero corde, ex nunc & in æternum. Sed ſi te amo, quid ſpero, & toto corde opto, nónne libenter pro te iſta pati debeo? ideò ex nunc accepto omnia aduerſa de manu tuâ* N. *& amplector cruces, mortificationes, dicteria, vt tibi ſimilis ſim, & Sanctis tuis; vt pro peccatis meis ſatis faciam, vt te perfectè, ô bonitas infinita, amem ex totâ animâ meâ.* O *vtinam digneris te ponere vt ſignaculum ſuper cor meũ, vt ſignaculum ſuper brachium meũ, vt nemo mihi deinceps moleſtus ſit. & ſciant omnes quia tuus ego ſum, & tu meus; vtinam digneris manſionem apud me facere, vti deſiderio deſideras hoc paſcha mecum manducare, & quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita etiam deſideret anima mea ad te,* Deus *Quando id dabis mihi; quando pro infinita miſericordia me ægrum, & pauperem, & miſerabilem trahes ad teipſum, qui es ſalus, & potentia, & felicitas noſtra, & recipies in æterna tabernacula? Quando introduces me in domũ* Patris *tui; quãdo; ô bene* IESV, *introibo in potentias* Domini *mei, & videbo, & conſiderabo de magnitudine atque abyſſo charitatis tuæ tuæ; Amen.*

Applicatio ad Communionem.

Reſignatio.

Cant. 6.

Recollectio mentis in Deum poſt Meditationem, vel in eâ, vel ante ſacrum, vel poſt illud.

Præſentia Dei.

INTVEOR *cælum & terram, & animam meam, & plena omnia Maieſtate tuâ O quàm mihi gratulor & gaudeo, dũ video me quaſi in medio tui, ô Deus, ô charitas, ô ignis ſemper ardens: & meritò exclamo: Magnus es Deus & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non eſt finis. Vidi eum, & ſalua facta eſt anima mea, vidi te hodie dulciſſime* IESV; *imò video vbique te, & mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. In his enim omnibus quæ coram me ſunt, te video magis, & amo, quàm ipſa, & ineffabilem charitatem, ſapientiam potentiam, & bonitatem tuam video, & ſi volo, ecce teneo te, & amplector vlnis animæ meæ ô amor! ô oceane bonorum omnium, ſi volo, ecce totâ mente mergor in te, & vndique circũdas me miſerum & miſerrimum, ac beatum facis, ſi volo amare te ſolũ, & alia non niſi propter te, & in te. Volo & toto corde te amo, nihilq́; cupio extra te, cùm in te habeam omnia: nihil timeo extra te, quia non ſines me tentari ſupra id quod poſſũ; imò cuſtodis me vt popillam oculi tui.*

Attende in omnibus Deum, eiuſque perfectiones

Actus amoris.

O pelagus immenſæ felicitatis, ô IESV, *reſpice quæſo in me; nã abyſſus nihilitatis ac miſeriæ meæ voce grandi & clamore valido inuocat abyſſum immenſæ charitatis tuæ: quanto affectu filius prodigus in exilio & deſerto hoc te Patrẽ miſericordiarum inuocet, quanto pauper & inops, & in mille periculis æternæ deſolationnis conſtitutus te Deum totius conſolationis; tu noſti qui ſcrutaris corda & renes, quo ardore vel potiùs tepore, tu noſti ô amor & ignis conſumens, ô ignis qui ſemper ardes, quot & quantis me beneficiis accendis; ſi quando me reſpicis, quàm ſuauiter aduris? maximè quoties ad me venis in Ven. Euchariſtiâ, vt inflammes frigidum cor meum. Ideò enim venis in terram hanc, & vallem lacrymarum animam meam, vt ignem mittas in eam, & vehementer accendatur, conſumat me, vt ſim quaſi non ſim, in quo eram cùm non eſſem, & quieſcam*

Applicatio ad Communionem. Cant. 2.

ſcam in te vita mea, vt viuam & moueur in te, imò tecum ſim, vt tu & Pater vnum eſtis.

O vtinam id mihi contingat! & de te vno ac gloriâ tuâ ſollicitus ſim, & de me omnem in te proiiciam ſollicitudinem meã: Tu enim ſollicitus eris de me, ſi ego non fuero niſi de te. Et verò de quo ſollicitus eſſe poſſũ? eſt ne aliquid quod extra te aut præter voluntatem tuam volo aut ſpero, aut ſperare poßim, cùm ſciã nihil eſſe omnia, & tu mihi ſis omnia? ſolus dignus es accipere gloriam, honorem, & benedictionem; & ante omnia omnium amorem; minùs enim te amat, qui tecum aliquid optat aut amat, aut perdere formidat, cùm in te omnia habeat, & tu ſis in medio cordis noſtri, vel potiùs nos in medio cordis tui. Clamas enim: Audite me domus Iacob, qui portamini à meo vtero. circumdas me enim, & nutris me, & protegis ſub vmbra alarum tuarum; neque accedere poteſt ad me malum, niſi per te, vt ſic loquar tranſeat, qui ſtas ſuper cuſtodiam meam, & contemplaris me in omni loco, & velut ſcuto circumdas me, vt flagellum non appropinquet tabernaculo meo. Reſignatio. Apoc. 4. Iſaiæ 46. Vndique nos Deus circũdat.

Quòd ſi tamen acceſſerit malum per te qui cingis me, & es omne bonum, & bonum tibi videtur vt patiar, idq́; ſit ad gloriam tuam, & ſecundùm voluntatem tuam: bonũ mihi eſt & valdè bonũ, tuus enim ſum ego, tibi viuo & moriar, omnia ſiquidẽ & me propter temetipſum feciſti, & propter me, atq; adeò mortuus es, vt viuam ego iam non ego, tu autem viuas in me Chriſte IESV, *& ego in te, & omnia mea: paßiones ſenſus* N. *& actiones* N. *ſic hodie componam ſecundùm exemplar monſtratum à te in temetipſo per miſericordiam & gratiam tuam, cùm ſine te nihil poßimus facere, nihil ſimus extra te. O pelagus inexhauſtæ bonitatis, ex quo omnia fluunt, & in quod refluunt vniuerſa.* Oblatio ſui. Galat. 2.

Flumina ex te quatuor manare video ô Paradiſe deliciarũ. Primum eſt ſacratißima humanitas tua ô Chriſte IESV *: ſecundũ glorioſiſſima Mater tua, & Angeli, & nos miſeri mortales, & omnis creatura: tertium, innumera beneficia quibus has & me ſuſtentas & perficis: quartũ, innumera mala quòd ea auertere digneris à me ſeruo tuo, ô fons domus Iacob, quanta* Flumina 4. paradiſi.

quantæ fluunt ex te aquæ conſolationis, & miſerationũ, quanto impetu de Libano! In te ergo vno omnia habentes, quomodo poſſumus te derelinquere? Idcirco gaudens gaudebo, & lætabor in te, inebria me ex abundantiâ tuâ, vt ſincerè te ſolũ diligam, qui ſolus bonus es, ſolus dignus amari in omni quod videre vel audire, guſtare, vel quo frui aut ſolatium capere poſſũ: deſiderare neſcio niſi te, IESV, quẽ diligo, & cui me toto corde committo.

Tob. 10.

Curioſitatis abnegatio.

Scire non cupio quid facturus ſis publicè aut priuatim, aut de me, ô ſapientia & bonitas infinita. Nihil ſollicitus ſũ, quid futurum, quid dicturi aut facturi homines; incertæ enim prouidentiæ noſtræ: & tu ſolus attingis à fine vſque ad finẽ, fortiter & ſuauiter omnia diſponis; curas me ac ſi ſolus eſſem, ſolamq; mei curam gereres ab æterno. Ab æterno enim amaſti me, & cùm habitares lucem inacceſſibilem, & in ſplendoribus Sanctorum ageres beatus, memoria memor fuiſti, & miſeratus es exulem me, recordatus miſericordiæ tuæ, deſcendiſti à ſummo cælorum vſque ad inferiora terræ, vt quia nemo aſcẽdit, niſi qui deſcendit, per te aſcenderem ô vita mea, qui per me in mortem deſcenderam, & in lacum profundum.

Prouidẽtia Dei ſingularis.

Ioan. 3.

O Deus meus, vnde hoc mihi vt veneris ad me; vnde vt inter innumeros pereuntes vnum euocaueris, ſelegeris, quẽ ſeruares & amplecterer is, &, ne ſic loquar, amares (obſtupeſcite cæli, obſtupeſcite) pluſquam te ipſum; & operareris ſalutem meam in medio terræ, triginta tribus annis, & in laboribus plurimis à iuuentute tuâ, & poteris aliquando derelinquere me; & operi manuum tuarũ non porriges dexteram; dies illi pauci ſunt viſi tibi & parui præ amoris magnitudine. vnde hoc mihi, vnde illa tibi charitas, nónne tibi benè erat ſine me; erat equidẽ niſi quòd tecum non eſſem, ideo deſcendiſti vt aſſumeres me ad teipſum, & eructares abſcondita à conſtitutione mundi, & ignitũ eloquium tuũ vehementer ſonaret in auribus cordis mei.

Spes in Deo.

Quid dicam ſeruus tuus & filius ancillæ tuæ, & tanquam nihilum ante te, vtinam nihil mihi dulce ſit extra te infinita ſuauitas, vtinam omnia præter te amare mihi ſint, vtinã videam te ſolum, & audiam loquentem ad cor meum: Ex corde

enim

enim & corde tuo verè ardenti loqueris mihi in quo video nomen meum ſcriptum ab æterno. Sicut etiam eſt in manibus tuis, noli, obſecro, te, piiſſime IESV, *me delere de hoc libro vitæ; noli permittere, vt me rapiat aliquis de manu tuâ, & memor eſto verbi tui ſeruo tuo, in quo mihi ſpem dediſti.* Pſ. 118.

O quomodo coarctor donec perficiatur illa in me! ideò defecit cor meum, & caro mea, & languerunt oculi mei, veni & deſcende in hanc vallem lacrymarum, ſpes mea, & fortitudo mea. Veniſne bone IESV? *& millenis viis per Sacerdotum manus, etſi impuras ad me properas vt ſis mihi cibus, mihi vermi, & non homini, & potus ſuſpiranti & ſitienti ad te fontem aquæ viuæ? Quin igitur bibo & inebrior? quid vltrà ſitio & perdere metuo, qui verè omnia in te habeo, quin curro ad te vt ceruus ad fontes aquarũ? quid me retinet? an hominis gratia? an creaturæ fallacia? Ecce tranſeunt omnia inſtar floris, & roris, & fumi, & vaporis ad modicum parentis. Tu autem idem ipſe es & anni tui non deficient neque amor tuus, vt ſpero, erga me, vnde mihi ſitienti irriguum eſt ſuperius & inferius, & bonorum abyſſus, cùm creata omnia ſint inſtar puncti, arenæ, guttæ ſtillæ amaritudine plenæ. In te eſt quidquid oculus vidit, aut auris audiuit, aut in cor hominis deſcendit: omne delectabile, omne deſiderabile ſine termino, modo, & menſurâ.*

IESV mille viis ad nos venit.

Vanitas rerum.

In Deo omnia.

Et hæc coràm habeo, & poſſideo ſi te amo, neque neceſſe habeo optare vt quidem videam, habeam, audiam, guſtem, ſi guſto & video te, quoniam ſuauis es. Non me torquebit deſiderium, ſi te amo deſiderium collium æternorum; non me affligent publica vel priuata mala, ſed teſtringam & amplectar ſinceram & omne bonum: non viuam ſollicitus, aut quidpiam optabo fieri mihi dici, cogitari, aut aliquo malo liberari, vita mea eſt & ſolatiũ vt fiat voluntas tua, cumq́; futura ſit ea, ſemper ſecurus ero, quid ſerus veſper vehat, quid pariat dies. Tu enim ſtas ſuper cuſtodiam meam, & placet mihi magis ordo rerũ quem elegiſti ab æterno, quàm inſipiens votum meũ; malo vt fiat quod manus tua & conſilium tuum decre-

Reſignati beatitudo

Iſai. 21. & Habac. 2. Rom. 3.

Primum ac præcipuum eſt, ante orationem animũ ſeruare collectum. Quales enim orantes volumus inueniri, tales nos ante orationis tempus præparare debemus; ex præcedenti enim ſtatu mens atque animus in ſupplicatione firmatur, eo autem id diligentiùs eſt faciendum, quia oratione velut aquæ ductu gratiarum aquæ ad nos dimanant, atque adeò nihil eſt quod proinde dæmones horreant magis, conentur impedire. *Caſſian c.9. cap.2. Quomodo ſperanda.*

Secundum verò remedium, ac præcipuũ eſt, præter præparationem, de quâ dictum lib.1.cap.11. præſentiam diuinæ Maieſtatis retinere, viuamque eius fidem crebrò excitare, ac magnâ reuerentiâ, etiam exteriori, coram illâ atque curia eius ſtare, tamquã ſpectaculum facti ſimus mundo, Angelis & hominibus. Quòd ſi coram Ven. Sacramento orare poſſis, id etiã facito. ſin verò id non licet, verſus illud vbicumque quis ſit ſeſe conuertere pium atque vtile eſt; cùm etiam in orando ad templum ſe conuertere Iſraëliticus populus à Domino edoctus fuerit. Ad reuerentiam pertinet valdè quieto eſſe corpore, & ſimul imaginationẽ certo certo loco per compoſitionem loci, de qua actum pluribus, alligare. *Orationis præſtantia* *1. Cor. 7.* *Corã Ven. Sacramento oratio fructuoſior*

Tertiò, obſerua tria nos in oratione diſtrahere, præſentia, præterita ac futura. Præſentia maximè tum, quando affectũ ad ſe trahunt, inquietos efficiunt, & curioſitate diſtrahunt; ideoque ſolitudo, quies & ſenſuum cuſtodia maximoperè commendantur. Præterita verò nos impediunt, ſiquãdo aliquid malè geſtum fuit, vel accidit ingratum: hæc enim pertractare ſecũ animus & retractare ſolet eò quòd priùs vt ſe inſpiceret non conquieuerit. Si quis igitur inter orandum quietem quærat; examinet ſe priuſquã ad orationẽ accedat, cõtritionẽ excitet, & de ſingulis decernat. Primò, nihil eſſe omnia præ ſtudio placendi Deo, & eius voluntatem implendi, atque ita nihil ſe velle cogitare aliud, quàm id quod diuinæ maieſtati gratum; nolle pro incenſo & odore ſuauitatis offerre fœtentis & vilis animæ exhalationes, curas ſcilicet ac cogitationes vanas, inutiles, turpes & malas. Studioſè autem ſibi perſuadeat ac firmiter credat, perdere ſe, atque impedire negotiorum ſucceſſum, ſi de iis cogitet, cum per iſtos defectus & intellectus tenebreſcat, & voluntas tardior fiat ad bonũ; & gratia Dei, lux noſtra ac robur noſtrum per eos impediatur. Si ſic egerit, & nihili præ Deo, eiuſque honore fecerit omnia, certum quòd facilè rerum mundanarum obliuiſcetur, vt ſolemus alia contemptibilia & res nihili difficilè recordari. *Tria in oratione diſtrahũt.* *Remedium diſtractionis examen ante orationem.* *Nota negotia retardari diſtractione.*

Ne

Greg. lib. 10. Mor. c. 16. Ne ergo ſolicitudo in oratione animum pungat, ſalubre, ait Gregorius remedium; vt, cùm ſe mens ex memoriâ culpæ reprehendit, hoc priùs in oratione defleat, quòd errauit, quatenus cùm erroris maculâ fletibus tergitur, in petitione ſua cordis facies ab auctore munda videatur. Et rurſum ſemper ante orationis tempora debet ſollicitè conſpici quidquid poteſt in oratione reprobari.

Sollicitudo proiicieda Si quid igitur alicui occurrat nō ritè à ſe factum, & quod emendare oportet; firmiter credat & ſtatuat, id ſe diuinâ gratiâ corrigere ſolùm poſſe, ideoque omnem ſollicitudinē in Dominum proiiciendo, toto animo ad deuocationem incumbat, neque admittat vllam de ea dū orandum eſt, cogitationem; quādoquidē eam ſuſcipere ſit auertere ſe à Deo adiutorio vnico noſtro, & luce (qua ante omnia indigemus) animam noſtram. Sicut ergo vanum eſt volenti ſcribere, ante lucē ſurgere, vanū abſque Domino ædificare (vt Pſalmiſtæ verbis vtar) ita longè vanius lucem neceſſariam & virtutum ac robur excludere ad res gerendas, quod fit quoties anxii de rebus agēdis feneſtrā, quà lumen intrare oportebat, diſtractione occludimus, cùm Deū illâ offendamus, qui nobis lux, & virtus, & ſapientia eſt. Si igitur gratiam ab eo poſcimus, omnem ſollicitudinē noſtram in eum proiiciamus, vt ipſi ſit cura de nobis. *Pſal. 126.* *Lux neceſſaria excluditur oratione diſtracta,*

Circa præterita quid agendum. Decernat Secundò, ſi quid perperam factū ſit, contritione, vt initio monui, excitatâ, nihil anxiæ cogitationis, diffidentiæ, vel triſtitiæ admittere, ſed Deo ſupplicet, vt pro ſua paternâ prouidentiâ omnia diſponat, quæ videt ex illâ quod à nobis dictum, aut factum emanare poſſe. Quod factum ſemel eſt, infectum eſſe nequit; ſed vt perinde ſit atque infectum, & nobis etiam mala noſtra cooperentur in bonum, id ſolius Dei eſt, eiuſque potentiæ, ſapientiæ, & immenſæ bonitatis.

Quid de futuris agendum. Nunc quod attinet ad futura quæ aut agenda nobis forſitan, aut patienda erunt, ad vtraque gratiam nobis neceſſariam eſſe conſtat. Quomodo vero impetrabimus, ſiue quid negotii tractandum, ſiue concio habenda, aut publicè quid dicendū aut ſcribendū ſit, niſi attentâ ac humili prece; adeò vt omnis cogitatio de re futurâ importunâ, vel nō neceſſariâ, ſit diuinæ lucis, vti dixi, obſtaculum, fontis gratiæ obſtructio, rei illius quam paras maximum impedimentū. Si autem quid times; nullum aſylum certius; nullū refugiū, quàm protegi ſub vmbrâ alarum Domini: ſic aram ſacram tenere, & in protectione Dei commorari. Sit igitur timor tuus, & ſpes tua: ſolus enim omnia facere Dñs poteſt, &

cum

cùm voluerit. & placuerint ei viæ noſtræ, inimicos noſtros conuertere ad pacem.

Vides quàm firmo atque vtili decreto, omnis cogitatio de præterito, præſenti ac futuro excludenda ſit. Verumtamen id nequaquam ſufficit fragilitati noſtrę, ſed in oratione, ſi diſtractiones occurrerint, primò leniter (non autem cum deteſtatione) auertendi oculi mentis noſtræ, ne videant vanitatem, ac quemadmodum ſi errauiſſemus à viâ, in eam ſtatim, & locum propoſitum redeundum eſt. Quid ſi turba phantaſmatum inſtet? numquam tamen cedendum hoſti: ſed oculos ad Deum attollere mox oportet, pluribuſque rurſum fides viuificanda diuinæ præſentiæ: ſi neque id ſufficit, ea quæ iam diximus de præteritis & futuris per interrogationes expendenda ſunt. v.g. percontetur ex ſe.

Quomodo in oratione diſtractionibus reſiſtendum.

Quorſum iſta cogitamus coram te, Deus meus; cùm id quod factũ eſt, tu ſolus vt velut infectũ ſit, efficere poſſis: quod faciendum verò, tu ſolus perficere, qui omnia in nobis operaris? Quomodo igitur auertar à te vnica ſpes mea? nónne hæc ſollicitudo mea eſt iniuria tua? & prodeſſe mihi non poterit? an facere poſſum quidquam abſque te? Certè ſi beneficium accipis, anima mea, quoties cum Deo loqui permitteris; quomodo ei iniurias dicere audes? Cogitatio enim noſtra, locutio noſtra: tunc ſic mancipio loquerere vt modò Deo? quid ſi hæc homines audirent quæ verſas animo? Itáne tibi vilis, coram quo tremunt poteſtates? vſque quo prouocabis iram eius, qui ecce poſt tot euagationes tuas præ amore prouocari ad iram non poſſe videtur, verè mitis & humilis corde?

Quæſtiones vtiles contra diſtractionẽ.

Præterea vtile fingere ſe alterum à ſe, ſibique quaſi concionari, vel cum Deo, Sanctis, Patronis; aut Angelo Cuſtode de ſuis animi corporiſque miſeriis tractare, & viciſſim quaſi audire reſpondentem, vt in Echone audienda fieri ſolet. Quando autẽ animus longo tempore diſtractus eſt, aliquo ſeceſſu vnius vel paucorum dierum, eum ad ſe reuocare, vel ſaltem crebrioribus per diem, orationibus valdè conducit. O infelix illorum ſors, quorum vita ita negotioſa eſt, vt tamen coram Deo ſit otioſa; eò quòd mundo & negotiis ita tota tribuatur, vt vix è die horam, è menſe diem, ex annis hebdomadam ſibi, & ſalutis negotio tribuere queant.

Finge te aliũ à te. Echo ſpiritualis.

Infelix qui vacat aliis plus quàm ſibi.

Obſerua etiam Primò, non mediocriter attentionem iuuare, quæcumque ad pacem animi impetrandã pertinent; vti etiam, cùm ſecundo ſucceſſu oratio fluit, humilitatem conſeruare: ideò enim ſæpè conſolatio in oratione adimitur,

Humilitas laudatur.

Prou.25. *Serm 54. in Cant.* tur, quia per illam anima ſui ignara inflatur, itaque euenit quod Salomon ait: Qui mel multum comedit, non eſt ei bonum. In quam rem ſanctus Bernardus appoſitè: Superbia, inquit, inuenta eſt in me, & Dominus declinauit in irâ à ſeruo ſuo: hinc iſta ſterilitas animæ meæ, & deuotionis inopia quam patior, non compungi ad lacrymas queo, non ſapit pſalmus, non legere libet, non orare delectat, meditationes ſolitas non inuenio. vbi eſt illa inebriatio ſpiritus? vbi mentis ſerenitas, & gaudium, & pax in Spiritu ſancto? Poſt hæc ſic rurſum ſcribit: In veritate didici, nihil æquè efficax eſſe ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quàm ſi omni tempore coram Deo inueniaris non altum ſapere, ſed timere. Beatus homo qui ſemper eſt *Prou. 28.* pauidus. Time ergò cùm amiſeris gratiam, time cùm abierit, time cùm denuò reuertetur: & hoc eſt ſemper pauidũ eſſe. Succedant viciſſim in animo tres iſti timores; ſecundùm quod gratia vel adeſſe dignatur, vel offenſa recedere, ſeu iterum placata redire ſentietur. Cùm adeſt time, ne nõ dignè opereris ex ea. Videte, inquit Apoſtolus, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. quid ſi receſſerit, num multò magis nunc timendum? planè multo magis: quia ubi defecit tibi gratia, deficis tu. Tunc ergo ſubtractâ gratiâ, tamquam mox caſurus: time & contremiſce Deo tibi, vt ſentis, irato: time, quia reliquit te cuſtodia tua. nec dubites cauſſã eſſe ſuperbiã, etiamſi non appareat, etiamſi nihil tibi conſcius ſis: quod enim tu neſcis, ſcit Deus, & qui te iudicat, ipſe eſt. Numquid qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ergo argumentum ſuperbiæ, priuatio eſt gratiæ, quamquam interdum ſubtrahitur gratia, ſiue retrahitur gratia, non pro ſuperbiâ, quæ iam eſt, ſed quæ futura eſt, niſi ſubtrahatur.

Tres timores vtiles in animã. 2.Cor.6.

Superbia gratia nos priuat.

In vocali oratione quo modo attentio fouenda.

Secundò obſerua, quod etſi aliqua ex iis quæ dicta, in oratione mentali ferè ſolùm vſui ſint, in vocali tamen pleraque etiam valent, ac prætereà in eâ expedit ſæpè animum eleuare, maximè initio & fine Pſalmorum autem ſingulos certo fine atque intentione, varioque etiam ſitu pio ac decenti; ac variis cum Patronis, ac Sanctorum choris recitare.

Inſpirationes annotandæ triplici cauſſa.

Obſerua, Tertiò, valdè vtilem eſſe praxim quorumdã, qui inſpirationes ſanctas & illuſtrationes ac deſideria annotant. Et verò id maximoperè iuuat; Primò, quia ſic Domino placuiſſe teſtantur Sanctorũ ſcripta: quibus vt id facerent, ac donorum rationem haberent, mandauit; Secundò, vt in tempus ariditatis, præteritæ irrigationis cæleſtis aquæ, verbis ſpiritu plenis, velut ciſternâ fideli aſſeruentur:

tur: itaque fieri vt reliquiæ cogitationis ſanctæ diem feſtū agāt in animâ noſtrâ. Id ſe ſpectaſſe in Manualis ſui ſcriptione S. Auguſtinus fatetur. Tertiò, quia propoſita, vti contractus in humanis, plus habere videntur firmitatis, plus verecundiæ & pudoris, dum iterum leguntur & negliguntur. Modus itaque ſcribendi erit, verbi gratiâ. Gratias tibi ago Domine, quod die 25. Decemb. 1619. dignatus fuiſti aperire precium paupertatis tuę: quam cùm eſſes diues, propter me aſſumpſiſti, vt erudires me, &c. Propono igitur per gratiam tuam (nihil enim poſſum ex me) pauperes hodie tali occaſione N. & deinceps eleëmoſynâ ſpirituali & corporali ſic & ſic iuuare, pauperes vllos amicos non auerſari, ſed contrà eos præ aliis ſolari. Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. *Modus ſcribendi illuſtrationes.* *Pſal. 116.*

Obſerua Quartò, vt ſæpiùs dictum, aliquam jaculatoriam eſſe aſſumendam, quâ quis meditationis fructum ruminare, & conſeruare ignem, quem in meditatione ſuâ exardeſcere dicebat Dauid, per diem poſſit. Quales hic tibi ſubiicio cuiuis pio deſiderio fouendo accommodatas. *Pſalm. 36.*

Dignatus es, vt ſup. p. 19.

IACULATORIÆ.

Quibus cuiuſuis Meditatione fructus ruminare Aſceta per diem̃ poterit.

Notas mihi feciſti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ cũ vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem.

Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, in veritate tua humiliaſti me.

In iuſtificationibus tuis meditabor, non obliuiſcar ſermones tuos.

Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor.

Et ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea,

Nonne Deo ſubiecta erit anima mea; ab ipſo enim ſalutare meum.

Deduc me, Domine, in via tua, & ingrediar in veritate tua, lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.

FINIS LIBRS SECVNDI

LIBER TERTIVS
VIA
PERFECTORVM.

VIGESIMÆ NONÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Baruch. 3. *Diſce, vbi ſic prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus; vt ſcias ſimul, vbi ſit longiturnitas vitæ & victus, vbi ſit lumen oculorum, & pax. Quis inuenit locum eius? & quis intrauit in theſauros eius?*

MVlti dicunt: Quis oſtendit nobis bona? ecce indicabo tibi, quid ſit bonũ; & quid Dominus requirat à te: vtique facere iudicium (ſi enim noſmetipſos frequente examine vt *A* hic, iudicauerimus, non iudicabimur à Domino) & diligere miſericordiam, aliorum defectus tolerando, & *B* ſollicitum ambulare cum Deo tuo. Hoc pacto enim, & *C* crebrâ paſſionis Chriſti meditatione, *D* contemplatione, & *E* Pœnitentiæ ac ſanctiſſimi Sacramenti frequentatione, & maximè *F* amore Dei & proximi, peruenies ad veram animi tranquillitatem, & locum, vbi eſt lumen oculorum, & pax quæ exſuperat omnem ſenſum; præſertim ſi, ſaltē in ſolitudine cordis, pijs iſtis exercitationibus animam tuam excolueris.

PRÆ-

PRÆFATIO.

DVOBVS libris prioribus actum de viâ Incipientium, ac Proficientium, & auxilijs in eâ. Hoc libro de Perfectorum viâ, & eorum exercitijs agendum eſt, quæ, vti dictum, non ita eorum ſunt, quin & aliorum. Ferè enim, parte ſaltem aliquâ, quæuis exercitia omnibus ſunt communia, vti virtutes omnes: ſed perfecti perfectiùs ea poſſident, & exercent. Perfectos appello, non ex omni parte; quis enim ille eſt? Imò verò, inquit Bernardus, nemo perfectus eſt, qui perfectior eſſe non appetit; ſed eos, qui in virtute, maximè humilitatis & charitatis, magnos progreſſus fecerunt. *Bern ep. 34. ad Drog.*

Cùm autem Perfectio cōſiſtat in Dei amore, de illo, atque de iis, quæ maximè ad eum, animam Chriſtianam diſponunt, hîc agitur. Sunt verò illa, animi puritas, quæ frequenti renouatione, & ſui diſcuſſione ac confeſſione, cum diuinâ gratiâ paratur. Dixi, cùm diuinâ gratiâ: quis enim poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine; nónne ille ſolus, qui ſcrutatur corda & renes; Verùm id non ſufficit: ſed ſpeculo animæ purgato oportet illud irradiari à ſole iuſtitiæ. Quomodo autem id commodiùs futurum eſt, quàm frequenti communione, & Chriſti crucifixi amantiſſimi Domini noſtri attentâ conſide-

ratione? & purâ intentione in omnibus actionibus noſtris; quâ actiones noſtras in Deum dirigamus, gratiſſimumque diuinæ bonitati offeramus ſacrificium; eumque in omnibus creaturis, & omnes in eo amemus? Dehinc ad præſentiam diuinam crebrò habendam aſcendit anima: atque in illo meridie, & ſui creatoris aſpectu vulnerata, amore illo æterno accenditur, amore quo non tantùm illum ſtringit amantiſſimis amplexibus, ſed omnia ad eum trahit, omnia in eo videt, & illum unum in omnibus intuetur, nihil nouit niſi IESVM, & hunc crucifixum; illum in pueris puerum, ſpecioſum præ filiis hominum; in iuuenibus iuuenem creſcentem gratia apud Deum & homines; in viro virum perfectum, & ſponſum ſuum. Hunc vbi inuenerit diu quæſitum, diu deſideratum, & mille ſuſpiriis vocatum, complectitur vbicumque ſit, quidquid agat, ſiue comedat, ſiue bibat, ſiue quid aliud agat, omnia propter eum agit, qui ſe dilexit: in eoque viuit, moritur, & quieſcit; quieſcit, inquam, contemplationis quiete; ſedetque in pulcritudine pacis, & requie opulenta, & notas ſalutis conſequitur teſtimonium perhibente Spiritu ſancto, quòd filius ſit Patris cæleſtis. Patris miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.

Præſentia Dei eſt meridies.

Intentio pura.

CAPVT

CAPVT I.

De perfectione, in quo ea conſiſtat.

QVONIAM de perfectione hîc agendum erit; forſitan optes ſcire, ac meritò in qua virtute maximè perfectio ſita ſit. Itaque paucis hæc accipe. Primò, non conſiſtere in gratiis gratis datis, vt miraculorum gratia, ſublimis contemplationis, & orationis: non in magna, etiamſi ſit infuſa, ſcientia, vt in Salomone fuit: neque in ſtatus perfectione, etſi foret is Angelicus: nequein ſeuerioris diſciplinæ obſeruantia, neque in caſtitatis præſtantia. ad quam illa ordinatur. ſed ſunt quidem ea magna ad ſanctitatem præſidia, quæ in charitate conſiſtit, non tamen illa perfectio ſunt, ſicut nec miracula patrare, etſi hæc magna ſanctitatis indicia, de quibus Dominus dixit: verumtamen in hoc nolite gaudere, quia ſpiritus ſubiiciantur vobis, & vt dixi teſte Gregorio, ſanctitatem oſtendant, non faciant. Conſiſtit verò perfectio in charitate Dei, & proximi; plenitudo enim legis eſt dilectio; atque adeò, etſi linguis, ait Apoſtolus, hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, & cymbalum tinniens. Etſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.

Perfectio non eſt in gratiis gratis datis.

Hom. 9. in Euangelia

Rom. 13.
1. Cor. 13.

Perfectio in quo ſit, nempe charitate.

Duplex verò eſt charitas; alia concupiſcentiæ, quâ amamus Deum propter nos, & bonum noſtrum: alia amicitiæ: quâ amamus illum non propter nos, ſed propter ſeipſum, & bonitatem ſuam; & in hac perfectio eſt. Non ſine præmio quidem diligitur Deus, etſi abſq;

Charitas duplex.

Bern. de dilig. Deo.

præmii intuitu diligendus ſit. vacua namque vera charitas eſſe non poteſt, nec tamen mercenaria eſt. Id verò intellige non de charitate afficiente ſolùm, ſed de efficiente. neque enim gaudere ſolúm de bonis Dei, præſentia, & alloquio eius, veram charitatem arguit: ſed impulſus ad ſeruandum mandata & conſilia eius. Nam, vt Gregorius, probatio dilectionis, exhibitio eſt operis. Et D. Ioannes, Filioli, ait, non diligamus verbo, neque linguâ, ſed opere & veritate. Quod egregiè Richardus explicat, dicens: Affectuoſa dilectio, quâ ſuperiùs dilectionem animæ ſignificari diximus, interdum plus afficit minùs diligentem, minùs perfectiorem. Non enim tantum diligit quiſque, quantum ſentit, & quantum in illo ſtatu diligere ſibi videtur; ſed quantum in virtute & charitate fundatus fuit, & in ſeruandis mandatis fidelis habetur. Dulcis in Deú affectus quodammodo carnalis eſt, & fallax, & humanitatis interdum potiùs, quàm gratiæ; cordis, quám ſpiritus; ſenſualitatis, quàm rationis. Quid verò aliud Veritas ipſa declarat, dicens: Qui habet mandata mea, & ſeruat, hic eſt qui diligit me; Diligere autem eum debemus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus noſtris. Ex toto corde, ait Chryſoſtomus, id eſt, cor tuum non ſit inclinatum ad vllius rei dilectionem ampliùs, quàm ad Dei: nec delecteris in aliquâ ſpecie mundi ampliùs, quàm in Deo, non in honoribus, non in auro, &c. ſed hæc omnia exiſtimes tibi eſſe in Deo, vt præ omnibus Deum ames. Totum, vt vides, cor ſibi præberi vult, totamque animam: igitur ſi aliquid ames non propter eum, minùs eum amas, & imperfectè. Sed oportet pro perfectione omnem creaturæ affectum in auctorem ipſum transferre. Fiet verò id primò, ſi eſt exuas, quo pacto? inquies. dic mihi: quid odiſti? nónne noxium, peſtiferum, maiores boni impedimentum? Hoc tibi verè eſt amor creaturæ, quo de Creatoris amore aliquid detrahis, cùm eum etiãſi toto corde

Probatio charitatis.

Gregor.
1. Ioan. 3.
Richard in Cãt. c. 6

Non tantum quis diligit quantum ſentit.

Diligere Deum ex toto corde quid ſit.
Chryſoſt. in Imperf. ſup. Matt. hom.

Creaturæ affectus quomodo ſit exuendus.

corde, animâ, ac viribus ames, dignè tamen nequeas amare, qui omne bonum tuum eſt, & ſumma bonorum. Si verò inſuper infinities perfectiùs, hoc ipſum quodcumque eſt creatum bonum, in Deo eſſe ſcias, eoque te poſſe frui, quæ poterit creatura te decipere, & diuidere cor tuum; Hoc eſt quod eleganter Thom à Kempis: Cui omnia unum ſunt, & omnia ad unũ trahit, & omnia in vno videt, poteſt ſtabilis corde, & in Deo pacificus permanere. In cæleſti beatitudine erit Deus unus omnia in omnibus; in ea autem quæ in hac lacrymarum valle obtinetur, idem aliquâ ratione perfecti conſequuntur. omnia enim ad Deum trahunt, & omnibus trahuntur ad eum: omnia in eo vident, quia tamquam æternæ lucis radiolos minimos quidquid creatum eſt, intuentur, illiſque velut ſcalis ad eum tendunt: omnia in eo habent, vt verè cum B. Franciſco dicant, Deus meus, Deus cordis mei, & omnia; ideòq; & opes, & honores, famam, fauorem, parentes, liberos, amicos, & quidquid haberi poteſt, potiùs quàm ei diſpliceant, perdunt libenter, imò & vltrò proiiciunt & deſpiciunt; in primis ſeipſos, animamque ſuam oderunt & perdũt, vt inueniant eam: ea libenter, ſicut puer crepundia & conchilia daret, vt regnũ conſequeretur. Et verò omnes Chriſtiani parati eſſe debent opes, famam, vitam & omnia potiùs amittere, quàm Dei gratiam, quod eſt diligere Deum ſuper omnia: adeò vt potiùs quàm Deum offendant, libenter, vxore, liberis, opibus, honoribus, ac vita ipſâ, vt omnes Martyres, ſpolientur. Vnde collige affectum omnem ab omnibus erga creata temperandum eſſe, â perfectis etiam abnegandum. Perfectus enim ſeruus Chriſti, vt Hier. ait, nihil præter Chriſtum habet, aut ſi quid præter Chriſtum habet, perfectus non eſt. Ad quid libri de vanitate mundi inducunt. Vanitate enim rerum humanarum perſpecta, earum æſtimatio minuitur & amor, quo infelix homo in certam perniciem trahitur ſui amore illuſtis. Etenim amor ſui, ſeu cupiditas, iuxta

De imit. Chriſti l. 1 cap. 3.

1. Cor 15.

Perfecti mores.

Qualiter Chriſtianus ſe habeat de re- ac.

Epiſt. 1. ad Heliodor.

Libri de mundi vanitate ad quid vtiles.

Aug. ſer. 39. de Temp. iuxtà Auguſt. radix omnium malorum eſt, & radix omnium bonorum eſt charitas. Quæcumque enim appetimus creata, ea propter amorem noſtri, eòque impulſi appetimus. De quo pluribus iam actum eſt ſecundo libro, & declaratum, quemadmodum odio ſui ſuperandus ſit, vt charitas Dei diffundatur in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum. Ac bonorum quidem cupiditas, paupertate vincenda; commodorum corporis & voluptatum & propinquorum, abnegatione eorum; voluntatis verò propriæ, libertatis & honoris, renuntiatione atque obedientiâ. Quæ autem hoc conſecuta fuerit anima, per ſe in Deum tendit, vt apertâ fornace, ignis; vt ſuper quod ſub aqua depreſſum fuit, ſublato pondere ſupernatat: ita enim anima creaturarum amore liberata, euolat, & velut acus nautica in ſuo Septemtrione, id eſt, Deo, conquieſcit, eique adhæret, & vnus ſpiritus fit cum eo; denique idem vult & non vult quod eſt perfecta cum Deo amicitia, & ipſa perfectio. Hoc Dominus Iesvs apertè teſtatus eſt, dicens: Non rogo pro eis tantùm, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis unum ſint, & aliàs ait, Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei; quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Ecce quàm arcta coniunctio inter animam, & Deum; quanta, & quàm ſincera amicitia; Quomodo verò, dices, differunt iuſti inter ſe, perfecti ab imperfectis, cùm hi etiam potiùs omnia quàm Deum deſerere debeant? Reſpondeo, vt reges à ruſticis, ab infirmo robuſtus: eo modo quo ſtella deffert à ſtellà in claritate; quo ſemina, quorum vnum trigeſimum, aliud ſexageſimum, aliud centeſimum fructum profert; quo inſtitores, quorum alius duo talenta, alius tria, alius quinque ſuperlucratur. Perfectus, inquam, facit omnes voluntates Dei, vt de Dauide dicitur. ad quod Apoſt-

Anima purgata à creaturæ amore volat, &c.

Ioan. 17.

Matt. 12.

Coniunctio animæ cũ Deo.

2. Cor. 15.

Apoſt. Iacobus hortatur dicens: Vt ſitis perfecti, & integri, in nullo deficientes, imperfectus ea ferè tantùm facit, quæ ſub æternæ gehennæ ſupplicio mandantur. Perfectus omnibus potentiis adhærere Deo nititur: intellectum enim captiuat in obſequium fidei, & in omnibus operibus Deum laudat; memoriâ eum præſentem vbique habet, voluntate eum in omnibus creaturis amando, ei adhæret: non loquitur, niſi ſermones Dei, & ex eius amore: non adminiſtrat, niſi ex virtute quam adminiſtrat Deus, qui omnia ei tribuit: ex omnibus quæ videt, audet, guſtat, ſentit, in Deũ aſſurgit, omnes ad eum adducere nititur, vbique aliquid Dei videt quod amet: & quia nouit ſe parare prætioſum à vili, ita amat creata, vt per ea in potentias Domini introëat, & feruentiſſimam fornacem amoris, quam beneficia omni creaturæ præſtita propter nos, & nobis in iis, quaſi cinnamomum & balſamum accendunt in odorem ſuauitatis. Præcepta omnia ſeruat, illa enim ordinantus ad remouenda ea. quæ ſunt charitati contraria; cum quibus charitas eſſe non poteſt. Conſilia autem ordinantur ad remouenda impedimenta actus charitatis, quæ tamen charitati non contrariantur: ſicut eſt matrimonium, occupatio negotiationum ſæcularium, & alia huiuſmodi. Ex quo liquet perfectum eum virum appellari, qui non ſolùm nullius mortalis culpæ reus eſt, ſed longè etiam abeſt ab iis, quæ nos ad eum pertrahunt, & à virtute impediunt: ſiue, perfectio conſiſtit in optimo vſu virtutum, ac tollendis impedimentis oppoſitis charitati, & eamdem remorantibus; deinde in ipſo diuini amoris affectu, qui finis eſt legis. Hinc Dominus: Ego ſum A & O, principium & finis: & aptè Gregor. Virtutis principium & finis, eſt dilectio. Apoſtolus verò, Finis præcepti eſt charitas, de corde puro, & conſcientiâ bonâ, & fide non fictâ. hæc omnium fundamentum eſt bonorum. Immò credere eſſe Deum, omnia mala arcet, omnia bona

Iacobi 1.

Quomodo perfectus tribus animæ poten. tiis vtatur

In omnibus Deum videt perfectus.

D.Thom. 2 2. q. 184. a. 3. Præcepta Dei ad quid ordinata,

Quis perfectus.

Hom. 23. ad Rom.

1. Thim. 1

Charitas eſt finis & initium.

Fides viua quid operetur, peccata remouet, &c.

bona inſerit. Dic mihi qui credit Deum eſſe omnipotentem, omniſcium, & optimum, ſimulabitne, & fallere ſperabit impunè, ac ſuperbiet? Nónne ſcire eum nouit, & deſpicere ſuperbos, ac omnem extollentem ſe humiliare, & exaltare in æternum humiliantem ſe? Auarus erit, qui Deum habere ſe poſſe nouit, & omnia in eo? nimis certè auarus, cui ille non ſufficit. Luxurioſus, cui ille fons gaudij, & Deus totius conſolationis ad manum eſt? Inuidebit, qui ſcit Deo fieri, quod proximo: Dei eſſe voluntatem, vt ille his bonis orn&ecedil;tur? an verò malum, aut minùs prouidum eius conſilium iudicabit? Guloſus, qui momentaneam voluptatem poteſt in Deo æternam facere, ſi illam velit aſpernari? Cui verò iracundus iraſcetur? Deo? qui dixit, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei? quomodo erit acedioſus, ignauus, qui quãtis ſeſe bonis exuat, quantis ærumnis induat agnoſcit? Quòd ſi fides hæc præſtat, longè magis charitas. Ex hac charitate erga Deum, fluit amor proximi: fluuius, inquam, pacis, cordis dulcis dulcedo, & verbũ dulce, & opera miſericordiæ, maximè ſpiritualia: qui enim amat proximum, in bonis omnibus illi conſentit, mala potiſſimum animæ ab eo, quoad poteſt, arcet, bona procurat, neminem temerè iudicat, nemini obloquitur, iuuat omnes opere & exemplo.

Ex charitate Dei fluit amor proximi.

An quiuis poſſit eſſe perfectus. *Col. 10. c. vlt.*

Sed quæres, an quiuis ad perfectionem peruenire poſſit? Reſpondeo omninò, quocumque in ſtatu poſitus ſit, licet alius alio magis ſit accommodatus ad eam. Caſſian. ait, Conſtat neminem prorſus ob imperitiam litterarum ab perfectione cordis excludi, nec ruſticitatẽ obeſſe ad capeſſendam anim&ecedil; puritatem: imò cùm ſit cum ſimplicibus Dei ſermonicatio, hos ferè ad altiorẽ gradum ſanctitatis euehit, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Non potes orare, contemplari, crebrò confiteri & communicare, ſanctam auſteritatem æmulari? patiẽs eſto, & humilis, dilige opere & veritate proximum & Deũ, voluntatem eius in omnibus lauda;

&

& acquires precioſam margaritám, theſaurum, ſapientiam, veram perfectionem.

CAPVT II.

Meditatio de Imitatione Chriſti Domini, in quo omnis perfectionis exemplar.

CHRISTVS. PVNCTVM I. Fili, vis venire poſt me; vis perfectus eſſe? audi igitur me, qui animam meam poſui pro te? Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me; ſi quis enim venit poſt me, & non odit Patrem ſuum, & matrem ſuam, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Conſidera quis te vocet, quem vocet, & quòquo item præmio. Spei, fidei & charitatis affectus excita. *Luc. 14.*

PVNCTVM II. Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Admirare & imitare.

PVNCTVM III. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Credis hæc? & nónne per gratiam meam me ſequi potes? cur igitur, non obedis voci meæ?

Eadem diducta.

HOMO. Effundo in conſpectu tuo, Domine, orationem meam, & tribulationem meam ante te pronuntio; etenim ecce vniuerſus orbis in maligno poſitus, & in erroribus mille quaſi deuiis, & non eſt qui reducat nos in viam rectam. niſi tu, bone IESV, qui es via, veritas, & vita. Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Omnis ſiquidem creatura decipula eſt, & laqueus pedibus inſipientium! Et eheu! quot video, ô Bonitas, ô Pater miſericordiarum, quot video perire abſtractos & illectos ab ea! Quid faciam, Deus meus, inter tot hoſtes, & tot laqueos, quibus tegitur vniuerſus orbis; quid in tanta caligine, & tot iam *Præſentia Dei.* *Pſ. 141.* *Mundus in errore.* *Creatura decipula.*

coram

coram me præcipitiis? Quando, quando, ſedenti in tenebris, & vmbrâ mortis orieris mihi lux, & vita mea, vt ſequar veſtigia pedum tuorum?

Chriſti ſequela neceſſaria, JESV. Ecce veni, veni, ſequere me; Nónne enim ego ſum lux mundi? errare times, & rectam viam ad perfectionem quæris? Ecce ego ſum via. Quid? an falli metuis, cùm paupertatem præ opibus, crucem præ deliciis & honoribus offero? Atqui ego ſum bonitas in te propenſiſſima, & diffidis mihi qui te ſic redemi? ego ſum veritas: quid dubitas aut metuis, damna, pericula, mortē, nónne ſum tibi ſalus & vita & omnia? ego veni & venio vt vitam habeas, & abundantiùs habeas, ſanguine meo pertam, & quidem ſempiternam. Nónne qui habitabam lucem inacceſſibilem, ex inuiſibili factus ſum viſibilis, vt redemptus à me, non iam Patrem præuaricatorum in ſuperbia, gula, &c. ſequerere; ſed me humillimum & patientiſſimum & imitareris me, qui ſum ſpeculum ſine macula, figura ſubſtantiæ Patris, in quo habitat omnis plenitudo diuitatis corporaliter, vt diuinitas mea in humanitate vobis præluceret, & actiones huius ab illâ etiam fieri ſciretis. Cur homo mortalis, paſſibilis, & ſimilis vobis factus ſum, & vt homo operatus, niſi vt diuinitatis meæ facerem participem, ſi humanitatis eſſem imitator? Si præſcripſi medicinam, ipſe prior hauſi vt tu ſequererc, & in ſingulis actionibus id mihi propoſitum fuit, vt nominatim tu imitareris, quod intelligebat Apoſtolus meus, dicēs: Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum prome.

Matth.5.

Deus deſcendit de cœlo, vt ſequeretur eum homo, tu recuſas. Sap.7.

Galat.2.

HOMO. Id cupio, & in omni cogitatione, verbo, & actione te velut depingere, & opus meum tuo in omni etiam ætate conformare: ſic enim video, ſoles Sanctos ad tuum exemplar ſimiles facere, itaque in omni etiam ætate te imitari cupio, te præſentem quaſi intueri. Benedictus ſis in æternum, in æternum, in æternum, bone JESV. Utinam, vtinam cum Apoſtolo dicere poſſem: Nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiri-

Chriſtus in omni actione imitandus. Rom.9.

ſpiritum,qui ex Deo eſt; quos enim Pater tuus elegit etiam vocauit, vt ſint conformes imagini filii ſui, & dedit te præceptorem, & ducem gentibus. Itaque non opto aliquid ſcire niſi te JESVM crucifixum, vt ſicut Apoſtoli ſpeculati Deum in te reuelatâ facie transformati ſunt de fide in fidem; ita ego ad honorem tuum creſcam in te, & de claritate in claritatem tranſeam, & viuam in te S. Paulus: Ideo apparuit gratia Dei Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſæculo. Inſpice ergo & fac ſecundùm exemplar, quod ex infinitâ charitate tibi à Patre luminum monſtratum eſt. Abiice opera tenebrarum,& indue arma lucis, immò induere Dominum JESVM Chriſtum, vt poſſis comprehendere quæ ſit longitudo,latitudo, ſublimitas,& profundum; & ſcire ſupereminentem ſcientiæ charitatem Dei, aſpiciens in omni horâ, & tempore auctorem fidei & conſummatorem JESVM.

Iſaiæ 55. *Tit. 22.* *Exodi 25.* *Rom. 15.* *Epheſ. 3.*

HOMO. Utinam mihi liceat, ô Beate Paule, tecum dicere: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus! Utinam ô B. Virgo, quæ à Chriſti Natiuitate in ſingulis actionibus diuinitatis lucem in humanitate emicantem peculiariter es imitata, tanquam ſpeculum nitidiſſimum Soli iuſtitiæ oppoſitum, te ſequi poſſim! Utinam tu Mater noſtri amantiſſima, velut olim Rebecca Jacobum induit veſtibus Primogeniti ſui, ſic tu me Chriſto JESV, & des vt oportet offerre æterno Patri corpus & ſanguinem ipſius in cibum, quo libenter eum veſci noſti! Utinam, amantiſſime JESV, cùm vehementer cupias, me imitari te facias, vt in omni vitâ meâ portem imaginem tuam, meliùs quàm ſindon illa, & ſanctiſſimum Veronicæ linteum, aut ad Abagarum miſſum amoris tui monumentum: pone te ſignaculum ſuper cor meum, & omnes actiones meas. In illo enim gloria tua, & charitatis tuæ pignus erga

B.V.& Sancti Chriſtum ſunt imitati. *Geneſ. 27.*

noſ eſt,ſi imaginem ad quam creati ſumus, ſic in nobis reſtituas,& tuam animæ noſtræ imprimas, ô IESV pro me crucifixe, vti etiam corporaliter in electis tuis Franciſco & Catharina Senenſi declaraſti.

CHRISTVS. Fili, vti te creaui ad imaginem ad ſimilitudinem meam;ita te recreaui, redemi, vt ſimilis mei fieres; vtique increatione mundi ideam meam ſecutus ſum ſempiternam, ita in renouatione, & omnium etiam minimarum gratiarum largitione Pater meus reſpicit in faciem meam filii ſui? & hoc ſpectat vt mihi ſimilis euadas.

Roman.8. HOMO. Ita credo firmâ fide, nam quos Maieſtas tua, ô Pater æterne, præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filii ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Sic benedictus in æternum, & tu, ô IESV,ô via, veritas, & vita; ſpes mea, quæ de tenebris facis lumen ſplendeſcere. Quid vltrà hæreo;quis niſi fatuus deliberare poteſt,an te ſequi lucem inquam in tenebris velit? ſed eheu! verè dixiſti Domine: Dilexerunt homines magís tenebras quàm lucem:quas quidem ſic & ſic N.dilexi. At nunc abſit vt amem illùd abs te omne bonum, & teipſum niſi propter te: Abſit mihi gloriari niſi in cruce tuâ, benigniſſime Domine mi. Deteſtor inſipientiam meam, & ſequar te, ô æterna Sapientia, quocunque ieris Rex meus & Deus meus; ſcio enim ſi te ſequar, errare nequeo. Qui ſequitur te, non ambulat in tenebris, & qui videt & ſequitur te, videt & ſequitur eum qui te miſit.

Omnes debent Chriſto conformari.

Ioan.12.

CHRISTVS. Nónne hoc vel nomen tuum, Chriſtiane,exigit à te,vt hoc exemplum quod tibi in monte Caluariæ monſtraui ſequaris, quando & cum clamore valido ſanguinis mei clamantis de terrâ, & de arâ crucis invitaui exemplo meo,reipsâ dicens:Qui vult venire poſt me, tollat crucem ſuam, & ſequatur me, & qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me

me dignus. *Aſpira* vt ſupr.pag. 8. *Haccine firma fide*, vel O Jesv *Magiſter*.

Homo. Ita Domine, & olim per Apoſtolum tuum monuiſti, dicentem: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. & per alium iterum: Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum vt ſequamini veſtigia eius. O veſtigia amabiliſſima animæ meæ! ô quàm ſpecioſi pedes tui? euangelizantis pacem, euangelizantis bona! Utinam irrigem omnia veſtigia quæ pro me poſuiſti, & lacrymis & ſanguine meo, & pes meus ſit in viâ rectâ, vt inueniam te. Wenceſlai tui veſtigia niui impreſſa inſiſtentis iiſdem & ſequentis, non plantas tantùm, ſed totum corpus ſacro calore recreauit: quantò magis tua, Redemptor mi, cùm ſis ignis ardens, & non deficiens? Scio igitur nos vocatos omnes vt te ſequamur, ſed eheu! quàm multi declinauerunt etiam religioſi, qui tamen ad hoc vocati vt te propiùs imitentur: & perfectionem ſequantur. *Veſtigia Chriſti ſequi dulce*

Christvs. Exemplum quidem dedi vobis omnibus, ſed maximè Eccleſiaſticis & Religioſis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Age actiones tuas à manè in veſperam conſidera, meiſque compone, & vide an exemplum meum ſequaris. Non enim feci taliter omni nationi, & iudicia mea non ſic, vt tibi, manifeſtaui eis. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7. *Pſalm.* 147

Homo. Operuit confuſio faciem meam, dum Te video viam; & meditor & lego, me horror vt ineam. Quid hoc dementiæ? viâ planâ, & rectâ relictâ, mille præcipitiis & periculis ſcatentem, ſic N, ſequi, & inire? O Deus meus! ô bonitas! miſerere & trahe me poſt te, vt ſequar te; etſi enim viam ad perfectionem, ad beatitudinem infinitâ bonitate tuâ oſtendas, ecce quàm tardè eheu ſequor: etſi, ô lux mea, appareas mihi in tenebris meis, non confugio ad te, non vti debeo, ſequor te. Trahe igitur me, & ſequar quocunque ieris, ſiue in vitâ ſiue in mortem. paratũ cor meũ paratũ cor meum. *Reſignatio.*

CHRISTVS. Veni & ſequere. neque pigebit in æternum; ſed qui mihi miniſtrat, me ſequatur, & vbi ego ſum, illic & Miniſter meus erit, & ſedebit mecum in throno meo. Verùm regnum meum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Vis ergo tibi, vis illi ſic vim facere, & in terribili iudicio audire dulciſſimum verbum: Venite, poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi?

HOMO. Volo, volo, gratiâ tuâ, bone IESV, & cupio, atque amo te toto corde meo.

Chriſtus Rex & Dux noſter

IESVS. Ecce hoc eſt conſilium meum, poſtquam princeps tenebrarum, & mundi huius infinitas propè animas ſeduxit, & diluuium peccatorum inundauit; cupio, vt fortis armatus, diripere ſpolia impiorum, & animas perditas quærere, & ſaluas facere. Ad hoc deſcendit vt gigas ad currendam viam. Vis militiæ meæ nomen dare? ſi dederis, dabo tibi edere de ligno vitæ & accumbere ad menſam meam in regno Patris mei, & Regem te conſtituam in ſempiternum. Credis hæc ita ſeſe habere? quid ergo moraris contemptum tui pro honore mundi amplecti, paupertatem pro diuitiis, mortificationem pro deliciis, idque tantùm ad momentum vitæ pro longâ, & feliciſſimâ æternitate? Fili mi, putas ſi mundus, aut Rex quiſpiam tantùm offerret militi ſuo, eum pauci ſequerentur; præſertim ſi eundem victum, veſtitum, habitationem etiam viliſſimo caloni offerret, quo ipſe Rex vteretur, vti me facere vides?

Miles mundi nos confundit.

HOMO. Omnes equidem eum ſequerentur, immò prauo ſtipendio magna, & innumera pericula, ac labores adit; atque adeò depoſcit miles; & me pudebit te Domine IESV ſequi Rex regum, & Domine dominantium? manſuetudinem inquam, charitatem & humilitatem, ac patientiam: præſertim cùm aſſiduè ſonet vox tua in auribus meis, vox inquam illa tua dulcis: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.

IESVS

Iesvs. Quid ergo moramini? ego ante vos ibo, & glorioſos terræ humiliabo; Neque eſt, quòd mortem timeas: Qui enim manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet in ſe vitam æternam. Si famem quis timeat, ego ſum panis, qui de cælo deſcendi, vt manducet me, & viuat propter me. Si ſitim, ecce ſanguis meus verè eſt potus, quem ex nunc tibi offero paratum, *hic affectum gratitudinis excita.* Denique, quod Apoſtolis, hoc tibi dico: Quando miſi vos ſine ſacculo, aut perâ, numquid aliquid defuit nobis? Reſponderunt, nihil. At forſitan non potes onus militiæ meæ ferre verùm nónne dixi; Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos? neque tantùm portabo onus veſtrum, ſed etiam vos vti ouem perditam libenter tollam in humeros meos. An credis hæc? Ergo ſicut me videtis, & vidiſtis facere, ſit facite: Et certò ſcias, falli nequeo, neque fallere. Dixi, & ita eſt: Iugum mecum ſuaue eſt, & onus meum leue.

Iſaiæ 45.

Matth. 11.

Homo. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam: credo, & cùm alicui militare & ſeruire mihi neceſſe ſit, quem præter te eligam Regem regum ſapientiſſimum, quique nôrit reprobare malum, & eligere bonum? Te potentiſſimum, & fortiſſimum Ducem. & quod ſuper omnia me trahit, mei amantiſſimum. Filioli, exclamat Apoſtolus tuus, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus, volens nos conformare tibi. Pone igitur te, vt ſignaculum ſuper cor meum, ſicut ſignaculum ſuper brachium meum, vt qui portauimus imaginem terreni, iam portemus & cæleſtis. Tuam Chriſte Iesv ſanguine tuo coloratam. Denique Chriſtianus ſum immensâ, & incomprehenſibili gratiâ tuâ. Confiteri igitur te volo coram hominibus ô æterna, & amabilis mihi veritas, neque diligere te verbo, ſed opere, & veritate. Tu pro me mortuus es, vt tibi viuam, pro me natus, vt tibi renaſcar, pro me circumciſus, vt abnegem circumciſione non

Marc. 9.

Galat. 4.

1. *Cor.* 15.

Confiteri Deum factis oportet

manu factâ impietatem, & ſæcularia deſideria, & ſobriè, iuſtè, & piè viuam in hoc ſæculo. Cupio ambulare ſicut ambulaſti, & ſanctificare me ſicut tu ſanctus es, & quantum poſſum gratiâ tuâ perfectus eſſe, ſicut Pater noſter cæleſtis perfectus eſt.

Ioan. 2.

Paupertas Christi omnibus amanda, &c

IESVS. Ne cuncteris igitur, aut deliberes. Ego ſum via, & non eſt alia, & cùm eſſem diues, propter te factus ſum pauper, vt non haberem vbi caput reclinarem, nempe vt tu aliquando conuerſus ſaltem animo talis fores; qui enim non renunciat omnibus quæ poſſidet, attende iterum, & iterum, qui non renunciat ſaltem animo, paratus id re facere, cùm iuſſero, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Similiter factus ſum obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, cibuſque meus fuit facere voluntatem Patris mei, vt tu Superioribus tuis obſequens fores. Ego delicias carnis & commoda ab ortu meo vſque ad extremum vitæ abnegaui. Ego inquam, ſapientia æterna, & intellectus infinitus ita iudicaui, ita iudico. An qui verbo non auderes arguere me, facto velles, & deſerere me, & ſequi hoſtes tuos? me relinquere veram vitæ viam, & abire in præceps, & ambulare vias difficiles, & quod caput eſt, irremeabiles? At forſitan difficilè eſt me ſequi.

HOMO. Facile eſt, quidquid gratiâ tuâ præſtare poſſimus; ſuauiter enim equitat, quem gratia tua portat; & erubeſco, qui video ſæculi filios ambulare vias adeò difficiles, tot adire pericula, ſeu mercatores, ſeu milites ſint.

Sap. 5.

IESVS. Et quo quæſo præmio in hoc mundo, vbi tranſeunt omnia tamquam vmbra, & tamquam nauis, cuius non eſt reperire veſtigium in fluctibus? Et quid dubitas, num me ſequi poſſis? Putáſne, fili mi, inuito vt illudam tibi? nónne ſæpiùs inclamaui, & iam præſens tibi dico; Petite, & accipietis; quærite, & inuenietis; pulſate, & aperietur vobis. Ergo omnia poſſibilia ſunt credenti, & me amanti: neque puto, ſequi pudet, quò

Facile Deū ſequi.

ego

ego præiui,neque pigere poteſt,ſi memineris, quòd ab hâc viâ vita,vel mors dependeat ſempiterna.

Homo. Habeamus ergo, ô anima, fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam nouam, & viuentem per carnem ſuam, & ſacerdotem magnum, ſuper domum Dei accedamus cum vero corde in plenitudine fidei. Ecce enim venit, ecce venit,& nobiſcum eſt;ergo, ſiue comedimus, ſiue bibimus,ſiue quid aliud agimus,omnia ad gloriam eius & exemplar eius velut præſentis faciamus. Ipſe radix bonorum iuſtitia noſtra. *Hebr.10.*

EXERCITIVM.

O IESV Magiſter bone,Paſtor bone,Dux meus, & notus meus;vis me ſimilem eſſe tibi,ô Rex regum,me tibi? cur, obſecro te,ſpectauit huc omnis labor tuus,& dolor & afflictio tua,vt benè mihi eſſet? an idcirco Sanctis electis tuis communitas dolores & vulnera tua? ideo hominem verè induiſti vt ego te? ideò de cælo deſcendiſti, & ad me incomprehenſibili dignatione toties declinas,vt eò aſcenderem & ſim vnus tecum,& ſimilis tibi? adeò formam ſerui accepiſti,& eheu pro me colonus factus es ſuper terram,vt ego hæres & ciuis eſſem regni tui? veranе hæc & certa & indubitata,& piget ſequi? Nónne nos agricultura tua ſumus & tua ædificatio tu verò fundamentũ & lapis angularis,nunquid in te verâ petrâ ideã feciſti mihi, & deſcripſiſti ſanguine tuo,infinitâ charitate tuâ? vtinam ſuperædificem non lignum,fœnum,ſtipulam,ſed aurum, argentum,lapides precioſos,& honorem te,& delecteris ſuper me,& diſcam à te mitis eſſe,& humilis corde. Et vtinam nihil ſciam nec ſcire vltrà velim niſi te,dulciſsime IESV, *& quidem crucifixum Hæc eſt enim vita æterna,ô Pater æterne, vt cognoſcamus te Deum verum,& quem miſiſti* IESVM *Chriſtum, & ſequamur veſtigia eius. Induo ergo te, & cupio imitari, Domine* IESV,*& reſpicio in te vnum conſummatorem, & remuneratorem, & amantiſsimum Redemptorem, & currere cupio in viam mandatorum tuorum,vt perueniam ad te, & amem te toto corde meo. Amen.* 1 Cor.3. Ioan.17.

Praxis pro Imitatione & perfectione aſſequendâ.

1. SÆpe IESVM præſentem intuere, ideoque illud à S. P.N. in initio Meditationũ vitæ Chriſti valdè commendatum. Tum verò id maximè fac, quando actio aliqua inſtat facienda, cogita quomodo eã in hoc ſæculo fecerit, aut fieri ſuaderet, & imitare.

2. Nota autem valdè conducere ad Chriſti IESV imitationem, amorem eius ſæpè in ſe excitare. hoc pacto vt in diſcipulis pâtet, ſine ſenſu induuntur Magiſtri mores & amici.

3. In examine etiam actiones tuas, præteritas & futuras examina. Ipſe enim eſt norma vitæ noſtræ, & Regula ædificii ſpiritualis. Et quicunq; hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illis & miſericordia.

Galat. 6.

Quòd ſi gradus ad perfectionem habere velis, ecce tibi Primus eſt, poſtquam à peccatis grauioribus purgatus es, minima etiam diligenter deuitare. ac modeſtiam colere, Secundus, temporalia contemnere, & ſaltem affectu abnegare. Tertius, paſſiones, maximè appetitum honoris, refrænare. Quartus, linguam cohibere, maximèque à detractione & vanitate coërcere, Quintus, puritatem cordis, & cogitationum frequenti renouatione quærere: ac zelo profectus quotidie ad anteriora ſe extendere & actiones ſuas, ac cogitationes ſuas perficere. Juſtorũ enim ſemita, quaſi lux ſplendens, creſcit vſque ad perfectam diẽ, Sextus, patientiam ſeruare in aduerſis, & gaudium exiſtimare cùm in varias tentationes inciderimus: patientia enim opus perfectum habet. Multi enim in oratione, regularum obſeruatione ſeduli, modeſti, quieti; ſed ſi tangas montes, fumigabunt. Septimus, virtutes interna frequenter exercere, maximè ſolidas; intentionis puræ, charitatis, zeli, & præſentiæ Dei. Octauus, vnum atque idem velle cũ Deo, de nullo queri, ſed æquabilitatem animi atque tranquillitatem, inter tot rerum viciſſitudines conſeruare. In his te examina, atque in ſingulis excitatâ contritione, propone hos gradus aſcendere, & gratiam pete. Eſt enim gradus ad virtutem primus, eius deſiderium

Gradus ad perfectionẽ 1. vitare minima. 2. contemnere temporalia, 3. paſſiones domare, 4. cohibere linguam, 5. profectui ſtudere. 6. patientiam ſeruare. 7. internas ſolidas virtutes exercere. 8. reſignatum eſſ. Nota.

Dignatus es, vt ſup. pag. 10.

Regula

REGVLA *breuis, ſeu via ad perfectionem, reſpondens petitionibus orationis Dominicæ. Hanc meditando expendere iuuabit.*

PRIMA, *Pater noſter qui es in cælis.* Et contemplaris in omni loco bonos & malos, da mihi, obſecro quod iubes, vt ambulem coram te & ſim perfectus ſicut tu Pater meus cæleſtis perfectus es. *Haccine vera,* vt ſup.pag.7.

De præſentia. Gen.17. Matt.5. Intentio pura, fides & Zelus animarum

Secunda. *Sanctificetur nomem tuum.* Vtinam, vtinam ô bone IESV, in illo flectatur omne genu, & ab omnibus omnia purâ intentione fiant in nomine tuo vt in omnibus honorificeris, dulciſſime Redemptor mi, atque exemplo & verbo omnes traham ad te omne bonũ, ego ſeruulus tuus. *Credo tibi,* vt ſup.pag.7.

Tertia. *Adueniat regnum tuum.* Ad hoc enim nati ſumus, ſed quod maius eſt, ſic N, redempti à te, vt terrena hæc deſpiciamus, & conuerſatio noſtra in cælis ſit, & tecum ſit, qui non dedignaris omni horâ audire me in conſpectu Sãctorum tuorum, neque obliuiſceris mei vincti & improbi ſerui tui in gloriâ tuâ. Quid ergo me ſeparabit à te?

Contẽptus rerum humanarum & ſpes.

Aſpira. vt ſup.pag.8. *Hæccine firma fide.* ibidem.

Quarta. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.* In corpore & animâ meâ, Nónne enim omnes creaturæ obediunt voci tuæ; quando magis ego vermis & non homo, faciam voluntates tuas, quas aut inſpiraris mihi, aut per Superiores indicaris? quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? *Credo tibi,* vt ſup.pag.7.

Reſignatio perfecta & charitas.

Quinta. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,* ò benigniſſime IESV, non tantum ſuperſubſtantialem, corpus tuum, ſed meditari dólores tuos, atque eloquia tua, dulciora ſuper mel & fauum. Verè enim non in ſolo pane viuit homo, ſed de omni verbo quod procedit de ore tuo, fauus enim diſtillans labia tua. Da mihi omnem ſolicitudinem in te proiicere, dixiſti enim & credo quod hæc omnia adiicientur nobis.

Meditatio rerum diuinarum. Pſalm.18. Matth.4.

Aſpira, vt ſup. *Hæccine firma,* pag.8.

Sexta. *Et dimitte nobis debita noſtra* plurima.; *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Numquid enim oportet alterum alterius onera portare, & ſic adimplere legem tuã? ille enim verè perfectus eſt, qui ad imperfectionem proximi impatiens non eſt. O quàm ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus; Ecce ſi ego dimiſero denarium vnum proximo meo, talenta plurima dimittes mihi ex infinitâ miſericordiâ tuâ, & te mihi dabis ex immẽſâ charitate tuâ. *Hæccine vera,* vt ſup.pag.7.

Dilectio proximi etiam inimici. Gal.6. Gregor. Perfectus quis ſit. Sap.1. Matth.18

Fortitudo in tentationibus ac ſui mortificatione. Septima. *Et ne nos inducas in tentationem.* Tentatio enim eſt vita hominis ſuper terram: ſed concede vt reſiſtam, ſic vt poſſum per gratiam tuam: fidelis enim es, nec ſines me tentari vltra id quod poſſum, Tribue etiam vt mortificatione illam præueniam, & iudicia hominum contemnã, & momentanea æternis, coram te iudice meo, & patre amantiſſimo non præferam, *Credo tibi*, vt ſup.pag.7.

2.Cor.3. Pſal.50. Diffidentia ſui ac confidentia in Deo.

Octaua. *Sed libera nos à malo.* culpæ & pœnæ, nihil enim verè abſque tua prouidentia accidit nobis, & nihil poſſumus ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex te eſt. Libera ergo me, o charitas Deus meus, ſicut & quãdo tibi placuerit; & cor mundũ crea in me, atque illud examine frequenti purga vt velut ſpeculum mundum radios bonitatis tuæ excipiam & ardeam amore tui, & viuã ego jam non ego, viuas autem in me Chriſte Ieſu refugium meum, & vt ſecurus committam me totũ paternæ prouidentiæ tuæ iu tempore & in æternitate.

Aſpira. vt ſup.pag.8. *Hæccine firmâ fide*, &c.

Breuis Regula S. P. Ignatii pro perfectione conſequenda ſæpè expendenda.

Hoc documenta ſuis Ignatius edit alumnis.
Vt methodo paruâ commoda magnâ ferant.
Nulli, vel minimo, quauis ratione repugnes,
Cedere te potiùs quam ſuperare iuuet.

PRimò, Aduerte quam turpe ſit facilè alicui contradicere ſiue ſuperiori, ſiue inferiori, ſiue æquali; ſemper ergo dum licet, quod aliis probatur tu complectere, & appende, quantò melius te & alios in pace ſeruare, eoſque charitate & humilitate ſuperare, quàm à tui amore ac iudicio proprio ſuperari ac perturbari excuſando, contradicendo, &c.

Credo tibi, vt ſuprà pap 7.

Obſequium ſtudeas præſtare per omnia cœcum;
Iudiciumq; lubens ſubiice cuique tuum.

Lucæ 10. Secundò, Præſtare debes obedientiam cœcam in rebus minimis & paruis, Numquid enim ſcriptum noſti: Qui vos audit me audit? Iudicium verò etiam æqualibus & inferioribus ſubiicere ſtude; Omnis enim qui ſe humiliat exaltabitur. Credis hæc? *Credo tibi Domine*, vt ſup.pag.7.

Non vitia inſpicias aliena, & viſa retundas,
Sed propria accuſes, atque patere velis.

Tertiò,

Tertiò, vide quàm turpe curioſè defectus aliorum obſeruare; & ſemper paratus eſto ad excuſandum eos: certè nónne vtilius tibi accuſare teipſum,& nõ cum Adamo excuſare? Nónne enim Deus nouit inſipientiam tuam,& omnes in iudicio eam agnoſcent ſi iam te vanè excuſes? ignoſcent verò ſi te accuſes? *Aſpira* vt ſup. pag.8. *Hæccine firmâ,&c.*

Quidquid agas,dicas,mediteris proſpice finem

Proximo an expediat complaceatq; Deo.

Quartò, Numquam loquaris, vel reſpondeas, vel mediteris, vel ambules, vel quid demùm facias; niſi priùs cogites an Deo placeat; an exemplo & ædificationi ſit proximo: ſtas enim corã Deo, cui de omnibus nónne reddenda ſeuera erit ratio?

Hæccine vera,&c. vt ſup.pag.7.

Sit ſua ſpiritui libertas ſemper;& illam

Nec perſona potens, cauſſa vel vlla grauet.

Quintò, Serua libertatem ſpiritus vbique etiam cũ quacumque perſonâ: Chriſtianam inquam tene libertatem ad oppoſita: & ne eam propter humanum reſpectũ perdas; nónne enim ſcriptum, qui hominibus placent confuſi ſunt, Deus ſpreuit eos. *Credo tibi*,&c. vt ſup.pag.7.

Ne facili iungas tibi conſuetudine cunctos;

Spiritus ac ratio quemlibet ante probent.

Sextò, Ne ſis communis omnibus, neque familiaris, ſed conſule ſpiritum, ad quem ipſe magis te moueat atque impellat. Inſpicias tamen accuratiùs, quales & qui ſint motus, qui ad hoc te moueant. Nónne enim ſcriptum, Cum bono bonus eris. Et rurſũ, Vir iniquus lactat amicum ſuũ, & ducit eum per viam non bonam. *Credo tibi*, vt ſup.pag.7. *Prou.16.*

Exerce aſſiduè pia mente & corpore facta;

Sis populo demens, ſic ſapis ipſe Deo.

Septimò, Exerce te continuò actualiter & mentaliter in exercitiis piis, & deſidera haberi ſtultus ab hominibus, vt ſapiens habearis à Deo, & ipſum lucrifacias, vt dicere queas: nos ſtulti propter Chriſtum; ſtulta enim mundi elegit Deus, ſuadetque dicens: Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. *Hæccine vera*, vt ſup.p.7 *1.Cor.1.*

Fac matutino veſpertinoq; reuoluas

Hæc ſtudio: & lectum dum petis adde preces.

Octauò, Hoc inquit erit tuum ſtudium. Mane & Veſperi cùm ibis cubitum, iſta percurre.

Exer-

Exercitium ſeu deſcriptio viri ſpiritualis, ad quam te examina.

POteris autem vtiliter id facere, ſi ſingulis notis ſubiicias hanc interrogationem. An talis ſum? & cur non? An talem me vult Deus, & eſſe poſſum? quid igitur faciam? firmumque adde propoſitum, & libet. *Credo tibi*, vt ſup. p. 7.

Vir ſpiritualis hominem interius ordinat: Exterius ornat: à rebus turpibus cohibet, ſermones rectos & vtiles amat: non pueriliter in riſum effunditur, non altè loquendo clamat, modeſtè incedit: aliorum facta non curioſè inquirit, admonitiones hilari vultu recipit: errori aliorũ facilè condonat, laudibus non extollitur, detractione non deiicitur: interroganti facilè leniterque reſpondet, contendenti facilè cedit: patienter alios audit; in omnibus ædificare fratrem ſtudet. Rari eſt & grauis ſermonis: in cibi & potu parcus & ſobrius: Compoſitus in vultu & verbis, filius veritatis, oculos habet dimiſſos, & ſimplices: puritate candidus, humilitate inſignis: obedientiâ promptus, patientiâ præmunitus, in oratione aſſiduus, in fide ſtabilis, in opere diligens, in abſtinentiâ rigidus, in moribus exemplaris: in conuerſatione gratus: in verbis affabilis, in dando liberalis, amicis fidus: inimicis benignus: Deo reſignatus: ſibi mortuus, mundo crucifixus: omnibus omnia, vt omnes lucrifaciat.

CAPVT III.

PRAEFATIO *in vitam Chriſti.*

Quam vtilè meditari vitam Ieſu.

VITA Domini noſtri IESV verè lignum eſt vitæ & medicamentũ animæ noſtræ. Quam verò ſit vtile eam meditari, audi Bonauenturam: Super omnia (ait) ſpiritualis exercitii ſtudia hoc magís neceſſarium, magiſque proficuum credo, & quod ad excelſiorem gradum producere poſſit. Meditatio hæc, inquit, roborat mentem contra vana & caduca, fortificat contra tribulationes, docet circa gerenda, &c. Vitã igitur Domini noſtri digreſſi in puncta, eaque verbis S. Scripturæ conflata. Vix adieci vllas conſiderationes, ſcientibus enim Scripturas loquor: Indicaui dumtaxat quinam affectus excitari queant, vnde ſi opus fuerit extendi & intendi. Huc ſpectant quæ de affectibus ſuprâ habes

bes de modo meditandi, per actus trium virtutum Theologalium, de exercitiis præcipuarum virtutum: & rurſum aſpirationes quas infrâ inuenies, ca. de Contemplatione. Igitur cùm inueneris hæc verba, exerce contritionem, fidem, &c. item paupertatem, contemptum rerum humanarum, id ita accipias vt vel illud per te facias Spiritus ſancti ductum ſequendo, vel ſi placet languenti animæ ſubſidium petas ex affectibus & exercitiis ſuprà poſitis, ſi non meliora, quod opto toto corde, te vnctio docuerit.

Meditationes de vitâ Chriſti Iesv *amantiſſimi Domini noſtri.*

1. Miſſus eſt Angelus Gabriel ad Mariam virginē deſponſatā Ioſeph de domo Dauid, & dixit Aue, &c. De annuntiatione.
Expende verba & crede, gratulare Abigaëli & Eſteræ noſtræ 2. *Cui turbatæ* ait. Ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud Deum, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: ecce concipies *Lucæ* 1.
& paries filium; & vocabis nomen eius Iesvm Filium Altiſſimi, & regni eius nō erit finis, *Crede & admirare & gaude in Chriſto* Iesv. 3. Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum. *Imitare reſignationem, humilitationē, crede & ama* Iesvm *hominem pro te factū, quaſi velatū vt Moyſes* *Exodi* 34.

1. Exurgens Maria iam mater Dei, abiit in montana, & ſalutauit Elizabeth, & exultauit infans in vtero eius. *Imitare Charitatem B. Virginis & zelum, humilitatem, & compungere de ſuperbia.* 2. Et exclamauit Elizabeth & ait: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus vētris tui. Vnde hoc mihi, &c. *Crede & gratulare B. Virgini matri tuæ veræ Iudithæ noſtræ & Annæ.* 3. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, &c. & manſit tribus menſibus. *Imitare, & gaude in Domino.* De viſitatione. *Lucæ* 1. *Iud.* 13. 1. *Reg.* 2.

1. Cùm deſponſata eſſet Maria Ioſeph, inuenta eſt in vtero habens, & voluit occultè dimittere eam, *Compatere Dominæ in ſuſpicionem adductæ vt Suſanna, & admirare, & reſigna te Deo.* 2. Hæc eo cogitante apparuit ei Angelus: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu ſancto eſt. *Gratulare B. Virgini, & gratias age Deo.* 3. Pariet filium, & vocabis nomen eius Iesvm, ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, *Fidem, ſpem in Ieſum, & amorem excita.* De Reuelatione Ioſeph. *Math.* 1. *In Vigilia Natiuitatis Domini*

1. Eli-

Natiuitas S. Ioannis Baptiſtæ. *Lucæ* 1. *In feſto natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ.*

1. Elizabeth impletum eſt tempus pariendi, peperit filium, & vicini gratulantur, & die octauo cum Zachariam illum vocari vellent, ipſa ait: vocabitur Ioannes, id eſt gratia. *Imple & tu tempus, & humilitatem exerce, & diffide tibi, ac gratiæ omnia tribue.* 2. Et Zacharias poſtulans pugillares idem ſcripſit, & apertũ eſt os eius, & prophetauit dicens: Benedictus, &c. 1. *Fidem excita, 2. gratitudinem Zachariæ imitare.* 3 Et dicebant omnes: Quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini erat cum illo. 1. *Admirare Dei iudicia & te reſigna 2. fiduciam in eo loca.*

Chriſtus naſcitur. *Lucæ* 1. *In nocte Natiuitatis Domini.*

1. Exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis, aſcendit autem & Ioſeph à Galilæâ in Bethlehem, vt profiteretur cum Mariâ vxore prægnante. *Admirare obedientiam Chriſti & imitare.* 2. Factum eſt autẽ cùm eſſet ibi, impleti ſunt dies vt pareret. *Crede & Deo gratias age.* 3. Et peperit filium ſuũ primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præſepio, vti Moyſem mater ſua in fiſcellâ, quia non erat eis locus in diuerſorio. *Crede, & amorem excita, & imitare paupertatem, & gratias age Deo tuo.*

Exod. 2.

Paſtoribus reuelatur. *Lucæ* 2. *In aurorâ Natiuitatis Domini*

1. Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & ecce Angelus Domini ſtetit iuxta illos & dixit: Euangelizo vobis gaudium magnum quod erit omni populo. *Admirare tales eligi & imitare.* 2. Et hoc erit vobis ſignum; inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio. *Admirare ſignum, & inde ſpem excita & gaudium.* 3. Cecinerunt Angeli, Gloria in excelſis Deo, &c. & venerunt illi feſtinanter, & inuenerunt Mariam & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Et reuerſi ſunt glorificantes Deum. *Crede, admirare, & ama Redemptorem, eiq; gratias age.*

De Circumciſione. *Lucæ* 2. *Geneſ.* 25.

1. Poſtquam conſummati ſunt dies octo circumciſus eſt puer verus Iſaac noſter. *Fidem excita, compatere, & admirare humilitatem, patientiam, & imitare & ama.* 2. Et vocatum eſt nomen eius IESVS, id eſt, Saluator, non Ægypti vt Ioſeph, ſed orbis, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur pro te. *Gaude & ſpem excita & gratias age.* 3. Redditus matri ſuæ. *compatere & ſpem excita.*

De Regibus. *Matth.* 2. 1. *Reg.* 10.

1. Cùm natus eſſet IESVS in Bethlehẽ Iudâ, ecce Magi, vt olim regina Saba ad Salomonẽ, ab Oriente venerunt Hieruſalẽ, dicentes: Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudęorũ? Vidimus enim ſtellã eius in Oriente, & venimus adorare eum. *Vide quos, quò vocet, admirare, & gratias age.* 2. Turbatur Herodes, tamen

tamen per Sacerdotes indicat Chriſtũ è Scriptura,& mittit eos in Bethlehem. Et ecce ſtella,quã viderant in Oriẽte,ante cedebat eos , & gauiſi ſunt gaudio magno valde. *Imitare,& ſequere vocantem.& gaude in Domino.* 3. Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Mariâ matre eius, & procidentes adorauerunt eũ,& obtulerunt ei Aurũ,Thus, & Myrrham ; & per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam. *Fidem,ſpem, & in primis charitatem excita,& paupertatis affectum.*

De purificatione. *Lucæ.2.* 1.*Reg.1.*

1.Poſtquam impleti ſunt dies purgationis ſecundùm legem tulerũt IESVM,vt olim Anna Samuẽlẽ ſuum in Hieruſalem,vt ſiſterent eum Domino,& darent hoſtiam par turturum,aut duos pullos columbarum. *Imitare Chriſti humilitatem,obedientiam,& B.Virginis paupertatem,& admirare.* 2 Et ecce homo;homo erat in Hieruſalẽ Simeon, qui venit ſpiritu in templum, & accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum,& dixit. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine. *Spem excita & amorem magnum erga Ieſum.* 3. Et Anna ſuperueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui exſpectabant redemptionem Iſraël.*Gaude , & gratulare Domino tuo.& amorem excita.*

De fuga in Ægiptum *Matth.1.* *In feſto Innocentium.*

1. Angelus apparuit in ſomnis Ioſeph,dicens:Surge & accipe puerum, & matrem eius & fuge in Ægyptum , & eſto ibi vſque dum dicam tibi. *Admirare Deum fugientem pro te,& ſpem cum Ioſeph excita* 2.Qui conſurgens accepit puerum & matrem illius nocte & abiit in Ægyptum, ſicut olim Iacob & Moyſes in Madian. *Imitare obedientiam etiã Chriſti. & charitatem excita.*3.Tunc Herodes iratus, quòd illuſus eſſet à Magis,cecîdit pueros à bimatu & infrà.illo defuncto Angeli monitu rediit Ioſeph & in Nazareth habitauit. *Conterere de ſuperbiâ , & teipſum Deo in omni re committe.*

De aſcenſu in templum. *Lucæ 2.* *Dominicæ infra Octauam Epiphaniæ.*

1.Cùm factus eſſet annorum duodecim, aſcendit IESVS cum parentibus ad feſtum. conſummatis diebus remanſit Puer IESVS in Hieruſalem , & non cognouerunt parentes eius. *Quære eum,& ſpem in eo excita, compaſsionem* IESV *pauperis & amorem.*2. Et requirebant eum inter triſtes cognatos & notos fruſtrà, vt Tobiæ mater olim,& factũ eſt poſt triduum inuenerunt illum in templo , ſedentem in medio Doctorum , audientem & interrogantem eos ſtupentes. *Admirare & reſigna te illi.*3.Et dixit mater eius : Fili quid feciſti nobis ſic;cui ait:Neſciebatis quia in his quæ Patris mei ſunt ; oportet me eſſe?*Compatere matri , & gratias age Domino Ieſu.*

3.Anno

Ioannis prædicatio. *Matth.* 3. *Lucæ* 3. *Marci* 1. *Domin.* 4. *Aduentus & Sabbatho* 4. *Temp. Aduen.*

1. Anno 15. Tiberii venit Ioannes in deſerto Iudææ. dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. 1. *Conterere ae peccatis. 2. ſpem excita.* 2. Ipſe autem habebat veſtimentum de pilis camelorum, eſca autem locuſtæ. Exibat ad eum Hieroſolyma, & baptizabatur. *Excita 1. diligentiam. 2. contemptum rerum humanarum.* 3. Videns autem Phatizæos ait: Progenies viperarũ, quis vos docuit fugere à venturà irâ? ne velitis dicere, Patrem habemus Abraham. Potens eſt Deus de lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Omnis arbor quæ non facit fructũ bonum excidetur, & in ignem mittetur. Qui poſt me venturus eſt, baptizabit Spiritu ſancto & igni, & mundabit aream ſuã. *1. Admirare Dei potentiam, 2. Gratias age pro vocatione & fide. 3. Ignem amoris excita.*

Domin. 3. Aduen. *Ioan.* 1.

1. Ioannes teſtimonium perhibet de Chriſto: Hic eſt qui ante me factus eſt, quia prior me erat. Lex per Moyſem, gratia & veritas per Iesvm Chriſtum. *Fidem & amorem* Iesv *excita.* 2. Et miſerunt ad eum rogantes, tu quis es? & ait: Non ſum ego propheta, Helias, aut Chriſtus, ego vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius. *Humilitatem exercere vt Ioannes.* 2. Charitatem erga proximum & zelum. 3. Ego baptizo in aquâ, medius autem veſtrûm ſtetit, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamenti. *Humilia te valdè, & amorẽ Dei vbique præſentis exerce.*

De baptiſmo Chriſti. *Matth.* 3. *Marci* 1. *Lucæ* 3. *Ioan.* 1.

1. Factus iam 30. annorum, quos priuatus egit. vt etiam ad tempus certum Ioſeph. Moyſes, Dauid, Matri valedicit Iesvs. venit ad Ioannem vt baptizaretur in Iordane. *Admirare, & humilem* Iesvm *imitare & ama.* 2. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me? ipſe verò ait: Sine modò, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam. *Crede & admirare humilitatem, & imitare.* 3. Baptizatus autẽ Iesvs aſcendit de aquâ, vt arca olim viam aperiens, & ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit Ioannes ſpiritum deſcendentem, & audiuit, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. *Gaude, & gratulare Domino, & ama eum toto corde.*

De tentatione. *Matth.* 4. *Domin.* 1. *Quadrag.*

1. Tunc ductus eſt in deſertum à Spiritu ſancto vt tentaretur. Imitare & ſpiritum ſequere, & reſigna te, 2. Et cùm ieiunaſſet 40. diebus & 40. noctibus, poſteà eſuriit. Accedens autem tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant. Mitte te deorſum, hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris me, *Admirare, & Dominum imitare,*

re,& gratias age pro exemplo.3.Angeli acceſſerunt, & mini-ſtrabant ei.*Gratulare,& amorem excita.*

1.IESVS ſequentibus ſe ait: Quid quæritis? qui dixe-runt: vbi habitas? quibus ille, venite & videte, & manſe-runt die vno. *Admirare quos eligat & amorem erga* IESVM *excita.* Adduxit autem Andreas Petrum, cui ait: Tu voca-beris Cephas. & Philippo ait: ſequere me. deinde Natha-naëli: priuſquã te Philippus vocaret, cùm eſſes ſub ficu, no-ui te. *Admirare & gratias age pro fide.* 3. Filios Zebedæi la-uantes retia vocauit, qui continuò relictis retibus & Pa-tre, ſecuti ſunt eum. *Tu etiam omnia relinque, & ſpem in Deo excita & amorem.*

De vocatione Apoſtolorum. *In Vigiliã S. Andreæ. Matth.4. & 9. Matth.4.*

1.Nuptiæ factę ſunt in Cana Galilææ, & vocatus eſt IE-SVS, & diſcipuli eius. *Admirare benignitatem & hic abſti-nentiã diſce.* 2. Deficiente vino dicit mater IESV: vinum non habent cui ait: Quid mihi & tibi? nondum venit hora mea. *Contemne mundum deficientem, & ſpem in Deo & B.V. loca.* 3. Dixit mater miniſtris: quodcumque dixerit vobis facite. tunc mandauit hauriri aquã hydriis ſex, & conuertit eã in vinum, quo guſtato ait Architriclinus: Omnis homo primò bonũ vinũ ponit, tu autẽ ſeruaſti vſq; adhuc. *Vide vim obedi-entiæ, Dei potentiã admirare, & gratias age pro ſolatiis acceptis.*

De nuptiis. *Ioan 2. Dominicã 2. poſt. Epiph.*

1.Nicodemus venit ad IESVM nocte, cui IESVS: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt videre regnum Dei. Quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Spiri-tus vbi vult ſpirat. *Zelum & feruorem excita.* 2. *diffide tibi, re-ſigna te Spiritui ſancto.* 2. Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit. Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eũ non pereat. *Fidem excita & gratias age Domino* IESV *ſic exaltato.* 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuũ vnige-nitũ daret. Qui credit in eum non iudicatur. Hoc eſt iudi-ciũ muudi, quia dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem *Reſigna etiam te Deo & amorem excita, cum viua fide.*

Nicodemum Ieſus inſtruit. *Ioan.3. In inuentione Crucis.*

1.Venit IESV in Samariam, & fatigatus ſedit ſic ſuprà fontem, & mulieri dixit, vt olim Helias Sareptanæ viduæ: da mihi bibere. Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forſitan petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam. *Compatere* IESV *& fidem excita, & ad-mirare iudicia Dei, & electionem, & gratias age.* 2. Omnis qui bibit ex hâc aquâ, ſitiet, iterum; qui autem biberit ex aqua

De Samaritana. Ioan.4. *Feria 6. ante Dominicam Lætare.*

quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternã. Sed diſcipulus ait: meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me. *Excita te ad obedientiam, & imitare, & gaudium ſpirituale, & rerum humanarum contemptum, quia non ſatiant.* 2. Veri adoratores adorant Deum in ſpiritu & veritate. Et cùm aduocaſſet Samaritanos, manſit ibi, & multi crediderunt in eum. *Excita te ad charitatem & zelum hoc exemplo. 2 humilitatem 3. amorem tantum bonitatis.*

Reguli filius ſanatur. *Ioan. 4. Domin. 20 poſt Pentec. 4 Reg. 4. 3 Reg. 17.*

1. Reguli filius infirmabatur Capharnaum; petiit itaque parens, vt deſcenderet & ſanaret filium eius priuſquam moreretur. *Vide 1. rerum vanitatem in morte. 2. Charitatem excita exemplo Reguli.* 2. Cui Dominus: niſi ſigna & prodigia videritis non creditis. & dixit: Vade, filius tuus viuit. *Fidem excita & fiduciam, & admirare Dei potentiam.* 3. Et ecce credidit, & ibat, & intellexit quod hora 7. reliquit eum febris & credidit, & domus eius tota. *Fidem tuam excita, vt Sunamitis, & vt vidua illa Eliæ &* IESVM *ama.*

De ſedata maris tempeſtate. *Matth. 8. Domin 4. poſt Epiph*

2. Et aſcendente IESV in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius, & motus magnus factus eſt in mari, ipſe verò dormiebat. 1. *Admirare Dei prouidentiam.* 2. *patientiam animi* 2. Acceſſerunt diſcipuli dicentes: Domine ſalua nos perimus. *Spem in Deo loca, gratus eſto toties ſaluatus.* 3. Quibus ille: Quid timidi eſtis modicæ fidei? & imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. *Admirare potentiam, & ſpem excita.*

De paralytico. *Matth. 9. Domin. 18. poſt Pentec*

1. Cùm veniſſet IESVS Capharnaum, conuenerunt ad eum ex omni caſtello Galilææ, & ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto, & videns fidem illorum dixit: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. 1. *De paralyſi, id eſt, neligentiâ conterere. 2. charitatem proximi eorum exemplo excita, & fiduciam in* IESV. 2. Et ecce quidam dixerunt, hic blaſphemat, quibus IESVS: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris? *Compatere* IESV, *& Sapientiam Dei admirare.* 3. Vt autem ſciatis quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: ſurge & vade in domum tuam. Et abiit &c. *Admirare potentiam Dei & amorem excita.*

Matthæi vocatio. *Matth. 9.*

1. IESVS vidit hominem ſedentem in telonio, & ait illi: Sequere me, & ſurgens ſecutus eſt eum. *Tu etiã obedientiã exerce. 2. contemptum rerum hoc exemplo.* 2. Et diſcumbente

eo

eo in domo: Ecce multi peccatores acceſſerunt Phariſeis murmurantibus. *Admirare bonitatē IESV, & ama.* 3. Nō eſt, ait IESVS, opus valētibus medico. Ite, diſcite, quid eſt, miſericordiam volo, non ſacrificium. *Hic aperi tuos morbos & contere. 2. Charitatem erga proximum exerce.* *In feſto S. Matth.*

1. Venit Princeps ad Ieſum dicens: Domine filia mea modò defuncta eſt. ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & viuet. Et ſurgens IESVS ſequebatur eū & diſcipuli eius. *Contemptum rerum humanarum excita. 2. Spem in Deo, & charitatem Chriſti admirare.* 2. Et ecce mulier, quæ ſanguinis fluxum patiebatur, multa perpeſſa à medicis, & erogauerat omnia ſua fruſtra, acceſſit & tetigit fimbriā & ſanata fuit, cui timenti Dominus: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. *Conſidera peccati miſeriam & conterere. 2. Spem excita. 3. amorem erga Ieſum.* 3. Eiecit turbam tumultuantem, & tenuit manum puellæ, & ait: & ibi dico ſurge, & dixit: date illi manducare. *Admirare potentiam Dei, & amorem Dei excita, ac ſpem.* De filia Iairi. *Matth. 9. Dominica 23 poſt Pēt*

1. In piſcina probatica 5. porticus habente erat multitudo languentium, & Angelo mouente aquam, qui prior in eam deſcendebat, ſanus fiebat. *Admirare Dei potentiam & iudicia.* 2. Erat autem ibi homo 38. annos habens, cui IESVS: vis ſanus fieri? ille verò: Domine hominem non habeo. & ait illi IESVS: tolle grabatum tuum & ambula. *Excita & tu ſpem in Deum. 2. in obedientia te exerce.* 3. Neſciebat æger quis eſſet: huic ergo IESVS inuento in templo ait; Ecce ſanus factus es, iam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. *Gratiarum tu actionem pro ſanitate animæ exerce, teq; inſiſte. 2. humilitati, 3. charitati.* De paralytico in Piſcina. *Io. n. 5. Feria 6. ante Dominicam 2. Quadr.*

1. Videns autem IESVS turbas, aſcendit in montem & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli, quos ille docuit hos octo eſſe beatos, pauperes, mites, lugentes, eſurientes iuſtitiam, miſericordes, mundo corde, pacificos, & perſecutionem patientes propter iuſtitiam. *Admirare, & harum virtutum affectum excita, at imprimis fidem.* 2. Hortatur vt talentis ſuis rectè vtantur: Sic ait, luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt *Excita zelum in te, & conterere quòd ſecus feceris.* Oſtendit ſe non ſoluere legem, ſed adimplere explicatis præceptis de homicidio furto, fornicatione, periurio, & diligendis inimicis. Ego autem dico vobis: diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui oderunt vos. *Exerce te in charitate.* De octo beatitudinibus, *Matth. 5. In feſto omnium SS.*

De Iuſtitia Phariſæorum. *Matth.5. Dominica 5. poſt Pentec*

1. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. *Contere de tepore.* 2. Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio: qui dixerit, Raca, concilio; qui fatue, gehennæ. *Patientiam & charitatem exerce.* 3. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater habeat aliquid aduerſum te, vade priùs reconciliari fratri tuo. *Admirare Dei bonitatem erga nos, charitatem exerce, & obedientiam.*

De auaritia fugiẽda. *Matth.6. Dominica 14. poſt Pent.*

.1 Nemo poteſt duobns dominis ſeruire, aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum ſuſtinebit, & alium contemnet. *Conſidera Dei potentiã, & dole quòd alteri ſeruieris.* 2. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ, ideo dico vobis: Nolite ſolliciti eſſe vt Gentes, quid manducetis. Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt: conſiderate lilia agri. *Fiduciam in Deo loca, & am orem erga Patrem cæleſtem.* 3. Quærite ergò primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis, nolite ſolliciti eſſe in craſtinum, ſufficit diei malitia ſua. *Cntemptum rerum humanarum excita, & amorem erga prouidum Patrem.*

De falſis prophetis *Matt.7. Dominica 7. poſt Pentec.*

1. Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad vos in veſtibus ouium, à fructibus eorum cognoſcetis eos. *Compungere de illis admiſſis & peccatis. Chriſti amorem excita ſic tibi cauentis.* 2. Non poteſt arbor bona malos fructus facere, neque contrà. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *Conſidera hæc, & conterer, de fructibus malis tuis.* 2. *Gratias age Deo pro pœnitentiæ dono.* 3. Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnũ cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris. *Diligentiam acue, & reſignationem excita.*

De leproſo. *Matth.8. Dominica 3. poſt Epiph 4. Reg.*

1. Cùm deſcendiſſet IESVS de monte, ſecutæ ſunt eum turbæ multæ, & ecce leproſus adorabat eum, dicens: Domine ſi vis, potes me mundare. *Spem tu ſimiliter in Deum pone, & reſigna te eius prouidentiæ in omnibus,* 2. Extendens IESVS manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare, & cõfeſtim mundata eſt lepra eius. O quanto felicior Naamano Syro! *Gratias age pro ſanitate animæ tuæ.* 3. Vide, ait, nemini dixeris, ſed vade, oſtẽde te Sacerdoti, & offer munus tuum quod præcepit Moyſes. Acceſſit Centurio rogans pro ſeruo ſuo, cui Dominus: Ego veniam & curabo eum. At ille: Domine non ſum dignus. Cui Dominus: vade & ſicut

ut credidiſti, ſic fiat tibi *Humilitatem exerce & ſpem, & rerum humanarum contemptum.*

1. Et factum, deinceps ibat in ciuitatem quæ vocatur Naim, & efferebatur filius vnicus matris ſuæ, & ait illi: noli flere. *Amorem Dei excita & ſpem in eo, item contemptum rerum humanarum* 2. Et tetigit loculum, & qui portabant, ſteterunt, & ait: Adoleſcens, tibi dico, ſurge, & reſedit, & dedit eum matri ſuæ, vt olim Helias viduæ ſuum. *Admirare potentiã Chriſti, & gaude* 3. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum dicentes, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, &c. *Gratias age Deo pro ſæpe ſuſcitata anima tua.* De Naim *Luc.* 7. *Dominica* 15. *poſt. Pentecoſt.* 3. *Reg.* 17.

1. Ioannes cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? *Tu nullum expecta, & amorem IESV excita.* 2. *Patientiam cum Ioanne.* 2. Et reſpondens IESVS ait, dicite Ioanni: cæci vident, claudi ambulant, ſurdi loquuntur, mortui reſurgunt, & beatus eſt qui non fuerit ſcandalizatus in me. *Admirare potentiam Dei.* 2. *Fiduciam excita in malis tuis.* 3. Illis abeuntibus cœpit IESVS dicere: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatã? Prophetam? immò plus quàm prophetã. Hic eſt enim de quo ſcriptum: Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparabit viam meam ante te. Non ſurrexit inter natos mulierum maior, &c. Regnum cælorum vim patitur. *Excita contemptum laudis & rerum humanarum.* 2. *præpara viam per zelum erga proximum & charitatem.* Ioannis ad Chriſtum legatio. *Matth.* 11. *Dominica.* 2. *Aduent*

1. Rogabat IESVM quidam Phariſæus vt manducaret panem, id vt cognouit acceſſit Magdalena, velut Sunamitis illa Elizæum filio mortuo. & attulit alabaſtrũ vnguenti, & lacrymis cœpit rigare, ac oſculari pedes eius, & capillis tergere, & vnguento vngere. *Amorem excita erga bonitatẽ tantam, & conterere cum Magdalena, & contemptum mundi excita.* 2. Phariſæo ſcandalizato de eo IESVS parabolam adfert duorum debitorum quibus fœnerator dimiſerat debitum, vni quingentos denarios, alii quinquaginta, & petit vter eum plus diligat; æſtimo ait, & rectè quia is cui plus De S. Magdalena. *Luc.* 7. *In feſto S. Magdal.* 4. *Reg.* 4.

donauit. *Admirare & ſpem & amorem Dei excita.* 3. Tum dixit ei: Vides hanc mulierem? & commemorauit beneficia eius, & remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. *Excita te ad diligentiam peccatricis exemplo, & amorem Dei ob eius clementiam.*

De curato dæmoniaco muto & cæco. *Luc.*1[1]. *Dominica 3. Quadrag.*

1 Erat IESVS eiiciens dæmonium mutum, & dicunt: in Beelzebub eiicit dæmonia: Quibus Dominus: omne regnū diuiſū in ſe, deſolabitur: ſi ſatanas ſatanā ejicit. *Compatere IESV & patientiā exerce.* 2 Cùm fortis armatus cuſtodit atriū, in pace ſunt omnia quæ poſſidet: ſi autem fortior venerit, vniuerſa arma eius auferet. *Admirare Dei potentiam & ſpem excita.* 3. Qui non eſt mecum, contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit. Cùm immundus ſpiritus exierit ab homine, ſi redeat, aſſumit ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & fiunt nouiſſima peiora prioribus. Tum mulier ait: Beatus venter qui te portauit &c. *Contritionem & diligentiam excita.*

Parabola ſeminantis. *Luc.*8. *Dominica Sexageſim.*

1. Dominus IESVS cùm turba plurima conuenirent de ciuitatibus dixit per ſimilitudinem: Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum, & aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & comederunt illud. *IESVS ſeminat, dole quod ſæpè ſine fructu in te ſit.* 2. Alius cadit in petram, & natum aruit, quia non habebat humorem: aliud inter ſpinas, & illæ ſuffocauerunt illud, aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. *Spinas rerum humanarum contemne.* 2. *Gratitudinem exerce.* 3. *Diligentiam vt centum proferas, vt Iſaac.* (*Gen.* 26.) 3. Diſcipulis autem explicuit dicens: Vobis datum noſſe myſterium. Semen, ait, verbum Dei, quod aliquando diabolus tollit, aliquando in tentatione auditor ab eo recedit in alio, ſæculi curis ſuffocatur, alij fructum deferunt in patientia. *Gratias age pro fidei dono, & patientiam exerce.*

Parabola zizaniorum. *Matth.*13. *Dominica 5. poſt*

1. Simile factum eſt regnum cælorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo: cùm autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superſeminauit zizania, & abiit. Cùm autem creuiſſet, apparuerunt ſimul. *Ad diligentiam te excita, & gratias age pro ſemine inſpirationis.* 2. Accedentes autem ſerui patrisfamil. dixerunt: Nonne bonum ſemen ſeminaſti? vnde ergo habet zizania? & ait: Inimicus homo hoc fecit. *Imitare patientiam Dei, 2. in ea te exerce.* At ſerui dicunt: Vis imus, & colligimus ea? at ille: Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, & tum dicam meſſoribus: Alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horrea mea. *Contritionem excita.* 2. *amorem erga*

erga Deum tam longanimem

1. Simile eſt regnum cælorum grano ſynapis, quod accipiens homo ſeminauit in agro ſuo, quòd minimum eſt, cùm autem creuerit, maius eſt oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli habitent in ramis eius. *Vide vt humilitatem colas.* 2 *Admirare Dei potentiam in ſanctis & ſapientiam.* 2. Simile eſt regnum cælorum fermento, quod mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum. *Humilitate tuâ tege te, & IESVM fermentum verum ama.* 3. Hæc in parabolis, & ſine illis non loquebatur, ſeorſim autem diſcipulis edifferebat omnia dicens; Qui habet aures audiendi audiat. *Gratias age pro fide, & ama Deum.*

Parabola ſinapi & fermenti *Matth. 1, Domin. 6. 3. poſt Epiph.*

1. Et conuocatis diſcipulis ſuis, dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum, & vt curarent omnem languorem, *Admirare Dei potentiam & benignitatem, & fidem excita.* 2. Docuit eos dicens: Ecce, ego mitto vos ſicut oues in medio luporum, Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. *Diſc. patientiam & prudentiam, & reſigna te Deo ac fiduciam in eo loca.* 3. Gratis accepiſtis, gratis date, nolite poſſidere aurum neque argentum: cùm ſteteritis ante reges, nolite cogitare quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini. *Spem excita in Deum, reſigna te ei, ac paupertatem & patientiam exerce, & gaude in eius prouidentia, qua vt vides mittit* 12. *quot olim erant Iacobo filii quotque olim Moyſes miſit exploratores*

De miſſione Apoſtolorum *Matth. 10*

1. Exiens de finibus Tyri adducunt ei ſurdum & mutũ, & apprehenſo de turbâ ſeorſum miſit digitos in auriculas, & expuens tetigit linguam eius, & ſanauit illum. *Admirare Dei potentiam & charitatem, & eam in te excita* 2. & præcepit ne cui dicerent; illi verò tanto magis prædicabant, populo acclamante, Bene omnia fecit, &c. *Humilitatem exerce, gratulare, & gaude in Deo.* 3. Et aſcendens in montem acceſſerunt turbæ, habentes claudos, mutos, & ſurdos, & ſanauit eos, mirante populo & Deum laudante. O *quanta benignitas! Spem excita ergo in Deo & amorem.*

De ſurdo & muto. *Marci 7. Domin. 11. poſt Pentec*

1. Conuocatis diſcipulis ſuis ait: Miſereor ſuper turbã, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, quidam ex eis de longè venerunt. 1. *Fiduciam excita* 2. *Chriſti amorem eorum exemplo.* 2. Interrogauit, Quot panes habetis: qui dixerunt: Septem. & præcepit turbæ diſcumbere, & accipiens illos piſciculos benedixit, & dedit diſcipulis vt apponerent. *Potentiam admirare.* 3. Et appoſuerunt turbæ, & ſaturati ſunt, & ſuſtulerunt ſeptem ſportas. *Admirare Dei vbique libera-*

De ſeptẽ panibus. *Marci 6. Dominic. 6 poſt Pentec*

 litatem

litatem, & excita contemptum rerum quæ non ſatiant.

Claues Petro confienti promittuntur. *Matth.16. In feſto d. poſt Petri & Pauli.*

1. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? illi verò: alij Ioannem Baptiſtam, &c. Vos autem, ait, quem me eſſe dicitis? cui Petrus: tu es Chriſtus filius Dei viui. *fidem hanc viuifica.* 2. Beatus, ait, es Simon Bar Iona, tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt. *Spem in Deo loca & gratias age quòd Pater tibi etiam filium reuelauerit,* 3. Tibi dabo claues regni cælorum, quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. *Admirare bonitatem & ama.*

De transfiguratione Domini. *Matth.17. Domin. 2. Quadrag.*

1. Et poſt ſex dies aſſumpſit IESVS Petrum, Iacobum, & Ioannem in montem excelſum, & dum oraret, transfiguratus eſt ante eos, & reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem alba ſicut nix. *Admirare & ama bonum IESVM & gratulare.* 2. Ecce apparuerunt ibi Moyſes & Elias loquentes de exceſſu eius in Hieruſalem. *Gratus eſto, & compatere IESV tuæ ſalutis memori.* 3. Petrus autem ait: Bonum eſt nos hic eſſe, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum. Moyſi vnum, & Heliæ vnum. Et audierunt vocem: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Et timentibus ait IESVS: Surgite, nolite timere, nemini dixeritis &c. *Contemne humana ſolatia, & gaudium in Domino excita.*

De primatu & humilitate. *Matth. 18 In feſto S. Michaelis*

1. Quis putas maior eſt in regno cælorum? & aduocans IESVS paruulum: ſtatuit eum in medio, & ait: niſi efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. *Fidē viuam & humilitatem & diligentiam excerce.* 2. Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus. *Audi & contemptum rerum humanarum excita.* 3. Qui ſuſceperit vnum paruulum in nomine meo, me ſuſcepit. *Fidem huius & charitatem hic exerce in IESVM.*

Parabola regis ponentis rationem cum ſeruis ſuis. *Matth.18.*

1. Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui poſuit rationem cum ſeruis ſuis, & oblatus ei qui debebat decem millia talenta, & iuſſit eum venundari, &c. *Excita contritionem de debitis tuis, 2. Humilitatē* 2. At ille procidens ait: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, & dimiſit eum. *Tu etiā gratias age Deo pro peccatorum remiſſione, & diligentiā excita vt omnia reddas.* 3. Egreſſus ille, conſeruū tenens ſuffocabat

ſocabat eum fruſtrà rogantem,qui debebat ei centum denarios. Videntes autem conſerui,narrauerunt Domino,qui tradidit eũ tortoribus dicens: Nónne oportuit te miſereri conſerui tui? Sic faciet vobis pater cæleſtis, &c. *Charitatem exerce erga fratrem. 2. Admirare Dei in nos bonitatem & ama.*

Domin. 21. poſt Pentecoſt.

1. Cùm ingrederetur caſtellum, occurrerunt ei decem Leproſi à longè ſtantes, & dicentes: IESV, præceptor miſerere noſtri. *Vide morbos tuos & conterere. 2. Humilitatẽ diſce.* 2 Quos vt vidit, ait, Ite, oſtendite vos Sacerdotibus, & factum eſt dum irent, mundati ſunt. *Obedientiæ affectum indue & humilitatis.* 3. Vnus autem alienigena ſolus, vt ſe mundatum vidit, regreſſus dedit gloriam Deo. cui ait: fides tua te ſaluum fecit. *Attende Dei beneficia erga te, & gratias age, & ama.*

Decem leproſi curantur. *Luc. 17. Domin. 13. poſt Pentec.*

1. Quis ex vobis arguet me de peccato? ſi veritatem dico, quare non creditis mihi? qui ex Deo eſt, verba Dei audit. *Fidem excita & conterere de incredulitate.* 2. At Iudæi, dæmonium, inquiunt, habes, & Samaritanus es. IESVS verò: non habeo, & honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Eſt qui quærat & iudicet. *Compatere IESV & patientiam diſce.* 3. Numquid, aiunt, tu maior es Abraham? quibus Dominus: Abraham exultauit ut videret diem meũ, & antequam Abraham fieret, ego ſum, & tulerunt lapides vt iacerent in eum. *Admirare patientiam & exerce eam, & humilitatem & amorem.*

IESVM in templo docentẽ conantur lapidare. *Ioan. 8. Dominica paſſionis.*

1. Amen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium, fur eſt. Ego ſum oſtium, ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Ego ſum Paſtor bonus, bonus Paſtor animam dat pro ouibus ſuis, mercenarius autem fugit. *Admirare IESV bonitatem & amorem excita. 2. Contemptum rerũ humanarum. 3. Charitatem erga proximum.* 2. Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & voco eas nominatim, & cognoſcunt me meæ, & animam meam pono pro ouibus meis; propterea diligit me Pater. *Admirare charitatẽ IESV, compatere illi, & reſignationẽ exerce.* 3. Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili. illi aiebant: Dæmonium habet. *Imitare patientiam & ſtupeſce, charitatem exerce, & gratitudinem pro vocatione.*

De vero paſtore. *Ioan. 10. Domin. 2. poſt Paſcha.*

Diſcipulos vos felices prædicat. *Matth.* 11 *In feſto S. Matthæi & S. Franciſci.*

1. Cùm reuerſi diſcipuli 70. dicerent, etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis, ait: in hoc nolite gaudere, ſed gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. In illâ horâ dixit IESVS: confiteor tibi Pater, quia abſcondiſti hæc à Sapientibus & reuelaſti ea paruulis. *Contemne res humanas. 2. gratias age pro vocatione. 3. humilitatis excita affectum.* Omnia, ait, mihi tradita ſunt à Patre meo, & nemo nouit Patrem niſi filius, & cui voluerit filius reuelare 1. *Gratulare & gaude in Domino. 2. Gratias age pro fidei dono.* 3. Venite, ait, ad omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem; iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. 1. *Confide in Domino. 2. reſigna te illi. 3. humilitatem exerce & patientiam.*

Parabola de Samaritano. *Lucæ* 10. *Domin.* 12. *poſt Pentec.*

1. Et conuerſus ad diſcipulos ait: Beati oculi qui vident quæ vos videtis, multi reges voluerunt videre, & audire quæ auditis & non audierunt. *Conterere de negligentia.* 2. Et ecce quidam petiit: Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? cui duo præcepta charitatis propoſuit. *Admirare Dei benignitatem mandantis, & charitatem exerce.* 3. Ille verò ſuſcipiens ait: Quis eſt meus proximus? cùm IESVS propoſuit ei parabolam peregrini deſcendentis ab Hieruſalem in Iericho læſi & vulnerati, à Sacerdote & Leuita relicti, ſed à Samaritano curati oleo & vino, &c. *Gratias age Deo pro tui curâ. 2. reſigna te medico 3. erga eum amorem excita.*

Hoſpitio IESVS excipitur à Martha. *Lucæ* 10. *In Aſſumpt. B. Virg.*

1. Intrauit IESVS in quoddam caſtellum, & Martha accepit eum in domum ſuam. *Vide an caſtellum ſis & ſi non, conterere. Amorem* IESV *excita & eum inuita.* 2. Huic erat ſoror Maria, quæ ſedens ſecus pedes Domini, audiebat verbum illius, Martha autem ſatagebat & queſta de ſorore ait: dic illi vt me adiuuet. *Gaude in Domino, & patientiam exerce, vbique neceſſariam.* 3. Cui Dominus: Martha, Martha, ſollicita es, & turbaris erga plurima: porró vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit. 1. *Fiduciam in obtrectatione in Deo loca. 2. contemne humana iudica. 3. reſigna te Deo tuo.*

Vim orandi diſcipulos docet IESVS. *Lucæ* 11. *In Litaniis*

1. Cùm oratis dicite: Pater noſter. *Expende præſtantiam orationis huius, & percurre ſi libet.* 2. Simile adfert eius cui amicus venit de viâ, & petit ab amico panes mediâ nocte, eoſque propter improbitatem impetrat, & ait: Petite & accipietis; quærite & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis qui petit accepit. *Fiduciam hic excita, & charitatem*

ritatem in IESVM 3. Ait, nec Patrem filio dare pro pane lapidem, neque pro piſce ſerpentem, neque pro ouo ſcorpionem. Itaque cæleſtem Patrem daturum bonum ſpiritũ petentibus ſe. *Conſidera bonitatem Dei & ama.* 2. *Gratias age pro beneficiis datis & acceptis & reſignationem exerce.*

1. Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio. Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit. *Excita te ad diligentiam vt Deus honoretur, & intentionem rectam.* 2. Vide, ait, ne lumẽ quod in te, tenebræ ſint. *Compungere de gratiis malè impenſis.* 3. Inuitatus à Pharizæo arguit eos qui calices mundant, & quod intus eſt, ſeu cor habent plenum rapinâ & addit: Date eleëmoſynam, & omnia munda ſunt vobis. Væ qui diligitis primas cathedras, decimatis mentham & Anethum, grauia onera aliis imponitis. *Humilitatem exerce, contemptum rerum humanarum.*

Parabola de lucerna. *Luc.* 11. *In feſto S. Martini.*

1. Cùm intraret IESVS in domum cuiuſdam Phariſæi, vt manducaret panem, ipſi obſeruabant eum. *Vide abſtinentiam Chriſti & imitari, compatere illi.* 3. *paupertatem ſectare.* 2. Et ecce homo hydropicus ante illum, & reſpondens Pharizæis ait: Si licet Sabbato curare? & tacentibus eis, ſanauit illum, & dimiſit. *Admirare Dei potentiam, contemptum rerum humanarum excita, quia non ſatiant, & ama IESVM.* 3. Et ait: Cuius veſtrûm bos in puteum cadet, & nõ continuò extrahet illum? dixit verò illis parabolam vt inuitati in nouiſſimo loco recumberent, ne iubeantur, eum tenere, quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. *Humilitatem exerce propter IESVM, & imitare.*

Hydropicus curatur. *Luc.* 14. *Dominic.* 16. *poſt Pentec.*

1. Homo quidam fecit cænam magnam, & vocauit multos, & miſit ſeruum dicere inuitatis, quia iam parata ſunt omnia. *Gratias age pro vocatione* 2. Et cœperunt ſimul omnes excuſare, vnus: villam emi, & neceſſe habeo videre illam: alter iuga boum emi, quinque, tertius, vxorem duxi, & ideo non poſſum venire. *Compatere Domino IESV vocanti, & conterere de negligentia tua, contemptum rerum humanarum excita.* 3. Iratus Paterfamilias dixit ſeruo: Exi cito in plateas, & pauperes, & debiles, ac claudos introduc, & iterum miſit & dixit: Compelle intrare. Nemo virorum illorum guſtabit cœnam meã. *Admirare Dei bonitatem, compellentis te, & amorẽ excita.*

De cœna magna. *Lucæ* 14. *Dominica* 2. *poſt Pentec.*

Parabola ouis & drachmæ.

1. Erãt Publicani & peccatores appropinquantes illi, & murmurabãt Phariſæi dicẽtes, Quia hic peccatores recipit &

Lucæ 15. Domin. 3. poſt Pentec

& manducat cum eis. *Admirare benignitatem* IESV, *& ama, & appropinqua imitando.* 2. Et ait ad illos parabolam de eo, qui relictis nonaginta nouem ouibus, quærit centeſimam, & inuentam ponit in humeros, & ait amicis: Congratulamini mihi. Ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore magis, quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis. *Excita hic amorem erga IESVM, gratias age quòd ſic te quærat,* 3. Quæ mulier, inquit, habet drachmas decem, & ſi perdiderit vnam, quærit donec inueniat, & cùm inuenerit, conuocat amicas. Ita ait, erit gaudium ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. *Charitatem exemplo hic excita,* 2. *diligentiam, & denique ſpem in Deum.*

Parabola filii prodigi. *Luc.* 15. *Sabbato poſt Dominicam* 1. *Quadrag.*

1. Homo quidem habebat duos filios, & dixit adoleſcentior: Pater, da mihi ſubſtantiam, & diuiſit eis, & peregrè profectus diſſipauit eam. *Vide dementiam, admirare Dei erga te bonitatem, & ama.* 2. Et facta eſt fames valida, & adhæſit vni ciuium, qui miſit eum vt paſceret porcos, & cupiebat implere ventrem ſiliquis, & nemo illi dabat. *Contemptū hic rerum humanarum diſce.* 3. In ſe reuerſus ait: Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus. Surrexit, & cùm longè eſſet, acceſſit Pater, & cecidit ſuper collum eius, & obſculabatur eum dicentem: Pater, peccaui in cælum & coram te. Et iuſſit indui ſtola primâ, & annulum, & occidit vitulum indignante primogenito. *Contritionem hic excita, & amorem erga Deum tam bonum.*

Iniqui diſpenſatoris parabola. *Luc.* 16. *Domin.* 8. *poſt Pentec*

1. Homo quidam erat diues; & diffamatus eſt villicus eius apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, & vocato dixit: Redde rationem villicationis tuæ, *Timorem Dei excita, & de peccatis conterere.* 2. Ait autem villicus: quid faciam? vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas. Itaque conuocatis debitoribus prouidit ſibi & minuit debitum. *Conſidera prudentiam ſæculi, & excita te ad feruorem.* 3. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, qui fidelis eſt in minimo, in maiori fidelis eſt.

De diuite epulone & Lazaro paupere. *Luc.* 16.

1. Homo quidam induebatur byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Lazarus verò iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, & nemo illi dabat. *Vide, contemptum mundi excita, & patientiam æmulare, & conterere de exceſſibus tuis.* 2. Mortuus autem eſt Lazarus

rus, & portatus ab Angelis in ſinum Abrahæ, ſimiliter & diues, & ſepultus eſt in inferno. *Vide hanc Metamorphoſin, & excita te ad diligentiam & patientiam.* 3. Eleuans autem oculos in tormentis, petiit vt mitteret Lazarum, vt intingeret extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeraret linguã ſuam, ſed audiit: Fili, recordare, quia recepiſti bona in vitâ tuâ, Lazarus mala: petiit verò vt mitteretur ad fratres; ſed dictum illi: Habent Moyſen, & Prophetas. *Elige cui ſimilis eſſe velis, & fidem excita, & amorem quia hactenus parcitum tibi.* *Feria 5. Dominica 2. Quadrag.*

1. Dixit IESVS ad quoſdam, qui in ſe confidebant parabolam de Phariſæo & Publicano. Duo aſcendebant in templum vt orarent, ille verò gratias agit, quòd non ſit ſicut cæteri hominum. *Humilitatem exerce, & fiduciam in Deo loca.* De Phariſæo & Publicano. *Lucæ 18. Dominica 10. poſt Penteco*

2. Publicanus à longè ſtans, nolebat nec audebat oculos ad cælum leuare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus in domum ſuam. *Admirare Dei bonitatem erga humiles. 2. Humilitatem exerce & contritionem.* 3. Omnis qui ſe humiliat, exaltabitur; & qui ſe exaltat, humiliabitur. *Exerce contemptum rerum humanarum, & amorem in IESVM pro te humiliatum.*

1. Simile eſt regnum cælorum Paterfamil. qui exiit primò manè conducere operarios in vineã ſuam: conuentione factâ ex denario diurno. Item hora tertia, ſexta, & nona; circa vndecimam dicens: Quid ſtatis hîc tota die otioſi? *Gratias age pro vocatione. Excita te ad diligentiam, & charitatem erga vocationem.* 2. Cùm ſerò eſſet, dicit procuratori: Voca operarios, & acceperunt ſinguli ſingulos denarios. *Spem gloriæ excita & gaude.* 3. Venientes autem primi murmurârunt quòd pares eſſent ſibi qui portaſſent pondus diei, & æſtus. quibus Paterfamilias: An non licet mihi quod volo facere? ſic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. *Humilia te valdè. 2. Bonum patrem ama, & charitatem proximi exerce.* Parabola de operariis. *Matth 20. Dominica Septuageſ*

1. Lazarus erat languens, frater Mariæ & Marthæ, quæ miſerunt ad IESVM, dicentes: Ecce quem amas infirmatur. ille verò: Infirmitas eſt pro gloria Dei, eamus ergo. Et metuebant Apoſtoli. quibus ille: Duodecim ſunt horæ diei. Thomas verò, Eamus & nos, & moriamur cum eo. Reſuſcitatur Lazarus. *Feria 6. poſt Dominic. 4. Quadrage.*

Spem

Spem excita in Deo, cum his. 2. amorem erga IESVM cum Thoma. 2. Cum Maria intellexiſſet IESVM venire, cecidit ad pedes eius, dixitque; Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus nõ fuiſſet mortuus. infremuit autem, & ait: vbi poſuiſtis eum? & lacrymatus eſt, & ait: Dollite lapidem. *Compatere Domino & conterere de tuis peccatis, & imitare zelum IESV. Gratias age pro tua conuerſione, &c.* 3. Cum autem oraſſet IESVS ait voce magnâ: Lazare veni foras, & ſtatim prodiit. at IESVS: ſoluite eum, & ſinite abire. *Admirare Dei potentiam. 2. obedientiam diſce. 3. contemptum rerum quibus ligamur.*

IESVS mortem ſuã Apoſtolis prędicit. *Lucæ 18. Dominica Quinquag.*

1. Aſſumpſit IESVS diſcipulos ſecretò, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur gentibus, & flagellabitur, & conſpuetur, & occident eum, & 3. die reſurget. *Fidem excita, & compatere Domino tuo.* 2. Et ipſi nihil horum intellexerunt. *Tu ne reipſa capis? conterere de impatientiâ, & imitari IESVM propone.* 3. Cùm autem appropinquaret Iericho, cæcus clamabat, licet increparent eum: IESV fili Dauid miſerere mei. Stans autem IESVS iuſſit illum adduci ad ſe, & Dominus ait: Quid vis vt faciã tibi? Reſpondit, vt videam, & ait: reſpice, fides tua te ſaluum fecit. *De cæcitate tua conterere, admirare Dei potentiam & amorem in eum excita.*

Filiis Zebedæi Primatũ Chriſtus negat. *Matth. 20 in feſto S. Iacobi.*

1. Mater filiorum Zebedæi petit, vt filii duo ſedeant vnus à dexteris, alter à ſiniſtris. Quibus Dominus: Neſcitis quid petatis. *Humilitatem diſce & reſignationem.* 2. Petiit, poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? dicunt ei, poſſumus. Sed illi bibetis quidem, ſedere autem à dextris non eſt meum dare vobis. *Reſigna te Deo, & patientiam exerce.* 3. Indignantibus aliis ait: qui voluerit inter vos primus eſſe, ſit veſter miniſter, filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. *Imitare IESVM, & conterere de ſuperbia,*

De Zachæo. *Luc. 19. In dedicatione templi.*

1. IESVS perambulabat Iericho, & Zachæus princeps Publicanorum quærebat videre IESVM; & non poterat præ turbâ, quia puſillus erat. *Excita contemptum rerum humanarum, & amorem Chriſti* 2. Et aſcendit in arborem Sicomorum, & cùm eò veniſſet IESVS, ſuſpiciens dixit: Deſcende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere, & feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. *Admirare benignitatẽ. 2. gaude quòd toties ad te veniat IESVS.* 3. Et murmurabant quòd ad peccatorem diuertiſſet. Stans autem Zachæus ait: Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, &c. Et Dominus; Salus domui huic facta eſt, eò quòd

quòd & ipſe ſit filius Abrahæ, venit enim filius quærere & ſaluum facere quod perierat. *Contere etiam de peccatis tuis. 2. Imitare Deum in Zelo 3. Amorem excita erga illum.*

1. Cùm appropinquaret IESVS Hieroſolymis, miſſis diſcipulis, aſinam, & pullum adduci iuſſit, mandans vt dicerent: Dominus his opus habet: *Admirare Dei potentiam & imperium. 2. Conterere de inobedientia.* 2. Adducunt verò diſcipuli aſinam, & veſtimenta imponunt. Cùm autem Hieroſolymam appropinquaſſet, fleuit ſuper illam, & ait: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hâc die tuâ, quę ad pacē tibi, quia venient inimici tui, & proſternent te, eò quod nō cognoueris tempus viſitationis tuæ. Ex ore infantium perfeciſti laudem, &c. *Hic excita contritionem & ſpem dum tempus eſt.* 3. Alii ſternebant veſtimenta in viâ, ramos alii, ac clamabant turbæ: Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini. *Contemptum hic veſtrum, id eſt, rerum humanarum excita, & gaudium in Deo.*

IESVS aſino inſidet, & flet ſuper Hieruſalem. *Matth. 21. Dominica in Palmis poſt Pentec.*

1. Gentiles aiunt Philippo: volumus IESVM videre. Tū verò IESVS: Amen, amen dico vobis, niſi granū frumenti mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem, multum fructum adfert. 1. *Amorem IESV excita, 2. diligentiam in ſpirituàlibus.* 2. Qui amat animam ſuam perdet eam, & qui odit, cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. *Contemptum tui, & rerum humanarum exerce & imitationis IESV deſiderium,* 3. ait, nunc anima mea turbata eſt, & quid dicā? Pater ſaluifica me ex hâc horâ, & clarifica nomen tuum: Et vox de cælo audita eſt: Clarificaui & clarificabo. *Compatere Domino, 2. fiduciam in eo loca.*

IESVM videre cupiunt Gentiles. *Ioan. 12. In feſto S. Laurentii.*

1. Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſeruos ſuos dicere: Ecce prandiū meū paratum eſt. *Fidem excita, 2. gratias age pro inuitatione.* 2. Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in villam, & reliqui tenuerunt ſeruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. *Admirare & imitare Dei patientiā.* 3. Rex cùm audiſſet, miſſis exercitibus perdidit illos. Et cùm quoſcumque inueniſſet, iuſſiſſet vocari ad nuptias, venit Rex, & homini non habenti veſtem nuptialem ait: Amice, quomodo huc intraſti? & iuſſit eum mitti in tenebras exteriores. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi. *Vide charitatis precium, dole de tepore. 2. humilitatem exerce, & diligentiam excita.*

Parabola de nuptiis Filii regis *Matth 22. Domin. 19 poſt Pentec Eſther 1.*

1. Phariſæi volētes capere IESVM in ſermone: aiūt. Magiſter ſcimus, quia verax es &c. licet cenſum dare Cæſari an non? *Compatere bono IESV. 2. fidem excita quia verax eſt.*

De tributo Cæſari pendendo.

2. Qui-

Matth.22 Dom.22. poſt Pentec

2. Quibus IESVS: Quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus. *Tu animam oſtende inſignitam Dei imagine, & dole de fœdatâ.* 3. At illi obtulerunt ei denarium. Cuius, ait, eſt hæc imago & ſuperſcriptio? dicunt ei: Cæſaris. Reddite ergo, ait, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. *Contere de ſolutione malignâ tuâ, & gratias age Domino pro beneficiis.*

De primo mandato. *Matth.22. Domn. 17. poſt Pentec*

1. Legis Doctor petit à IESV, quod ſit mandatum magnum in lege. ait ille: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *Amorem Dei iuſſus exerce.* 2. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus vniuerſa lex pendet & Prophetæ. *Charitatem hanc exerce, & contere de defectu.* 3. Diligere proximum maius eſt omnibus holocautomatibus & ſacrificiis. Cui IESVS: Non es longè à regno Dei. *Appende charitatem, & ſedultò exerce.*

Vitia Phariſæorum inſectatur Chriſtus. *Matth.23 In feſto S. Stephani, Protom.*

1. Ecce ego, ait IESVS, mitto ad vos Prophetas, & ex illis occidetis, &c. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. 1. *Compatere Domino. 2. Ad patientiam te exerce.* 2. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſub alis. *Attende longanimitatem & ama. 2. Obedientiã exerce & diligentiam.* 3. Reſpiciens viduam, quæ mittebat duo minuta: Amen, ait, quia hæc plus omnibus miſit. *Vide ab affectu omnia metienda eſſe, & compungere, & tam benigni Domini amorem excita.*

De iactatione Eccleſiæ vltimo Chriſti aduentu. *Lucæ 21. Domin. 1. Aduentus.*

1. Erunt ſigna in Sole & Luna, & in terris preſſura gentiũ, areſcentibus hominibus præ timore, & tunc apparebit ſignum filii hominis, & plangent omnes tribus terræ. 1 *Fidem. 2. Contritionem, 3. Spem excita.* 3. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, & mittet Angelos cũ tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à ſummo cælorum vſque ad terminos eorum. *Admirare Dei potentiam in reſurrectione 2. Humilia te valdè. 3. Confide in Domino.* 3. Ab arbore autem fici diſcite parabolam, Cùm iam ramus eius tener fuerit, ſcitis quia propè eſt æſtas: ita cùm hæc videritis, ſcitote quia propè eſt. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. *Fidem 1. excita. 2. Diligentiam. 3. Amorem erga Deum præmonentem.*

1. Simile

1. Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lãpades ſuas, exierunt obuiã ſponſo, & ſponſæ: quinque fatuæ erant, quinque prudentes. Illæ verò nõ ſumpſerunt oleum ſecum. 1. *Attende, & dum tempus eſt diligentiam exerce.* 2. *Contemne res humanas.* 2. Media nocte clamor factus eſt: Exite obuiam ei. Fatuis autem oleum petentibus negarunt ſapientes, & dum irent emere, quæ paratæ erant intrarunt, & clauſa eſt ianua. 1. *Dole de tempore perdito* 2. *Proſpice in futurum.* 3. Nouiſſimè veniunt illæ, & audiunt: Neſcio vos. Vigilate itaque quia neſcitis diem neque horam. *Diligentiam excita & æternitatem appende.*

Parabola de decem Virginibus, *Matth. 25. De Virgine Martyre.*

1. Homo peregè proficiſcens vocat ſeruos ſuos, & vni dedit quinque talenta, alii duo, alii vnum. 1. *Gratias age Deo.* 2. *Reſigna te Deo.* 2. Abiit qui quinque acceperat, & lucratus eſt alia quinque; qui duo, alia duo; qui vnum, fodit in terram, & cùm rediiſſet Dominus, rationem poſuit, & collaudans ſedulos, ait: *Euge ſerue bone & fidelis,* 3. Inutilem autem ſeruum increpitum eiecit in tenebras exteriores, & ait: Tollite ab eo talentum, & date ei qui decem habet: omni enim habenti dabitur. 1. *Timorem Domini excita.* 2. *Diligentiam & ſpem in Domino.*

Parabola de talentis. *Matth. 25 De confeſſore Pontifice.*

1. Non turbetur cor veſtrum neque formidet: Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. *Spem in Deo & fidem excita, & reſignationem* 2. Vado parare vobis locum: cùm verò dicerent ſe viam neſcire, ait: Ego ſum via, veritas & vita. *Amorem* IESV *excita & gratitudinem, & amorem in* IESVM 3. Et Philippo petenti oſtendi Patrem ait: Qui videt me, videt & Patrem meum, quia ego in Patre, & Pater in me eſt. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora his. *Fidem excita & amorem.*

Apoſtolos triſtes conſolatur IESVS. *Ioan. 14. In feſto SS. Apoſt. Philippi & Iacobi.*

1. Siquis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 1. *Fidem excita,* 2. *ſpem.* 3. *charitatem.* 2. Paraclitus Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumq; dixero vobis. *Amorem Spiritus ſancti excita & obedientiæ affectum.* 3. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non turbetur cor veſtrum neque formidet. Vado, & venio ad vos. *Fiduciam excita, & in Deum amorem.*

De Spiritu S Conſolatore & doctore. *Ioan. 14. In feſto Pentecoſtes.*

1. Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum,

Matth.22 *Dom.22. poſt Pentec* 2. Quibus IESVS: Quid me tentatis hypocritæ? oſtendite mihi numiſma cenſus. *Tu animam oſtende inſignitam Dei imagine, & dole de fœdatâ.* 3. At illi obtulerunt ei denarium. Cuius, ait, eſt hæc imago & ſuperſcriptio? dicunt ei: Cæſaris. Reddite ergo, ait, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. *Conterere de ſolutione malignâ tuâ, & gratias age Domino pro beneficiis.*

De primo mandato. *Matth.22. Domn. 17. poſt Pentec* 1. Legis Doctor petit à IESV, quod ſit mandatum magnum in lege. ait ille: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *Amorem Dei iuſſus exerce.* 2. Secundum autem ſimile huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus vniuerſa lex pendet & Prophetæ. *Charitatem hanc exerce, & conterere de defectu.* 3. Diligere proximum maius eſt omnibus holocautomatibus & ſacrificiis. Cui IESVS: Non es longè à regno Dei. *Appende charitatem, & ſedultò exerce.*

Vitia Phariſæorum inſectatur Chriſtus. *Matth.23* *In feſto S. Stephani, Protom.* 1. Ecce ego, ait IESVS, mitto ad vos Prophetas, & ex illis occidetis, &c. Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus. 1. *Compatere Domino.* 2. *Ad patientiam te exerce.* 2. Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſub alis. *Attende longanimitatem & ama.* 2. *Obedientiā exerce & diligentiam.* 3. Reſpiciens viduam, quæ mittebat duo minuta: Amen, ait, quia hæc plus omnibus miſit. *Vide ab affectu omnia metienda eſſe, & compungere, & tam benigni Domini amorem excitā.*

De iactatione Eccleſiæ vltimo Chriſti aduentu. *Lucæ 21. Domin. 1. Aduentus.* 1. Erunt ſigna in Sole & Luna, & in terris preſſura gentiū, areſcentibus hominibus præ timore, & tunc apparebit ſignum filii hominis, & plangent omnes tribus terræ. 1 *Fidem.* 2. *Contritionem,* 3. *Spem excita.* 3. Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, & mittet Angelos cū tuba & voce magna, & congregabunt electos eius à ſummo cælorum vſque ad terminos eorum. *Admirare Dei potentiam in reſurrectione* 2. *Humilia te valdè.* 3. *Confide in Domino.* 3. Ab arbore autem fici diſcite parabolam, Cùm iam ramus eius tener fuerit, ſcitis quia propè eſt æſtas: ita cùm hæc videritis, ſcitote quia propè eſt. Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. *Fidem* 1. *excita.* 2. *Diligentiam.* 3. *Amorem erga Deum præmonentem.*

1. Simile

1. Simile eſt regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lãpades ſuas, exierunt obuiã ſponſo, & ſponſæ: quinque fatuæ erant, quinque prudentes. Illæ verò nõ ſumpſerunt oleum ſecum. 1. *Attende, & dum tempus eſt diligentiam exerce.* 2. *Contemne res humanas.* 2. Media nocte clamor factus eſt: Exite obuiam ei. Fatuis autem oleum petentibus negarunt ſapientes, & dum irent emere, quæ paratæ erant intrarunt, & clauſa eſt ianua. 1. *Dole de tempore perdito* 2. *Proſpice in futurum.* 3. Nouiſſimè veniunt illæ, & audiunt: Neſcio vos. Vigilate itaque quia neſcitis diem neque horam. *Diligentiam excita & æternitatem appende.*

Parabola de decem Virginibus, *Matth. 25. De Virgine Matyre.*

1. Homo peregè proficiſcens vocat ſeruos ſuos, & vni dedit quinque talenta, alii duo, alii vnum. 1. *Gratias age Deo.* 2. *Reſigna te Deo.* 2. Abiit qui quinque acceperat, & lucratus eſt alia quinque; qui duo, alia duo; qui vnum, fodit in terram, & cùm rediiſſet Dominus, rationem poſuit, & collaudans ſedulos, ait: *Euge ſerue bone & fidelis,* 3. Inutilem autem ſeruum increpitum eiecit in tenebras exteriores, & ait: Tollite ab eo talentum, & date ei qui decem habet: omni enim habenti dabitur. 1. *Timorem Domini excita.* 2. *Diligentiam & ſpem in Domino.*

Parabola de talentis. *Matth. 25 De confeſſore Pontifice.*

1. Non turbetur cor veſtrum neque formidet: Creditis in Deum, & in me credite. In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. *Spem in Deo & fidem excita, & reſignationem* 2. Vado parare vobis locum: cùm verò dicerent ſe viam neſcire, ait: Ego ſum via, veritas & vita. *Amorem* IESV *excita & gratitudinem, & amorem in* IESVM 3. Et Philippo petenti oſtendi Patrem ait: Qui videt me, videt & Patrem meum, quia ego in Patre, & Pater in me eſt. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora his. *Fidem excita & amorem.*

Apoſtolos triſtes conſolatur IESVS. *Ioan. 14. In feſto SS. Apoſt. Philippi & Iacobi.*

1. Siquis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 1. *Fidem excita.* 2. *ſpem.* 3. *charitatem.* 2. Paraclitus Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, quæcumq; dixero vobis. *Amorem Spiritus ſancti excita & obedientiæ affectum.* 3. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non turbetur cor veſtrum neque formidet. Vado, & venio ad vos. *Fiduciam excita, & in Deum amorem.*

De Spiritu S Conſolatore & doctore. *Ioan. 14. In feſto Pentecoſtes*

1. Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum,

De vite, agricola, & palmite. *Ioan.* 15. *de Martyre.*

& ferentem purgabit. 1 *Gratias age pro fide. 2. conterere de paruo fructu. 3. reſigna te.* 2. Manete in me, & ego in vobis. Non poteſtis ferre fructum niſi in me manſeritis, quia ſine me nihil poteſtis facere. *Amorem Dei excita. 2. humilitatem & diligentiam.* 3. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis, quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. *Fiduciam excita, & amorem in tam benignum Dominum.*

Afflictiones propter Chriſtum. *Ioan.* 15. *In feſto Simonis & Iudæ.*

1. Hæc mando vobis vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem odio habuit. ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Chariatem excita, & contemptum mundi, & gratias age pro vocatione.* 2. Non eſt ſeruus maior Domino ſuo; ſi me perſecuti ſunt & vos perſequentur. *Imitare* IESVM *& ad patientiam diſpone te.* 3. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent. *Gratias age pro donis Dei, & conterere.*

Cur manifeſtauerit IESVS perſecutiones Apoſtolorum. *Ioan.* 15. & 16. *Dominica infra Octauam Aſcen.*

1. Cùm venerit Paraclitus quem ego mittam vobis à Patre, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecũ eſtis. *Anuitâ id tuâ facis? dole ergo, gratias age pro dono Spiritus ſancti.* 2. Hæc locutus ſum vobis vt non ſcandalizemini; abſque ſynagogis facient vos & venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. *Admirare prouidentiam, reſigna te, & patientiam exerce.* 3. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me, ſed hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora eorum, reminiſcamini. *Gratias age pro fide, & reſigna te Deo.*

De ſpiritu Sancto qui mundum arguet & docebit. *Ioan.* 16. *Domin.* 4. *Poſt Paſcha*

1. Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me quo vadis, ſed quia hæc locutus ſum vobis, triſtitia impleuit cor veſtrum. *Compungere, quod non dolueris abeunte* IESV, 2. *Reſigna te in omnibus* 2. Expedit vobis vt ego vadã ſi enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Cùm autem venerit, arguet mundum de peccato, iuſtitia, & de iudicio. *Fidem excita & amorem, & gratitudinem erga tam liberalem Deum.* 3. Cùm venerit ille docebit vos omnem veritatem. Adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcũque audiet loquetur, & ventura annuntiabit vobis. *Vide benignitatem* IESV, *& ama, gratias age pro Spiritu ſancto.*

2 Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicũ & videbitis me: quia vado ad Patrem, *Vide vanitatem mundi*

&

& contemne 2. *Reſigna te Deo.* 2 Et volentibus interrogare ait: Amen, amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit triſtitiam habet, &c. *Excita te ad verum gaudium & patientiam & reſignationem.* 3. Et vos igitur triſtitiam habetis: iterum autem videbo vos & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. *Spem excita & amorem erga* IESVM.

Afflictiones in prædicando Euangelio. *Ioan.* 16. *Dominica 3. poſt Paſcha.*

1. Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; petite & accipietis vt gaudium veſtrum plenum ſit. *Fiduciam in bono Domino excita & gaudiũ.* 2. Venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar; In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis; quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis. *Charitatẽ exerce & ſpem, & reſigna te Deo.* 3 Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem, *Admirare Dei bonitatem & ama* IESVM.

Quomodo petendum. *Ioan* 16 *Dominica 5. poſt. Paſcha.*

1. Et cùm tranſiſſet Sabbathum, tres mulieres emerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM; & valdè manè veniunt ad monumentum orto iam Sole. *Excita te ad diligentiam hoc exemplo.* 2. Et dicunt; quis reuoluet nobis lapidem? & viderunt reuolutũ. *Fiduciã in Deo loca.* 3. Et introeuntes viderunt iuuenem, ſedentem in dexteris coopertum ſtolâ candidâ. Ille verò: nolite expaueſcere. IESVM quęritis? non eſt hic; Ecce locus vbi poſuerunt eum. Ite dicite diſcipulis: præcedet vos in Galilæam. *Cur non alibi? reſigna te Deo, & amorem excita.*

Reſurrectio Chriſti manifeſtatur. *Marci* 16. *In feſto Paſchæ.*

1 Abeuntibus mulieribus manſit Maria, & ſtabat plorans & inclinauit ſe & proſpexit in monumentũ, & vidit duos Angelos in albis, qui dicunt ei: Mulier quid ploras? dicit eis, quia tulerunt Dominum meum & neſcio vbi poſuerunt eum. *Contere de amiſſo Domino tuo, & perſeuera & amorem excita.* 2. Hæc cùm dixiſſet conuerſa retrorſum vidit IESVM, qui ait: mulier quid ploras? quem quæris? illa verò Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum, & ego eum tollam, & dicit ei IESVS: Maria, & agnoſcitur, ſed ait: noli me tangere. vade ad fratres meos & dic eis. *Admirare Dei bonitatem in peccatricẽ, & ama, & diligentiam ſpiritualem exerce.* 3. Et cùm ipſa cum aliis iret, iterum apparuit & dixit: Auete. Illæ autẽ acceſſerunt & tenuerunt eum, quibus ait: Nolite timere, ite dicite fratribus meis vt eant in aGlilæã, *Gaude in Domino, confide in illo, & reſigna te.*

De apparitione facta Magdalenæ. *Ioan.* 10. *Feria* 5. *poſt Paſcha.*

De apparitione facta diſcipulis euntibus Emaus. *Lucæ* 24. *Feria* 2. *poſt. Paſcha.*

1. Duo ibant ab Hieruſalem in Emaus, dum loquuntur de morte IESV, acceſſit, petiitque: Qui ſunt hi ſermones? Cui vnus: Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & hæc ignoras? Et ait, Quæ? & narrauit ei quæ paſſus erat, & de Angelorum viſione. *Admirare benignum* IESVM *& ama.* 2. O ſtulti ait, & tradi corde ad credendum, nónne oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? & interpretabatur ſcripturas, & cor eorum ardens erat. *Gratias age Domino pro redemptione, & vehementer eum ama.* 3. Et cùm appropinquaret caſtello, finxit ſe longiùs ire, ſed coegerunt illum, dicentes: Mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit. Et intrauit cum illis, & cognouerunt eum in fractione panis, & eâdem horâ regreſſi ſunt. *Amorem excita IESV.* 2. *Gratitudinem.* 3. *Spem in eum, ſi quando adueſperaſcit*

IESVS abſente Thoma Apoſtolis apparet. *Ioan.* 20. *Dominica in Albis.*

1. Cùm ſerò eſſet, & fores clauſæ, & diſcipuli congregati propter metum, venit IESVS, & ſtetit in medio eorum, & dixit: Pax vobis; & oſtendit eis manus & latus. *Fidem viuifica, & chartiatem erga* IESVM. 2. Dixit: ſicut miſit me Pater; ita ego mitto vos, & inſufflauit & ait: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, &c. *Gratias age pro dono hoc, & benignitatem Dei ſic condonantis excita amorem.* 3. Thomas non erat cum eis, & incredulus erat: poſt dies octo iterum ſtetit in medio, & dicit Thomæ; Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. cui Thomas: Dominus meus, & Deus meus. *Tu etiam zelum & charitatem exhibe fratri, & ama Dominum.*

IESVS ad mare Diſciplis ſeptem apparet. *Ioan.* 21. *Feria* 4. *poſt Paſcha.*

1. Manifeſtauit ſe IESVS ad mare. Cùm enim Petrus iuiſſet piſcari; & alij nocte nihil prendidiſſent, mane facto ſtetit IESVS in littore. *Diffide tibi, & ſoli fide Deo, & ſpera auxilium à Domino.* 2. ait: Mittite in dextram rete, & non valebant illud trahere præ multitudine, *Obedientiam excita, & gaudium in Domino, & admirare potentiam.* 3. Petrus videns Deum miſit ſe in mare, & deinde ait IESVS: Venite & prandete, & diuiſit eis panem, &c. *Fiduciam imitare Petri.* 2. *Benignitatem admirare, & ama IESVM.*

S. Petro. IESVS oues commendat.

1. Cùm prandiſſent, dicit IESVS ter Simoni Petro: Diligis me plus his? cui ait: etiam Domine, tu ſcis quia amo te. Cui ait bis: Paſce agnos meos; tertiò verò, Paſce oues meas. *Excita te ad amorem Domini & charitatem proximi tui.* 2. Cùm eſſes iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autem ſenueris, extendes manum tuam, & alius te cin-

cinget,& ducet quò tu non vis, indicans quâ morte eſſet clarificaturus Deum,& dicit ei:Sequere me. *Reſigna te Domino,& ad patientiam exerce.* 3. Petrus de Ioanne ſollicitus ait:Hic autem quid? cui IESVS:Quid ad te, tu me ſequere. *Reſignationi & amori & imitationi inſiſte.*

Ioan 21. In Vigiliâ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli.

1. Quod toties IESVS promiſerat, tandem in monte apparuit ſuis pluſquam quingentis,& ait: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terrâ. *Gaude, gratulare, & ama.* 2. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos,&c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. *Fidem excita, & Zelum.* 3. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, &c. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. *Fidem excita.* 2. *Amorem* IESV *ex eius præſentia, vt cum illo etiam ſemper ſis.*

Oſtendit ſe Chriſtus Diſcipulis in monte Galilææ. *Matth. 28 In feſto SS. Trinitatis.*

2. Nouiſſimè recumbentibus diſcipulis apparuit illis IESVS,& exprobrauit incredluitatem eorum. *Reſpice Domini benignitatem,& fidem excita.* 2. Hæc, ait, ſunt verba quæ locutus ſum ad vos cùm eſſem vobiſcum, quoniam neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt. *Fidem iterum excita,& gratitudinem, quòd impleuerit* IESVS *omnia pro te.* 3. Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent Scripturas,& poſtquam locutus eſt, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. *Gratulare Domino, & amorem excita & fiduciam,& illi toto corde, mente,& viribus adhære. Viue & morere.*

De aſcenſione Chriſti. *Marci 16. In feſto Aſcenſionis*

CAPVT IV.

Exercitium de magno perfectionis deſiderio excitando.

PRAELVDIVM I. Conſidera te coram Domino cum Moyſe in excelſo monte, vnde videas hominum ſtudia vaniſſima & magna molimina, vt in hâc vit beati ſint honore, opibus; &c,

ORATIO, vt tanto deſiderio etiam accendi poſſis ad perfectionem.

O vtinam tantùm ſtuderes virtuti, quantum ſtudetur ſcientiis! Perfectio eſt ſapientia.

PVNCTVM I, Conſidera quanto, quàm longo & aſſiduò labore ac ſudore mortales ſcientiis operam dent, & cognitioni creaturarum, cùm tamen qui addit ſcientiam, addat dolorem. Nónne autem perfectio, vera eſt ſapientia, quâ homo Deum, & ſe cognoſcit; & humana atque diuina iura non tantùm nouit, ſed etiam exequitur; & tamen piget te modicum pro eâ laborare, Secundò, quantum laborent atque impendant, vt ſanitatem diſcant conſeruare, & conſeruent homines: ſæpè, vt illa in Euangelio omnem fruſtrà perdunt ſubſtantiam ſuam. At verò ſapientia & perfectionis ſtudium non tantùm medicinam animæ edocet, ſed per illam homo perfectam ſanitatem conſequitur. Tertiò, cogita, ſi libet, quid quæque ſcientia & ars, cui inſudant homines, iis præſtet, & omnia inuenies ſapientiæ conuenire. vnde gloriabatur de eâ Propheta dicens, Ecce enim veritatem dilexiſti, incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Illius inquam ſapientiæ, cuius comparatione ſapientia mundi ſtultitia eſt. Inuenies autem eam, ſi prioris vitæ peccata defleas, ſi huius ſæculi deſiderabilia paruipendas, ſi æternam beatitudinem toto deſiderio concupiſcas. Neq; pigeat laboris, aut difficilem putes. Clara eſt enim, & quæ numquam marceſcit ſapientia; & facilè videtur ab his qui diligunt eam, & inuenitur ab his qui quærunt eam. Cogitare de illâ ſenſus eſt conſummatus; & qui vigilauerit propter illam,

Perfectio eſt ſanitas. Quid ſcientia præſtet

Pſalm. 50.

1. Cor. 3. Bernard.

Sap 6. Perfectio facilis,

illam citò ſecurus erit. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ fide, &c.* ibidem.

PVNCTVM II. Conſidera verba illa Saluatoris: Quæ mulier habens drachmas decem, & ſi perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter donec inueniat? Drachma hæc, perfectio eſt, ſignata Dei imagine: quia perfectio eſt quædam Dei ſimilitudo. *Haccine vera*, vt ſuprà p. 7. Dicit Sapiens: Pecuniæ obediunt omnia. Perfecto viro terra, mare, aër, ignis, ſol, mors ipſa paret, cùm his omnibus aliquando perfecti imperarint. vide ergo quanti facere eam oporteat. O quantò prudentiores ſunt filii huius ſæculi, filiis lucis in generatione ſuâ! Conſidera Secundò verba illa: Simile eſt regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas, & inuentâ vnâ pretioſâ, vendit omnia quæ habet, & emit eam. vna enim talis continet immenſas opes: non grauat tamen, ſed ornat, ac beatum facit. Illa verò eſt perfectio, de quâ dici poteſt, Precioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari. Vel, vt ait Auguſtin. Hæc margarita precioſa, eſt charitas, ſine quâ nihil tibi prodeſt quodcumque habueris, quam ſi ſolam habeas ſufficit tibi. Ut autem margarita rore cæleſti gigni dicitur; ita perfectio, magna Dei miſericordià obtinetur. Credis tanti eſſe illam? ergo vide quid pro eâ præſtes. *Credo tibi, &c*, vt ſup. pag. 7. Conſidera Tertiò, perfectionem ſimilem eſſe theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illum. hic eſt perfectio. Infinitus enim theſauris eſt hominibus; quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. Nónne ſapientia (quo nomine perfectio appellatur, meritò exclamat: Mecum ſunt diuitiæ & gloria, opes ſuperbæ & iuſtitia. Et verè, melior eſt perfectionis fructus auro, & lapide precioſo, & genimina eius argento electo. Fideli enim totus mundus

Lucæ 15.
Perfecto omnia parent.
Eccleſ. 10.
Hebr. 11.
Luc. 15.
Matth. 13.
Prou. 3.
Auguſt. in 13. *Ioan.*
Matth. 13.
Perfectio theſaurus.
Sap. 7.
Prou. 8.

Philipp.4. poſſeſſio eſt. Theſaurizemus nobis hunc theſaurum in cælo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, neque furantur. ſed meminerimus, hanc abſconditâ ſapientibus & prudentibus, & reuelari paruulis.
Matth. 6.
Matth.11.

O Pater æterne, vt infrà pag. 793.

Perfectio regnũ Dei. PVNCTVM III. Conſidera Primò, perfectionem verè eſſe regnum Dei, quod quotidie in oratione Dominica poſtulamus. Non eſt enim regnum Dei eſca & potus; ſed iuſtitia, & pax in Spiritu ſancto. Regnum Dei illud dicitur, per quod Deus in nobis regnat, vt D. Ioannes exponit. Reges autem verè ſumus, ſi perfecti ſumus, vt D. Chryſoſtomus multis declarat; quia verè perfectione virtutis regnum Dei intra nos eſt: & ſicut in cælo Deus videtur, perpetuumque ibi eſt gaudium, corpora impaſſibilia claraque ſunt, agilia, ſubtilia, ac velut ibi Sancti filii Dei & amici liberi ſatiantur ab vbertate domus Dei; ita etiam aliquâ ratione perfecti, hæc in animâ ſuâ experiuntur. Magno ergo ardore ad illud regnum tendamus: regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7. Conſidera Secundò, perfectionem nos conſtituere Dei amicos, quod declaratur ipſius æternæ Sapientiæ verbis; Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Quid non agunt homines vt amici Regis ſint? quid verò tu agis, vt Dei fias? quid omittis, vt ei placeas? Nec amicos tantùm perfectio conſtituit, ſed filios Dei: ideoque imitari Patrem cæleſtem ſic monemur, Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt. Immò etiam animas ſponſas filii Dei efficit, vt toto libro Canticorum manifeſtè oſtenditur. *Aſpira*, ſi libet, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ* ibid. Conſidera Tertiò, quantam hic pacem, delicias, familiaritatem cum Deo, quantam hîc & in cælis gloriam perfectus habeat. Quæ omnia quantum, Deus bone, deſiderium in nobis excitare deberent!
Rom.14.
Perfectio eſt beatitudo.
Matth.11.
Ioan.15.
Vis eſſe Dei amicus & filius? ecce potes.

Con-

Concupiſcentia enim ſapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Optaui, ait Salomon, & datus eſt mihi ſenſus; inuocaui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ, Poſtremò vide, quæſo, vide ô mi frater quid ſit quod te, quod me, ne potiamur regno, theſauro illo, & bonis omnibus, impediat, & ferè deprehendes eſſe rem paruam, affectum erga aliquid creatum. Compara, & expende hæc cum perfectione, & ſtatue firmiter magnâ voluntate ad eam incumbere. *Sap.7.*

Oratio pro perfectionis deſiderio augendo.

O *Pater æterne, dixiſti mihi: Ambula coram me, & eſto perfectus. Sed eheu! quamdiu lacerabo carnes meas, & animam meam portabo in manibus meis? quamdiu laborabo, vt fodiam mihi puteum, quem appellare poſſum Abundantiam gratiæ, & charitatis tuæ, vt ſitim meam expleam, & tuam dulciſſime Domine mi ſitientis in arâ crucis ſalutem meam? quando veniam & accedam ad te fontem aquæ viuæ, & non ſitiam amplius in æternum? Ecce ſicut oculi ſeruorũ in manibus dominorum ſuorum; ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ; ita oculi noſtri ad te Dominum Deum noſtrum, donec miſerearis noſtri. Sed ecce, audio: Exſpecta Dominum, & viriliter age. O amator hominum, quando venies? quando venies; ô veni, veni, & noli tardare Etenim iã concupiuit anima mea deſiderare iuſtificationes tuas in omni tempore. Et ecce, apparebo tibi in terrâ deſertâ, inuiâ & inaquosâ, vt videam virtutem tuam, & gloriam tuam, & ſuſcipiam te in medio templi tui, id eſt cordis mei, & gaudebo in Deo* IESV *meo. Si enim tu eſurientes reples bonis, ecce eſurio: ſatia, Domine, animam inanem, & animam eſurientem ſatia bonis tuis. Si mœſtos ſolaris, Deus totius conſolationis, ecce fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi: Vbi eſt Deus tuus? & hæc recordatus ſũ, & effudi in me animã mea, & ecce venis & quæris me replere benedictione tuâ ſi tamẽ voluero.*

Pſal.121. — Applicatio ad Communionem. — Pſal.118.

O quæ cœcitas mẽtis meæ! quæ ignauia volũtatis meæ! quid enim me impedit quo minùs ſim felix, & verè beatus, & te

amem? Ecce, Domine, amor mei, & creaturæ N. me retinent. & miſer em ac inſelicem conſtituunt. Adiuua me, ô virtus mea. Baruch. 3. *Quare obliuiſceris inopiæ meæ, & tribulationis meæ? Deduc me, Domine, in viam & doce me, vbi ſit ſapientia. Quis enim aſcendit in cælũ & accepit eam de nubibus? quis trasfretauit mare, & inuenit illã? non eſt qui poßit ſcire vias eius. Doce me vbi ſit theſaurus abſconditus, & margarita precioſa, ob quam meritò omnia bona vendam, & quaſi nihilum deſpiciam; tu es* Prou. 3. *theſaurus meus, & in te proinde eſt cor meũ. O quàm beatus verè homo eſt, qui te inuenit & ſapientiam, & perfectionem conſequitur: & melior eſt acquiſitio eius, negotiatione auri & argenti primi & puriſsimi. Fructus eius precioſior eſt cunctis operibus: omnia quæ deſiderantur, huic non valent comparari: Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illã: quoniã inextinguibile eſt lumen eius; & venient mihi omnia bona pariter cũ illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius. Tu, inquã venies, venies ad me, & ſpero, ſpero manſionem apud me facies, & habitabis in tabernaculo cordis mei; & exultabo & lætabor in te, & diligam te in toto corde meo: quod eſt vnicum deſiderium meum; regnum quod peto, theſaurus quem quæro; margarita, quam emere concupiſco; beatitudo, ad quam toto corde ſuſpiro. Amen.*

Praxis pro Deſiderio perfectionis augendo.

Bernard. de ordine vitæ. Sunt vitanda.

PRima. Statue firmiter perfectionem ſequi, & vim inferre regno cælorum, atque voluntatem iſtam perpetuò adauge. Caue autem ſedulò, vt Bernard. monet, minora vitia, vt maiora. quia à minimis incipiunt, qui in maxima proruut; & minima etiam lucra conſectari, maximus quæſtus eſt; omni enim habenti dabitur.

Creata ad perfectionẽ inuitant.

Secunda. Vide, vt ſæpè dixi, omnia creata, & conſidera, vt illa te ad perfectionem inuitent, illius deſiderium in te augeant, & velut dona ferant, quibus, ex parte Dei, ad illum te pelliciant.

Colloquii ſpiritualis vtilitas. Bern. ſerm 14. in Cant.

Tertia. Frequenter age cum viris ſpiritualibus, & colloquia pia fere. Nam vti in meditatione, ſic in colloquio exardeſcit ignis, vt egregiè Bern. Cùm enim perfectionem quæreret, & in quo recaleſceret ſpiritus, dormitabat, ait,

ait, anima mea, muſſitans ſecum illud, A facie frigoris eius quis ſuſtinebit? cùm ſubitò fortè ad affatum, vel etiam aſpectum cuiuſdam ſpiritualis perfectique viri interdum, & ad ſolam defuncti ſeu abſentis memoriam flabat ſpiritus, & fluebant aquæ. Nimias tamen familiaritates vita.

Quartò. Deſideria à Domino immiſſa, annota: & quæ olim habuiſti feruida, cùm remiſſior eſt animus, recole. *Pia deſideria annota.*

Quinta. Conſtitue tibi aliquem, aut plures, quos in variis virtutibus imiteris; vt de Sancto Antonio commemoratur. Hoc monet Eccleſiaſticus dicens: In patres vade ſæculi ſancti, cum viuis & dantibus confeſſionem, id eſt, mortuorum ac viuorum exemplis, te ad perfectionem ſtimula. *Eccli. 17.* *Exempla tibi propone*

Sexta. Diligenter obſerua inſpirationes diuinas, & audi quid loquatur in te Dominus: atque ad hoc vide, vt totum te rebus non tradas, ſed commodes, neque in iis nimiùm occupari te ſinas. *Dignatus es*, vt ſup. pag 10. *Occupationes nimias vita.*

IACULATORIÆ.

SApientiam amaui, & exquiſiui à iuuentute meâ: & quæſiui ſponſã mihi eam aſſumere & amator factus ſum formæ illius. Sap 8.

Lex Domini immaculata, conuertens animas: teſtimonium Domino fidele, ſapientiam præſtans paruulis. Pſalm. 18.

Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Ibidem.

Deſiderabilia iudicia tua ſuper aurum, & lapidem precioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum. Ibidem.

Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius? innocens manibus, & mundo corde. Pſalm. 23.

CAPVT V.

Meditatio pro Sui renouatione ſemel quot hebdomadis facienda.

COMPOSITIO LOCI ſit, quaſi videas ex orbe terrarum vndique euocari ſubitò ad iudicium, alium ex agro, alium ex molâ, lecto, cubiculo, conuiuio, variaque morte, ſeu viâ ad illud properare.

ORATIO. Pete animi renouationem.

PVNTVM I. Conſidera Primò, ſi iam moriendum tibi foret, & reddenda vitæ ratio, quàm vana omnia mundi ſtudia apparerent; inania omninò quæ iam præterita, *Si iam moriendum, quid velles feciſſe.*

Tempus eſt irrecuperabile. præterita, cùm nihil ſuperſit; vilia verò præſentia;plena autem timoris futura; & quid tunc optares te feciſſe, expende. Secundò, cogita quàm ſit irrecuperabile tempus amiſſum, & occaſiones quas habuiſti bonorum,ac quomodo deinceps iis meliùs vteris, diſpice.

Heu mihi, vt infr.pag.798. Tertiò, vide tuum progreſſum in viâ virtutis, qualis quantuſque ſit. Colliges autem eum, ſi finem attenderis cur vitam ſpiritualem agere cœperis; quem initio perfectionis gradum, & quanto affectu ac voluntate tibi propoſueris, aut certè proponere debueris, quidque ſtatus tuus exigat. Quis autem ille fuit?nempe Primò, Deo toto corde, & totâ animâ adhærere;qui enim adhæret Deo, vnus ſpiritus fit cum eo. An ita te cum eſt; Secundò, cum proximis omnibus pacem habere, charitate ac voluntate coniungi;an cum aliquo diſſides? & quid faciendum putas vt reſarcias?ſi Superiores ſint, inſuper nulli legi eorum vel præcepto,iudicio aut voluntate repugnare te oportet. Tertiò res humanas, laudes hominum, opes & mundi gaudia odio tui abnegare, ac diuinis oblectari.

1.Cor.6. Quid à perfecto requiratur.

Vide præterea quomodo adhæreas Deo tribus potentiis,& in eius adhæſione profeceris: Memoriâ, ſcilicet,vbique eum præſentem habendo, & colloquendo ſæpiſſimè:oportet enim ſemper orare, & non deficere. Secundò,intellectu, omnia opera eius & iudicia iuſta, ſeu bona tibi aliiſque tribuat, ſeu mala immittat, laudando. Tertiò, voluntate, numquam de Deo aut homine querendo, aut euentu aliquo, idque quia neque malum, neque bonum eſt in ciuitate, quod non fecit Dominus: iuxta illud, nullum mandatum quantumuis paruum, ſcienter ac prudenter negligendo. Attende etiam, an puram in omnibus intentionem habeas, id eſt oculum mentis purum. Conſidera Secundò, quomodo erga proximum profeceris: ac Primò, memoriâ, an neminem negligas & omittas, ſed vltrò commodis proximi, maximè parum tibi affecti, ſtudeas, eiq; gratificeris.

Attende quomodo erga Deum ſit affectus Lucæ 18. Qualiter habere oporteat potentias ordinatas.

Pura intentio. Quomodo in charitate proximi proficias vide.

tificeris. Secundò; intellectu, an contentioſè cum nemine agas, ſed libens iudicium tuum ſubmittas, maximè Superiori. Tertiò, voluntate, an idem cum iis, maximè Superioribus, ſapias, dicas; & planè reſignatus ſis, nihilque deſignes in re, loco, officio, & occupatione tua. An proximi bonis, laude, honore vti tuis recreeris, ei gratuleris, eumque promoueas; malis eius condoleas & compatiaris, ac re, quâ potes in corpore & ſpiritu cum zelo adiuues, idque propter Deum, non ſympathiam, aut gratiam aliquam naturalem: an verò auerſeris, iudices in animo tuo, te ei præferas, de eius defectibus loquaris. Conſidera Tertiò, quomodo in contemptu rerum humanarum, laudis, vituperii, & iudiciorum humanorum ſenſu, commoditatum & recreationum, quæ ſenſibus percipiuntur, deſpectu, mortificatione, & odio tui progreſſum feceris; & Primò, an tui memoriam ac commodorum negligas, & æternorum amore ea deſpicias. Secundò, an intellectu præ omnibus omnino te vilem æſtimes, & æſtimari ac haberi velis. Tertiò, an voluntate amplectaris eos qui de te malè ſentiunt & loquuntur, eoſque laudes atq; ames: qui te verò laudant, æſtimant, & te decipiunt, minimè eo nomine diligas ac foueas. Omnino ſibi imponit, qui profectum ſuum metitur ex ſolâ meditatione & contemplatione, eiuſque affectu. Etenim ſi meditatio, vel oratio tua feruet, & bona eſt, cùm ſit ipſa eleuatio mentis in Deum, certum eſt, te ſuſtolli per eam ſuper altitudinem terræ, & terrena, atque affici vt nihil petas aut deſideres præter Deum, eiuſque ſanctiſſimam voluntatem. Si id non efficiat, fruſtra de eâ gloriaris, & deluſio potius eſt, quàm profectus indicium. Quartò, ſtatue, quomodo deinceps vitam agere, ac in via mandatorum Domini, & conſiliorum ambulare velis.

Quomodo in affectu ad res humanas proficias vide

An ames laudantes te.

Illuſio eius qui profectum ex oratione ſolâ metitur

Signum illuſionis in oratione

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ*. ibid.

PVNCTVM II. Conſidera Primò, quæ te remora tar-

Examen adhibe particulare.

det in viâ ſalutis, quæ paſſio, quæ creatura, vel eius amor. Secundò, an poſſis eam remouere, & quanta ſit dementia id omittere, quantoque potiùs conatu tollere oporteat, ac de examine particulari ſeriò ſtatue, eaque media adhibe; quæ iuuare efficaciter poſſint. Quid enim; Certè ſeriò ſanitatem non vult, qui media inefficacia, ac talia reipſâ & annis, atque experientiâ multâ probata, ſolùm vult adhibere. Secundò, coràm Deo expende, quàm triſte; quàm pudendum, videre meliora & ſanctiora, tantam perfectionis, veræque virtutis ac libertatis guſtare poſſe dulcedinem; atque eminentis ſuper omnia animi excellentiam; & tamen ob honoris appetitum; vel affectum erga creatum aliquod, & breuiſſimum ſolatium, illa tanta bona non conſequi. Pone ergo cor tuum ſuper vias tuas; & vide, cur in te vaticinio illi locus ſit, Seminaſtis multum, & intuliſtis parum; comediſtis, & non eſtis ſaturati; bibiſtis, & non eſtis inebriati; operuiſtis vos; & non eſtis calefacti; & qui mercedes congregauit, miſit eas in ſacculum pertuſum: certè quia ſeriò animus non applicatur.

Quæ ſit voluntas vera proficiendi.

Aggæi 1.

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

Actiones tuas conſidera.

PVNCTVM III. Conſidera ſemitas domus tuæ, actiones, inquam, tuas à manè vſque in veſperam; & duo in iis attende. Primum, quomodo eas facere propoſueris; Secundum, an propoſita exequaris. Præterea conſidera, quo pacto in aduerſis te geras, quàm patienter atque humiliter. Poſtremò ea; quæ propoſuiſti; ſcripto annota, & Sanctiſſimæ Trinitati offer, per manus B. Virginis, & Angeli Cuſtodis; teque totum Deo conſecra, etiam repetitis votis, ſi Religioſus es.

Oratio pro profectu.

Pſal. 119

Iſaiæ 59.

HEu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt! habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Exſpectauimus iudicium, & non eſt; ſalutem, & elongata eſt à nobis. Multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ corã

te;

te,& peccata noſtra reſponderunt nobis. Aufer quæſo, de me- Iſaiæ 58.
dio mei catenam N. ô IESV *Saluator mi,& fac vt oriatur iã* Applicatio ad Communionem.
in tenebris meis lux tua,& tenebræ meæ fiant ſicut meridies,
præſertim (cùm in Sole poſueris tabernaculũ tuũ,& iam tanquam ſponſus procedens de thalamo tuo;tu Deus meus manifeſtè venies velatus quidem ſed tamen totus deſiderabilis.Veni,veni de mane enim hoc iam vigilo ad te & anima mea
deſiderauit te in nocte. Vſquequo deinceps piger dormiam? Prouerb. 6.
quando conſurgam de ſomno meo?Ecce enim veniet mihi quaſi viator egeſtas,& pauperies quaſi vir armatus. Si verò impiger fuero;veniet vt fons meßis mea,& egeſtas longe fugiet à me,quam operata eſt manus mea remiſſa.Ecce enim quot annos laboro in vanum?& totâ die concupiſco,& deſideria mea
occidunt me:quia ſtrenuè & conſtanter non operor ſalutem Prouer.
meam,& cibum,qui non perit.Et verò quid me retinet,ne di- 10.
ues ſim,ne ſapiens,ne beatus,ne regnum tuum intrà me ſit,ne manſionem apud me facias,ne diligam te & beatus ſim.Ecce N. *ô Deus meus!erubeſco coram te.quæ inſania mea vt propter hoc,*N.*aut iſtud,*N.*tot tantiſq; bonis,tot inquam frui non libeat,immò non liceat?Si vis.potes me ſanare.Sana,obſecro, & requiem da mihi:imple ſplendoribus animam meam,& li-*
bera oſſa mea: & indue me fortitudine tuâ. Fac vt ſim quaſi Iſaiæ 58.
hortus irriguus,ſicut fons aquarum,cuius non deficient aquæ: vt vocari poßim Sabbatum delicatum, ſanctũ Domini glorioſum;& nõ inueniatur ampliùs in me voluntas mea. Tunc delectabor ſuper te,Domine , & ſuſtolles me ſuper altitudines terræ; & cibabis me hereditate tuâ, & replebor ab vbertate domus tuæ & charitate tuâ implebis me, & non vltra ſeparabor abs te,Amen. Amen.

Oaatio Diui Thomæ Aquinatis.

CONCEDE *mihi,miſericors Deus,quæ tibi placita ſunt diligenter & ardenter concupiſcere.prudenter inueſtigare,veraciter agnoſcere , perfectè adimplere , ad laudem & gloriam nominis tui ordina ſtatum meum, & quod à me requiris vt faciam,tribue vt ſciam, & da exequi ſicut oportet*

&

& expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi, Domine Deus, inter proſpera & aduerſa nõ deficere, vt in illis non extollar, in iſtis non deprimar, de nullo gaudeã vel doleã, niſi quod ducat ad te, vel abducat à te. Nulli placere appetã, vel diſplicere timeã, niſi tibi. Vileſcant mihi, Domine, omnia tranſitoria, & cara mihi ſint omnia tua propter te, & tu Deus meus præter omnia. Tædeat me gaudij quod eſt ſine te, nec cupiam aliquid quod eſt extra te. Delectet me, Domine, omnis labor qui eſt pro te, & tædioſa ſit mihi omnis quies quæ eſt ſine te. Freqẽter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, & in defectione mea cũ emendationis propoſito dolendo penſare. Fac me, Domine Deus, obedientẽ ſine contradictione pauperẽ ſine defectione; caſtũ ſine corruptione; patientem ſine murmuratione: humilem ſine fictione; hilarem ſine diſſolutione, triſtẽ ſine deiectione; maturũ ſine grauitate; agilem ſine leuitate, timentẽ ſine deſperatione; veracẽ ſine duplicitate, operantem bona ſine præſumptione; proximum corrigere ſine elatione, ipſũ ædificare verbo & exemplo ſine ſimulatione. Da mihi, Domine Deus, cor peruigil, quod nulla abducat à te curioſa cogitatio; da nobile, quod nulla deorſũ trahat indigna affectio; da rectum, quod nulla deorſum obliquet ſiniſtra intentio; da inuictum, quod nulla frangat tribulatio; da liberũ, quod nulla ſibi vindicet peruerſa & violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem; ſapientiam te inuenientem, conuerſationem tibi placentem, perſeuerantiam te fideliter exſpectantem; & fiduciam te finaliter amplectentem; tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis in vitâ vti per gratiam; & tandẽ tuis gaudiis in patriâ perfrui per gloriam Qui cũ Patre, &c.

Praxis ad mentis renouationem inſtituendam.

Rationes tuas ſedulo nota.

PRima. Conſidera, modo ſuprà declarato, profectũ & defectum aliquo tempore ſucciſiuo: vel hoc perbreui: An meliùs te habeas erga Deũ, proximũ, & teipſũ. Maximè verò attende ad examen particulare, an ſint in eo pauciores lapſus, quàm ſuperiore hebdomadâ, an plures: & quaſi ſubduc rationes tuas, atque annota, ſi videtur. Sic enim multi quotidie conſignant geſta ſua. Sic S. P. Ignatius omnes etiam Spiritus ſancti motus, ac vitam ſuam in libellum digerebat.

Secunda

Secundo:Si minùs te proficere ſenſeris;ac ſtimulari tali v.g.exercitatione, meditatione, aut lectione, ſpontaneâ pœnitentia, aliam propone, immò & voto contra inconſtantiam,ſed pœnali,aliquandò confirma te,ex iudicio Superioris vel Confeſſarij. *Votum pœnale vitie.*

Tertia.Percurre diariũ,ſiue ſcriptum:quo actiones tuas ordinaſti,atque ad illius perfectam obſeruationẽ collima.

Quarta.Propoſita varijs Sanctis dica, atque offer ex intentione ſancta:& coram venerabili Sacramento,vel poſt communionem,confirma. *Sanctos ſedulò cole.*

Quinta.Inter alia autem vide, vt ſemper proficere ſtudeas in vera humilitate;Secundò,in verâ charitate, potiùs opere,quàm ſermone in eam declarando.Tertiò, in communicatione cum Deo,ſeu Dei præſentiâ;Quartò, in purâ intentione;Quintò,in cultu B. Virginis. *In quibus ſit maximè virtutibus ſudandum.*

Alia Methodus colligendi ſeſe,& Praxis.

SVprà dixi,exercitium quod fuerat quadrimembre,variũ vſum habere: tum ad manè ſurgendũ,tum veſperi incumbendũ,tũ ad animum recolligendũ. Si igitur ſuperiùs poſita meditatio prolixior videatur; vtere hâc methodo.

Conſtitue te inpræſentia Dei, & Primò conſidera beneficia à diuinâ liberalitate tibi hebdomadâ ſuperiore collata,& gratias age.

Secundò,conſidera defectus, & maximè conſuetudine aliquâ inueteratos,an proficias,an ſecùs:& quid maximè in viâ te impediat,& ei examen particulare adhibe.

Tertiò.conſidera actiones tuas à manè vſque in veſperam,& forma eas regulas,& inſtitutum tuum,ſi Religioſus es,& maximè ad exempla Domini Iesv, & Sanctorum.

Quartò,conſidera quomodo in aduerſis te geſſeris,quàm moderate,tranquillè & prouide ea quæ euenire poſſent, animumque robora.

Poſtremò,ſcribe propoſita breuiter,aut decreta,& Deo ac Domino noſtro offer.

Hæc puncta quatuor magnam vtilitatẽ habere,& cõpendum vitæ ſpiritualis,vſus docere poterit. Obſerua autem,ſingula per ſe etiam exercitium facere,ideoque in capita plura totum illud diſtributum habes ſuprà. Cùm verò hac praxi te colliges,& renouabis deſideria, imagines ſuprà poſitas, quæ hiſce capitibus quatuor reſpondent,ſi libet,inſpice,Dei gratiâ,auxilio ſpirituali eſſe poterunt.

Signa Profectus.

HVc pertinet, ſigna profectus aliquando perueſtigare; ad quam cognoſcendum, conducet legiſſe, quos quælibet virtus gradus habeat. Addo etiam compendio ea quæ apud Senecam de profectu morum legi, & in tenebris gentilitatis lucem tantam vehementer ſum admiratus.

Seneca lib. de profectu morum

Signum primum profectus eſt amor vrgens, & quaſi eſuries virtutis.

Primum ait, indicium profectus, eſt eius amor vehemens, non contenta eſt Philoſophia, vt præſens dumtaxat nos amore ſui capiat, velut vnguenta, quorum abſentia nemo diſcruciatur: ſed inediam quamdam ſitimque oportebit concipere, ſicubi auellimur: talique argumento intelligere vtique licebit, nos verè profeciſſe. O Sapientia æterna tu etiam hic in tenebris luces; quę dixiſti: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

Matth. 5.

2. Aſpera non horrere

Secundum. Aſperam nō horrere viam, neque laboribus à virtute deterreri. Nonne eſt quod dixiſti Domine IESV, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me?

3. Aliorū iudiciis dictiſq; nō moueri.

2. Tim. 3.

Tertium ſignum eſt, ait, ſi placido tranquilloque ſit animo, ita vt nihil commoueatur quibuſcumque imperfectorum dicteriis, nihilque reluctetur. Omnes enim qui piè volunt viuere in Chriſto IESV, perſecutionem patientur, etiam à fratribus & amicis.

4. Omnia ad uirtutē trahere quæ quis legit.

Quartum. Ea quæ quiſque audit aut legit, ad morum correctionem, affectumque, in vitiorum alleuiationem, traficere; ſicut apis mel è flore colligit; cùm alij nihil pręter colorem & odorem in illis admirentur. Hoc eſt, quod Sancti vocant coniunctionem cum Deo habere.

5. Imo etiā ſpectacula & quæuis alia.

Quintum. Non ſolùm ex doctrina & libris, verum etiam ſpectaculis ac quibuſuis aliis negotiis philoſophari; & ad bonam frugem ſuis incrementis proficere. Nonne ita fecit dulciſſimus IESVS, dum Apoſtoli illi lapides templi oſtenderent: & dum ſapientia ęterna parabolis ex rebus obuiis, nos erudiret?

6. Oſtentationem fugere.

Sextum, Oſtentationem fugere, & contumeliam ferre; euidens planè documentum eius, hominem in Philoſophię ſtudio promouiſſe. Videas, ait, nonnullos etiamnum diſcentes; qui mox ad oſtentationem omnia conferunt & diſputant: de virtute magnificè diſſerere, id eſſe philoſophari putant; perinde ac ſi quis credat, pharmaca populo vendere, id eſſe mederi. Hinc viros ſanctos & modeſtos numquā audies de viſionibus, de reuelationibus multa loqui, vel iactare: ſed parcè & modeſtè, cùm neceſſe eſt, agere, D. Vin-

Vincentius, certè vir ſanctiſſimus, & miraculis quidē clariſſimus; ſed longè clarior virtute, tractatu aureo de Vita ſpirituali, dicit: Qui volunt ſe ſubdere Deo, non deſiderent per orationem, vel contemplationē, vel per alia opera perfectionis, viſiones, vel reuelationes, vel ſentimenta, quæ ſunt ſupra naturā; quia prædictum deſiderium non poteſt eſſe ſine radice ſuperbiæ. Imminò, non ſuſtineas aliquā conſolationem, ex quà tibi videtur quòd fundares te in præſumptione, & æſtimatione tuiipſius: & propter hoc, caue, ne in tuâ oratione vel contemplatione ſuſtineas aliquam conſolationem, niſi illam, quæ venit poſt perfectā ſui notitiam, & completum ſentimentum tuæ humilitatis & imperfectionis, & quæ facit perſeuerare dictam notitiam, & antedictum ſentimentum, & exclamat: Heu! heu! Deus, quot perſonæ ſunt deceptæ per iſtum modum. Monet inſuper, vitādas tales perſonas, & qui eos laudant: additque: Credo quod plus placet Deo, quòd viſiones, ſentimenta & raptus (qui, ſecundùm quod dictum eſt, habent ſimilitudinem veritatis & bonitatis) dimittas ire, pro tanto, quantum valent: niſi contingant aliquibus perſonis, rationis, ſanctitatis, & diſcretionis, ac ex eorum humili probitate (hic enim Lydius lapis eſt, ad aurum deuotionis probandū:) & tunc, quamuis ſit pium viſionibus & ſentimentis taliū perſonarum conſentire; tamē ſecurū eſt, non totaliter credere eis, ratione ſui, & per rationē prædictam; ſed quantū concors cum fide Catholicâ eſt, & ſacrâ Scripturâ, & bonis moribus, & verbis Sanctis, ac doctrinâ Sanctorum.

D. Vinc. de vita ſpirituali c. 11.

De viſionibus & reuelationibus.

Deceptio hu plurima.

Viſionum examen.

Septimum. Applauſum populi non captare. Perſpicuum igitur eſt, ait, eis qui fructū ex Philoſophię ſtudio percipere moliuntur, deponendum eſſe protinus, quidquid vanum eſt & arrogans. Modeſtia enim ſapientiæ comes eſt. Et quēmadmodū è vaſis liquorē aliquem recipientibus aër inanis expellitur; ſic, qui in Philoſophię ſtudio veris implentur bonis, faſtum exuunt. Adde, quod ſibi ſeueriores tum fiunt magiſque rigidi; aliis contrà, benigni & placidi. Huc pertinet, quòd à Menandro, non minùs verè, quam eleganter dictum eſt: Complures videlicet eſſe, qui Athenas nauigent Philoſophiæ gratiâ, primum ſapientes, deinde ſapientiæ amantes, ac mox Rhetores; neque ita multò poſt idiotas, rerumque omnium ignaros ſeſe appellare. Quo enim magis cuique ex Philoſophiâ accedit rationis, eo plus decedit faſtus & arrogantiæ. Hinc videmus viros ſanctos in quolibet Ordine, nō ſe, non ſuos, non inſtitutū cæteris præferre, non efferre; ſed alios omnes præ ſe æſtimare ac laudare. Ordinē enim ſuum multū inhonorat apud

7. Applauſum non captare.

Perfectio aliis benignè.

Quo quis perfectior, eò humilior.

Vanitas eius qui ſe aut inſtitutū vanè laudat.

8. Reprehenſionem ferre æquo animo. prudentes, vt docet D. Vincent de vitâ ſpirituali, qui tacitè ſe propter eũ extollit, quem ſui demiſſionẽ aſſũpſerat.

Octauũ. Reprehenſionẽ ferre æquo animo; immò ingenuè ſe offerre corripientibus. Quicumque enim peccant, & monitoribus vitia corrigentibus ſunt aſperiores; hi profectò malo & quaſi phreneſi laborant, nõ admittentes curationem. quid dicet ad hæc, cui monitio, exacerbatio, curatio, inquam, vulnus fit, & medicina languor, & quiſquis vult mederi, inimicus?

9. In ſomnus quid turpe videre. Nonum. Ex ſomniis, ait, deprehendere licet, num quis profecerit in ſtudio virtutis. Si enim in ſomnis nullâ capitur voluptate erga turpitudinem; neque graui inhiat crimini quo ſe contaminet; prorſuſque nihil videt cum vitio & fœditate coniunctum, conſentaneum eſt, omnia in tuto eſſe poſita. Siquidẽ, vt equi iugales, recta currere inſtructi, non deſerunt viam, etiam dormiente aurigâ; ita bruti affectus domiti, nec in ſomnis, facilè recalcitrant. Quis non miretur in Veneris cultoribus tales inueniri pudicitię amatores? Quid ſi cognouiſſent filium Virginis, IESVM ſponſũ animæ noſtræ? Tolerauit ille in Iuda auaritiam; in aliis arrogantiam, ambitionem in omnibus, & contentionem, numquam turpitudinem. Ita etiam, quiſquis ſeruum Dei cognoſcere velit, hac nota vtatur, caſtitatis: an, quidquid vllo modo ei vel eminus aduerſatur, deteſtetur vt ſummũ flagitium; quidquid inſidiatur, vt dæmonẽ horreſcat; vbicumque eius periculum aliquod, vt mortem reformidet, numquam ſibi cum ſola quocumque prætextu inſtructionis, meditationis, aut quouis alio confidens; immò etiam ſibi ſoli ſuſpectus, vt de viris ſanctis accepimus.

Nota quàm caſtè Philoſophus diſſerat.

Signum ſerui Dei eſt caſtitas

10 Affectus experiri ſedatiores. Decimum. Affectus noxios experiri ſedatiores. Illud autem colligi poteſt, intelligendo maiorũ deſideria in nobis iam eſſe remiſſiora, quàm fuerunt olim. Aduertendum etiam, num in victus ratione rigidiores nobis ipſis, an licẽtiâ nimiâ ſimus laxiores, in rebus gerendis, maturitate vtamur, an inconſulta temeritate. In anima enim, quam inhabitat Princeps pacis, Dominus IESVS, non tumultuantur carnis paſſiones; ſed ſi exurgant, dicit ille, Tace, & obmuteſce; fitque tranquillitas: diſpellit, vt ſol, caliginem, & nubes diſſipat animæ noſtræ.

IESVS ſedat tempeſtates animi.

11 Imitari quæ in aliis admiramur. Vndecimum argumentum eſt, ſi mox imitari conemur, quod nobis eſt admirationi, ſeduloque probatur. Sic Themiſtoclem Miltiadis trophæa excitabant O quot ſunt, qui Sanctorum hæc & illa dicunt; & quę in iis laudant patientię, humilitatis & abiectionis opera, in ſe factis vituperãt? Quid ſi Seneca Vnigenitum, qui eſt in ſinu Patris, audiſſet,

Confundit Philoſophus Chriſtianos.

quæ

quæ geſſit ille pro nobis, quæ paſſus, inquam, pro nobis; ſi attendiſſet verbum illud: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis: verbum penetrabilius omni gladio ancipiti?

Duodecimum. Iam ſi libeat, ait, præter ea, quæ recenſuimus indicia profectus, & hoc, non parui momenti, adiungas velim: Ne quis peccatum aliquod reputet exiguum, ſed ſollicitè quoduis caueat atque deuitet: vt enim qui ſe diuites fore deſperant, impendia exigua flocci pendunt, nihil magni efficere illa credẽtes ſi tenui aceruo acceſſerint (at ſpes diteſcendi nihil negligit, quantumcumque exigui lucelli; eoque magis auget æris appetentiam, quo propiùs admotæ fuerunt opes) Sic haud dubiè vſu venit in negotiis per virtutem gerendis: non enim illic locum habet indulgentia, vt dicas: Hoc perpuſilli momẽti eſt ad illud. Nónne idem Spiritus ſanctus clarè nobis explicauit, dicens: Qui ſpernit modica, paulatim decidet? *12. Peccata & defectus paruos vitare.* *Eccli. 19.*

Dignatus es, vt ſup. p. 10.

IACULATORIÆ.

IN toto corde meo exquiſiui te; ne repellas me à mandatis tuis. Pſal. 118.
Viam veritatis elegi, iudicia tua non ſum oblitus. Ibidem.
Ecce concupiui mandata tua, in æquitate tua viuifica me. Ibidem.

CAPVT VI.

Exercitium ſeu deliberatio de pia ac frequenti Communione.

HOMO. O Sapientia æterna, ô lumen mentis, quàm variis ſententiis & exemplis diſtrahor! neque ſatis poſſum conſtituere cum animo meo, quid expediat; vtrùm crebrò hæc Sacramenta vſurpare, an reuerenter rariùs ad illa accedere. Inuitat me vehementer certè benignitas & humanitas tua, Domine IESV, qui ad magnum hoc conuiuium vocare dignatus es etiam claudos, cæcos, & debiles & peccatores, quorum primus ego ſum. Obſecro te igitur, vt, ſi diuinæ voluntati tuæ id magis placeat, concedas mihi gratiam, quâ ſæpiùs ad ſacram hanc cœnam, cæleſte epulum accedam, & tibi qui es ſalus mea vnica, coniungar. *Luc. 14.*

CHRISTVS. Fili mi, Ego deſcendi de cælo, vt panem *Ioan. 6.*

illum cæleſtem omnibus, & nominatim tibi proponerem, vt qui manducaret hunc, veueret in æternum. Ego quotidie in Miſſæ ſacrificio memoriale completum eſſe volui paſſionis, & amoris mei erga te;& ego volui in ara crucis amoris igne vri, ut eſſem tibi dulcis panis, & acceptus, & omne in me delectamentum haberes, quid ergo formidas accedere ad me, Patrem & conſolatorem tuum & medicum, quando ego clamo; Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis; bibite, & inebriamini, cariſſimi, imò minas intento ex infinita charitate dicens: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.

Proverb. 9.

Ha cine vera, vt ſup. p. 7.

Pſ. 110.

HOMO. O benigniſſime IESV, quantam memoriam hic facis mirabilium tuorum, miſericors, & miſerator Dominus, vt talem eſcam des timentibus te; Quid enim eſt homo, & quid obſecro ſum ego, vt digneris me vocare, & mecum epulari, & ingredi ad me, & manſionem apud me facere? Quæ non bona illi obuenire debent, ad quem diuertere dignaris? quæ gratiæ in eum non deriuari, à te fonte omnis bonitatis? Exiſtimo certè, eos, qui toties pane cæleſti deuotè paſcuntur, cæleſtes euadere debere, & vnum tecum fieri.

Ioan. 6.

CHRISTVS. Viuunt & manent illi in me, & ego in illis; ſi quoad humanitus poſſunt, ſeſe præparent ad hoc conuiuium, in quo ego ſumor, & recolitur memoria paſſionis meæ. Sed cibus ſum grandium; creſce etiam tu, & manduca me; nec tu me mutabis in te, ſicut cibum carnis tuæ; ſed tu mutaberis in me, & particeps eris omnium timentium me. *Credo tibi,* vt ſup. p. 7.

Aug. lib. 10 Con. c. 10.

HOMO. Credo, Domine, quia, cùm ſis potentiſſimus & liberaliſſimus, non potes introire ad nos, & non effundere munera gratiæ tuæ: non poteſt quis accedere ad te, fontem vitæ, & ſitire fluenta fœtida mundi huius; animæ, cui licet bibere ex calice tuo verè præclaro, non libet bibere de calice dæmoniorum.

CHRI-

Christvs. Ita gratiâ meâ efficere ſoleo. ſed ſunt qui panem meum, qui præbet delicias regibus, hodie comedunt, & mox ad ſiliquas porcorum cum filio prodigo redeunt, iſtis certè ſæpè fiunt nouiſſima peiora prioribus. Iubeor enim cedere dæmonibus locum meum, id eſt, animam, quam mihi emi pretio magno, vt glorificarer & portarer in eâ, deliciæ enim meæ ſunt eſſe cum filiis hominum. *Hæccine vera*, vt ſup. pag 7.

Gen. 49.

Indignè communicans quid agat.

Prouerb. 8

Homo. Vereor, Domine, accedere, ne theſaurizem mihi iram in die iræ; quia fragilis & miſer homo ego ſum, neque poſſum reſiſtere aduerſariis meis.

Rom. 2. *Chryſo. ho-* 61, *ad pop. Antioch.*

Christvs. Ad hoc paraui in conſpectu tuo hanc menſam, aduerſus eos qui tribulant te. Nam qui me deuotè ſuſcipiunt, tanquam leones ignem ſpirantes ab hac menſa recedunt, diabolo terribiles, neque difficile proinde eſt volenti, reſiſtere. Si quis enim aduertat me ſecum eſſe, nónne cum Dauide dicere poterit; Si conſiſtant aduersùm me caſtra, non timebit cor meum? Pone me iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me. Nullum certè efficacius remedium aduersus omnes tentationes, maximè carnis, cuius ſunt iacula ignita, & cũ qua anceps ſemper pugna; cupiditas verò radix omnium malorum minuitur, quia ego ſolus ſatio animam me eſurientem bonis, & diuites dimitto inanes. voluptatis omnis ardor, imò ſæpè etiã ſenſus reſtinguitur, quia præbeo iis verè panem, omne delectamentum in ſe habentem. Verè enim dixit Propheta meus: Quid enim eſt bonum eius, & quid pulcrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?

Tentationi facile reſiſtere eſt.

Pſalm. 16.

Iob 17.

Sap. 16.

Zach 9.

Credo tibi, vt ſup. pag. 7.

Homo. Verùm tot humanarum rerum occupationes nos diſtrahunt, neque volentes accedere ſinunt ad te: ſed turbamur erga plurima, cùm verò in pace ſit factus locus tuus; gratum tibi obſequium eſſe non poteſt corde animoque vago, & vix cum veſte nuptiali, venire ad te Regem regum, & Dominum dominantium.

Pſalm. 75.

1.Cor.11. CHRISTVS. Probare ſeipſum omninò debet homo, & ſic de pane meo comedere, & de calice bibere: qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. ſed vide, an non tanti ſit hoc donum meum, vt ſe paret quiſque & probet. Verùm hæc probatio hoc ſolùm omninò exigit, vt immunis ſis à grauioribus peccatis, & quoad humana poteſt fragilitas, pares te ad tantum hoſpitem, tantumque conuiuium. Neque poteſt mihi quidquam eſſe magis ingratum, quàm has audire excuſationes, quas adeò manifeſtè damnaui: Villam emi & iuga boum, & vxorẽ duxi, & ideò non poſſum venire. triſte mihi eſt, omnibus me poſtponi; & indignitas ſumma, nihil eſſe apud aliquos quod minore curâ ac ſollicitudine peragatur, quàm accedere ad menſam meam, & panem comedere Angelorum. Negotiis omnibus tempus tribuitur & largitur; cur ergo in omnium negotiorum maximo tibi tempus deficit? cur properatur & feſtinatur ad forum, ad commercia, ad fabulas, ad iocos, ad ludos? immò, etiamſi ad proximum iuuandum eatur, niſi neceſſitas aut obedientia vrgeat, irreuerentia magna eſt, mox hoſpitem me deſerere: me, qui de ſummo cælorum veni, vt cibem, vt reficiam, vt ſanem, vt me totum tribuam. ſiccine ſeſe hoſpites haberi vellent? eâ beneuolentia accipi? ea inurbanitate derelinqui? Tune ſuaderes amico tuo, vt cum tot bona veniant mecum; tot mala diſſipem præſentia mea; tam dulce mihi ſit vobiſcum eſſe vſque ad conſummationem ſæculi; tam triſte videre menſam meam vacuam & deſpectam: vt raro accederet ad me Dominum ac Deum ſuum? At negotia habet: quod maius quàm me ſuſcipere? prudentia indiget: quid vtilius, quàm vt me, qui ſum Sapientia æterna, ſecum habeat magni conſilij Angelum? robore indiget; nónne ego ſum fortitudo veſtra? nónne ego operor omnia in omnibus? imò hic eſt panis de cælo, vt ſi quis ex eo manducauerit, non moriatur. nec enim ſolùm

Lucæ 14.
Excuſatio à Communione eſt Deo ingrata.

IESVS hoſpes non deſerendus.

Communio negotium grauiſſimũ.
Ioan. 6.

Effectus SS. Sacramenti.

lùm hîc peccata præterita condono; ſed præſeruo à futuris, & applico homini merita mea. Hæc ſanè cauſſa eſt, cur ſapientia mundi, quæ ſtultitia eſt, ſeipſam decipiat: ſine me itur ad prælia, ſine me conſilium initur. verùm ego Dominus exercituum: ego ſolus diſſipo ſapientiam ſapientum iſtorum, & conſilium impiorum non adiuuo. Non ſic faciebat Moſes ſeruus meus qui ducere populum, etſi iuſſus à me, noluit niſi præcederem caſtra, & dux itineris eſſem, in conſpectu eius. Si ergo abſque me non eſt conſilium, non eſt potentia, non prudentia: nónne qui me derelinquunt, derelinquentur à me, & non proſperabitur via eorum?

Iſaiæ 23.

Cur ſæpè mali ſucceſſus in humanis rebus

Aſpir.4, vt ſup. p. *Hæccine firmâ fide*, ibid.

HOMO Quando ad vitæ terminum venerimus, meritò timere debemus, ne nos viſere recuſes, Redemptor noſter, ſi ſani ad te venire noluimus. Forſitan & iuſtâ hâc animaduerſione punitur peccator, vt qui te ſuſcipere noluit ſanus, deploratus, & ab omnibus deſertus, à te etiam derelinquatur, auerte hoc à me, ô ſpes mea vnica JESV.

CHRISTVS Nónne id meritò quandoque facio toties repulſam paſſus? quot enim concionatores, ſerui, & præcones mei, inuitant eiuſmodi ad me? & tamen, quàm multi durâ ceruice, & incircumciſis cordibus Spiritui ſancto, & bonis inſpirationibus reſiſtunt! Sto, & pulſo, & deſiderio deſidero paſcha manducare cum eis: & ecce quia ſimul inuitat caro, inuitat mundus, ſæpè contemnor, & vix tandem admittor, admiſſum mox rurſum expellor. quid tu ad hæc? Quid, cum ad iudicium veneris, reſpondebis, ô miſer homo? Quando improberabo & exprobrabo tibi hanc ingratitudinem tuam, & quæram ex te, Quare dereliquiſti me fontem aquæ viuæ? Quid nocui, aut in quo moleſtus fui? numquid inuitaui & dixi: Venite & bibite, & emite abſque argento, abſque vlla commutatione vinum & lac? Cur ergo toties cœnam meam es aſpernatus? Ego te paui

Lucæ 22.

Exprobratio Chriſti in iudicio.

ſanguine & carne meâ; amplexus te fui, & oſculum pacis dedi; imò tradidi me tibi, & crebrò id facere paratus fui. An ob bonitatem meam, & malitiam tuam, tibi factus ſum ita vilis, & ideò aut contempſiſti me, aut neglecticia me ſuſcepiſti, & mox abiiſti vagus in viam deſideriorum tuorum? An forſan aliud quod agas tibi eſt, quàm vt mihi placeas? me quæras in toto corde tuo? quæras dum inueniri poſſum? Quâ fronte venies vt recipiam te in æterna mea tabernacula? qui ſæpiùs hoſtes capitales tuos ac meos, quàm me, hoſpitio non tantùm accepiſti, ſed maximo diſcrimine aduocaſti? quóties vt peccatum perpetrares, & admitteres in te, multa toleraſti; me vero ſolio meo, templo meo quod eſtis vos, excluſiſti? & iam vis habere partem mecum, mecum epulari?

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ*, ibid.

Psalm. 16. HOMO. O quoties in æternitate dolebo, ſi te vti debeo, Deum ac Dominum meum non recepero, ſed repulero, aut frigidè ſuſcepero, quomodo poſtulare potero vt intrem regnum tuum, ſi tibi clauſero cor meum, vt illud aperirem hoſti aut vanitati? erubeſco totus dum cogitó, Domine Deus meus, immenſam charitatem tuam quâ exultas vt gigas ad currendam viam, vt è ſummo cœlorum deſcendas ad manus & nutum Sacerdotum, vt venias ad me, & ego ad te, vt te

Cant. 3. fruar. Quid dicam? Erubeſco, quòd ſæpiſſimè audierim in auribus cordis mei vocem tuam: Aperi mihi ſoror mea, ſponſa; caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Et rurſum: Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi

Apoc. 5. ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum? *Haccina vera*, vt ſup. p. 7.

Sanctorum in Cõmunione feruor. CHRISTVS. Attende inſuper Sanctos meos, quot vigiliis, quot precibus, quot ſuſpiriis parabant viam ante me; ſi comedebant, ſi bibebant, fluebant illis lacrymæ, & potum ſuum cum fletu miſcebant, quòd

Pſ. 101. qui

qui panem Angelorum manducarent, ſi li quis cogerentur veſci porcorum, erat illis omnis mora longa, quâ à menſa mea abeſſe cogebantur: erat omnis mora breuis, & labor leuis, quando præparabant ardenter mihi cor ſuum, & cum gaudio edebant & bibebant ſuper menſam meam.

Homo. Heu mihi, Domine, heu miſero mihi! cur me non amor tuus ſtimulat, non vrget fames, & nuditas, & vulnera, & pericula mea. Eheu! quot ſumus qui ad te imus fortè quia compellit fama, prouocat conſuetudo; & interius nauſeat anima ſuper manna iſto ſuauiſſimo? Eheu! hinc paſtus carne tuâ, ſuſpiro ad ollas carnium; potatus ſanguine tuo, cogito de Babylonis poculo; iam recreata amplexu tuo, properat fornicari anima cum amatoribus multis, inquieta, & vaga. Quò imus, precor; à facie tua, Domine? quare deſerimus te, ſalus noſtra; obliuiſcimur tui, Jesv, & infinitæ charitatis tuæ; nónne nobis tibi adhærere bonum, & in pace altâ guſtare, quàm ſuauis ſis; intrare ſic ad altare tuum, ad te, qui renouas iuuentutem noſtram; in te manere, & te in nobis? Dixiſti enim: & nónne veriſſimè; Qui manducat meam carnem, & bibit *Ioan.6.* meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo? O dulciſſimum verbum! tu in me, & ego in te! O quanta dignatio! tu in me, & ego in té! O quantus amor! tu in me vili ſterquilinio, & ego in te ſummo bono! O qualis commutatio! tu in me, & ego in te! quid vltrà petere aut ſperare poſſum? viſitas nos certè in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum. *Pſal.105.*

Cant.8.

Pone te, Domine mi, ſicut ſignaculum ſuper cor meum, ſicut ſignaculum ſuper brachium meum. Memoriâ memor ero tui, & in æternum non declinabo à mandatis tuis. Traxiſti me funiculis Adæ, in vinculis *Oſeæ 11.* charitatis. Quis me ſeparabit à charitate tua; quis me vltrà morabitur, ne vocatus ad nuptias veniá; aut ſitiens

ad ſontem; aut prodigus, ad patrem; infirmus, ad medicum; aut ſponſa, ad ſponſum, & deſiderium animæ meæ? Ne, precor, deſpicias me, ne reſpuas me iuſto iudicio tuo, ſed ſi moram feci, ſi rariùs veni ad te, ſi tardiùs aperui tibi, ſi oblitus fui comedere panem meum, per gratiam tuam, ne quaquam vltrà iam faciam: ſed frequenter & reuerenter apparebo in conſpectu tuo, &

Cant. 5. ſcio pro benignitate tua, nec vacuus gratia redibo; ſed manus tuæ diſtillabunt myrrham primam, mortificationes, & cor meum loquetur tibi, & adhæreſcet anima mea poſt te, & me ſuſcipiet dextera tua, & dabis mihi has petitiones cordis mei, Amen.

Exercitium pro Communione.

Sap. 12. *O Quàm ſuauis eſt, Domine, ſpiritus tuus, qui, vt dulcedinem tuam in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cælo præſtito, eſurientes reples bonis, & faſtidioſos diuites dimittis inanes! hic ſiſto & obſtupeſco veráne ſunt hæc? reſpice, quæſo in me: verè enim ego mendicus ſum & pauper,*

Pſal. 39. *Domine, tu, quæſo, ſollicitus ſis mei: vt guſtare poſſim & videre, quàm ſuauis ſis; & nunquam nauſeare ſuper Angelorum pane, in quo eſt omne oblectamentum, & omne miſerorum ſolatium. Tu enim dixiſti & es veritas, Deus meus, nec falli potes. Vileſcant iam mihi omnia, & amara ſint, propter dulcedinem tuam, quam hîc abſcondiſti timentibus te. Ecce cum fiduciâ pauper, miſer, & cæcus, accedam ad te, & nónne illuminabis me, ô lux vera, quæ illuminas omnem hominem? Accedā ad te frigidus & ſtupens, & ſpero accendes me, & ignem mittes in oſſibus meis, vt luceat lux mea coram hominibus, & videant opera mea, & glorificent te Patrem meum,*

Matth. 5. *qui in cælis es: turpe enim eſt valde mihi & tibi dulciſſime IESV, toties paſci me pane Angelorum, & cum ſæcularibus, & iis qui te ignorant, tam auidè veſci ſiliquis porcorum. Nónne mutari omnes deberemus in te, & Angelorum vitam viuere; qui Angelorum paſcimur cibo, & frumento electorum? O quando inebriabor ab vbertate domus tuæ!*

O quan-

O quando lætificabitur cor meum in vino, quod tu, amantiſsime Domine, expreßiſti, & torcular calcaſti ſolus! Quando reddam me totum tibi? & totus ero totus qui te toties totum mihi tribuis? & cùm digneris eſſe cibus meus, & delectatio mea: cur vltrà quæram bibere de calice Babylonis, & delectari in vanitate mundi huius? Túne mihi panem præbes, carnem tuam, vt viuam de te? nihil ergò cupio extra te: ſed credo, Domine, & ſpero, quòd qui manducat hunc panem, viuet in æternũ. ſpero quòd manebo in te, & tu in me, & quòd reſuſcitabis me in nouißimo die. Túne mihi calicẽ præbes, calicem ſalutarem? da, quæſo, per gratiam tuã, vt digne bibam illum, & ſatier cùm apparuerit gloria tua. Ioan. 6.

O quàm præclarus calix iſte! quam religioſa eſt huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retrò ſunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes ſenſum mundi huius, ſed diuitis purpurati delicias contemnentes cruci hæremus, ſanguinem ſugimus, & intra ipſa tua, ô Saluator, vulnera figimus linguam, quo interiùs exteriùſque rubricati, à ſapientibus huius ſæculi iudicamur amentes, qui religionis huius abhorrentes mandatum vſque hodie retrò abeunt, & à ſecretis diuinis, omnium intra ſe myſteriorum continentibus ſummam, diffugiunt & recedunt. Qui manducat ex hoc pane, vltrà non eſurit, qui bibit, vltrà non ſitit, quoniam myſterij huius ſic ſufficit gratia, ſic reficit intelligentia, vt cuicumque tantæ rei innotuerit plenitudo, omnis conſummationis fine inuento, te, ô Domine, ferat in pectore, teipſum ferat in mente & omni tempore habitatori ſuo dicta & facta iubilatione conſonâ laudes reſonent, & gratiarum actiones decantet. Cyprianus epiſt. 54.

Hæccine vera. *vt ſup. pag. 7.*

Praxis ad piè communicandum.

PRIMA. Conſideratè ſtatuere, frequenter, vt minimùm ſingulis menſibus, communicare, iudiciumq́ue Confeſſarij ſuper eo exquirere, eiq́ue humiliter acquieſcere. Ille ſtatus profectuſq́ue rationẽ habebit; de quo difficile iudicare eſt. Semel in hebdomade feruenter Deo ſeruientibus ſufficit; quod S. Pachomij diſcipulis Angelus preſcripſit, & in variis Ordinibus Spiritus ſanctus inſtituit: ſæpiùs tamẽ etiam licet, et que vtile eſt, quia Domino IESV gratum ſæpiùs ſe inuitari, vel ſe inuitantẽ à filiis viſitari. Certè viaticum *Quoties cuique ſit communicandum.*

ticum optimum eſt in viâ hæc communio, antidotum, præſidium, lucrum.

Communionis ſpiritualis vtilitas. Secunda. Quotidie ſpiritualiter in Sacro communicare, & hoc pacto ad ſacramentalem communionem ſeſe præparare. Neque hoc ſolùm, ſed magis quotidianis mortificationis exercitiis, & diligenti cura ſpiritualis profectus. Humilitas optima diſpoſitio, quâ quis ſeſe indignũ æſtimat; & vera ac ſincera charitas; nihil enim æquè repugnat, ac vel minima à proximo auerſio, propter quem etiam debemus animas ponere.

Auerſio à proximo officit cõmunicanti

Tertia. Quotieſcumque negotium arduũ eſt, ſubſidiũ & ſolatiũ hinc, petere, idque publicè potiùs, quàm priuatim vt omnes agnoſcãt nos (non vt Ethnici) fidere viribus, aut induſtriæ, ſed leuare oculos in montes, ad cælum, vnde veniet auxilium nobis.

Pſal. 120. *Ante ſuſceptionem negotii cõmunicandum.*

Quarta. famulos, & fidei noſtræ commiſſos exemplo & exhortatione ad piam, hanc conſuetudinem inducere; immò illos etiam hac conditione conducere.

Quinta. diligenter ſe ad communionem præparare, & poſt eam ſeſe conſeruare in deuotione, ac bibere de fontibus Saluatoris, inſtaurare vires vt cibo optimo.

Communicantes crebrò & malè. Obſerua. Primò, extrema hîc vitanda: ſunt qui peccatis irretiti & immerſi, hæc ſacroſancta myſteria crebrò etiam adire optant; neque tamen vitam corrigunt: ſed eam hoc velamine tegunt, ac ſibi blandiuntur. De quibus illud Apoſtoli dicere licet; idcirco eos dormire, & indormire peccatis, quia non ſatis ſe probant, nec diiudicant corpus Domini. Alii non ſunt quidẽ grauioribus implicati peccatis, ſed inueteratis inhærent imperfectionibus, neque conantur ſe vincere; & tamen, ne aliis inferiores videantur, ſæpè ad ſacram Synaxim accedere contendunt: dicique illis poteſt; Comediſtis, & non eſtis ſatiati; bibiſtis, & non eſtis inebriati. Si quis diſſuadeat, queruli, importuni. Vtinam eiuſmodi, & qui quotidie celebrant ſacerdotes (aut certè deberent crebrò) aduerterent fructum, quẽ colligunt, & metirentur profectum ab annis aliquot, quanto humiliores, magis patientes, reſignati, quieti, facilè deprehenderent ambitionis hæc deſideria eſſe potiùs, quàm deuotionis. Cùm inuitatus fueris ad nuptias, aiebat Dominus, vade & recumbe in nouiſſimo loco: hi verò cum primis volunt, & murmurant impudenter, ſi per famulos ſuos Dominus eos iubeat nouiſſimum locum tenere. Magna certè potentia Dei ſolius, & ab humilibus ſolis honoratur!

1. Cor. 11. *Aggæi 1.* *Lucæ 14.* *Conſidera quem fructum ex Cõmunione facias.*

Communicantes rarò Obſerua Secundò, aliud eſſe genus qui neſcio quâ reuerentiâ Domino moleſtâ, ſibi inutili, venire recuſãt inui-

tat

tati & moniti, quòd defectibus pleni ſint & negotiis. Veruntamen certum eſt non ſatisfieri debitis tempore, ſed re: & optandum, vt hi videant an tempore magis præparentur; an verò mundi magis ſint, quo diutiùs differunt, & peccata coaceruant; an magis deuoti poſtquam pluribus & peccatis & negotiis immerſi fuerint. An magis videtur propinquus eſſe ſaluti, qui medicum diu fugit cùm æger eſſet, exſpectauitque donec malum inueteratum foret? an debitor qui ſinit vſuras vſurarum excreſcere, magis ſoluendo fit? ſanè, vt ſuprà dictum, præſtat in negotiis humiliter auxiliũ flagitare per ſacrã communionẽ. quàm abſque ea ſibi præſidere: humiliter ad Deum inuitantem dulciſſimis his verbis: Venite, ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: Venite, comedite panẽ meum & bibite vinum quod miſcui vobis; etiã debiles & claudos accedere; quàm ruſticâ verecundiâ retrocedere. ita tamẽ, vt quantùm res patitur, preparatio fiat tanto hoſpiti: quo ſuſcepto, nihil opus ab aliis negotiis feriari, ſed à malo; ſufficitque ambulare in conſpectu eius, & currere in viam mandatorũ. Audiamus ergò Damaſcenũ, & purâ conſcientiâ, fideque haud quaquam dubia accedamus; ac profectò, ait, ſic nobis fiet, quemadmodũ firmè ac conſtanter credimus. Ipſum porro omni puritate colamus, hoc eſt, ſpirituali, & corporeâ; ſiquidem duplex ipſe eſt. Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibuſque in crucis formam compoſitis, crucifixi corpus ſuſcipiamus, atque oculis & labiis, & frontibus impoſitis, diuini carbonis participes efficiamur, vt ignis deſiderij in nobis inſiti, aſſumptâ eâ, quæ ex carbone oritur, inflammatione, peccata noſtra exurat, ac pectora noſtra colluſtret: demuſque operam vt per diuini ignis perceptionem inardeſcamus, diique efficiamur, &c.

Communicantes rarò & male.

Differre non præparat.

In negotijs petendum auxlium.

Matth. 11.

Prou. 9.

Damaſ. de orthodoxa fide l. 4. c. 14.

Adhortatio ad Communionem elegans.

Dingatus es, vt ſup, p. 10.

JACVLATORIÆ.

MEmoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus ſe. Pſal. 110.

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra? Pſ. 112.

Quam bonus Iſraël Deus, his qui recto ſunt corde! Pſ. 72.

Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum. Pſ. 62.

CAPVT

CAPVT VII.

Meditatio de Sacerdotis officio, ſubſeruiens etiam Sacroſanctæ communioni.

1 Pet.2. Omnes Chriſtiani ſpirituales ſunt Sacerdotes.

NOTA hoc exercitium propriè videri eſſe pro Sacerdotibus: ſed cùm omnes Chriſtiani eius munere fungantur ſpiritualiter, iuxtà illud D. Petri: Vos eſtis gens ſancta, Regale ſacerdotium, ad omnes etiam pertinet. Immò & in Canone, idcirco Sacerdos ait: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. Quia tamen aliqua non ita commodè omnibus tribuuntur, ideò diuerſo charactere, ea poſita, quæ non ſunt omnibus communia.

Nota.

PRAELVDIVM I. Compoſitio loci: Conſtitue te coràm Deo vnà cum vniuerſo hominum genere, eorumque multitudine innumerabili, vt eſt arena in littore maris.

PRAELVDIVM II. Pete humillimè gratiam, vt ſcias quod ſit officium Sacerdotis vel communicantis, & exequaris.

PVNCTVM I. Conſidera Primò ſummam Chriſti IESV in nos charitatem; quâ vult omnia nobis ſua eſſe communia. qui enim nobis ſeipſum; nónne omnia ſecum donauit? Dedit ſe tibi: & quis es tu? vapor & nihilum dedit tibi, Quis; ille Deus: ſe tibi; & non dabis te Deo tuo? ſe dedit, & vt ſic loquar, ſubiecit ſe poteſtati tuæ, vt quoties voluerit homo, ſiſtat ſe. Et quorſum, Domine IESV? quorſum? vt ſis mihi in cibum & potum, in medicinam, ſolatium, refrigerium. Prætereà vt tu regnum ſis illi, Rex enim ipſe eſt, & in hoc natus eſt, & vt Sacerdotium communicet animæ tuæ. Ipſe enim Sacerdos eſt ſecundùm ordinem Melchiſedech. Itaque munda illi templum cordis tui, & fac vt in altari illius ſemper viuat charitas ignis eius, & requieſcat in eo pax illius.

Rom.8. *Iacob.4.*

Con-

Conſidera verò tu, ô Sacerdos, coram Deo vniuerſum vt dixi genus hominum; & obſerua, vt ſingulis ſua munia Rex ſummus, Dominus, & Paterfamilias tribuat: ſummum autem inter ea eſſe ſacerdotium. Primò, reſpectu populi: Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis. Secundò, reſpectu Dei: quia cùm alii circa alia verſentur, Sacerdotes circa perſonam Regis ſummi; quam quotidie veſtiunt ſpeciebus ſacramentalibus, deferunt ac diſtribuunt. Vide quanta dignitas Sacerdotum! Hinc viri ſancti, vt Antonius, manus Sacerdotum deoſculari cupiebant, S. Franciſcus priùs illos, quàm Angelum venerari; Conſtantinus in Concilio, non niſi iuberetur, conſidere; S. Catharina Senenſis eorum veſtigia deoſculari ſolebat: & in veteri teſtamento, ſumma illis reuerentia, vt ab Abrahamo Melchiſedech, & ſumma priuilegia deferebantur; adeò, vt etiam morte moreretur, qui obedire nollet ſacerdotis imperio. O Rex regum & Domine dominantium, quanto te amore ac honore proſequi debemus; qui de ſtercore elegiſti nos, vt collocares cum principibus populi tui! Quàm vereri debemus, ne qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe cernimur à te, auctore mundi, grauiùs inde iudicemur! ô quàm triſte tibi accidit eſſe multos, qui neſciunt te Dominum, neque officium Sacerdotale, Regale Sacerdotium; & quos dignatus es menſâ tuâ & viſitatione, vendere in taberna huius mundi, non pro pulte vt Eſau, ſed pro hauſtu vno fœdæ voluptatis primogenita ſua, & animam ſuam gratis venundare ſub peccato: immò & te primogenitū noſtrum è multis fratribus, pro fimo, pro ſtercore, omnia enim verè arbitratus eſt Apoſtolus tuus vt ſtercora. Meritò mandaſti in lege tua, vt qui altari ſeruiunt, vinum & ſiceram non bibant: vinum ſcilicet in quo luxuria, vt bibant te IESV amantiſſime, vinum germinans virgines.

Sacerdotij dignitas. *Hebr. 5.* *Deut. 17.* *Greg. hom. 9. in Euan.* *Gen. 25.* *Rom. 8.* *Philip. 3.* *Iudic. 13.*

Conſidera ô anima ſponſa Chriſti, felicitatem tuam, & vide quanti te faciat veniendo ad te Chriſtus IESVS: facit certè Arcam teſtamenti, ſiquidem eſt in te velut throno ſuo; immò deliciæ eius ſunt eſſe tecum, & colloqui. In arca erat Manna, quid verò melius eſſe poteſt quàm ipſe? Patres enim noſtri manducauerũt Manna, & mortui ſunt; qui autem manducat hunc panem, viuet in æternum. Arca autem fœderis es; quæ enim arrha maior, promiſſio maior eſſe poteſt, quàm ſi tradat tibi ſe Dominus IESVS tuus? Ergo fac obſecro, Domine, vt ſim arca ex lignis imputribilibus, & auro mundo charitatis veſtita. Et vt ſicut B. Virgo Mater tua, cui aliquâ ratione aſſimilor dum te ſuſcipio, inueniam gratiam in oculis tuis.

Communicans eſt velut arca.

Communicans B.V. ſimilis.

PVNCTVM II. Conſidera, ô Sacerdos, dignitatem tuam, quibuſque comparari ob munus illud poſſis, vt diſcas non ſuperbire, ſed honorificare miniſterium tuum. Comparari Sacerdotes poſſunt, & tu potes 1. veteris teſtamenti Prophetis; per quos Dominus conſulebatur & loquebatur. Secundò, ſancto Ioanni Baptiſtæ, qui præcurſor Domini eum ſemel tetigit & abluit; cùm Sacerdos quotidie conſecret, contrectet eum eoque paſcatur. Tertiò Angelis; quia ſicut hi Loth de Sodoma, Iſraëlitas per deſertum duxerunt, Eliæ panes tulerunt: ita Sacerdotes ſpiritualiter facere oportet: Labia Sacerdotis, inquit Malachias, cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: Angelus enim Domini exercituum eſt. Quod ſi ita eſt, & ſacerdotale cor, vt Gregor. arca teſtamenti, in quo ſpiritualis doctrina videtur, & procul dubio tabulæ legis iacent: ſi, vt Hieron. Dei & hominum ſequeſtei eſt, eiuſque ad populum nuntiat voluntatem; nónne, ſi ignorat legem, ipſe ſe arguit non dignè eſſe ſe ſacerdotem? ſi verò non faciat, cùm ſciat, ex ore ſuo ſe iudicat? Quartò, comparatur Moyſi; quia educunt populum de Ægypti, id eſt peccati, ſeruitute, & præeunt exemplo. Quid igitur? an non

Deut. 17. Num. 18. Sacerdos Prophetis & Moyſi & S. Ioanni, & Angelis comparatur.

Malach. 2.

Gregor. Hieron.

non iudicium ſeueriſſimum fiet, ſi quis verbis prædicet voluntatem Dei, & non faciat? & pœnitentiam, patientiam, charitatem, & humilitatem, & factis contraria faciat? Quintò, B. Virgini etiam aliquâ ratione aſſimilantur; quia inter manus Sacerdotis quotidie Verbum caro fit: imò Sextò, diuinitas aliqua eſt hæc dignitas. vnde dicitur: Ego dixi, Dii eſtis: Diis non detrahes, & iterum: Afferre Domino filii Dei, afferte. Domino filios arietum. Hos iam non ſacrificat Sacerdos, ſed filium Dei. Vide obſecro, quàm dignè has perſonas ſuſtineas, videamus, frater mi, ne nos quibus dictum eſt, Dii eſtis, audire cogamur: Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis. O dulciſſime IESV, quid retribuemus tibi pro omnibus quæ retribuiſti nobis? Túne dignaris per nos ſacrificium offerre, peccata dimittere, amicos appellare, cælum aliis aperire, & ob ingratitudinem noſtram claudetur illud nobis? O mira diuinæ bonitatis dignatio! ſerui digni non ſumus, & amici vocamur, & per hanc amicitiam vis omnia nobis communia: quæcumque enim audiuiſti à Patre, nobis nota feciſti; & dixiſti: Diſpono vobis ſicut diſpoſuit mihi Pater meus, regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam. O ſanguineis digna res lacrymis, quod ſæpè amici tui oſculo te tradant; qui edunt non pânes tuos, ſed te te quotidie; aluntur patrimonio tuo, & illud diſſipant; paſtores ſunt, & diſpergunt exemplo greges; amici dicuntur, & ſunt, qui alios exemplo ad inimicitias tecum prouocant; immò auertunt aliquando à te, & vix ſinunt ad amicitiam tuam vnquam redire.

Pſalm. 81. *Exod. 2.* *Pſalm. 28.* *Gratiarũ actio.* *Gregor.* *Ioan. 15.* *Lucæ 22.* *Sacerdos malus quid agat.*

PVNCTVM III. Conſidera, ô animâ, te eſſe templum Dei optimi maximi, & attende, an æqunm ſit vt ibi Dagon colatur, vt ibi Beelzebub adoretur, id eſt ſuperbia, auaritia, ambitio, luxuria regnet. Non regnet, ait Ille, peccatum in veſtro mortali corpore, non regnet, obſecro, in te, ô anima immortalis, mors & perditio.

Anima eſt templum Dei.

Conſidera, ô Sacerdos, tibi dictum illud Saluatoris: Vos eſtis ſal terræ: quòd ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? ad nihilum valet vltrà, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vide igitur qui à corruptione luxuriæ, auaritiæ, ſuperbiæ, alios ſeruare debes; quantoperè cauendum tibi ſit, ne infatueris & conculceris; & quo pacto id facturus ſis. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Quid dicam, Deus meus? cithara mea conuerſa eſt in luctum, & organum meum in vocem flentium. Multum enim datum eſt nobis: ſed cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendarunt multum, plus petent ab eo. Certè (de Sacerdotibus enim illud ſcriptum video, & exemplis probatum) impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cæleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, & prolapſi ſunt; rurſus renouari ad pœnitentiam; rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes. Nónne verò ita contingit tibi benigniſſime IESV, dum te audent illi aliquando cælo euocare, & tractare filium Virginis, qui paulò antè contrectârant membra meretricis? Neſcitis, quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergo membra Chriſti, facies membra meretricis? abſit. Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo; & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus; propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis, & ego recipiam vos.

Matt. 29. Ieremiæ 9. Iob. 30. Lucæ 12. Hebr. 6. 2. Cor. 6. 2. Cor. 6. Bellar. l. 2. de Gemitu Columbæ, c. 5. & 6.

Quantum Sacerdos diſtare moribus debeat à vulgo.

Conſidera Secundò, quantum debeat paſtor ab oue diſtare, dux à milite, Rex à cerdone, magiſter à diſcipulo; qui alium portat ab infimo; Angelus ab homine:

ne: & hoc tibi, ô Sacerdos, applica. Cogita, cur à plebe officio, fori priuilegio, & libertate vectigalium ſeparatus ſis. Nónne vt moribus etiam diſtes? vides, ait Ambroſius, in Sacerdote nihil plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum ſtudio atque vſu & moribus multitudinis? ſobriam à turbis grauitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vendicat ſacerdotalis. Quomodo poteſt obſeruari à populo, qui nihil habet ſeparatum à populo? Hieron. verò, vulgus, ait, indoctum in die iudicii, tanquam Gith, & cyminium corripietur virga & baculo; Sacerdotes autem magnis ſuppliciis torquebuntur. Appendit enim Dominus dona ſua, & talentorum vſuras repetit, & pondera ſanctuarii trutinat opera noſtra: niſi illa tantum diſtiterint à vulgo, quantum dignitate anteimus, tanquam minus habentia reiicientur.

Ambr. l. 1. epiſt. 6. ad Iren.

Hier. ſup. Iſaiæ 32.

Iudicium graue Sacerdoti.

PVNCTVM IV. Conſidera, ô anima, tibi dictum: Vos eſtis lux mundi, & licet id omnibus dictum, ſic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt; tamen id magis tibi, ad quem toties venit iuſtitiæ ſol. Quid enim turpius, quàm filium videri tenebrarum, quem ſol ille toties venit vt illuſtret?

Matth 6.

Quòd ſi verò id cuiuis animæ, quid tibi, ò Sacerdos, faciendum putas? Cogita, obſecro, mi frater, dum tempus eſt miſerendi, dum habes placabilem Dominum, cui enim maximè hoc dictum conuenit? nónne tibi? & vide quale, ô obſecro, lumen ſis. Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita. non poterit latere virtus tua, non poterit iniquitas tua. Cogita, obſecro te ſtatutum velut pharon nauigantibus hoc mare, & vide quæſo, vt non verbo, ſed opere luceas. O quantum tibi & mihi paratum iudicium, ſi exemplo in deuia & ſyrtes & charybdes animas ducamus? Quid putas faceret rex, ſi quis exaltatus ab illo de ſtercore, & miſſus, vt ad ſe populum conuertat, auerteret? vt ſibi

eum conciliet, ad ſeditionem contra ſe, ſeu peccatum exemplo prouocaret? Nos enim legatione fungimur pro Chriſto. Beati, ait Bernar. pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Conſidera, ait, non pacidicos, ſed pacificos commendari. Timeamus ergo vehementiſſimè, ait Gregor. fratres chariſſimi, & curemus vt conueniat actioni noſtræ ipſum miniſterium noſtrum. De peccatorum quotidie relaxatione cogitemus: Conſideremus ſine ceſſatione, quid ſumus. Sanè, ait Bernard. ſi altiorem, & non meliorem eſſe delectat, non præmium, ſed præcipitium expectamus.

Greg. hom. 17. in Euang.

1. Pet. 2.

PVNCTVM V. Conſidera an hæc tibi quadrent, ô anima, quæ toties Chriſti corpore paſceris, an electum ſis genus, & electa ex millibus, vt tibi toties ſe communicet fons omni boni; quantum præ aliis eum timeas, colas & ames. Electus erat populus vt peculiari cultu eum honoraret. 2. Attende an, quia es Regale Sacerdotium, verè Rege dignos mores habeas, & cui hominum, cui creaturæ ſeruias. Obſecro te, noli degener ſeruire ſeruitutem duram, quæ ad regna vocata es. Nunc verò te & me alloquor, ô Sacerdos, nos verè genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, qui nos de tenebris vocauit in admirabile lumen ſuum, dicito mihi, poterimúſne in die Domini nouiſſimo meritò audire: vos autem genus electum? An verò ſicut populus, ſic & Sacerdotes, leues, vani, & cupidi ſumus? An vt Reges animo noſtro moderamur? An gens ſumus ſancta? populus dignus qui ita acquireretur? tanti emeretur, id eſt ſanguine vnigeniti Filii Dei?

Anima iuſti Regnum habet.

Apoc. 1.

O IESV Redemptor mi, feciſti nos infinitâ dignatione tuâ & charitate Reges, & Sacerdotes Deo & Patri tuo. Et quorſum? ſcriptum video; vt annuntietis virtutes eius qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Eramus aliquando tenebræ, nunc autem lux in te, Domine IESV. Utinam ergo ſic luceat lux noſtra

ſtra coram hominibus, vt videant opera noſtra bona, & glorificent te, ô IESV, ſalus noſtra. Quòd ſi in lege veteri Sacerdos ſine maculâ eſſe debebat; nónne id multo magis in noua oportet? & non cæcum eſſe ignorantiâ, non claudum inconſtantiâ, vt ſic nos exiſtimet homo quaſi miniſtros Chriſti, vt diſpenſatores myſteriorum Dei. Et ad hoc, conſidera cærimonias veteris legis, quibus Sacerdos ſacris aptabatur. Primò: veſtibus ordinariis exuebatur: vt ſciamus & nos oportere deponere, ſecundùm priſtinam conuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundùm deſideria erroris. Inde albâ veſtiebatur, quâ puritas ſignificatur. Secundò Hyacinthinâ tunicâ; qua cæleſtis vita. Sacerdotes enim oportet verè poſſe dicere cum Apoſtolo, Noſtra conuerſatio in cælis eſt. Ex hac pendebant tintinnabula de auro puriſſimo, & inter hæc malogranata; quia incitare omnes exemplo ad pietatem debent. Deinde ornabatur rationali de auro, Hyacintho, purpurâ, coccoq; bis tincto & byſſo retortâ, opere polymitario, quod quatuor elementorum colores præferebat. vnde colligunt Doctores, ex hoc intelligendum; Sacerdotem velut Atlantem, totum mundum ſacrificiis & ſanctitate ſuſtinere debere. Hîc igitur attende quot toto orbe peccent; & periclitentur animæ; quibus tu ſacrificio adeſſe, ſi velis, potes, & charitatem ac zelum excita. Hoc indicabant lapides duodecim precioſi, in quibus erant nomina filiorum Iſraël poſita in rationali. quemadmodum & per verba Vrim & Thumim, id eſt doctrinam & veritatem, cum memorem reddebant, in his populo præire debere Sacerdotem. Si autem in figurâ tanta obſeruantia, quanta in veritate? In fronte habebat laminam de auro puriſſimo: ſcriptum in ea erat opere gemmario, Sanctum Domini: eratque hæc in fronte Sacerdotis, vt vita tota ſanctitatem præ ſe ferret. Sancti ergo ſimus Deo noſtro, & ſacerdotes Dei induamur iuſtitiam. Sanctus

Sacerdos debet eſſe ſine macula.

1. Cor. 4.

Cærimoniæ legis quæ.

Philip. 3.

Sacerdos quaſi Atlas.

Zelo ardere debet Sacerdos.

Chryſoſt. Eum, inquit, qui pro ciuitate tota; quid dico? pro ciuitate? immò verò pro vniuerſo orbe terrarum, legatus intercedit, deprecaturque, & apud Deum, vt hominum omnium, non viuentium modò, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat; qualem quæſo eſſe oportet? imputandum ergo timeamus nobis, ſi ſtare inter mortuos & viuentes, cum Aaron, & plagam orando auertere digni non ſimus, immò fortè prouocemus.

Sacerdos pro omnibus intercedit.

PVNCTVM VI. Conſidera, ô anima, quibus cæremoniis Dominus IESVS Sacerdotes noui teſtamenti creârit. Primò, pridie, quàm pateretur, ſummam omnium ſuorum operum, magnâ voluptate (quam indicat illud: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum) facere voluit, priuſquam opus redemptionis paſſione conſummaret, ſanguine ſignaret. Ingreſſus eſt cœnaculum grande ſtratum, precioſamque adhibuit (quæ etiamnum viſitur) ſupellectilem, vt exigebat myſterium, & ſurrexit æqualis Patri, à cœna, & ipſe ponit veſtimenta ſua, & proſtratus, ô dignatio ſumma! pedes lauit diſcipulorum; & exhortatus eſt eos ad humilitatem, charitatem, & omnimodam perfectionem. Vides quomodo ponere faſtum, pedes aliorum, & affectus erga terrena lauare debeas, id eſt, exemplo tuo homines à terrenis avocare, ô anima, quæ toties ad cæleſte conuiuium vocaris, quàm mundam te eſſe oporteat, quàm precioſa cordis tui vaſa offerre debeas.

Lucæ 22.
Inſtitutio Sacerdotis.
Ioan. 13.

Et verò, ô frater, ô Sacerdos, nos ad maiora vocati ſumus. Nónne ideò putas, poſtquam triennium in ſcholâ virtutis ſuos exercuiſſet Apoſtolos Dominus noſter IESVS, tum demum Sacerdotes ordinaſſe, & quidem in pectore illo decumbente Ioanne virgine? qui enim ad pectus IESV, ad ſacrificandum corpus eius accedere vult, & eſſe diſcipulus, quem tu Magiſter bone, dulciſſime IESV, diligas, virgo ſit oportet, & purus. Sanè ſi panes

nes propoſitiones in menſa aureâ ponebantur, immò *Exodi.25.*
etiam in clibano aureo(ita Lyranus) coquebantur; denique in auro puriſſimo ſeruabantur; quantâ hic puritate opus, quàm arctè renes conſtringendi? nihil enim tam aduerſarium filio virginis quàm impuritas, qui omnibus infirmitatibus noſtris ſe ſubjecit, de Virgine tamen naſci voluit. Quantum ergo ei diſplicet impuris animis ſuſcipi, pollutis manibus tractari, templum ſuum libidine violari? Neſcitis, ait Apoſtolus, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? ſi *2.Cor.6.*
quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Lauamini igitur,& mundi eſtote: mundamini qui fertis vaſa Domini; maximè, cùm etiam Ethnici *Iſaiæ 1.*
Sacerdotes venere, carnibus & vino abſtineant. Ad *Iſaiæ 52.*
quod meritò exclamat Auguſt. O grandis Chriſtianorum miſeria! ecce Pagani, doctores fidelium facti ſunt; *Auguſt.*
& peccatores ac meretrices præcedent nos in regno Dei. Illi certè, vt Niniuitæ ſurgent in iudicio, & condemnabunt noſtram inertiam & laſciuiam. Grauiùs *Matth.21.*
enim peccant indignè offerentes Chriſtum regnantem, *Auguſt.*
quàm qui eum crucifixerunt ambulantem in terris. *ſup Pſalm.*
vti pro fauo mellis & manna cæleſti, dant, & dederunt 88.
in eſcam Chriſti fel; & in ſiti eius potauerunt eum aceto, & ſuper dolorem vulnerum eius addiderunt. Quis non contremiſcat audiens Ozam percuſſum, volentem *2.Reg.6.*
ſuſtinere arcam? Quis non admiretur ſe veritatem diuini iudicii in Móyſe dubitante, & prohibito cum Aarone intrare terram ſanctam?

PVNCTVM VII. Conſidera Primò, quâ deuotione *Quâ deuotione communicandum.*
& deſiderio accedere te oporteat, ô anima. Si enim conuiuium magnum, ſumptuoſum paratum foret à Rege, quàm indignum,ſi vilis homuncio inuitatus reſpueret & ſignificaret illi, quòd malit ire ad haram, & comedere cum porcis, etſi ſiliquis eorum explere ventrem nequeat; ſic facis quoties pigrè & ſegniter ad cæleſte hoc conuiuium vadis.

Conſidera Secundò, quæ Deus tibi dederit in hâc vita bona, & ſcis non alio fine quàm vt ita vtereris, vt dignum te faceres hac cænâ cæleſti. miraris? Ecce ſi victum det & panem quotidianum, ſuperſubſtantialem te poſtulare vult: ſi veſtem largitur, nónne vt veſtem nuptialem habeas, eâque ornatus ſic in triclinio vbi corpus eius diſtribuitur compareas? ſi honores tribuat, nónne vt honorifices eum præ aliis in Vener. Euchariſtia? ideò enim comparet, ideò circumferri vult, dulciſſimus Redemptor noſter.

Quanta debeat eſſe Sacerdotis puritas. Nunc verò, ô Sacerdos, quâ te & me par eſt præ aliis deſiderio & præparatione accedere? nónne ideò curâ rerum temporalium liberati ſumus? Quid clamant purgandæ animæ eorum, quorum ſanguine & ſudoribus viuimus, niſi vindictam, ſi non exhibeamus illis vitâ ſanctâ, & orationibus noſtris miſericordiam? Illi tibi *Animarũ purgatorij poſtulatio.* ſua dederunt, vt eas iuues; illi ſuum defraudarunt genium, vt tibi lautè eſſet. Vt quid putas, qui de eleëmoſynis eorum fidelium viuis, & Chriſti IESV patrimonio? Túne potes ſurdâ aure audire illud: Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei; nos amici eorum ſimus oportet, ſi grati eſſe volumus; nos illis ſolatio eſſe, quarum plurimæ torquentur, quòd bona malè pepererint, etſi poſtea pœnitentes, quibus tu & ego fruimur.

Conſidera quanta ſit gratia, ô Sacerdos, quòd ego, tuque dicere queas: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei; & iterum, funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara eſt mihi; verè enim *Pſalm. 13.* præclara eſt. Ideò meritò exclamat S. Auguſtinus: Quæ conuentio Chriſti ad Belial? Qui poſſeſſiones terrenas relinquere nolunt, cur peccata populi comedunt? & decimas cum filiis Leui accipiunt, quomodo inter cæteras tribus partes accipient? Si ergo hæreditas noſtra *Rom. 8.* Dominus; cur militantes Deo multi, implicant ſe ſæcularibus? cur plus nugis & fabulis tempus teritur, quàm *Cur ſacerdotes pij eſſe debeant.* meditatione & oratione?

Con-

Conſidera deinde illa verba: Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, id eſt, poſtulare facit, & vide quo dicendi ſint ſpiritu agi, qui ſacroſancta agunt minùs ſæpè reuerenter & accuratè, quàm domeſtiça negotia ſua & aliorum agere ſoliti ſunt? Conſidera tertiò, ſacrificium hoc eſſe illud, Primò, quo Deus maximè honoratur; Secundò, gratiæ pro omni creaturâ aguntur, & Deus propitiatur; Tertiò, quo beneficia pro toto orbe petuntur. Si ergò adorare & honorare pro omni creaturâ vitæ & mortis imperium habentem debes: quâ par eſt deuotione offerre hoc acceptiſſimum & nobiliſſimum ſacrificium, & maius omnium Sanctorum meritis? offers enim, ô Sacerdos, Chriſtum; immò ipſe ſe offert per te: quod maius longè eſt, & acceptius Deo, quàm ſint omnes omnium Sanctorum laudes. vis ergò gratiſſimum opus ſanctiſſimæ humanitati Chriſti facere? crebrò ſacrificium hoc offer, cum nullo magis Deo Patri gratus fueris quàm illud offerendo. Vis B. Virgini amantiſſimæ Matri & Dominæ noſtræ rem gratiſſimam præſtare? offer illius amplexibus filium ejus recens natum inter labia & manus tuas. Vis ſanctos maximè honorare, & gratificari? offer illud ſacrificium in gratiarum actionem pro beneficiis quæ in eos diuina contulit liberalitas. Equidem ſacrificium hoc reſpondet magnitudini beneficiorum; immò maius eſt. Si ergo pro omnibus orare, partes Chriſti IESV agere (qui quoties Miſſa peragitur, ipſe vulnera oſtendit Deo Patri, & pro nobis vermiculis etiam aduocati partes agere dignatur, & interpellat pro nobis) ſi propitiare oportet Deum pro vniuerſis: quantam adferre innocentiam neceſſe eſt! O tremendum, terribile, diuinum, deificum, ſacroſanctum, plenum diuinitate, honorificum, ſummum, ſingulare ſacrificium! quis fidelium, ait Gregor. habere dubium poſſit, in ipſa immolationis horâ, ad ſacerdotis vocem cælos aperiri? in illo Chriſti IESV myſterio, Angelorum choros adeſſe? ſum-

Quid hoc agatur Sacrificio.

Gratiſſimum Deo ſacrificium & SS.

Quid in conſideratione conſiderandum.

ſummis ima ſociari? terrena cæleſtibus iungi? vnumque ex viſibilibus & inuiſibilibus fieri? Conſidera denique iterum iterumque quâ præparatione opus ſit vt ſacrificium hoc offeras. Et ſi planè maxima, cur nobis, obſecro mi frater, dies abeunt in negotia friuola? Credimus hæc? credere nos fatemur, at quæ vita fidei noſtræ eſt, ſi id vnde pendent vniuerſa bona, procraſtinatur, negligitur; ſi quod ſummum eſt, miinmi; quod minimum eſt, maximi fiat; ſi quod maximum, otioſè, feſtinanter, intempeſtiuè, inconcinnè agitur & peragitur? An maius hoc negotium habemus? an vtilius nouimus? an honorificentius?

EXERCITIVM.

Iſaiæ 59. *O Anima mea, ecce vides vt nō eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata auris eius, vt non exaudiat, Veni igitur, & aſcendamus in montē Domini, & domum Dei Iacob. Veni, & hauriamus aquam de fon-*
Iſaiæ 59. *tibus Saluatoris, vulneribus tuis ô* IESV *amantiſſime. Iniquitates meæ diuiſerunt inter me & te, & peccata tua abſconderunt faciem tuã à me, ne exaudires. veruntamen, Ecce reuer-*
Iſaiæ 55. *tor ad te in toto corde, & quæro te. Reſpice prodigum, & ſuſcipe me quem tam amanter vocas, & inuitas ad te.*

Venio ergo vt emam abſque argento & vllâ commutatione vinum & lac, à te. Pridè enim quam pateris, accepiſti cali-
Iſaiæ 25. *cem & gratias agens dediſti gratus feciſtiq́; conuiuiū pinguium, pinguium medullatorum, ad quod ſuſpiro. Guſtaui enim*
Humiliatio ſui. *quàm ſuauis ſit Domine ſpiritus tuus, & licèt miſer & nudus, & miſerabilis ſum, audiui & credo toto cordo, totâ animâ meâ, quod miſericordiam potiùs velis, quàm ſacrificium præter illud, de quo ille, Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non deſpicies, imò poſt hoc gratiâ tuâ & dignatione, pro charitate tuâ infinitâ erga me, hoc retribuam tibi, & pro omnibus quæ retribuiſti mihi, calicem ſalutaris accipiam, & nomen tuum Domine inuocabo. Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Vota mea*

reddam

reddam coram omni populo eius, in atriis domus Domini, in medio tui Ieruſalem. Pſal. 115.

Exercitium pro Sacerdote.

QVIS *ſum ego, & quæ domus patris mei? quis es tu Domine. Deus meus? magnus es, Domine, & laudabilis nimis, & magnitudinis tuæ non eſt finis. Vnde ergo recordatus es nominis mei, vt faceres me genus electum, regale ſacerdotiũ Quis ſum ego vt memor ſis mei? qui factũ eſt vt eligeres me ex millibus, vt fungerer Sacerdotio coràm te, & haberem laudem in nomine tuo, & offerrẽ tibi incenſum in odorem ſuauitatis? vnde hoc mihi vt ego eſſem ſal terræ, vt quiſquis mihi Sacerdoti iungitur quaſi ex ſalis tactu, æternæ vitæ ſapore condiretur, & ego non ſapiam quæ Dei mei ſunt, quæ ſurſum ſunt? O lux mea, quæ illuminas omnẽ hominem; vnde hoc mihi vt eſſem lux mundi, vt lucerem ſic coram hominibus, vt viderent opera mea bona, & glorificarent te Patrem meum qui in cælis es? Ego eſſe potero filius tenebrarum, & ſæculi huius, vanus & cupidus, & quærere aliquid extra te qui es pars mea & hæreditas mea?* Gregor.

O quàm deſidero honorificare te, & amare ſuper omnia! Abſit vt etiam de me ô infinita bonitas, conqueri poßis & dicere: Filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me! Filius honorat patrem, & ſeruus dominũ ſuum. Si ergo pater meus, & pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, meritò quæris & quereris vbi eſt honor, vbi amor, meus? & ſi Deus vniuerſorum tu es, meritò rogas, vbi eſt timor meus. Vtinam, ſic te timeam, ſic te amem, vt poſtulat à me Maieſtas tua & amabilißima Charitas tua. Iſaiæ 12.

Ecce audio talem oportere eſſe Sacerdotem, vt quod populus pro ſe apud te, Domine, non valet, ipſe pro populo mereatur, quod popoſcerit, impetrare. Quia ſcriptum eſt, ſi peccauerit populus, orabit pro eo Sacerdos Quâ autem fiduciâ pro peccatis alienis ad Deum interceſſor venio, qui de propriis ſecurus non ſim? Miſerere mei, Deus, miſerere mei; cor mundũ crea in me, cor nouum, cor carneum, cor quod tibi placeat, contritum & humiliatum, vt deſpicere, illud nequeã ſed in eo in pace, & in idipſum dormire & requieſcere, & manſionem in eo facere. Auguſt. ſerm. 2. in Pſ. 3.

In

In ſole poſuiſſe diceris tabernaculum tuum,& ipſe tamquã ſponſus procedens de thalamo ſuo.O vtinam ergo ſol eſſe queã, vt in me ſit tabernaculum,& thalamus tuus. Imo ſacerdotalem animum ſolaribus radiis puriorem eſſe oportet. Quid ergo faciam? Quid facies de me,ô infinita bonitas? quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nónne tu qui ſolus es? Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis; ſpiritum ſancti timoris, ſapientiæ ac ſcientiæ; ſpiritum amoris ac filiorum tuorum, vt dicere poſſim: Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus; vt ſic queam viuere vt tibi viuam. ſic N.& ſic N.& moriar mihi.

Ecce venio ad te ad thronum miſericordiæ tuæ, ad te bone JESV, *qui dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, & propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis, vt de plenitudine tuâ accipiamus, & hauriamus aquas de fontibus tuis. O dulciſſime Redemptor mi, da mihi, vti promiſiſti menſuram bonam,& confertam & coagitatam, quia bonus es, quia in ſæculum miſericordia tua. Quæ illa menſura? tu illa es,& omnia mihi es. Da ergo mihi teipſum, da vt iſtud quod tibi amantiſſime offero, vt tibi ſit in odorem ſuauitatis, in quo caro tua in veritate ſumitur. Vbi ſummis ima iunguntur, vbi adeſt præſentia Sanctorum. Vbi tu es Sacerdos & ſacrificium mirabiliter & ineffabiliter conſtitutus, Tu Sacerdos ſummæ pientiſſime Pontifex, qui compati noſti infirmitatibus noſtris, cum clamore valido preces ſupplicationeſq́; offerens, exauditus es pro reuerentiâ tuâ. Exaudi me per ſanguinẽ tuum per merita tua & multitudinẽ miſerationum tuarum.*

Hebr. 5.

Animæ purgatorii iuuandæ &c.

Zeli actus.

Ecce fideles animæ afflictæ ſponſæ tuæ ardentiſſimè ſuſpirantes ad amplexus tuos clamant ad me, vt miſerear earum. Ecce peccatorum pereuntium plurima turba, miſeriâ ipsâ ſuâ quaſi eiulatu magno ſubſidium flagitant & dicunt: Empti ſumus pretio magno,& quòd laueris eos in ſanguine tuo. Itaque per gratiam tuam cupio & ego anathema eſſe pro fratribus his meis, ne in æternum maledicant tibi, ô bonitas, quæ reples nos cum benedictione in cœleſtibus. Ecce quot iuſti, amici, N.& Benefactores N. afflicti exſpectant hanc eleuationem ma-

manuum mearum, ſacrificium hoc veſpertinum. Quid faciam? iuſſiſti me legatione fungi pro omnibus, & omnium peccatorum, quorum primus ego ſum delicta porto, vel potiùs, vt verè, tu portas in me. Ego loquor ad Dominum puluis & cinis, canis mortuus & vapor & nihilum: protector meus eſto, ne derelinquas me Deus ſalutaris meus. O Pater æterne, dirigatur, obſecro, iã oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo & reſpice, Domine, ad vnigenitum tuum, reſpice in faciem Chriſti tui, & per illius amariſſimam paſſionem, & memoriale eiuſdem concede reis veniam, defunctis ſolatium, medelam ægris, afflictis conſolationẽ, peccatori conuerſionem, iuſtis perſeuerantiam, & mihi vt te diligam toto corde, & totâ animâ mea, nunc & per infinita ſæcula. Amen. Pſal. 140.

Praxis præparandi ſeſe ad Sacrum: ſeu octo gradus, quibus anima aſcendat ad tabernaculum Dei cum hominibus, ſanctiſſimam Euchariſtiam.

ANte omnia confeſſionem inſtituere, vel ſaltem examine cor mundare conuenit, ad adventũ illius, cuius oculi mundiſſimi ſunt, & ad iniquitatẽ reſpicere non poſſunt. Deinde aliquo temporis ſpatio, ante Sacrum octo his velut gradibus aſcende ad tabernaculum. Primò, fidem viuam excita tum præſentiæ Dei, ſine ullâ oratione, tum realis corporis Chriſti in Vener. Sacramento, & cogita quâ intentione illi offerre ſacrificium velis. *1. Gradus. Actus fidei*

Secundò, defectus ac peccata vitæ præteritæ vniuerſim deplora, optando vehementer totâ eâ præparaſſe te habitaculum cordis tui, Domino tuo. Si tempus ferat, defectus, quos iam adhuc experiris, coram Deo deteſtare; maximè eum, contra quem te examine particulari exerces; & virtutum ornatum pete. *2. Contritio.*

Tertiò, conſidera mundum vniuerſum, & lamenta ac deſideria animarum in Purgatorio, & viuentium pericula; multorum item in terrâ feruorem: eoque accende teporem tuum. Potes etiam aliquod motiuum addere, ad varietatem, ex iis quæ infrà ponentur. *3. Zelus & charitas.*

Quartò cõſidera, quidquid eſt in vllâ creaturâ, in Deo, vt fonte *4. Conſideratio bonitatis diuinæ.*

ſonte atque abyſſo, infinities perfectiùs contineri: quantóque affectu mortales ad illas ferantur; quanto tepore ad Deum ſequendum feraris, omnemque affectum in eum transfer: vt nihil ames, nihil timeas, extra illum.

5. Aemulatio Sanctorum. Quintò, cogita quo feruore ſancti Apoſtoli, Martyres, & Virgines communicârint, dum viuerent, quo in morte, & quo Deum, recepti in cælum, affectu complexi, quoque iam complectantur; eumque æmulare, & ſupplex eos roga vt tibi adeſſe dignentur.

6. Angelorum item & B. V. Sextò, attende ſimiliter quo id fecerint & faciant Angeli puriſſimi ſpiritus, iam nacti poſt prælium cum dracone æternam ſecuritatem, & imprimis Regina eorum ſancta Maria. Eodẽ ſuſcipere Dominum opta, & ad eum ſuſpira; ac B. V. inprimis patrocinium implora.

7. Beneficiorum Dei recordatio. Septimò, conſidera beneficia Dei quibus te præuenit, generalia & particularia, & iis te accende: ſpemque diligenter excita obtinendi cætera ad ſalutem neceſſaria.

Octauò, admirare potentiam, ſapientiam, & in primis bonitatem Dei, & amorem æternum hîc elucentem: ac fidei, ſpei & caritatis affectus exerce.

Poſt hæc, vade collecto animo ac ſilentio ad locum ſacrificii. Ad aquam luſtralem vel lotionem manuum excita contritionem & oratiunculam ante lectionem Horarũ, vel Sacri auditionem poſitam recita, & hanc qua intentione dirigitur, & ex conceſſione Greg. XIII. *Indulgentia 50 annorum* acquiritur. Ego volo celebrare Miſſam, & conficere corpus & ſanguinem Domini noſtri IESV Chriſti, iuxta ritum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ad laudem omnipotentis Dei totiuſque curiæ militantis, pro omnibus qui ſe commendârunt orationibus meis in genere & in ſpecie; & pro felici ſtatu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, ſpatium veræ pœnitentiæ, & conſolationem ſancti Spiritus, perſeuerantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus. Amen.

Exercitium quòd ſuperiora fere complectitur.

Deſideriũ & fames Ven. Sacramenti. O Rex Regum & Domine Dominantiũ ſitiuit anima mea ad te fontem viuum, ad te, ô finis & principium meũ, & deſidero te amãtiſſime ſuſcipere, idq; vt te, quod mihi mandas, poſſim ſuper omnia amare, quæſo Domine mi iucundũ ſit tibi

hoc

hoc eloquium meum. Confitebor tibi in vaſis Pſalmi mira- Pſal.109.
*bilē hanc veritatem tuam,opus enim grande quod feciſti mi-
hi,& mirab le,imò memoria & ſummarium omniū mirabi-
lium tuorū. Miretur quis te verbo vno ex nihilo creaſſe om-
nia, mirabor ego te verbo hominis, & pane cæleſti recreare
omnia. Stupeat qui volet magnitudinem vniuerſi huius; ego
magis abbreuiatum te eſſe,ô Verbum, ſub minimâ ſpecie Sa-* Fidei
cramenti huius,amo te,& extollo charitatē tuā quia cælum, actus pri-
& terrā dediſti homini,& omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. mus gra-
Sed ſuperamabilis mihi es, quòd te mihi, cæli & terræ Dn̄s dus.
*ſic dones,& cuius ero ego ſi non tuus? hæc firmà fide credo,
& pro eo paratus ſū mori,vt viuā tibi,quòd ſpero,& te amē,
quod totis viribus concupiſco. Tuus ego ſum, & tu ex nihilo
creaſti me,& ſic me recreas & nutris? Quod ſum,poſſum &
ſcio,tuū eſt,& quomodo Paſtor bone,Creator mi,non adhæ-
rebo tibi toto corde meo? Quomodo potui aliquādo ſic & ſic* Contritio
N derelinquere te?& pergere in ruinā?Nunc verò miſerere, ſecundus
ô IESV,*pupilli & filij prodigi tui,pulſatūs viſcera miſericor-* gradus.
*diæ tuæ,vt poſſim hæc N.emendare gratiâ tuâ,tecū terrena
omnia deſpicere,in nouiſſimo loco recūbere,pauper & contē-
tus eſſe.Non ſum enim,non ſū,amantiſſime* IESU,*ego viliſſi-
mus ſeruus maior te Domino & præpotenti Deo meo,da vo-
luntatē & tuā vnius gloriā quærere,tibi in omnibus obedire.*

O quot video pereuntes animas, quot conſpicor affligi Tertius
ſponſas tuas in flammis!quot amicos tuos in anguſtiis!mori- gradus
turos in periculis. Hi omnes flagitāt abs te per ſacrificiū hoc zelus &
meū, ſolatiū. Et torpere poſſū? deſidero ergo te humillime & charitas.
*amantiſſimè ſuſcipere, & ſincero amore tibi cōiungi,& nū-
quā abs te ſeparari, in te enim omnia habētes,& à te quo-
modo poſſumus te Dn̄e* IESU *dimittere?Nónne tu fons omnis* Quartus
boni & omne bonū nobis es? Quanto igitur par eſt affectu, cōſidera-
cùm tanto ſua quærāt filij ſæculi huius,me quærere te & ſuſ- tio boni-
cipere te,& complecti ex puriſſimo amore,ad gloriā tuā? De- tatis diui-
ſidero te millies mi IESU,*quādo venies? vt vnū tecū me facias.* næ.

O vtinā te cum omnium Sanctorum & Angelorum affe- Quintus
ctu,cum B.Virginis velut immēſo amore,& omnium creatu- æmulatio
SS.

 rarum

rarum ſuſcipere te poßim, qui tot benedictionibus immeritum præueniſti, ô Deus meus! O potentißime, & optime Deus meus, gratulor tibi & gaudeo de omni bono tuo, & gratias agere volo hoc ſacrificio pro omnibus beneficiis tuis, & quia pro me natus, crucifixus & mortuus es, ô vita noſtra; nónne quia feciſti me, debeo me tibi, & quia me ſic refeciſti pluſquam me? quid iam retribuã tibi, quòd dum me paſcere vis corpore & ſanguine tuo, tot improborũ & tepidorũ iniuriis in hoc Sacramẽto exponere te dignatus ſis! idq; quia deliciæ tuæ ſũt eſſe mecum, qui deſiderio deſiderabas hoc Paſcha mecũ celebrare.

Sextus. B.V. imitatio & Angelorũ.

Septimus. Beneficiorum Dei recordatio.

Octauus Perfectionum diuinarum conſideratio.

O quanta hic Deus meus potentia elucet, quanta emicat ſapientia, ſed ſuper omnia inexhauſta bonitas, & miſericordia tua! credo tibi, veritas æterna quòd verè & realiter mihi præſens ſis in hoc memoriali Paßionis & mortis tuæ potentiæ ſapientiæ, & bonitatis tuæ, verè tu Deus abſconditus, & vides & audis, & ſcrutaris intima mea, ſic totus in toto, vt etiam in ſingulis partibus indiuiſibilis, & immutabilis, vt me vermen paſcas, & ſanes, vt me doceas humilitatem, obedientiam, patientiam, charitatẽ, & perſeuerantiã. In te ſolo ſpem omnẽ colloco, & reſigno me diuinæ prouidentiæ tuæ & diligo te toto corde & animâ meâ. Offero tibi hoc ſacrificium laudis in vnione ſacrificij cruenti, & omnium meritorũ tuorum. Offero me & omnia propoſita mea, & commendo eos, & ea pro quibus orare debeo, quia vis & ſicuti vis; & ſincerißimè ſtatuo coram te, ô IESV, amor æterne, tibi viuere & mori, da mihi gratiam ad hæc omnia, ſine quâ nihil omninò poſſum, ô Deus meus, Deus cordis mei & omnia, Amen.

Reſignatio.

Conſiderationes, ſeu Motiua varia, pro affectu vario ac tempore conſideranda, expendendo ſimul primò, quis veniat; ſecundò, ad quem; tertiò, quare.

PRimum eſt, magnitudo amoris Chriſti in hoc Sanctiſſimo Sacramẽto, vbi hoc cõſideraueris, vti poteris exercitio illo: *Hæccine vera*, vt ſup. p. 7. Secũdũ, miracula, circa

ta hoc facta, & beneficia ab aliis per hoc ipſũ impetrata, Tertium, magnificentia, quâ vbique colitur. Quartum, effectus Sanctiſſimi Sacramenti; qui ſunt, illuminatio, vnio, & confortatio. Quintum, forma inſtitutionis illius. Sextum, quòd ſit medicina omnium malorum. atque per hoc myſterium omnia miracula à Chriſto Domino facta, innouentur. Septimum, finis huius qui eſt deificatio noſtra. Octauũ, hæc ſententia: *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit*, &c. Nonum, conſideratio, quaſi quis præ omnibus ſolus ad cœnam Chriſti Hieroſolymæ vocatus eſſet, & facta ei forent quæ cæteris Apoſtolis. Decimum, Zachæi hiſtoria. Vndecimum, conſideratio horum verborum; *Ecce panis Angelorum, factus cibus viatorum, non mittendus canibus*. Duodecimum, conſideratio, quàm frequenter communicaueris; quanto oportuerit fructu, quàm prauo tamen. Decimum tertium, meditatio horum verborum: *Deliciæ meæ, eſſe cum filiis hominũ*, vel iſtorum, quod erit Decimumquartum: *Quid eſt, quod debui vineę meæ facere, & non feci?* vel Decimumquintum: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar.* Decimum ſextum, ſit applicatio ſenſuum, ſuper quinque ſenſibus B. Virginis communicantis, vel Deum concipientis. Decimumſeptimum, conſideratio; quid ſit, peccatorem demittere Chriſtum Dominum in ſtomachum: nónne enim hoc eſt regem velut in ſterquilinio collocare? Et tamen præ amore non offenditur. Decimumoctauum, Paſtorum ad Chriſtum vocatio. Decimumnonum, adoratio Magorũ. Vigeſimum, transfiguratio. Vigeſimumprimum, Magdalenæ conuerſio. Vigeſimumſecundum, cæci illuminatio. Vigeſimumtertium, Samaritanæ conuerſio. Vigeſimumquartũ, Lazari ſuſcitatio. Vigeſimumquintum, ingreſſus in Ieruſalem. Vigeſimumſextũ, apparitionem poſt reſurrectionem B. Virgini, aut alteri factam meditari. Vigeſimumſeptimũ, erit figuram aliquam conſiderare, & applicare, ſunt autem: arbor vitæ, ſacrificium Abelis, Melchiſedech ſacrificium, Abrahami, & ſacrificium Agni Paſchalis, manna, arca fœderis, panes propoſitionis, panis Elię ſubcinericius, ſacrificium propitiatorium, farina Eliſæi quæ ſuſtulit amaritudinem ollæ, miraculum quinque panum. Vigeſimumoctauum, meditatio perfectionis alicuius diuinæ, ſunt eæ: Æternitas Dei; Iuſtitia, Amor, Liberalitas, Longanimitas, Miſericordia, Patientia, Pulcritudo eius.

1. Cor. 11.

Iſaiæ 5.

Lucæ 22.

Praxis colligendi ſe in Miſſæ ſacrificio.

NOTANDVM Primò diligenter, ſecundùm tres vias, diuerſaſque diſpoſitiones, varios à Spiritu Sancto modos ſuggeri; eoſque quemlibet ſequi oportere.

NOTANDVM Secundò, quoſdam variis imaginibus animũ collectũ ſeruare; quod quia quandoque nocet, cautè vſurpandum. Tamen poſt præparationem ſuperiorem, & recitationem iſtius, *Ego volo celebrare Miſſam*, &c. prodeſt compoſitionem aliquam facere. v. g. Pro viâ purgatiuâ; conſiderare Chriſtum iudicem, clementem tamen adhuc, dum tempus eſt miſerendi. Pro illuminatiua; Chriſtum videre in ſolio cũ B. Virgine, & Angelis, à quo, vſque ad altare radius lucidiſſimus, per quem Angeli, velut ſcalam Iacob aſcendant; & preces adſtantium offerant. Pro viâ vnitiuâ; conſiderare curiam cæleſtẽ ardentem amore Dei, & illã, & omnes creaturas nos hortantes ad eundẽ; & audire Chriſtum Dominum dicentem: *Veni dilecta mea, veni ſponſa mea.*

Cant. 2.

Quater ſe colligere quis poteſt.

In ipſo ſacrificio quater te colligere potes. Primò, in initio, Secundò, offertorio; Tertiò, conſecratione; Quartò, communione. In initio tibi affectuosè repræſenta Chriſtũ in horto, ad ſacrificium crucis ſe parantem ac poſtratum, & contritionem excita. Secundò, euntem ad montem Caluariæ, ibique exſpectantem dum crux paretur, & immoletur, & plenè te reſigna ad ardua; Tertiò, eleuationem crucis, & Chriſti immolationem. Quartò, mortem illius & ſepulturam, & quo potes amore eum complectere.

Attendendũ verbis.

NOTA non oportere à verborum intellectu deflectere, ſed ea ad Chriſtum præſentem dirigere, eumq; adorare. Si enim aliena cogites, quid intereſt, quæ verba ſacra, citra præceptum tamẽ dixeris. Partibus his quatuor, perfectiones diuinas, Iuſtitiam, Potentiam, Sapientiam, Bonitatem attribuere, & pro quatuor beneficiis præcipuis eas Domino offerre etiam quis poterit.

Senſum verborũ inſpiciendus.

Cùm certum ſit memoriam rei bonæ, æquè ac malæ refricari ſæpè verbo vno; vtile mihi viſum ſemper fuit, non ſolùm Pſalmorum varios ſenſus explicare, ſed etiam officij Miſſæ; vt, ſicut in illis, ſic hîc, mens minùs eo pacto diſtrahatur; neque tamen, cùm multis id noxium ſit, alligetur: ſed cogitationes & reflexiones paucas hîc ſuggero, vt, quocumque modo alea, vt ſic loquar, cogitationis cadat, cadat bene. Quàm facilè ſit, conſuetudo magiſtra docere debet. Certum eſt mentem vel ad verba, vel rem aduertere, vel ad vana cogitationem euagari, ſi prius non aſſueſcat. Cùm ergo accedis, vt laues; excita contritionem. Cùm hoſtiam

patenæ imponis, per illam orationem, *Ego volo*, renoua intentionem. Ad amictum, ſtatue feruenter, nullum incurſum dæmonis, vel diſtractionem admittere, di cendo: *Impone, Domine (pro me velate) capiti meo galeam ſalutis, ad expugnandos diabolicos incurſus.* addere mente poteris: *Iuraui enim, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.* Ad albam: pete virtutum ornatum, & ſuſpira ad Chriſtum, dicēdo, *Dealba me, Domine (pro me illuſe) & munda cor meum*, &c. Ad cingulum: *Præcinge me, Domine, (quem alligauerunt peccata mea) cingulo*, &c. Ad manipulum: reſigna te ad omnia aduerſa, dicens: *Merear, Domine, (vulnerate pro me) portare*, &c. Ad ſtolam: aſpira ad Deum, & c dic, *Redde mihi, Domine (qui hîc te in pignus gloriæ dediſti) ſtolā*, &c. Ad caſulam: propone viuere & mori in Dei amore, dicendo: *Domine (qui baiulaſti crucē pro me) & dixiſti*, &c. Egreſſurus, ſaluta Crucifixum, & renoua intentionem, dicendo: *Gloria Patri*, cuius hîc ſcilicet potentia; & *Filio*, cuius ſapientia; & *Spiritui Sancto*, cuius hîc infinitus amor elucet. Incedendo, excitaviuam fidem, & mox adora ad altare Deum cum Angelis præſentem, vt complures SS. Patres aſſerunt, dicendo iterum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto*, ac fidei, ſpei, charitatis actum mente eliciendo, v.g. *Credo Domine, in te ſpero, & ex toto corde te amo.* Tum accede ad altare, manendo in Dei præſentiâ. Librum cum aperis, memor eſſe poteris eius Libri, quem aperuit Agnus, & ſeptem ſignacula eius. Et iterum in medio, pro defunctis, viuis omnibus, & ad gloriam Sanctorum, intentionem renoua, cum actu fidei, ſpei, & charitatis. Ad pedem altaris idē facias, & humilia te valdè, cum Chriſto deſcendente ad ima, & adora pro omni creaturâ.

Dum lauas, conterere.

Pſal. 118.

Cogita ſupra altare cælum apertum.

Cùm ad verba veneris, non properè, ſed clarè & diſtinctè pronuntia, affectuſque indue, quos illa continent, v.g. Ad *Introibo*, excita fiduciam. Ad *Confiteor*, contritionem, & firmum propoſitum. Ad *Miſereatur*, ex zelo mente opta, vt omnes ſanctificent Dei nomen. Oſculum altari ſemper fige ex magno amore; & ſtatue adhærere Deo. Ad *Gloria Patri*, magno affectu adora Sanctiſſimam Trinitatem; & opta, vt omnes ei ſeruiant. Ad *Kyrie*, ora pro peccatoribus & purgandis. Ad *Gloria in excelſis*, fac vt in *Gloria Patri*, ac omnia auctori Deo tribue. Oratio Prima ſemper ſit pro primaria intentione. Secunda, ad libitum. Tertia, pro cōmendatis. Ad *Per Dominū*, offer Deo omnia merita Chriſti, & ingentē fiduciā excita: ſcriptū eſt enim: *Quidquid petieritis*

Quid initio Sacri faciendum.

Epiſtola Dei Scriptura. *ritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Lege Epiſtolam velut à Deo tibi miſſam ex ſummo amore cum implendi præcepti voluntate. Ad *Dominus vobiſcum*, opta, vt ſicut Dominus vbique per eſſentiam præſens eſt, ita cum omnibus dignetur eſſe per gratiã, vt egregiè ſuggerit P. Punte. Ad benedictionem, pete zelum, & animarum conuerſionem. Euangelium, vt à Chriſto IESV audi, in fine oſculando librum gratias age; & factor verbi eſſe propone, non auditor tantùm. Ad *Credo*, eliciendo actus fidei honora Deũ, pro eo quòd Ethnici & hæretici incredulitate ſua eum inhonorant, & gratulare, cùm B. Tereſâ, Chriſto, quòd regni eius non erit finis. in cæteris ſicut vnctio docebit, fidei, ſpei & charitatis actus miſce. Ad *Oremus*, omnimodam tui diffidentiam & humilitatem excita. Ad Offertorium, reſpice in cælum ad Deum Patrem; Secundò, ad te & nihilum tuum; Tertiò, toto cordis affectu offer te & vota, & poſtea dic: *Suſcipe*, &c. Dum vinum infundis, gratias age Deo, quod in his ſpeciebus vilibus ſit dignatus ſe præ amore tui occulere. Dum aquam, opta ſic vniri Deo. Ad oblationem calicis offer te iterum, & puriſſimam intentionem renoua. Ad *In ſpiritu humilitatis*, ex animo contrito humilia te, & conterere. Ad *Lauabo*, iterum conterere, & gratias age, quòd ablutus ſis ſanguine Chriſti. Ad *Suſcipe Sancta Trinitas*, fac vt in oblatione. Orationes recita, vt ſuprà. Ad *ſurſum corda*, attentionem renoua. Ad *Gratias agamus*, gratias age, vt Indulgentiam centum dierum promerearis. Ad *Benedictus qui venit*, &c. inuita Dominum omniũ Sanctorum affectu in animam tuam. Ad *Memento*, ora Primò, pro te ipſo vt libereris à defectibus tuis, eoſque deteſtare; Secundò, virtutes certas, v. g. amorem, humilitatem, pacem, Dei præſentiam, perſeuerantiam pete; Tertiò, exerce actus fidei, ſpei, charitatis & reſignationis, votaque renoua, ſi Religioſus ſis. Deinde, ora primò, pro parentibus & Superioribus; Secundò, pro commendatis tibi & ſubditis; Tertiò, pro benefactoribus; Quartò, inimicis; Quintò, vocatis ad religionem, & fidem: Sextò, pro tota Eccleſia. Hæc per caſus Latinos retinentur, aut per IESV, Chriſti crucifixi membra; ita vt in capite, Superiores; in dextra, ſubditi, & commendati; in ſiniſtra, benefactores; in corde, inimici; in pede dextro, conuertendi; in ſiniſtro, vniuerſa Eccleſia collocetur. Ad *Communicantes* inuoca Sanctos. B. Virginem, & ſponſum eius, &c. Ad *Hanc igitur, obſequium ſeruitutis*, proponere quis poteſt omnia, etiam minimas regulas, ſeruare, vt ſeruus fidelis. Ad *Dilectiſſimi* excita amorem Chriſti. Ad *Qui pridie*, &c. *accepit panem*, fidem;

Ad Dominus vobiſcum.

Nota.

Ad Oremus.

Ad Offertorium.

Contritio excitanda

Pro quibus orandum & quo ordine.

Ad Conſecrationem.

Ad

Ad *eleuatis oculis*, præſentiam Dei renoua. Ad *Gratias agens*, eas age. Ad *Benedixit, fregit, deditque*, exerce fidem, ſpem, charitatem, ita vt deſideres quantũ potes, & quanto affectu omnes creaturæ poſſent, Deo hoc ſacrificio gratificari. Mox prolatis verbis omni excipe venientem affectu, illique gratulare, & trina eum adoratione adora pro omnibus qui blaſphemant, fide, ſpe, charitate. Ad calicem, idem fac. Ad *Vnde*, &c. exerce gaudii actus de aſcenſione Chriſti, & gratias age Deo pro Sacramẽti huius inſtitutione, Ad *Iuſti Abel & Abrahæ*, offer omnia ſacrificia vetera. Ad *Per manus ſancti Angeli*, roga vt etiã auxilio ſint, & ſanctus Michael imprimis. Ad *Memento etiam, Domine, famulorum*, cogita neceſſitatem eorum, & obſecra Dominũ, per paſſionem eius: & propone ſic viuere, velut hodie moriturus. Ad *Nobis quoque*, ſub omnibus te humilia, & inuoca Sanctos, Quoties autem ſanctiſſimam hoſtiam tangis, toties omni omnium affectu id facias, & complectaris Dominũ tuum. Ad *Omnis honor & gloria*, intentionem renoua, Ad *Audemus dicere*, excita fiduciam, & recita attentè ſingulas petitiones, quibus omnis intentio continetur, quâ communio ſuſcipi poteſt. Ad *Per eundem*, mortui Chriſti memoriam renoua, vitam tuam illi dedica, Ad *Agnus Dei*, Iesvm velut in præſepio iacentem, vel in ſanguine ſuo poſt flagellationem, velut in throno cæleſti ſedentem adora, Ad orationem de pace, excita contritionem. Ad Secundam, fiduciam, & pete liberari à peccatis, Ad Tertiam, *Perceptio*, pete perſeuerãtiam & amorem excita. Ad Primum *Domine nõ ſum dignus*, humilia te ob peccata ſub omni creatura, & dole de iiſdẽ; ad Secundum, cõſidera beneficia Dei, & humilia te, quòd iis non reſponderis; ad Tertium, abyſſum perfectionum Dei intuere, & tuam miſeriarum & peccatorum, & collige omnes affectus ex omni creatura in Deum, & vide Chriſtum te omniaque tua inſpicientem: deinde renoua vota, ac fide, ſpe, & charitate ſumma Deum amplectere, optans affectum omnium Sanctorum. Poſtea ſumendo, ardentiſſimum Chriſti amorem attende, & quaſi os lateri admouendo, amplectere arctiſſimè, ac opta, vt omnes eum laudent, teque ei viciſſim trade. Ad calicem, immenſum rurſus amorem Dei conſidera, eique te totum deuoue, manẽdo in gratulationibus, & amoris actibus, abyſſum maieſtatis Dei, & tuæ vilitatis attendendo, leui oculi mentis coniectu. Ad cætera, vt ſuprà. Ad *I te Miſſa eſt* gratias age. Ad *Placeat tibi*, iterum offer cum omni deſiderio triumphantis, & militantis Eccleſię puriſſima intentione, vt verba docẽt.

Adoratio.

Ad contactum hoſtiæ. Intentiones variæ in Pater noſter.

Ad Domine non ſum dignus.

In Communione.

In principio. Ad benedictionem humilia te, & pete efficaciter pro te, præſentibus & commiſſis. *In principio*, totum dicatur, conſiderando myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & gratulando, & amplectendo, maximè cùm legitur, *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* In genuflexione, gratias age pro omnibus; & rurſus in medio, incipiendo, *Trium puerorum.* Ad *Benedicite*, ad ſingula te humilia, eò quòd indignus ſis & inſufficiens; & ſimul omnia ad laudandum Deum, tamquã te aptiora inuita. Ad *Actiones noſtras*, omnes offer. adde *Pater* & *Aue*, pro defunctis, & merere indulgentias pro animabus quas poteris.

Poſt ſacrificium Miſſæ.

Gratulatio PRIMÒ, fidem viuam excita & conſidera, iterum maieſtatem Dei, teque eâ plenum, & Angelis cinctum, eique gratulare potentiam, ſapientiam & bonitatem, humiliando te ſub potenti manu eius, & ei te reſignando, eum ſuper omnia amando, omnemque creaturæ affectum in eũ refundendo. nihil enim boni, niſi à fonte bonorum. *Humiliatio.* Secundò, vide vt te ſub omnibus colloces & humilies; ideoque percurre, & aperi Chriſto indignitatem & miſerias tuas, & eum quaſi has ſcrutantem conſidera, & propone vitam potiſſimùm ſeriò emendare, atque ad hoc pete gratiam. Tertiò, gratias age omnibus Angelis & Sanctis ad hoc inuocatis, & eorum affectu aſſumpto, quo ipſi Deo gratias pro ſua ſalute egerunt ingreſſi in cælũ, æternumque agũt, *Gratiarũ actio.* illum amplectendo, & ora vt pro vitiorum exſtirpatione intercedant: cum quibus etiã colloquia exercere aliquãdo poſſes. *Oblatio & Conſecratio.* Quartò, offer Domino Deo filium, & percurre ſingula paſſionis & vitæ myſteria; & per illa poſtula pro te & amicis gratias: teque & omnia offer ad eius gloriã, animam ſcilicet & corpus, proponendo eius ſenſus, maximè oculos, aures & linguam cuſtodire. Quintò, conſidera quaſi Deum omnia in corde luſtrantem; & vota, ſi Religioſus es, renoua: pauperrima elige, voluptates reſpue, Superiores recognoſce pro vicariis Dei, & offer omnes actiones tuas; *Votorũ renouatio, & ſui oblatio.* dehinc beneficia Dei percurre, generalia & particularia; & vt in omni creaturâ omnia pro nobis, & in nobis operetur, & præſens ſit, eius item ſummũ amorẽ erga nos perpende; & gaude iterũ de eius bonis, teque totum ei reſigna, omniaque creata contemne: propone verò quantum poteris, omnes ad illum trahere, & iterum omnia ad eius honorem facere, actiones quantum potes præuidendo, ne quid tanto hoſpite indignum agas.

Diſtri-

Diſtributio Communionis.

SAnè ſi verbis ſacris in ea proferri ſolitis attendas, abundè eſt. Poteris tamen, dum hierothecam, ô Sacerdos, accipis, actum fidei, ſpei, ac charitatis excitare, vt in Eleuatione. Quid enim aliud tunc animo volues? Ad *Miſereatur* contritionem renoua; Ad *Agnus Dei*, & *Domine non sũ dignus*, fac vt in Sacro. Singulas hoſtias preme amoris affectu. Inter diſtribuendum caue, oculis animoque euagari: ſed aliquãdiu modò fidẽ, modò ſpẽ modò charitatẽ excita; modò imitare Chriſtũ ſe tradentẽ homini, & te ei regſina; modò potentiam, ſapientiam, & bonitatem eius admirare. Cæterùm, vt ſuprà de aliis dictum, Spiritus ſancti vnctio ſequenda eſt, neque his, niſi per ſe ſic fluant aromata gratiæ Dei inſiſtendum. Sed obſerua, ſæpè vel ſemel audiuiſſe malam alluſionem verbi alicuius, non parùm obfuiſſe, & bonam pariter multùm prodeſſe.

Oratio ſuperiora complectens.

TVne Deus meus venis ad me infinita Maieſtas, infinita bonitas, venis ad me, & manſionẽ apud me vis facere, & meus es? quis mihi tribuat, vt omnem affectum meum in te refundam & reuertatur tota anima mea in originem ſuam? O abyſſum miſericordiæ & charitatis! Vide afflictionem & paupertatem meam N. *& quid diues es in omnes, ne diſpicias me. Benedicite Domino omnia opera eius, benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Vtinam affectu omnium Angelorum & Sanctorum te complectar & tibi gratias agam, & omnis ſpiritus laudet te Domine. Suſcipe, obſecro, in gratiarum actionem Pater æterne vitam & mortem* N. *vnigeniti filij tui, & per hanc da mihi, vt viuam tibi, & ſeruiam omnibus membris & potentiis meis. Domine ante te hoc eſt deſiderium meum, ſed & imperfectum* N. *meum viderunt oculi tui. Verùm ecce vota* N. *mea tibi Domine reddo in conſpectu omnis populi tui, & memor beneficiorum tuorũ, & immenſæ charitatis tuæ, dico tibi omnia opera mea. Credo tibi, & in ſpero, & tota corde te diligo.*

Alia ſed breuior præparatio ad Sacrum.

1. MAnè meditationem ad Miſſæ Sacrificium ordina, aut certè eius loco exercitium aliquod pium mente reuolue. 2. Lectionem horarum huc dirige, & quoties dicis, *Deus in adiutorium*, aut *Gloria Patri*, humillimè inuita Dominum inutilis ſeruus, atque affectibus Pſalmorum inſiſte. 3 Confeſſionem inſtitue, aut præmiſſo examine contritione animũ diſpone, inuocato Sanctorũ Patronorũ auxilio, & maximè B. Matris. 4. Cum verò iã ad Sacrũ eundum fidẽ viuã, ſpẽ & charitatẽ exerce, ſaltem ſpatio aliquo. Deindè dum manus lauas, contritionem excita, ac

 dum

dum hoſtiam imponis Calici, intentionem formula conſueta renoua, Ego volo, &c. Eandem priuſquam ab altari deſcendas, vt confeſſionem initio ſacri facias, & præſentē Dominum, Angelos item & Patronos tuos circumſtantes facito, & fidei, ſpei ac charitatis actus elicito, ſacrificium auſpicare.

Poſt illud iterum fidem viuificam, & humilia te valdè, ac gratias age. 2. Spem, taliq́ue atque aliis bona humiliter flagita nihil hæſitans. 3. Charitatem accende commemorādo paſſionis myſteria, cuius hoc Sacramentū memoriale eſt, teq́ue & omnia tua Domino offer, proſpice verò quid reliquo tibi die agendum, ne irreuerenter tātus hoſpes apud te habeatur.

CAPVT VIII.

Meditatio ante ſacroſanctam Communionem.

A creatis pete quid ſit IESVS.

CONSTITVE te coram Deo, deinde gratiam pete loquendi Domino tuo.

Primò, conſidera Dominum IESVM quaſi cum curiâ ſuâ ad te venientē. Pete verò, quis ſit ab omnibus creatis, nempe Deus potentiſſimus, ſapientiſſimus, optimus, iuſtiſſimus, qui homo factus, tanta pro te fecit, ſicut omnia pro te creauit, &c.

Præparatio neceſſaria.

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firma*, ibid.

Secundò, quantâ præparatione opus ſit, vide & qualem Deo ob beneficia debeas, doctus tot figuris, Sanctorum exemplis & ratione, cùm omnes tituli Regis, Imperatoris, &c. ei conueniant, quem tu paras ſuſcipere. *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7.

Vide cur veniat IESVS.

Tertiò, quomodo & quare veniat, nempe vt plenè ſe communicet, vt omnia miracula ſpiritualiter renouet: vnde accipere potes perſonas diuerſas, modò cæci, modò hydropici, modò paralytici, vt Spiritus vnctio te docebit, eoque affectu accedere, vt ſanet te, & velut paruum mundum recreet, ac ſanctum Spiritum innouet in viſceribus tuis. Vide etiam quanti ſteterit Chriſto hic cibus animæ tuæ.

Perſonam indue.

Fidei affectus exerce, vt ſup.

Quis tu ſis attende.

Quartò, ad quem ſecundùm animam & corpus veniat, attende, & deteſtare imperfectiones tuas præcipuas

puas etiam ſigillatim, maximè illam contra quam inſtituis examen particulare.

Quintò, conſidera quis ſit effectus Ven. Sacramenti, nempe ſumma vtilitas, ſumma dignitas, ſumma iucunditas; ſit enim anima templum, mater, ſepulcrum, cælum Dei: & fidei, ſpei ac charitatis actus exerce, percurrendo præcipua beneficia & perfectiones, v.g. Credo, Domine, te eſſe eum qui creaſti me, & omnia propter me, & jam ecce venis ad me: quomodo ergo non ſperabo in te, & diligam te ex toto corde meo? &c. *Effectus Ve. Sacr. qui?*

EXERCITIVM.

O IESU, IESU, IESU, *veni deſiderium collium æternorũ, & ſuſcipe cor contritum & humiliatum, & ſi quæ vnquam in me operatus es, & ego per te bona ad maiorem gloriam tuam, B Virginis, & omniũ Sanctorũ ac Patronorum meorum, pro Eccleſia tuâ, Principibus, &c & potentibus, & Religioſis omnibus, pro animabus defunctis, & pro parentibus, ac benefactoribus noſtris, viuis & defunctis, denique iuſtis & iniuſtis, & ſuſceptis à me mihiq; commiſſis, vel propter te particulariter coniunctis N. En venio puluis & cinis, & peccator, fateor, verè maximus, ad te, ô Rex regum, & Pater miſericordiarũ, ac gratiâ tuâ filium tuum & hæredem me eſſe ſpero, & laudare te cupio pro omnibus donis tuis, & beneficijs, & vitâ ac morte tuâ. O vnica ſpes, gaudium, & gloria mea, vtinam te fruar, tibi inhæream, & vnus tecum ſim, voluntate & amore, habitemq; in cauernis dulciſſimis vulnerum tuorum, & ſanentur hæc vulnera mea N! ô virtus mea, ſi vis, potes me mundare, & cùm diligas me plus quàm ego me; quomodo de veniâ non ſperabo, & victoriâ paſſionũ mearum, vt cantem tibi, gloria mea, & non confundar? Cõcede mihi ſpiritum tuum bonum & ſuauem, humilem & benignum, vt vnus tecum ſim, nihilq; velim extra te, cùm nihil boni ſit ſine te. Credo tibi, Veritas æterna, & ſpero in te ſolo, gratulabor tibi, ô omne bonum, & ſuſpiro cum Sanctis & Angelis, & beatâ Virgine ad immenſum, infinitum, gratuitum & ſpontaneum amorem tuum; inte omnem* Fiducia in Deo.

omnẽ affectũ quem poſſum, & voluntatẽ omnẽ transfundo, & cõfido tibi, ac diligo te ex toto corde meo, animâ meâ, mẽte meâ, & ex totis viribus meis, omneſq; in te, & nihil niſi in te, & propter te, ô Deus meus, Deus cordis mei & omnia. Amẽ

Exercitium aliud ante & poſt Communionem.

Humilia-tio ſui.

ADorãde, potẽtiſſime, immenſe, incomprehenſibilis Deus, nunquid tu habitas lucẽ inacceſſibilem, quomodo igitur eſſe poteſt conuentio lucis tuæ ad tenebras meas? tu es qui es, & in tuo cõſpectu omnia ſunt quaſi nõ ſint, ac tamquã guttę roris antelucani: quomodo ergo accedet ad te, qui exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit? coram te columnæ cæli contremiſcunt, & velant facies ſuas; tibi decies centena millia aſſiſtunt, & ego vermis & nõ homo, cuius conuerſatio eſt in terris, audebo ad te accedere? Tu Deus fortis, zelotes, Rex regum, quem nemo hominum videre poteſt, & viuere, quid ergò faciam peccatis innumeris reus maieſtatis tuæ: & hodie in pluribus futurus niſi gratia tua retineret me præcipitem, & currentem animã meã poſt greges ſodaliũ ſuorũ, quærentẽ ciſternas quæ cõtinere nõ valet aquas, & derelinquentẽ te fontẽ aquæ viuæ?

Ierem. 3.

Ecce hæc eſt illa infidelis, quæ poſt ſãctas in baptiſmo nuptias, fornicata eſt cum amatoribus multis, id eſt, creaturis, & te repudiauit, atque earum amore filios tuos ſanctas inſpirationes, odio habuit, & occidit in conſpectu tuo, immò ſanguinem tuum contẽptui habuit. Denique ortus mihi eſt, culpa vita, peccatum & miſeria; mori, pœna. Domine Deus meus, quomodo audebo cælum aſpicere, quomodo potero? qui cæcus vbique exiſtentẽ, & propter me operantem non agnoui? & toties ab inferno eripientem me, adhuc vt debui non dilexi, & cui adhæſi? creaturæ fallaci, hoſti, capitali: & cur? vt vitam, ſolatium & ſalutem animæ perderem (quæ in te ſolo erat) vt libertatem & te pro viliſſima re venderem, & à te, Pater æterne, longè recederem, qui tamen vbique es, & dominaris. Nónnè metuere debeo, ne cum Oza & Bethſamitis pereã ad conſpectum arcæ ſanctiſſimi corporis tui? ne veſte nuptiali carens,

Contritio

tarens, eiiciar à cæleſti cœna, vt paſcam porcos, nec ſatiari poſſim, ô pactor animæ meæ? Cooperuit confuſio faciē meam. Pſ 43.

Quid faciam ô cuſtos hominum, cæcus in viâ, vulneratus in ſiluâ, paralyticus in grabato? fugiâmne cum Caín à facie tuâ? & quò irem Deus meus? ergo veniens veniam ad Patrē meum, ad fontem aquæ viuæ ſitientem ſalutem meam, ad paſtorem quærentem perditam ouem, cæcus ad lucem, oneratus & laborans ad eum, qui reficiat me, et prodigus ruam in paternos amplexus, Pater mi, medice animæ meæ, magiſter, ſacerdos, cibus meus. En velut mare magna contritio mea: nō eſt qui conſoletur me ex omnibus caris meis præter te: quid ergo nunc mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas; & tu vnicum deſiderium meum. Thren. 2. Pſ. 72. Eccleſ. 1. Quinta Chriſti bonitas.

O anima mea vide IESVM ſtantē à dextris virtutis Dei, & vt veniat relinquens 99. oues in montibus vt te quærat, & ecce, ecce verè merces eius magna cum illo. Veniſne, bone IESV? veni, Domine, noli tardare: Venis enim vt excipias prodigum laſſum recrees, te contriſtantem exhilares, fugientem trahas, quondam te flagellantem oſculeris, ſpinis pungentem corones, crucifigentem amplectaris, occidentem viuifices, odientem infinito amore proſequaris. Eia reſpice, Deus meus, de excelſo ſolio gloriæ tuæ, & nō deſpicias me opus manuum tuarū, factum et refectū à te, emptū precio magno, vt glorificem et portem te in corpore meo, immò ſanguine tuo precioſo lotum, & tibi, dulciſſime IESV, pro tot lacrymis, opprobrijs et ſputis, et mortis ſententiæ adiudicatam. O quid pro his retribuam tibi, niſi me totum? omnia nunc vt ſtercora arbitror, vt te lucrifaciam; tecum in nouiſſimo ſedere volo, vt placeam tibi, obediens eſſe vſque ad mortem Superioribus, omnia accipere de manu tuâ. fac de me ſecundùm beneplacitum tuum, & fac vt nihil me delectet præter te, non laus peccatoris, non creatura quod ſatiare me non poteſt ſolatium, etenim tu ſola ſatietas, tu omne bonum meū. Da mihi, precor, vt impendam me in gloriā tuam, & ſuperimpendam vt proximum omni charitate reducam ad te, vt totus Propoſita pia &, gratiarum actio. Zeli actus.

tuus.

tuus ſim & tu meus, in te viuã lignum vitæ, & per te dulciſſimũ Manna, & tecum Agni benigniſſime, & propter te. ecce venio, & venire ad me dignaris, vt glorificẽ te, vt amẽ te, vt ſaner à te, vt pro præteritis ſatisfaciam, pro futuris gratiã impetrem, & gratiam merear in conſpectu tuo, pro Eccleſia & Ordinibus, parentibus, benefactoribus, commendatis, & inimicis. Accedo, vt amplectar te, firmiſſimè credens, quia tu verè es hic præſens & facis mirabilia ſolus. Auge obſecro in me fidẽ, ſpẽ excita, accende charitatẽ. Veni, veni, veni IESV, deliciæ tuæ ſint eſſe mecum, & meæ tecũ. Veni, dulciſſime, potentiſſime, ſapientiſſime, miſericordiſſime, amabiliſſime Deus meus, cũ B. Matre tua, cum ſanctis Patriarchis, Apoſtolis, N. Martyribus, N. Confeſſoribus. N. Virginibus N. omnibus, potiſſimùm Patronis, & quorũ hodie memoriã facimus: præparẽt illi cor meũ in habitaculũ tuũ, arcam, tabernaculũ, thronũ, templũ, cubiculum & lectulum tuum, vt quieſcas & maneas in me, vt videam te breui, & veniam ad te, amem te, ardeam, liqueſcam, conſumar, & conſummer in te. Amen.

Actus fidei.

Exercitium aliud poſt Communionem.

VNde hoc mihi, vt venias ad me, Rex regũ, & Domine dominantiũ, corã quo Angeli non ſunt puri? Venis ad me à templo gloriæ tuæ, & vnde & quo? ecce ſpeluncam latronum, ſerpentũ habitaculũ, vas contumeliæ, toties fœdatũ, poſtquam toties ſanguine tuo lotum per infinitã miſericordiã tuam fuit: & tu, ô Deus, ô bonitas infinita, toties à me repulſam paſſus fuiſti, & contemptus. Ergóne credibile eſt, quòd Deus habitet ſuper terrã, & velit facere nobiſcũ, & epulari, & iucundari cum ſeruulo ſuo? Ita, Domine, & venire ad cloacam fœdam, lepróſam, fornicariã ſponſam: quæ quod feciſti, defecit; pro dilectione odiũ, pro beneficiis reddidit maleficia, nec dedignaris præ amore ſedere cum ea in ſanie & ſterquilinio: neſcit tamen homo, eheu! an amore, an odio dignus ſit poſt tot peccata commiſſa, bona omiſſa, tot imperfectè facta.

Admiratio bonitatis Dei.

Hominis vilitas.

Ecce, nihil inuenio in me, niſi peccati fomitem & ſentinam ex me, & bonum facere non inuenio, abuſus ſum animæ meæ potentiis, & facta eſt memoria vaga ac inſtabilis,

imbecilla

imbecilla ratio & cæca, voluntas ſacrilega & furioſa: te enim creatorem calcauit & crucifixit, vt placeret hoſti homicidæ; te conſeruatorem vt inſidiatori; Redemptorem, vt perditori; ſe vocantem ad ſalutem Regem ſuum, vt tyranno; & neſcio, bone IESV, quare offenderim te, niſi quia bonus es & præſtabilis ſuper malitia hominum. Miſerere mihi, & exaudi me, & manſionem tuam apud me fac, & ſeruiam tibi omnibus diebus vitæ meæ.

Peccata mala.

Et verò tu Domine mi, quid inueniſti in me quod trahat te à ſummo cælorum, & deſcendere faciat in abyſſum miſeriarũ, niſi abyſſũ charitatis & miſericordiæ tuæ: nihil hic niſi quod in Magdalena, quod in paralytico, leproſo, ſed tu ſolus potens es mundum facere de immundo conceptum ſemine; ſine, fluant aromata gratiæ, & flumina ſanguinis tui ex paradiſo corporis tui de quinque limpidiſſimis fontibus vulneribus tuis, & mundabor, & lauabis me & ſuper niuem dealbabor. Riga me, ô IESV, lacrymis, quas fudiſti pro me, myrrhâ doloris tui vnge me, aſtringe vinculis, ſputis ablue, flagellis tuis emolli, ſanguine munda, irriſionibus fortifica, cruce erige, morte viuifica. eia ſuſcipe me in holocauſtum, & tyrannis peccatorum meorum fugatis, regna ſuper me, vt in quiete ſeruiam tibi, amem & fruar te beatitudo mea, & nihil velim extra te. velle poſt hæc non habeo, niſi tuũ. fac quod placet infinitæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitati tuæ: ego omnia accipiam à paternâ prouidentiâ tuâ, quæ nouit quid expediat prodigo filio ſuo. Diſpone, Domine, in tempore & æternitate de me. neſcio quid pro gloriâ tuâ, quam vnam ſpectare volo, conueniat & ſalute meâ: ideò iterum reſigno omnia in manus tuas, Domine, nolens in vllam rem affectu propendere, vel poſtulare, vt nudus nudum ſequar, velut iamiam eſſem moriturus. Accipe me Domine, & reſpice in me dolentem quòd vnquam receſſerim à te; amplectere redeuntem, ô charitas immenſa, Deus meus, & ſerva in te ſolo ſperantem, & ne proiicias me à facie tuâ, & Spiritum ſanctum tuum ne vnquam auferas à me.

Qualis ſit anima defectuoſa.
Iob 14.
Paſſionis Domini memoratio.
Reſignatio.
Pſalm. 50.

O amor dulcis, ô dulcedo amoris IESV, totus deſiderabilis. Accende in me ignem amoris tui, & vulnera me, vt totus transformer in te. Amo te omne bonum, pulcrum, & hone-

Amoris incentiua.

ſtum,

ſtium, omnis amœnitas, omnis ſuauitas fons ſplendoris, fons, melodiæ fons odoris, fons dulcoris, fons amoris: aſtringe me, vt non fugiam illectus ſtercoribus, & à te ſeparer vaniſſimâ vanitate, & ſpernã inenarrabile bonũ; ne plus me trahat creatura quàm Creator, vanitas quàm æternitas, deteſtabiliſſima miſeria quàm ſumma felicitas, plus me inclinent ſordes, quàm eleuet pulcritudo; ſeruitus quam magnitudo, amaritudo quàm dulcedo. Cant. 2. *Dilectus meus mihi, & ego illi qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies æternitatis, & inclinentur vmbræ vanitatis.* Cant. 8. *Ego dilecto meo & ad me iam conuerſio eius. Quis mihi det te fratrem meum vt inueniam te foris, & deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat, & nunquam ſeparer à te?*

Contemptus mundi. *Tu ſcis, ſponſe animæ meæ, deſiderium & gemitum meum: tolle quod diſplicet tibi in me. Da mihi cor humile, vt diabolicâ ſuperbiâ non ruam, nulli diſplicere timeam, vel placere optem niſi tibi, ſed vt lutum æſtimari velim pro te, qui veniſti miniſtrare, & Samaritanus, & dæmonium habens æſtimatus es; da obediens omnibus vt tibi; da forte, ad toleranda quæ prouida manus tua imponit, da dulce ad compaſſionem & proximum vt me diligendum; da liberum, vt ex omnibus euolet ad te; da carneum, vt perfectè amem te.* Obſecratio. *Tu potes, Domine IESV, & nutu potes, & tanta pro me feciſti & paſſus es, vtinam ergo velis iam meminiſſe afflictionis meæ in excelſo ſolio gloriæ tuæ. Vtinam ſanctiſſima Mater tua, Patriarchæ N. Apoſtoli N. Martyres N. Confeſſores N. Virgines N. intercedant pro me & gratias agant pro omnibus beneficijs tuis, vt citò ad te veniam & ſaluer, & inebrier tui amore, & gloriâ tuâ. Amen.*

Praxis.

Quid in Communione. MEDITATIO ad Communionem diſponit & præparat quam ſuprà habes. In ea verò conſidera in ictu oculi Maieſtatẽ Dei, ac vilitatis tuę abyſſũ, & amplerecte Dominum cum Angelorum, Archangelorum & Sanctorum affectu, eundo per ſingulos choros, teque totum reſigna, & offer ei omnia, ac gratulare illi de omnibus bonis eius.

Quid poſt faciendũ. Poſt eam Primò, fides viua excitanda; Secundò, admiratio, humiliatio, gratiarum actio & amplexus, oblatio cum vnione, petitio ac commendatio. Ad humiliationis affectum peccata, & indignitas tua te excitet. Ad admirationem, perfectionem Dei: Ad gratiarum actionem, omnia

neficia: ad amplexus amoris Dei, immenſitas & bonitas infinita. Deinde offer te, & omnia in vnione meritorũ Chriſti Iesv. Poſtremo, pro te & commendatis poſtula quod vis, in fide nihil hæſitans; qui enim hæſitat, ait S. Iacobus, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Nõ ergo exiſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Deo

Refig. Fiducia in oratione neceſſaria. Iacob. 1.

Praxes aliæ.

PRima. Cùm communio ſit memoriale Dominicæ Paſſionis, de illa meditationem inſtituere optima eſt præparatio: quemadmodũ etiam de natiuitate Chriſti, aut annunciatione B. Virginis, ſeu incarnatione Verbi Dei, eò quòd per communionem myſterium illud quaſi innouetur. O quanta dignitas peccatoris! quanta dignatio Creatoris! Idem etiam dici poteſt de Zachæo, &c.

Paſsionis meditatio eſt præparatio.

Secunda. Videmus tot peregrinationes inſtitui ad reliquias Sanctorũ, & rectè: ſed quid illæ ſi ad hoc SS. Sacramentum comparentur? ergo peregrinemur nos ad illud, ad veram, vt ſic loquar, humilitatem, & charitatem ac deuotionem; ad admirationem, quòd veniat Rex ad pauperẽ, idemque Deus ad reum mortis & proditionis, vt reconciliet eum ſibi. Gaudeamus ob tantam apparitionem non Angeli, ſed Dei, non dubiam, ſed certiſſimam.

Nota & vide quis quo veniat, & peregrinare ſpiritualiter.

Tertia. Cogita epulum eſſe, ac veſtitu, appetitu, ſpirituali lotione, reuerentiâ te para; commenda hoſpitem & fercula; aufer & conſerua ex iis quod tuis communices. Appetitum iuuabit ſi ab aliis abſtineas cibis, ideò deuoti abſtinentiâ aliquâ ſe parant. S. Margareta Hungarica, teſte Surio, ieiunabat pridie in pane & aquâ; B. Stanislaus Koſtka cœna abſtinebat; Hedwigis Duciſſa Poloniæ præ amore ac reuerentiâ vberrimè flere ſolebat, & crebrò flexis genibus Euchariſtiam venerari antequam ſumeret; B. Xauerius eam flexis genibus diſtribuebat, & in Sacro quotidiano quaſi nouus ſacerdos, deuotiſſimè S. Hoſtiam offerebat, & lacrymabatur; B. Aloyſius tribus diebus gratias agebat pro præteritâ communione, tribus gratiam petebat pro futura.

Ven. Euchariſtia eſt epulum

Sanctorũ exempla & deuotio.

Praxis alia pro Sacra communione Religioſis & deuotis minùs occupatis accommodata.

TRia ſunt inquit Hugo, ſacrificiorum genera, vnum Dominici corporis, alterum contriti cordis, tertium mortificatæ carnis: oportet igitur præcedere ſacrificiũ humilitatis in mente, afflictionis in carne, vt habeatur deuotio in Dominici corporis conſecratione. Ideò pridie animam

Hugo de clauſtro animæ, l. 2. c. 23. Qualis ſit.

Epiſtola Dei Scriptura. ritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Lege Epiſtolam velut à Deo tibi miſſam ex ſummo amore cum implendi præcepti voluntate. *Ad Dominus vobiſcum.* Ad *Dominus vobiſcum*, opta, vt ſicut Dominus vbique per eſſentiam præſens eſt, ita cum omnibus dignetur eſſe per gratiã, vt egregiè ſuggerit P. Puntę. Ad benedictionem, pete zelum, & animarum conuerſionem. *Nota.* Euangelium, vt à Chriſto IESV audi, in fine oſculando librum gratias age; & factor verbi eſſe propone, non auditor tantùm. Ad *Credo*, eliciendo actus fidei honora Deũ, pro eo quòd Ethnici & hæretici incredulitate ſua eum inhonorant, & gratulare, cùm B. Tereſà, Chriſto, quòd regni eius non erit finis. in cæteris ſicut vnctio docebit, fidei, ſpei & charitatis actus miſce. *Ad Oremus.* Ad *Oremus*, omnimodam tui diffidentiam & humilitatem excita. *Ad Offertorium.* Ad Offertorium, reſpice in cælum ad Deum Patrem; Secundò, ad te & nihilum tuum; Tertiò, toto cordis affectu offer te & vota, & poſtea dic: *Suſcipe*, &c. Dum vinum infundis, gratias age Deo, quod in his ſpeciebus vilibus ſit dignatus ſe præ amore tui occulere. Dum aquam, opta ſic vniri Deo. Ad oblationem calicis offer te iterum, & puriſſimam intentionem renoua. Ad *In ſpiritu humilitatis*, ex animo contrito humilia te, & conterere. *Contritio excitanda.* Ad *Lauabo*, iterum conterere, & gratias age, quòd ablutus ſis ſanguine Chriſti. Ad *Suſcipe Sancta Trinitas*, fac vt in oblatione. Orationes recita, vt ſuprà. Ad *ſurſum corda*, attentionem renoua. Ad *Gratias agamus*, gratias age, vt Indulgentiam centum dierum promerearis. Ad *Benedictus qui venit*, &c. inuita Dominum omniũ Sanctorum affectu in animam tuam. Ad *Memento*, ora Primò, pro te ipſo vt libereris à defectibus tuis, eoſque deteſtare; Secundò, virtutes certas, v g. amorem, humilitatem, pacem, Dei præſentiam, perſeuerantiam pete; Tertiò, exerce actus fidei, ſpei, charitatis & reſignationis, votaque renoua, ſi Religioſus ſis. *Pro quibus orandum & quo ordine.* Deinde, ora primò, pro parentibus & Superioribus; Secundò, pro commendatis tibi & ſubditis; Tertiò, pro benefactoribus; Quartò, inimicis; Quintò, vocatis ad religionem, & fidem: Sextò, pro tota Eccleſia. Hæc per caſus Latinos retinentur, aut per IESV, Chriſti crucifixi membra; ita vt in capite, Superiores; in dextra, ſubditi, & commendati; in ſiniſtra, benefactores; in corde, inimici; in pede dextro, conuertendi; in ſiniſtro, vniuerſa Eccleſia collocetur. Ad *Communicantes* inuoca Sanctos. B. Virginem, & ſponſum eius, &c. Ad *Hanc igitur, obſequium ſeruitutis*, proponere quis poteſt omnia, etiam minimas regulas, ſeruare, vt ſeruus fidelis. *Ad Conſecrationem.* Ad *Dilectiſſimi* excita amorem Chriſti. Ad *Qui pridie*, &c. *accepit panem*, fidem,

Ad

Ad *eleuatis oculis*, præſentiam Dei renoua. Ad *Gratias agens*, eas age. Ad *Benedixit, fregit, deditque*, exerce fidem, ſpem, charitatem, ita vt deſideres quantũ potes, & quanto affe-ctu omnes creaturæ poſſent, Deo hoc ſacrificio gratificari. Mox prolatis verbis omni excipe venientem affectu, illi-que gratulare, & trina eum adoratione adora pro omnibus qui blaſphemant, fide, ſpe, charitate. Ad calicem, idem fac. Ad *Vnde*, &c. exerce gaudii actus de aſcenſione Chriſti, & gratias age Deo pro Sacramẽti huius inſtitutione, Ad *Iuſti Abel & Abrahæ*, offer omnia ſacrificia vetera. Ad *Per manus ſancti Angeli*, roga vt etiã auxilio ſint, & ſanctus Michael imprimis. Ad *Memento etiam, Domine, famulorum*, cogita ne-ceſſitatem eorum, & obſecra Dominũ, per paſſionem eius; & propone ſic viuere, velut hodie moriturus. Ad *Nobis quo-que*, ſub omnibus te humilia, & inuoca Sanctos, Quoties autem ſanctiſſimam hoſtiam tangis, toties omni omnium affectu id facias, & complectaris Dominũ tuum. Ad *Om-nis honor & gloria*, intentionem renoua, Ad *Audemus dicere*, excita fiduciam, & recita attentè ſingulas petitiones, qui-bus omnis intentio continetur, quâ communio ſuſcipi poteſt. Ad *Per eundem*, mortui Chriſti memoriam renoua, vitam tuam illi dedica. Ad *Agnus Dei*, Iesvm velut in præ-ſepio iacentem, vel in ſanguine ſuo poſt flagellationem, ve-lut in throno cæleſti ſedentem adora. Ad orationem de pa-ce, excita contritionem. Ad Secundam, fiduciam, & pete liberari à peccatis, Ad Tertiam, *Perceptio*, pete perſeuerã-tiam & amorem excita. Ad Primum *Domine nõ ſum dignus*, humilia te ob peccata ſub omni creatura, & dole de iiſdẽ; ad Secundum, cõſidera beneficia Dei, & humilia te, quòd iis non reſponderis; ad Tertium, abyſſum perfectionum Dei intuere, & tuam miſeriarum & peccatorum, & collige omnes affectus ex omni creatura in Deum, & vide Chri-ſtum te omniaque tua inſpicientem: deinde renoua vota, ac fide, ſpe, & charitate ſumma Deum amplectere, optans affectum omnium Sanctorum. Poſtea ſumendo, ardentiſ-ſimum Chriſti amorem attende, & quaſi os lateri admo-uendo, amplectere arctiſſimè, ac opta, vt omnes eum lau-dent, teque ei viciſſim trade. Ad calicem, immenſum rur-ſus amorem Dei conſidera, eique te totum deuoue, manẽ-do in gratulationibus, & amoris actibus, abyſſum maieſta-tis Dei, & tuæ vilitatis attendendo, leui oculi mentis con-iectu, Ad cætera, vt ſuprà. Ad *Ite Miſſa eſt* gratias age. Ad *Placeat tibi*, iterum offer cum omni deſiderio triumphantis, & militantis Eccleſię puriſſima intentione, vt verba docẽt.

Adoratiõ.

Ad conta-ctum ho-ſtiæ. Inten-tiones va-riæ in Pa-ter noſter.

Ad Domi-ne non ſum dignus.

In Com-munione.

In principio. Ad benedictionem humilia te, & pete efficaciter pro te, præſentibus & commiſſis. *In principio*, totum dicatur, conſiderando myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis, & gratulando, & amplectendo, maximè cùm legitur, *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* In genuflexione, gratias age pro omnibus; & rurſus in medio, incipiendo, *Trium puerorum.* Ad *Benedicite*, ad ſingula te humilia, eò quòd indignus ſis & inſufficiens; & ſimul omnia ad laudandum Deum, tamquã te aptiora inuita. Ad *Actiones noſtras*, omnes offer. adde *Pater* & *Aue*, pro defunctis, & merere indulgentias pro animabus quas poteris.

Poſt ſacrificium Miſſæ.

Gratulatio PRIMÒ, fidem viuam excita & conſidera, iterum maieſtatem Dei, teque eâ plenum, & Angelis cinctum, eique gratulare potentiam, ſapientiam & bonitatem, humiliando te ſub potenti manu eius, & ei te reſignando, eum ſuper omnia amando, omnemque creaturæ affectum in eũ *Humiliatio.* refundendo. nihil enim boni, niſi à fonte bonorum. Secundò, vide vt te ſub omnibus colloces & humilies; ideoque percurre, & aperi Chriſto indignitatem & miſerias tuas, & eum quaſi has ſcrutantem conſidera, & propone vitam potiſſimùm ſeriò emendare, atque ad hoc pete gratiam. Tertiò, gratias age omnibus Angelis & Sanctis ad hoc inuocatis, & eorum affectu aſſumpto, quo ipſi Deo gratias *Gratiarũ actio.* pro ſua ſalute egerunt ingreſſi in cælũ, æternumque agũt, illum amplectendo, & ora vt pro vitiorum exſtirpatione intercedant: cum quibus etiã colloquia exercere aliquãdo *Oblatio & Conſecratio.* poſſes. Quartò, offer Domino Deo filium, & percurre ſingula paſſionis & vitæ myſteria; & per illa poſtula pro te & amicis gratias: teque & omnia offer ad eius gloriã, animam ſcilicet & corpus, proponendo eius ſenſus, maximè oculos, aures & linguam cuſtodire. Quintò, conſidera quaſi Deum omnia in corde luſtrantem; & vota, ſi Religioſus es, renoua: pauperrima elige, voluptates reſpue, Superiores recognoſce pro vicariis Dei, & offer omnes actiones tuas; *Votorũ renouatio, & ſui oblatio.* dehinc beneficia Dei percurre, generalia & particularia; & vt in omni creaturâ omnia pro nobis, & in nobis operetur, & præſens ſit, eius item ſummũ amorẽ erga nos perpende; & gaude iterũ de eius bonis, teque totum ei reſigna, omniaque creata contemne: propone verò quantum poteris, omnes ad illum trahere, & iterum omnia ad eius honorem facere, actiones quantum potes præuidendo, ne quid tanto hoſpite indignum agas.

Diſtri-

Diſtributio Communionis.

SAnè ſi verbis ſacris in ea proferri ſolitis attendas, abundè eſt. Poteris tamen, dum hierothecam, ô Sacerdos, accipis, actum fidei, ſpei, ac charitatis excitare, vt in Eleuatione. Quid enim aliud tunc animo volues? Ad *Miſereatur* contritionem renoua; Ad *Agnus Dei*, & *Domine non ſũ dignus*, fac vt in Sacro. Singulas hoſtias preme amoris affectu. Inter diſtribuendum caue, oculis animoque euagari: ſed aliquãdiu modò fidẽ, modò ſpẽ modò charitatẽ excita; modò imitare Chriſtũ ſe tradentẽ homini, & te ei reginã; modò potentiam, ſapientiam, & bonitatem eius admirare. Cæterùm, vt ſuprà de aliis dictum, Spiritus ſancti vnctio ſequenda eſt, neque his, niſi per ſe ſic fluant aromata gratiæ Dei inſiſtendum. Sed obſerua, ſæpè vel ſemel audiuiſſe malam alluſionem verbi alicuius, non parùm obfuiſſe, & bonam pariter multùm prodeſſe.

Oratio ſuperiora complectens.

TVne Deus meus venis ad me infinita Maieſtas, infinita bonitas, venis ad me, & manſionẽ apud me vis facere, & meus es? quis mihi tribuat, vt omnem affectum meum in te refundam & reuertatur tota anima mea in originem ſuam? O abyſſum miſericordiæ & charitatis! Vide afflictionem & paupertatem meam N. & quid diues es in omnes, ne diſpicias me. Benedicite Domino omnia opera eius, benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Vtinam affectu omnium Angelorum & Sanctorum te complectar & tibi gratias agam, & omnis ſpiritus laudet te Domine. Suſcipe, obſecro, in gratiarum actionem Pater æterne vitam & mortem N. vnigeniti filij tui, & per hanc da mihi, vt viuam tibi, & ſeruiam omnibus membris & potentiis meis. Domine ante te hoc eſt deſiderium meum, ſed & imperfectum N. meum viderunt oculi tui. Verùm ecce vota N. mea tibi Domine reddo in conſpectu omnis populi tui, & memor beneficiorum tuorũ, & immenſæ charitatis tuæ, dico tibi omnia opera mea. Credo tibi, & in ſpero, & tota corde te diligo.

Alia ſed breuior præparatio ad Sacrum.

1. MAnè meditationem ad Miſſæ Sacrificium ordina, aut certè eius loco exercitium aliquod pium mente reuolue. 2. Lectionem horarum huc dirige, & quoties dicis, *Deus in adiutorium*, aut *Gloria Patri*, humillimè inuita Dominum inutilis ſeruus, atque affectibus Pſalmorum inſiſte. 3 Confeſſionem inſtitue, aut præmiſſo examine contritione animũ diſpone, inuocato Sanctorũ Patronorũ auxilio, & maximè B. Matris. 4. Cum verò iã ad Sacrũ eundum fidẽ viuã, ſpẽ & charitatẽ exerce, ſaltem ſpatio aliquo. Deindè dum manus lauas, contritionem excita, ac dum

dum hoſtiam imponis Calici, intentionem formula conſueta renoua, Ego volo, &c. Eandem priuſquam ab altari deſcendas, vt confeſſionem initio ſacri facias, & præſentē Dominum, Angelos item & Patronos tuos circumſtantes facito, & fidei, ſpei ac charitatis actus elicito, ſacrificium auſpicare.

Poſt illud iterum fidem viuificam, & humilia te valdè, ac gratias age. 2. Spem, taliq́ue atque aliis bona humiliter flagita nihil hæſitans. 3. Charitatem accende commemorãdo paſſionis myſteria, cuius hoc Sacramentū memoriale eſt, teq́ue & omnia tua Domino offer, proſpice verò quid reliquo tibi die agendum, ne irreuerenter tãtus hoſpes apud te habeatur.

CAPVT VIII.

Meditatio ante ſacroſanctam Communionem.

A creatis pete quid ſit IESVS.

CONSTITVE te coram Deo, deinde gratiam pete loquendi Domino tuo.

Primò, conſidera Dominum IESVM quaſi cum curiâ ſuâ ad te venientē. Pete verò, quis ſit ab omnibus creatis, nempe Deus potentiſſimus, ſapientiſſimus, optimus, iuſtiſſimus, qui homo factus, tanta pro te fecit, ſicut omnia pro te creauit, &c.

Præparatio neceſſaria.

Aſpira, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firma*, ibid.

Secundò, quantâ præparatione opus ſit, vide & qualem Deo ob beneficia debeas, doctus tot figuris, Sanctorum exemplis & ratione, cùm omnes tituli Regis, Imperatoris, &c. ei conueniant, quem tu paras ſuſcipere. *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7.

Vide cur veniat IESVS.

Tertiò, quomodo & quare veniat, nempe vt plenè ſe communicet, vt omnia miracula ſpiritualiter renouet: vnde accipere potes perſonas diuerſas, modò cæci, modò hydropici, modò paralytici, vt Spiritus vnctio te docebit, eoque affectu accedere, vt ſanet te, & velut paruum mundum recreet, ac ſanctum Spiritum innouet in viſceribus tuis. Vide etiam quanti ſteterit Chriſto hic cibus animæ tuæ.

Perſonam indue.

Fidei affectus exerce, vt ſup.

Quis tu ſis attende.

Quartò, ad quem ſecundùm animam & corpus veniat, attende, & deteſtare imperfectiones tuas præcipuas

puas etiam ſigillatim, maximè illam contra quam inſtituis examen particulare.

Quintò, conſidera quis ſit effectus Ven. Sacramenti, nempe ſumma vtilitas, ſumma dignitas, ſumma iucunditas; fit enim anima templum, mater, ſepulcrum, cælum Dei: & fidei, ſpei ac charitatis actus exerce, percurrendo præcipua beneficia & perfectiones, v.g. Credo, Domine, te eſſe eum qui creaſti me, & omnia propter me, & jam ecce venis ad me: quomodo ergo non ſperabo in te, & diligam te ex toto corde meo? &c. *Effectus Ve. Sacr. qui.*

EXERCITIVM.

O IESU, IESU, IESU, *veni deſiderium collium æternorũ, & ſuſcipe cor contritum & humiliatum, & ſi quæ vnquam in me operatus es, & ego per te bona ad maiorem gloriam tuam, B Virginis, & omniũ Sanctorũ ac Patronorum meorum, pro Eccleſia tuâ, Principibus, &c & potentibus, & Religioſis omnibus, pro animabus defunctis, & pro parentibus, ac benefactoribus noſtris, viuis & defunctis, denique iuſtis & iniuſtis, & ſuſceptis à me mihiq; commiſſis, vel propter te particulariter coniunctis* N. *En venio puluis & cinis, & peccator, fateor, verè maximus, ad te, ô Rex regum, & Pater miſericordiarũ, ac gratiâ tuâ filium tuum & hæredem me eſſe ſpero, & laudare te cupio pro omnibus donis tuis, & beneficijs, & vitâ ac morte tuâ. O vnica ſpes, gaudium, & gloria mea, vtinam te fruar, tibi inhæream, & vnus tecum ſim, voluntate & amore, habitemq; in cauernis dulciſſimis vulnerum tuorum, & ſanentur hæc vulnera mea* N! *ô virtus mea, ſi vis, potes me mundare, & cùm diligas me plus quàm ego me; quomodo de veniâ non ſperabo, & victoriâ paſſionũ mearum, vt cantem tibi, gloria mea, & non confundar? Cõcede mihi ſpiritum tuum bonum & ſuauem, humilem & benignum, vt vnus tecum ſim, nihilq; velim extra te, cùm nihil boni ſit ſine te. Credo tibi, Veritas æterna, & ſpero in te ſolo, gratulabor tibi, ô omne bonum, & ſuſpiro cum Sanctis & Angelis, & beatâ Virgine ad immenſum, infinitum, gratuitum & ſpontaneum amorem tuum; inte* Fiducia in Deo.

omnem

omnẽ affectũ quem poſſum, & voluntatẽ omnẽ transfundo, & cõfido tibi, ac diligo te ex toto corde meo, animâ meâ, mẽte meâ, & ex totis viribus meis, omneſq; in te, & nihil niſi in te, & propter te, ô Deus meus, Deus cordis mei & omnia. Amẽ

Exercitium aliud ante & poſt Communionem.

Humiliatio ſui. *ADorãde, potẽtiſſime, immenſe, incomprehenſibilis Deus, nunquid tu habitas lucẽ inacceſſibilem, quomodo igitur eſſe poteſt conuentio lucis tuæ ad tenebras meas? tu es qui es, & in tuo cõſpectu omnia ſunt quaſi nõ ſint, ac tamquã guttæ roris antelucani: quomodo ergo accedet ad te, qui exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit? coram te columnæ cæli contremiſcunt, & velant facies ſuas; tibi decies centena millia aſſiſtunt, & ego vermis & nõ homo, cuius conuerſatio eſt in terris, audebo ad te accedere? Tu Deus fortis, zelotes, Rex regum, quem nemo hominum videre poteſt, & viuere, quid ergò faciam peccatis innumeris reus maieſtatis tuæ: & hodie in pluribus futurus niſi gratia tua retineret me præcipitem, & currentem animã meã poſt greges ſodaliũ ſuorũ, quærentẽ ciſternas quæ cõtinere nõ valẽt aquas, & derelinquentẽ te fontẽ aquæ viuæ?*

Ierem. 3. *Ecce hæc eſt illa infidelis, quæ poſt ſãctas in baptiſmo nuptias, fornicata eſt cum amatoribus multis, id eſt, creaturis, &*

Contritio *te repudiauit, atque eorum amore filios tuos ſanctas inſpirationes, odio habuit, & occidit in conſpectu tuo, immò ſanguinem tuum contẽptui habuit. Denique ortus mihi eſt, culpa vita, peccatum & miſeria; mori, pœna. Domine Deus meus, quomodo audebo cælum aſpicere, quomodo potero? qui cæcus vbique exiſtentẽ, & propter me operantem non agnoui? & toties ab inferno eripientem me, adhuc vt debui non dilexi, & cui adhæſi? creaturæ fallaci, hoſti, capitali: & cur? vt vitam, ſolatium & ſalutem animæ perderem (quæ in te ſolo erat) vt libertatem & te pro viliſſima re venderem, & à te, Pater æterne, longè recederem, qui tamen vbique es, & dominaris. Nonnè metuere debeo, ne cum Oza & Bethſamitis pereã ad conſpectum arcæ ſanctiſſimi corporis tui? ne veſte nuptiali carens,*

cáren s, eiiciar à cœleſti cœna, vt paſcam porcos, nec ſatiari poſsim, ô paſtor animæ meæ? Cooperuit confuſio faciẽ meam. Pſ 43.

Quid faciam ô cuſtos hominum, cæcus in viâ, vulneratus in ſiluâ, paralyticus in grabato? fugiâmne cum Cáin à facie tuâ? & quò ibo? ibo Deus meus? ergo veniens veniam ad Patrẽ meum, ad fontem aquæ viuæ ſitientem ſalutem meam, ad paſtorem quærentem perditam ouem, cæcus ad lucem, oneratus & laborans ad eum, qui reficiat me, et prodigus tuam in paternos amplexus, Pater mi, medice animæ mea, magiſter, ſacerdos, cibus meus. En velut mare magna contritio mea: nõ eſt qui conſoletur me ex omnibus caris meis præter te: quid ergo nunc mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? Vanitas vanitatum, & omnia vanitas; & tu vnicum deſiderium meum. Thren. 2. Pſ. 72. Eccleſ. 1. Quinta Chriſti bonitas.

O anima mea vide IESVM ſtantẽ à dextris virtutis Dei, & vt veniat relinquens 99. oues in montibus vt te quærat, & ecce, ecce verè merces eius magna cum illo. Veniſne, bone IESV? veni, Domine, noli tardare: Venis enim vt excipias prodigum, laſſum recrees, te contriſtantem exhilares, fugientem trahas, quondam te flagellantem oſculeris, ſpinis pungentem corones, crucifigentem amplectaris, occidentem viuifices, odientem infinito amore proſequaris. Eia reſpice, Deus meus, de excelſo ſolio gloriæ tuæ, & no deſpicias me opus manuum tuarũ, factum et refectũ à te, emptũ precio magno, vt glorificem et portem te in corpore meo, immò ſanguine tuo precioſo lotum, & tibi, dulciſsime IESV, pro tot lacrymis, opprobrijs et ſputis, et mortis ſententiâ adiudicatam. O quid pro his retribuam tibi, niſi me totum? omnia nunc vt ſtercora arbitror, vt te lucrifaciam; tecum in nouiſsimo ſedere volo, vt placeam tibi, obediens eſſe vſque ad mortem Superioribus, omnia accipere de manu tuâ. fac de me ſecundùm beneplacitum tuum, & fac vt nihil me delectet præter te, non laus peccatoris, non creatura quod ſatiare me non poteſt ſolatium, etenim tu ſola ſatietas, tu omne bonum meũ. Da mihi, precor, vt impendam me in gloriã tuam, & ſuperimpendam vt proximum omni charitate reducam ad te, vt totus Propoſita pia & gratiarum actio. Zeli actus.

tuus ſim & tu meus, in te viuā lignum vitæ, & per te dulciſſimū Manna, & tecum Agne benigniſſime, & propter te. ecce venio, & venire ad me dignaris, vt glorificē te, vt amē te, vt ſaner à te, vt pro præteritis ſatisfaciam, pro futuris gratiā impetrem, & gratiam merear in conſpectu tuo, pro Eccleſia & Ordinibus, parentibus, benefactoribus, commendatis, & inimicis. Accedo, vt amplectar te, firmiſſimè credens, quia tu verè es hic præſens & facis mirabilia ſolus. Auge obſecro in me fidē, ſpē excita, accende charitatē. Veni, veni, veni IESV, deliciæ tuæ ſint eſſe mecum, & meæ tecū. Veni, dulciſſime, potentiſſime, ſapientiſſime, miſericordiſſime, amabiliſſime Deus meus, cū B. Matre tua, cum ſanctis Patriarchis, Apoſtolis, N. Martyribus N. Confeſſoribus. N. Virginibus N. omnibus, potiſſimùm Patronis, & quorū hodie memoriā facimus: præparēt illi cor meū in habitaculū tuū, arcam, tabernaculū, thronū, templū, cubiculum & lectulum tuum, vt quieſcas & maneas in me, vt videam te breui, & veniam ad te, amem te, ardeam, liqueſcam, conſumar, & conſummer in te. Amen.

Actus fidei.

Exercitium aliud poſt Communionem.

VNde hoc mihi, vt venias ad me, Rex regū, & Domine dominantiū, corā quo Angeli non ſunt puri? Venis ad me à templo gloriæ tuæ, & vnde & quo? ecce ſpeluncam latronum, ſerpentū habitaculū, vas contumeliæ, toties fœdatū, poſtquam toties ſanguine tuo lotum per infinitā miſericordiā tuam fuit: & tu, ô Deus, ô bonitas infinita, toties à me repulſam paſſus fuiſti, & contemptus. Ergóne credibile eſt, quòd Deus habitet ſuper terrā, & velit facere nobiſcū, & epulari, & iucundari cum ſeruulo ſuo? Ita, Domine, & venire ad cloacam fœdam, leproſam, fornicariā ſponſam: quæ quod feciſti, defecit; pro dilectione odiū, pro beneficiis reddidit maleficia, nec dedignaris præ amore ſedere cum ea in ſanie & ſterquilinio: neſcit tamen homo, eheu! an amore, an odio dignus ſit poſt tot peccata commiſſa, bona omiſſa, tot imperfectè facta.

Admiratio bonitatis Dei.

Hominis vilitas.

Ecce, nihil inuenio in me, niſi peccati fomitem & ſentinam ex me, & bonum facere non inuenio, abuſus ſum animæ meæ potentiis, & facta eſt memoria vaga ac inſtabilis,

imbecilla

imbecilla ratio & cæca, voluntas ſacrilega & furioſa te enim creatorem calcauit & crucifixit, vt placeret hoſti homicidæ; te conſeruatorem vt inſidiatori; Redemptorem, vt perditori; ſe vocantem ad ſalutem Regem ſuum, vt tyranno; & neſcio, bone IESV, quare offenderim te, niſi quia bonus es & præſtabilis ſuper malitia hominum. Miſerere mihi, & exaudi me, & manſionem tuam apud me fac, & ſeruiam tibi omnibus diebus vitæ meæ. Peccata mala.

Et verò tu Domine mi, quid inueniſti in me quod trahat te à ſummo cælorum, & deſcendere faciat in abyſſum miſeriarũ, niſi abyſſũ charitatis & miſericordæ tuæ: nihil hic niſi quod in Magdalena, quod in paralytico, leproſo, ſed tu ſolus potens es mundum facere de immundo conceptum ſemine; ſine, fluant aromata gratiæ, & flumina ſanguinis tui ex paradiſo corporis tui de quinque limpidiſſimis fontibus vulneribus tuis, & mundabor, & lauabis me & ſuper niuem dealbabor. Riga me, ô IESV, lacrymis, quas fudiſti pro me, myrrhâ doloris tui vnge me, aſtringe vinculis, ſputis ablue, flagellis tuis emolli, ſanguine munda, irriſionibus fortifica, cruce erige, morte viuifica. eia ſuſcipe me in holocauſtum, & tyrannis peccatorum meorum fugatis, regna ſuper me, vt in quiete ſeruiam tibi, amem & fruar te, beatitudo mea, & nihil velim extra te. velle poſt hæc non habeo, niſi tuũ. fac quod placet infinitæ potentiæ, ſapientiæ, ac bonitati tuæ: ego omnia accipiam à paternâ prouidentiâ tuâ, quæ nouit quid expediat prodigo filio ſuo. Diſpone, Domine, in tempore & æternitate de me. neſcio quid pro gloriâ tuâ, quam vnam ſpectare volo, conueniat & ſalute meâ: ideò iterum reſigno omnia in manus tuas, Domine, nolens in vllam rem affectu propendere, vel poſtulare, vt nudus nudum ſequar, velut iamiam eſſem moriturus Accipe me Domine, & reſpice in me dolentem quòd vnquam receſſerim à te; amplectere redeuntem, ô charitas immenſa, Deus meus, & ſerva in te ſolo ſperantem, & ne proiicias me à facie tuâ, & Spiritum ſanctum tuum ne vnquam auferas à me.

Qualis ſit anima defectuoſa. Iob 14. Paſſionis Domini memoratio. Reſignatio. Pſalm. 50.

O amor dulcis, ô dulcedo amoris IESV, totus deſiderabilis. Accende in me ignem amoris tui, & vulnera me, vt totus transformer in te. Amo te omne bonum, pulcrum, & honeſtum, Amoris incentiua.

neficia: ad amplexus amoris Dei, immenſitas & bonitas infinita. Deinde offer te, & omnia in vnione meritorũ Chriſti Iesv. Poſtremo, pro te & commendatis poſtula quod vis, in fide nihil hæſitans; qui enim hæſitat, ait S. Iacobus, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. Nõ ergo exiſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Deo *Refig. Fiducia in oratione neceſſaria. Iacob. 1.*

Praxes aliæ.

PRima. Cùm communio ſit memoriale Dominicæ Paſſionis, de illa meditationem inſtituere optima eſt præparatio: quemadmodũ etiam de natiuitate Chriſti, aut annunciatione B. Virginis, ſeu incarnatione Verbi Dei, eò quòd per communionem myſterium illud quaſi innouetur. O quanta dignitas peccatoris! quanta dignatio Creatoris! Idem etiam dici poteſt de Zachæo, &c. *Paſsionis meditatio eſt præparatio.*

Secunda. Videmus tot peregrinationes inſtitui ad reliquias Sanctorũ, & rectè: ſed quid illæ ſi ad hoc SS. Sacramentum comparentur? ergo peregrinemur nos ad illud, ad veram, vt ſic loquar, humilitatem, & charitatem ac deuotionem; ad admirationem, quòd veniat Rex ad pauperẽ, idemq́ue Deus ad reum mortis & proditionis, vt reconciliet eum ſibi. Gaudeamus ob tantam apparitionem non Angeli, ſed Dei, non dubiam, ſed certiſſimam. *Nota & vide quis quo veniat, & peregrinare ſpiritualiter.*

Tertia. Cogita epulum eſſe, ac veſtitu, appetitu, ſpirituali lotione, reuerentiâ te para; commenda hoſpitem & fercula; aufer & conſerua ex iis quod tuis communices. Appetitum iuuabit ſi ab aliis abſtineas cibis, ideò deuoti abſtinentiâ aliquâ ſe parant. S. Margareta Hungarica, teſte Surio, ieiunabat pridie in pane & aquâ; B. Stanislaus Koſtka cœna abſtinebat; Hedwigis Duciſſa Poloniæ præ amore ac reuerentiâ vberrimè flere ſolebat, & crebrò flexis genibus Euchariſtiam venerari antequam ſumeret; B. Xauerius eam flexis genibus diſtribuebat, & in Sacro quotidiano quaſi nouus ſacerdos, deuotiſſimè S. Hoſtiam offerebat, & lacrymabatur; B. Aloyſius tribus diebus gratias agebat pro præteritâ communione, tribus gratiam petebat pro futura. *Ven. Euchariſtia eſt epulum. Sanctorũ exempla & deuotio.*

Praxis alia pro Sacra communione Religioſis & deuotis minùs occupatis accommodata.

TRia ſunt inquit Hugo, ſacrificiorum genera, vnum Dominici corporis, alterum contriti cordis, tertium mortificatæ carnis: oportet igitur præcedere ſacrificiũ humilitatis in mente, afflictionis in carne, vt habeatur deuotio in Dominici corporis conſecratione. Ideò pridie animam *Hugo de clauſtro animæ, l. 2. c. 23. Qualis ſit.*

præparatio neceſſaria. Veſtis animæ Mortificatio præmittenda & humiliatio.

mam purgare contritione, vel confeſſione, & abſtinentiam ſaltem aliquam facere conuenit. Secundò, actum aliquem charitatis erga proximum (quod ſaltem orando pro eo fieri poteſt) vt induatur anima veſte nuptiali. Tertiò, affectū erga creatum aliquod exuere, proponendo, aut, ſi licet, faciendo aliquem mortificationis actum, vt induere poſſit IESVM Chriſtum; quod reſpondeat valedictioni, qua IESVS Matri valedixit ante paſſionem: erat enim ipſa illi vnicum propè ſolatium. Quartò, aliquem ſaltem actum humilitatis exercere, qui reſpondeat lotioni pedum, quod D. Bernardus ſuis comendauit.

Inuitatio IESVS. Lucæ 19.

Primò, manè, inuita Dominum, dum expergiſceris: conuerte te, vel, ſi potes, vt in Religione, adi Ven. Sacramentum, atque inuita, & audi: *Aperi mihi, ſoror mea ſponſa*: vel, *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere.* Reſponde, *Deſidero te millies*, cū affectu omniū Sanctorū, *mi* IESV *quando venies? idque toties, quoties videbitur.*

Poſtea, ſi Horas legis, eò applica, ad ſingula *Gloria*, &c. fidem, ſpem, & charitatem exercendo; quia in hoc Sacramento potentia & ſapientia, & bonitas relucent. Tu cū B. Simone Valentino à cubiculo vade ad Sacrum, quaſi comitando Chriſtum ad montem Caluariæ, & compaſſionem excitando, atque intentionem renouando.

Initu quid cogitandū. In ſacro quid facto opus. Indulgentia promerenda. Patronorū inuocatio.

Quartò in Sacro; Primò, in confeſſione deteſtare omnes imperfectiones tuas vſque ad Euangelium, & gratiā pete emendandi, & lege *Miſerere*, vel alias preces pro Indulgentiâ maximè plenariâ; Secundò, paſſionem reuolue vſque ad *Sanctus*: Tertiò, beneficia alia tum generalia, tum particularia vſque ad communionem. Tum communica ſpiritualiter, inuitando Dominum, vt dignè valeas poſteà ſacramentaliter, Attendendo verò defectus & maximè B. Virginem, vt ſicut ipſa in incarnatione, communione, & morte adſpirauit ad Dominū, & ſe parauit; ita te iuuare, & ad tanti hoſpitis aduentū te comparare dignare dignetur, vt pientiſſima mater, vſque ad poſtcōmunionē. Tū fidē excita ad imitationē hemorrhoiſſæ & S. Thomæ. Secundò, amorem cum Magdalenâ, & B. Virgine, & opta, vt omnes Deum infinitè ament. Sancti, purgandi, iuſti, &c. Tum ad ad benedictonem vltimam cogita quaſi cælum aperiri, & Sanctiſſimam Trinitatem inuoca, vt ad te veniat, & manſionem apud te faciat: Patrem, vt tibi iterum det Filium, & Filius, & Spiritus Sanctus ſeipſū, eiſque tres potentias dica, omniaque facienda offer, contrionem rurſus excita, & renoua vota, ſi religioſus es, vel propoſita tua præcipua. Tum ſpiritualiter Dominum cœlitibus comitatum venientem

Marci 5. Fidei actus. Oblatio ſui

entem vide,modò vt medicum,modò vt Patrem,&c. ſemper vt omne bonum amantiſſimè exſpecta,& complectere:& mox,vt ſe tradidit,te totum ei viciſſim trade,& millenos mundos ſi haberes, cum omni affectu poſſibili. Secundò, humiliando, & cognoſcendo indignitatem tuam, opta cum omnibus Sanctis, & omnibus creaturis eum ardentiſſimè,diligere,& vni potentias potētiis eius,ei actus & membra omnia offerendo. Tertiò; gratulare ei omnia bona ſua,& gratias age pro beneficiis. Deinde poſt Sacrū pete cum magna fiduciâ quod optas, impetrare & haurire de fonte omnis boni, cùm virtus hic de illo exire ſolita ſit. vt imperfectiones tuas ſanet omnes: denique cæleſtem curiam ſaluta,& vt tuos ſuppleat defectus roga;poſtea ad ſingulas horas inuita,vt maneat tecum Dominus, ac rurſū illi te offer. Dicere poſſes illud:mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit.

Quid faciendum in Communione & poſt. Reſigna te. Humilia te. Gratulare Domino,

In prandio ſtatue cultrum in gutture tuo,ne pecces in hoſpitem;ſed ei de ſingulis præbe ferculum,mortificando te & applicando paſſioni:quod tamen faciliter & abſque ſollicitudine fieri debet;ita vt nō impediatur lectio,ſi Religioſus es. De Ven.quoque Sacramento eiuſque laude ſi potes,aliquid proximo diſſeras; quantum potes,tantū aude,quia maior omni laude, nec laudare ſufficis. Poſthæc totâ hebdomadâ Dominum quotidiè potes inuitare, iuxta exercitium infrà poſitum. Si verò ſis Sacerdos, à meridie velut officium incipe,ac totum ordina ad hoc ſacrificium: & cùm colligis te ad horas,poteris forſan exercere te, & præparare primâ,ſecundâ,tertiâ per contritionem & confeſſionem,ſeu humiliationem,faciendo, ſi fieri poteſt, aliquod opus humile. Quartâ,quintâ,ſextâ,per fidem, ſpem, & opus charitatis aliquod erga proximum, aut ſi potes, corporis mortificationem. Septimâ,octauâ,nonâ, excitare te ad amorem,& Primò,in Litaniis,(ſi,vt ſolent veſperi,à te etiam recitentur)inuitando omnes Sanctos,ſiuè per te, ſiue per Angelum. Secundò,ad cœnam,cœnæ Euchariſticæ memoriam renouando,vt ad manuum lotionem, lotionis pedum,quàm Chriſtus exercuit,atque hic etiam mortificare te in aliquo aut cibo aut condimento. Tertiò, ſuſpira ad cæleſtem cœnam,& poſt hæc linguam diligenter cuſtodi;& ſaluta vener Sacramentum, conuertendo te ſaltem verſus templum,& inuita in fine examinis IESVM cum Sanctorum omnium deſiderio; atque iterum incumbendo,à ven. Sacramento pete benedictionem,vti & manè, *Dignatus es*,vt ſup.p.10.

In prandio quomodo cibabis IESVM Sermo de hoſpite faciendus. Inuitandus IESVS quotidie. Præparatio noua cū horarum diſtributione,

JACVLATORIÆ.

Pſ.138. *Conſitebor tibi quia terribiliter magnificatus mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.*

Pſ.99. *Repleti ſumus manè miſericordiâ tuâ, & exultavimus, & delectati ſumus.*

Matth. 26 *Accipite & comedite*, Hoc eſt corpus meum.

Pſ.89. *Exaltate Dominum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.*

CAPVT IX.

Aliud exercitium pro Communione, quo anima à Chriſto, & viciſſim Chriſtus ab animâ inuitatur.

NOTA, poſt ſingulas periodos, ad ſpatiũ aliquod, quaſi reſpirando, coram Deo expendenda eſſe, quæ lecta ſunt, ſit enim commemoratio variorum beneficiorum, titulorum, & miraculorum in Ven. Euchariſtia contentorum, vnà cum contritione, & gratiarum actione, reſignatione, fidei, ſpei & charitatis actu.

Secundò, vbi affectus dictat, ibi aliquantiſper hære.

Tertiò, aduerte hoc exercitium poſſe in fine Sacri pridie communionis fieri, vel certè eundo eo conſilio ad Ven. Euchariſtiam, aut domi, veſperi vel manè, vt infrà dicetur; & maximè in Sacro.

DOMINICA.

IESVS inuitat animam. Matth. 11 Ioan. 6. IESVS. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Omne, quod dedit mihi Pater, venit ad me: & eum qui venit ad me, non eiiciam foras, *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Hæccine firma*, ibid.

Anima. IESVM ut Creatorem. Pſalm. 8. Iſaiæ 40. Humiliatio ſui. ANIMA. Quid eſt homo, quòd memor es eius; aut filius hominis, quia viſitas eum? Omnia enim quaſi ſtillæ ſitulæ, & tamquam momentũ ſtateræ, & omnia, quaſi non ſiut; ſic ſunt coram te, & tamquam nihilum & inane, reputata ſunt tibi. O amator hominum, ô potentiſſime Deus meus, qui me creaſti, & omnia pro me;

me,& mirabiliter hoc in Sacramento ſub ſpeciebus his eſſe voluiſti; verè mitis, & humilis corde! Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram. Dic animæ meæ, Salus tua ego ſum; & miſerere mei. Exaudi me ſpes omnium finium terræ, & in mari longè. *Pſalm. 28. Pſalm. 33.*

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Peccaui in cælum & coram te. Vtinam numquam declinaſſem à mandatis tuis! Nónne enim mihi adhærere tibi Deo meo bonum eſt? te vnum quærere? ad te vnum ſuſpirare, à quo omnia mihi bona manârunt? Quid retribuam tibi? Quid retribuam tibi? Quid retribuam tibi? qui, cùm mei immemor eſſem, recordatus es mei tu; cui millia millium miniſtrant, & decies centena millia aſſiſtunt, & non eſt numerus militum tuorum. Tu reſpicis terram, & facis eam tremere, & tribus digitis appendis molem eius. Infinitas tibi, immenſe Deus, gratias ago pro omnibus donis tuis, & in vnione gratiarum actionis, quam agit, & egit ab initio creationis ſuæ ſanctiſſima tua anima, dulciſſime Jesv, & mater tua, & omnes beati ſpiritus ac Sancti tui. Et credo in hoc Sacramento eſſe verum corpus & ſanguinem tuum. Tu enim dixiſti, ô æterna Veritas, hoc eſſe corpus tuum, & illud mihi dediſti: ideoque & ſpero in te, omniaque tibi committo. Diligo te ex toto corde meo, totâ animâ meâ, & mente meâ, & ex totis viribus meis. Ex te enim & in te, & pro te ſunt omnia. Deſidero te millies, in quem deſiderant Angeli proſpicere, cuius pulcritudinem Sol & Luna mirantur. mi Iesv, quando venies? me lætum quando facies. me de te quando ſatiabis? O Deus meus, Deus cordis mei, & omnia! abſorbeat me immenſa & melliflua vis amoris tui, vt amore amoris tui moriar, quia amore mei dignatus es mori, *Vt:re ſilicet exercitio Fidei, Spei, & charitatis.* vt ſup.

Contritio. Pſalm. 6. Admiratio potentiæ Dei. Iſaiæ 40. Pſal. 103. Gratiarũ actio. Actus Fidei, Spes, & Charitatis. Oblatio ſui Præſentiæ, Dei actus. Adſpiratio Vnio.

Manè euigilans, iterum hæc potes repetere poſt ſolitas preces, Initio Sacri, cogita, quo affectu æquum ſit recipi Dominum tuum à te, vt eſt. v. g, Creator tuus, vel Paſtor, Redemptor, &c. Secundò, expende verba inuitantis Chriſti; Tertiò, animæ, & exerce affectus in hoc exercitio poſitos; Quartò, per diem ſubinde eoſdem renoua.

DIE LVNÆ.

IESVS inuitat animam.

Apoc. 3.

Ioan. 10.

IESVS. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum. Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas: & venio à ſummo cælorum, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.

Haccine vera, vt ſup. p. 7. *Exerce fidem, ſpem, & charitatem*, vt ſup. in modo, meditationibus vel affectibus.

Anima IESVM ut Paſtorem.

Iſaiæ 40.

ANIMA, O Paſtor & Conſeruator mi, & Sapientia æterna. & Veritas certiſſima, qui me paſcis & conſeruas, & omnia pro me: atque inſuper hîc panem in corpus & ſanguinem conuertis, vt ego viuam, & conuertar in te Scriptum eſt de te: Sicut Paſtor paſcet gregem ſuum, & in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Require ergo oues tuas, & viſita eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum, quando fuerit in medio ouium diſſipatarum. In paſcuis vberrimis paſce eas, & in montibus excelſis Iſraël. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora, ô ſpecioſa forma præ filiis hominum. Quæ eſt nunc exſpectatio mea? nónne tu, Domine? Attamen, ô Deus meus, confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te, quia fornicata ſum cum amatoribus multis. Laboraui in gemitu meo, &c. vt ſuprà. *Vel vtere affectu ſpei*, vt ſup.

Pſalm. 56.

Cant. 2.

IESVS inuitat animam.

DIE MARTIS.

IESVS. Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator, Ipſe

Ipſe pauper, aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. vbi eſt refectio mea, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem? *Zachar. 9.* *Marci. 14.*

ANIMA. Rex regum, & Domine dominantium. Ecce, ecce, cœnaculum non grande, non ſtratum, paratum tamen tibi, ô IESV, qui me ad fidem, tot millibus relictis vocare dignatus es, & hic pro me, mirè accidentia abſque ſubſtantia conſeruare. Exſpectans, exſpectaui te, Domine, intende mihi, ô deſiderium collium æternorum. Eſto brachium noſtrum in manè, & ſalus noſtra in tempore tribulationis. Te enim exſpectauimus, neque aliud poſſumus; veni, Domine, & noli tardare; & relaxa facinora plebi tuæ. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, ſed miſerere mei. Tu es enim Rex meus, qui mandas ſalutes Iacob. Exurge, exurge, quare obdormis, Domine? Exurge, & ne repellas in finem, quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ? *Laboraui in gemitu meo*, &c. vt ſup. *Excita gratiarum actionem*, vt ſuprà.

Anima IESVM vt Regem. *Pſal. 39.* *Matth. 21.* *Iſaiæ 33.* *Pſalm. 78.* *Pſalm. 43.* *Ibid.*

DIE MERCVRII.

IESVS. Venite, & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Omnes ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque vllâ commutatione vinum & lac. Comedite amici, & inebriamini, cariſſimi: deſiderio enim deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum. *Aſpira*, vt ſup. p. 8.

IESVS inuitat animam. *Prouerb. 9* *Iſaiæ 55.* *Cant 5.* *Lucæ 22.*

Haccine firma, &c.

ANIMA. O liberaliſſime Domine qui non dedignatus es vocari & eſſe amicus ac frater noſter: O quàm verè amicus, qui te totum mihi dare, & ad pœnitentiam ac amicitiam vocare dignatus es, & hîc per accidentia ita atque per ſubſtantiam operari: qui omnia, quę audiſti à Patre tuo, nota feciſti nobis. Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum?

Anima IESVM vt amicũ. *Ioan. 15.* *Iob 7.*

Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum ſic cor tuum? Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad te, Deus, fontem viuum; quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, quia dereliquit te fontem aquæ viuæ, & fodi mihi ciſternas, quæ continere non valent aquas. *Laboraui in gemitu meo* &c. vt ſuprà. *Contritiones hic exerce*, vt ſup.

Pſal. 41. *Ierem. 2.*

DIE IOVIS.

IESVS animam inuitat *Cant. 5.* *Cant. 2.*

JESVS. Aperi mihi, ſoror mea, ſponſa, amica mea, columba mea; quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Surge, propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni; oſtende mihi faciem tuam. Sponſabo te mihi in fide, & in iuſtitiâ, & in iudicio, & in miſericordiâ, & in miſerationibus: & ſcies quia ego Dominus.

Oſeæ 2.

Cant. 5. *Anima IESVM vt ſponſũ.*

ANIMA Surrexi vt aperirem tibi dilecto meo. Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſimâ. Veni, ô ſponſe mi dulciſſime, qui ad hunc ſtatum filiorum tuorum me vocare dignatus es; & hîc mirabiliter eſſe: totus in toto, & in quâlibet parte, ſpirituali ac mirabili adinuentione tuâ: vt non ſecundùm carnem viuamus; ſed in te, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. O quàm ſuauis eſt, Domine, ſpiritus tuus qui vt dulcedinem tuam, quam habes, in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cælo præſtito reples eos, habente in ſe omnem dulcedinem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Veni, veni, veni, Domine, in domum tuam, templum tuum, animam meam, quam tibi millies dedicaui, & dedico toto corde meo. Egredimini, & videte filiæ Ieruſalem Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis illius. Sed, eheu! bone JESV, cur ſicut colonus futurus es mihi in terra, & vt viator, declinans ad manendum? veni, dilecte

Prou. 8. *Sap. 12.* *Cant. 3.* *Ierem. 14.*

lecte mi, & manſionem apud me fac, & trahe me poſt te; curremus in odorem vnguentorum tuorum. Nemo enim poteſt venire ad te, niſi traxeris eum. Erraui fateor ſicut ouis, quæ periit, ſed ecce nunc reuertor ad te in vniuerſo corde meo. Conuertere quæſo, & proiice poſt tergum tuum omnia peccata mea. Laboravi in gemitu meo, &c. vt ſuprà. *Hic affectu amoris vtere*, vt ſup.

Cant. 1. *Pſalm.* 118

DIE VENERIS.

IESVS inuitat animam.

IESVS. Conſurge, conſurge, ſede Ieruſalem, ſolue vincula colli tui captiua, filia Sion: quia hæc dico ego Dominus: Gratis venundati eſtis; & ſine argento redimemini. Emi enim te precio magno, vt glorifices me, & portes me in corpore tuo. Emi, non corruptibilibus, auro, vel argento, ſed precioſo ſanguine meo. Immò etiam tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata; venite ad nuptias. Quid potui tibi facere, & non feci? Quod eſt enim bonum meum, & quod pulcrum meum, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ*, ibid.

Iſaiæ 58. *1 Pet.* 1. *Matth.* 22 *Zach.* 9.

Anima IESVM vt Redemptorem.

ANIMA. O ineffabilis dilectio! vt ſeruum redimeres, tu, te, ô Domine tradidiſti! O IESV, redemptor liberaliſſime, tune vermiculum & miſerrimũ ſeruulum tuum ſanguine tuo ſic liberare dignatus es? & ita hîc eſſe, vt, quamuis hoſtia diuidatur, diuidi corpus tuum nequeat, vt ſcilicet cor meum in æternum, in æternum non dividam abs te? Reſpice in me, & miſerere mei; neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus. Anima enim mea deſiderauit te in nocte. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, in terrâ hâc tam deſertâ, inuiâ, & inaquosâ. Expandi ad te manus meas; quia ecce, ecce verè anima mea ſicut terra ſine aquâ tibi, ô fons paradiſi Dei mei! Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego. Et quò ibo cœcus & pauper à facie tuâ, Pater mi, liberator meus de inimicis meis iracundis? nónne tuus ſum ego; ergo ô IESV, ó ſalus, ô

Pſalm. 62. *Pſalm.* 50. *Pſalm.* 24. *Pſ.* 118.

Quid eſt homo,quia magnificas eum, aut quid appo-
nis erga eum ſic cor tuum? Quemadmodum deſide-
rat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea
Pſal.41. ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad te, Deus, fontem
Ierem.2. viuum;quando veniam,& apparebo ante faciem tuam?
Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, quia
dereliquit te fontem aquæ viuæ,& fodi mihi ciſternas,
quæ continere non valent aquas.*Laboraui in gemitu meo*
&c.vt ſuprà. *Contritiones hic exerce*,vt ſup.

DIE IOVIS.

IESVS animam inuitat *Cant.5.* *Cant.2.* *Oſeæ 2.*

IESVS. Aperi mihi, ſoror mea, ſponſa, amica mea, columba mea; quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Surge, propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni; oſtende mihi faciem tuam. Sponſabo te mihi in fide,& in iuſtitiâ, & in iudicio, & in miſericordiâ, & in miſerationibus: & ſcies quia ego Dominus.

Cant.5. *Anima IESVM vt ſponſũ.* *Prou.8.* *Sap.12.* *Cant. 3.* *Ierem.14.*

ANIMA Surrexi vt aperirem tibi dilecto meo. Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſimâ. Veni,ô ſponſe mi dulciſſime, qui ad hunc ſtatum filiorum tuorum me vocare dignatus es; & hîc mirabiliter eſſe:totus in toto, & in quâlibet parte, ſpirituali ac mirabili adinuentione tuâ: vt non ſecundùm carnem viuamus;ſed in te, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. O quàm ſuauis eſt, Domine, ſpiritus tuus qui vt dulcedinem tuam, quam habes, in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cælo præſtito reples eos, habente in ſe omnem dulcedinem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Veni,veni,veni, Domine, in domum tuam,templum tuum,animam meam, quam tibi millies dedicaui, & dedico toto corde meo. Egredimini, & videte filiæ Ieruſalem Regem Salomonem in diademate,quo coronauit eum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis illius. Sed, eheu! bone IESV, cur ſicut colonus futurus es mihi in terra,& vt viator, declinans ad manendum? veni, di-

lecte mi, & manſionem apud me fac, & trahe me poſt te; curremus in odorem vnguentorum tuorum. Nemo enim poteſt venire ad te, niſi traxeris eum. Erraui fateor ſicut ouis, quæ periit, ſed ecce nunc reuertor ad te in vniuerſo corde meo. Conuertere quæſo, & proiice poſt tergum tuum omnia peccata mea. Laboravi in gemitu meo, &c. vt ſuprà. *Hic affectu amoris vtere*, vt ſup. *Cant. 1.* *Pſalm. 118*

DIE VENERIS.

IESVS inuitat animam.

IESVS. Conſurge, conſurge, ſede Ieruſalem, ſolue vincula colli tui captiua, filia Sion: quia hæc dico ego Dominus: Gratis venundati eſtis; & ſine argento redimemini. Emi enim te precio magno, vt glorifices me, & portes me in corpore tuo. Emi, non corruptibilibus, auro, vel argento, ſed precioſo ſanguine meo. Immò etiam tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata; venite ad nuptias. Quid potui tibi facere, & non feci? Quod eſt enim bonum meum, & quod pulcrum meum, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ*, ibid. *Iſaiæ 58.* *1 Pet. 1.* *Matth. 22* *Zach. 9.*

Anima IESVM vt Redemptorem.

ANIMA. O ineffabilis dilectio! vt ſeruum redimeres, tu, te, ô Domine tradidiſti! O IESV, redemptor liberaliſſime, tune vermiculum & miſerrimũ ſeruulum tuum ſanguine tuo ſic liberare dignatus es? & ita hîc eſſe, vt, quamuis hoſtia diuidatur, diuidi corpus tuum nequeat, vt ſcilicet cor meum in æternum, in æternum non diuidam abs te? Reſpice in me, & miſerere mei; neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus. Anima enim mea deſiderauit te in nocte. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, in terrâ hâc tam deſertâ, inuiâ, & inaquoſâ. Expandi ad te manus meas; quia ecce, ecce verè anima mea ſicut terra ſine aquâ tibi, ô fons paradiſi Dei mei! Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego. Et quò ibo cœcus & pauper à facie tuâ, Pater mi, liberator meus de inimicis meis iracundis? nónne tuus ſum ego; ergo ô IESV, ô ſalus, ô *Pſalm. 62.* *Pſalm. 50.* *Pſalm. 24.* *Pſ. 118.*

*Pſal.*118. ſpes mea, jam ſaluum me fac; quoniam mandata tua exquiſiui. Laboraui in gemitu meo; & cetera vt ſup

Gratiarum actio hic exercenda, vt ſup.

DIE SABBATI.

IESVS animam inuitat. *Cant.*5. *Cant.*4. IESVS. Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa: meſſui mirrham cum aromatibus meis: & comedi panem meum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo. Surge, propera, amica, ſpecioſa mea, & veni. Iam enim hiems tranſijt, imber abiit, flores apparuerunt in terra noſtra. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano: veni, coronaberis.

Anima IESVM glorificatorem. *Pſal.*22. ANIMA O Pater mi, ô Liberator meus & Rex meus, ô glorificator meus! O quàm præclara eſt hereditas tua! quanta præparaſti timentibus & diligentibus te, Deus meus, qui præparaſti in conſpectu meo talem menſam aduerſus omnes qui tribulant me; qui hîc eſſe, & ad vocem etiam peſſimi ſacerdotis aſſiduè præſtò eſſe pro me, ſub vtraque ſpecie totus & integer, non dedignaris! Fac, obſecro, vt cibus etiam meus ſit, *Exodi* 33. voluntas tua. Et ſi inueni tantam gratiam in conſpectu tuo, vt te mihi dares, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam te, quem magno deſiderio deſiderat anima mea: & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur! Oſtende mihi gloriam tuam, & ſaluus ero. Recordare, recordare Paſtor bone, recordare ouis perditæ, Pater amantiſſime, prodigi filij tui. Scio, non ſum tibi neceſſarius, non ſum neque vtilis ſeruus. Sed tamen noſti, ſpero, Domine, quia amo te, & ad te omne *Pſalm.*83. ſuſpirium meum. O quàm dilecta tabernacula tua, Domine! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. *Laboraui in gemitu meo*. &c. vt ſuprà. *Exerce hic affectum Amoris & Reſignationis*,

Oratio coram Ven. Sacramento, pro ſui renouatione, & vitæ emendatione: quæ etiam ante, & poſt Communionem vſurpari poteſt.

PRIMÒ, obſerua, & memento, dum ingredetis templum ad aquam luſtralem, lotum te ſanguine Chriſti IESV, & te ablue actu contritionis, ac ſiſte te quaſi coram totâ curiâ cæleſti, cuius ibi pars bona eſt, hancque orationem recita: *Nota. Contritio ad aquam luſtralem excitanda.*

Aue, dulciſſime IESV, *Domine meus, & Deus meus; benedic, quæſo, inopi & calamitoſo exuli tuo, recipe me in amoris tui ſuauiſſimos amplexus.* Fac ſignũ Crucis.

Auete venerabiles manus pro me cruci affixæ.

Auete pedes ſpecioſi pro me clauis confixi.

Aue latus ſpecioſum pro me vulneratum

Aue cor mitiſſimum IESV, *meo & mei indigniſſimi peccatoris æterno amore ſaucium.*

Aue Mater & refugium peccatorum MARIA, *ſtella maris & portus ſalutis.*

Auete Angeli & Sancti Dei, fauſtiſſima ſidera, ſuccurrite naufrago & erranti in medio vaſti maris mundi hujus, vel deſerto inuio & inaquoſo.

Audi, Domine, ſuſpirantem ad te, laqueis in mediis, in mõtibus Gelboe, vbi, eheu! tot ceciderunt fortes Iſrael Ecce velut in anguſto & lubrico ſtamus; & hic ſubtus me dracones & mille cuſpides, infernus ipſe, circa me hoſtes. intra me ipſa fragilitas. Tu, Deus meus ſupra me, cuius abyſſalia iudicia conturbant me, qui infidelis fui peccatis innumeris, longè plura cõmiſſurus, ni ebriũ tenuiſſet in præcipiti manus tua & miſericordia tua. quod enim eſt peccatũ, quòd facit homo, quod nõ faceret alter homo. ſi tu deſis Rector per quẽ factus eſt homo? & eheu! quid ſcio, quid ſerus veſper vehet, quãdo colũnæ cæli obſtupeſcunt, & ſtellæ de cælo ceciderunt; Habeo enim fontes peccatorũ & omnis infelicitatis intra me. imperfectiones meas, quib. omnia ita vereor inficiũtur, vt neſciã, an reſpõdere tibi de vllo opere poſſim. O quoties periclitatus ſũ, & euaſi gratiâ tuâ Miſeria humana. Aug. hõ. 23. lib. 50. homil.

de medio hoſtium, ſerpentiū, ignis, naufragij in arcem tuam, id eſt adiutoriū tuū, & ſublatus ſuper altitudinē terræ ex amore tuo, qui amore mei ſolus non habuiſti vbi caput reclinares!

Oblatio ſui & reſignatio.

Obtuli tibi & iterum offero in holocauſtum voluntatem meā arborē tuam, vt nec bona velle liceat mihi niſi tu, Deus, cui cura ab æterno de me eſt, id per Superiores ſignifices. Abſit verò vt iam detraham de holocauſto. Quid enim, Pater benigniſſime, ſcit puer tuus, quid expediat ſibi, quā viā teneat cæcus in tot periculis, & ignarus viæ? Quid medico phreneticus præſcribet? ſi me voles eſſe omniū minimum, vt ſim maximus in æternum apud te ſeſſurus in throno tuo, nónne infinita eſt miſericordia tua? ſi obedire vis me omnibus, vt regnē & iudicē, & gloriâ tuâ circumder, qui veniſti miniſtrare, & non miniſtrari, qui factus eſt obediens Patri æterno, etiamſi ei eſſes æqualis, vſque ad mortē crucis, parentibus tuis, immò & tortoribus in tormentis; nónne mihi magna gloriâ ſequi te, Domine, præſertim cùm pro me cū ſceleratis reputatus es? Si ergo iā commoda quærā, corporis, ſenſuum, ventris mei mancipium ſciens impoßibile eſſe hic ventrem, & ibi implere mentē: ſi obliuiſcar præuaricationis meæ, & Adæ, & tot dānatorum & tui, IESV, felle potati; ſi immenſo ſupplicio redimam ſicut Eſau in cōſpectu tuo vilem è creatura voluptatem: ſi honorifica, qui me verè omnium minimū & peccatorē maximū agnoſcere debeo, affecto; ſi pauperes ſperno, iudicia hominum formido; ſi vilem me cognoſco, & vilis haberi nolo; ô quanta erit confuſio mihi in die illa in conſpectu tuo!

Iſaiæ 53. Marci 15. Hieron. in epiſt. ad Iulian.

Quomodo, ô IESV amantiſſime, exempla tua ſequi graue mihi eſſe poteſt, nónne ſum creatura, ſeruus, miles & filius tuus, toties æternæ mortis reus? nunquid toties ſponte in ſeruum me obtuli tibi, & optaui fieri vnicam voluntatem tuam? nunquid probè ſcio te per Superiores loqui vtiliſſima animæ meæ, & omnino, omninò incertas eſſe prouidentias noſtras? Vbi iam eſt ergo fiducia mea? Tu, Domine, ſpes mea, & amor meus à iuuentute meâ, ne memineris iniquitatum mearum. ne ſis mihi formidini, tu ſpes mea; ſed illumina me, & coniunge me tibi, & laudent te cælū & terra mecū pro tot & tan-

tantis beneficiis tuis.Gratias ago ex affectu & amore quo poſsum ſummo:(noſti enim,ſpero,Domine,quia amo te)quòd tu Deus,me amaueris ab æterno,etiamſi ſcires,me te aliquando oſurum,& conſeruaueris te crucifixurum, redemeris te toties pro vili creaturâ venditurum, expectaueris prodigum.iuſtificaueris impium,præſeruaueris fragiliſsimum, & vocaueris fugientem proditorem tuum,vt collocares eum cum Principibus populi tui, & ſeruiret tibi omnibus diebus vitæ ſuæ.Et non ſufficit adhuc charitas tua tanta,vt amore liqueſcat anima mea? Gratiarũ actio.

Gratias item ago pro tribulationibus,tentationibus, reprehenſionibus & confuſionibus,quas ad ſalutem meam eſſe voluiſti,& me offero ad hæc,& poſtulo veſte tuâ indui, obteſtans per viſcera miſericordiæ tuæ,vt retribuas illis, qui ſuo fortè crudeli dãno,& pœnâ tibi luendâ,tantum bonum mihi attulerunt.Cupio tecum baiulare crucem,nudus nudum ſequi, pro te viuere & mori.Hæc eſt voluntas mea,Deus meus, ſuprema,velut hodie morituri coram te Iudice & Patre amantiſsimo,& curiâ Sanctorum,quos teſtes habebo infidelitatis & tepiditatis ſi deterior ſuperbio, diſtractior, impatientior euaſero.Aue te,Domine,& dele in me quicquid tibi diſplicet in me,ſeruo tuo,& fac vt temporalium omnium habeat faſtidiũ cùm hæc ſatiare numquam poſsint. Tu verò, Domine ſolus bonus, & omne bonum ſola ſatietas animæ meæ quis ergo mihi tribuat vt te ſolùm diligam, & proximum propter te, etiam hoſtem,vt membra,vt filios tuos,& ſponſas & paratus ſim etiam animam ponere pro iis: tibi enim præſtare me ſcio quæ iis facio,ſeu bona,ſeu mala.

Quis mihi iam tribuat,vt quæram te toto corde,vt amem te in omnibus, cùm tu in omnibus mei amore exiſtas & mihi opereris?Deſidero te millies,mi IESV dulciſsime,ſuauiſsime amantiſsime preciosiſsime pulcherrime, potentiſsime nobiliſsime,ſapientiſsime,liberaliſsime, optime, vita mea protector gloria mea,creator meus,finis,Redemptor meus,Domine, Pater,ſponſe,frater,& omne bonũ.Hæc omnia es & quomodo mihi non ſufficis, & tepidus ſum tu in amore?Veni,mi bone IESV, quando venies? veni, & vre cor meum, Actus charitatis,& reſignationis.

inebria

JACVLATORIÆ.

Pſ.138. *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.*

Pſ.99. *Repleti ſumus manè miſericordiâ tuâ, & exultavimus, & delectati ſumus.*

Matth. 26 *Accipite & comedite*, Hoc eſt corpus meum.

Pſ.89. *Exaltate Dominum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.*

CAPVT IX.

Aliud exercitium pro Communione, quo anima à Chriſto, & viciſſim Chriſtus ab animâ inuitatur.

NOTA, poſt ſingulas periodos, ad ſpatiũ aliquod, quaſi reſpirando, coram Deo expendenda eſſe, quæ lecta ſunt, fit enim commemoratio variorum beneficiorum, titulorum, & miraculorum in Ven. Euchariſtia contentorum, vnà cum contritione, & gratiarum actione, reſignatione, fidei, ſpei & charitatis actu.

Secundò, vbi affectus dictat, ibi aliquantiſper hære.

Tertiò, aduerte hoc exercitium poſſe in fine Sacri pridie communionis fieri, vel certè eundo eo conſilio ad Ven. Euchariſtiam, aut domi, veſperi vel manè, vt infrà dicetur; & maximè in Sacro.

DOMINICA.

IESVS inuitat animam. Matth. 11 *Ioan.*6. IESVS. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Omne, quod dedit mihi Pater, venit ad me: & eum qui venit ad me, non eiiciam foras, *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Hæccine firma*, ibid.

*Anima. IESVM ut Creatorem. Pſalm.*8. *Iſaiæ* 40. *Humiliatio ſui.* ANIMA. Quid eſt homo, quòd memor es eius; aut filius hominis, quia viſitas eum? Omnia enim quaſi ſtillæ ſitulæ, & tamquam momentũ ſtateræ, & omnia, quaſi non ſint, ſic ſunt coram te, & tamquam nihilum & inane, reputata ſunt tibi. O amator hominum, ô potentiſſime Deus meus, qui me creaſti, & omnia pro me;

me,& mirabiliter hoc in Sacramento ſub ſpeciebus his eſſe voluiſti;verè mitis, & humilis corde! Tibi dixit cor meum,exquiſiuit te facies mea;faciem tuam, Domine,requiram. Dic animæ meæ,Salus tua ego ſum; & miſerere mei. Exaudi me ſpes omnium finium terræ,& in mari longè. *Pſalm.28. Pſalm.33.*

Laboraui in gemitu meo,lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Peccaui in cælum & coram te. Vtinam numquam declinaſſem à mandatis tuis! Nónne enim mihi adhærere tibi Deo meo bonum eſt? te vnum quærere? ad te vnum ſuſpirare, à quo omnia mihi bona manârunt? Quid retribuam tibi? Quid retribuam tibi? Quid retribuam tibi? qui, cùm mei immemor eſſem, recordatus es mei tu;cui millia millium miniſtrant, & decies centena millia aſſiſtunt, & non eſt numerus militum tuorum. Tu reſpicis terram, & facis eam tremere,& tribus digitis appendis molem eius. Infinitas tibi, immenſe Deus,gratias ago pro omnibus donis tuis,& in vnione gratiarum actionis,quam agit,& egit ab initio creationis ſuæ ſanctiſſima tua anima,dulciſſime Iesv,& mater tua,& omnes beati ſpiritus ac Sancti tui. Et credo in hoc Sacramento eſſe verum corpus & ſanguinem tuum. Tu enim dixiſti, ô æterna Veritas, hoc eſſe corpus tuum,& illud mihi dediſti: ideoque & ſpero in te,omniaque tibi committo. Diligo te ex toto corde meo, totâ animâ meâ,& mente meâ,& ex totis viribus meis. Ex te enim & in te,& pro te ſunt omnia. Deſidero te millies, in quem deſiderant Angeli proſpicere, cuius pulcritudinem Sol & Luna mirantur. mi Iesv, quando venies? me lætum quando facies. me de te quando ſatiabis? O Deus meus, Deus cordis mei,& omnia! abſorbeat me immenſa & melliflua vis amoris tui,vt amore amoris tui moriar,quia amore mei dignatus es mori,*Vt ære ſilicet exercitio Fidei,Spei,,& charitatis.* vt ſap.

Contritio. Pſalm.6. Admiratio potentiæ Dei. Iſaiæ 40. Pſal. 103. Gratiarũ actio. Actus Fidei,Spes, & Charitatis. Oblatio ſui Præſentiæ, Dei actus. Adſpiratio Vnio.

Manè euigilans, iterum hæc potes repetere poſt ſolitas preces, Initio Sacri, cogita, quo affectu æquum ſit recipi Dominum tuum à te, vt eſt. v. g, Creator tuus, vel Paſtor, Redemptor, &c. Secundò, expende verba inuitantis Chriſti; Tertiò, animæ, & exerce affectus in hoc exercitio poſitos; Quartò, per diem ſubinde eoſdem renoua.

DIE LVNÆ.

IESVS inuitat animam. *Apoc. 3.* *Ioan. 10.*

IESVS. Ecce ſto ad oſtium, & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, introibo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum. Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oues meas: & venio à ſummo cælorum, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.

Haccine vera, vt ſup. p. 7. *Exerce fidem, ſpem, & charitatem*, vt ſup. in modo, meditationibus vel affectibus.

Anima IESVM ut Paſtorem. *Iſaiæ 40.*

ANIMA, O Paſtor & Conſeruator mi, & Sapientia æterna. & Veritas certiſſima, qui me paſcis & conſeruas, & omnia pro me: atque inſuper hîc panem in corpus & ſanguinem conuertis, vt ego viuam, & conuertar in te Scriptum eſt de te: Sicut Paſtor paſcet gregem ſuum, & in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit. Require ergo oues tuas, & viſita eas, ſicut viſitat paſtor gregem ſuum, quando fuerit in medio ouium diſſipatarum. In paſcuis vberrimis paſce eas, & in montibus excelſis Iſraël. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. Sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora, ô ſpecioſa forma præ filiis hominum. Quæ eſt nunc exſpectatio mea? nónne tu, Domine? Attamen, ô Deus meus, confundor, & erubeſco leuare faciem meam ad te, quia fornicata ſum cum amatoribus multis. Laboraui in gemitu meo, &c. vt ſuprà. *Vel vtere affectu ſpei*, vt ſup.

Pſalm. 56. *Cant. 2.*

DIE MARTIS.

IESVS inuitat animam.

IESVS. Ecce Rex tuus venit tibi iuſtus, & Saluator, Ipſe

Ipſe pauper, aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ. vbi eſt refectio mea, vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem? *Zachar. 9.* *Marci. 14.*

ANIMA. Rex regum, & Domine dominantium. Ecce, ecce, cœnaculum non grande, non ſtratum, paratum tamen tibi, ô IESV, qui me ad fidem, tot millibus relictis vocare dignatus es, & hic pro me, mirè accidentia abſque ſubſtantia conſeruare. Exſpectans, exſpectaui te, Domine, intende mihi, ô deſiderium collium æternorum. Eſto brachium noſtrum in manè, & ſalus noſtra in tempore tribulationis. Te enim exſpectauimus, neque aliud poſſumus; veni, Domine, & noli tardare; & relaxa facinora plebi tuæ. Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, ſed miſerere mei. Tu es enim Rex meus, qui mandas ſalutes Iacob. Exurge, exurge, quare obdormis, Domine? Exurge, & ne repellas in finem, quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ? *Laboraui in gemitu meo*, &c. vt ſup. *Excita gratiarum actionem*, vt ſuprà. *Anima IESVM vt Regem.* *Pſal. 39.* *Matth. 21.* *Iſaiæ 33.* *Pſalm. 78.* *Pſalm. 43.* *Ibid.*

DIE MERCVRII.

IESVS. Venite, & comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis. Omnes ſitientes venite ad aquas; & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite abſque argento, & abſque vllâ commutatione vinum & lac. Comedite amici, & inebriamini, cariſſimi: deſiderio enim deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum. *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *IESVS inuitat animam.* *Prouerb. 9* *Iſaiæ 55.* *Cant 5.* *Lucæ 22.*

Haccine firma, &c.

ANIMA. O liberaliſſime Domine qui non dedignatus es vocari & eſſe amicus ac frater noſter: O quàm verè amicus, qui te totum mihi dare, & ad pœnitentiam ac amicitiam vocare dignatus es, & hîc per accidentia atque per ſubſtantiam operari: qui omnia, quę audiſti à Patre tuo, nota feciſti nobis. Quid eſt homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? *Anima IESVM vt amicũ.* *Ioan. 15.* *Iob 7.*

Quid eſt homo,quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum ſic cor tuum? Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus. Sitiuit anima mea ad te, Deus, fontem viuum;quando veniam,& apparebo ante faciem tuam? Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, quia dereliquit te fontem aquæ viuæ,& fodi mihi ciſternas, quæ continere non valent aquas.*Laboraui in gemitu meo* &c.vt ſuprà. *Contritiones hic exerce*,vt ſup.

Pſal.41. *Ierem.2.*

DIE IOVIS.

IESVS animam inuitat *Cant,5.* *Cant.2.* *Oſeæ 2.*

IESVS. Aperi mihi, ſoror mea, ſponſa, amica mea, columba mea; quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. Surge, propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni; oſtende mihi faciem tuam. Sponſabo te mihi in fide,& in iuſtitiâ, & in iudicio, & in miſericordiâ, & in miſerationibus: & ſcies quia ego Dominus.

Cant.5. *Anima IESVM vt ſponſū.* *Prou.8.* *Sap.12.* *Cant 3.* *Ierem,14.*

ANIMA Surrexi vt aperirem tibi dilecto meo. Manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſimâ. Veni,ô ſponſe mi dulciſſime, qui ad hunc ſtatum filiorum tuorum me vocare dignatus es; & hîc mirabiliter eſſe:totus in toto, & in quâlibet parte, ſpirituali ac mirabili adinuentione tuâ: vt non ſecundùm carnem viuamus;ſed in te, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum. O quàm ſuauis eſt, Domine, ſpiritus tuus qui vt dulcedinem tuam, quam habes, in filios demonſtrares, pane ſuauiſſimo de cælo præſtito reples eos, habente in ſe omnem dulcedinem, & omnis ſaporis ſuauitatem. Veni,veni,veni, Domine, in domum tuam,templum tuum,animam meam, quam tibi millies dedicaui, & dedico toto corde meo. Egredimini, & videte filiæ Ieruſalem Regem Salomonem in diademate,quo coronauit eum mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis illius. Sed, eheu! bone IESV, cur ſicut colonus futurus es mihi in terra,& vt viator, declinans ad manendum? veni, dilecte

leƈte mi, & manſionem apud me fac, & trahe me poſt te; curremus in odorem vnguentorum tuorum. Nemo enim poteſt venire ad te, niſi traxeris eum. Erraui fateor ſicut ouis, quæ periit, ſed ecce nunc reuertor ad te in vniuerſo corde meo. Conuertere quæſo, & proiice poſt tergum tuum omnia peccata mea. Laboravi in gemitu meo, &c. vt ſuprà. *Hic affectu amoris vtere*, vt ſup. *Cant.* 1. *Pſalm.* 118

DIE VENERIS.

IESVS inuitat animam.

IESVS. Conſurge, conſurge, ſede Ieruſalem, ſolue vincula colli tui captiua, filia Sion: quia hæc dico ego Dominus: Gratis venundati eſtis; & ſine argento redimemini. Emi enim te precio magno, vt glorifices me, & portes me in corpore tuo. Emi, non corruptibilibus, auro, vel argento, ſed precioſo ſanguine meo. Immò etiam tauri mei, & altilia occiſa ſunt, & omnia parata; venite ad nuptias. Quid potui tibi facere, & non feci? Quod eſt enim bonum meum, & quod pulcrum meum, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines? *Aſpira*, vt ſup. p. 8. *Haccine firmâ*, ibid. *Iſaiæ* 58. 1 *Pet.* 1. *Matth.* 22 *Zach.* 9.

Anima IESVM vt Redemptorem.

ANIMA. O ineffabilis dilectio! vt ſeruum redimeres, tu, te, ô Domine tradidiſti! O IESV, redemptor liberaliſſime, tune vermiculum & miſerrimũ ſeruulum tuum ſanguine tuo ſic liberare dignatus es? & ita hîc eſſe, vt, quamuis hoſtia diuidatur, diuidi corpus tuum nequeat, vt ſcilicet cor meum in æternum, in æternum non diuidam abs te? Reſpice in me, & miſerere mei; neque deſpicias me, Deus ſalutaris meus. Anima enim mea deſiderauit te in nocte. Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea, in terrâ hâc tam deſertâ, inuiâ, & inaquosâ. Expandi ad te manus meas; quia ecce, ecce verè anima mea ſicut terra ſine aquâ tibi, ô fons paradiſi Dei mei! Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Miſerere mei, quia vnicus & pauper ſum ego. Et quò ibo cœcus & pauper à facie tuâ, Pater mi, liberator meus de inimicis meis iracundis? nónne tuus ſum ego; ergo ô IESV, ó ſalus, ô *Pſalm.* 62. *Pſalm.* 50. *Pſalm.* 24. *Pſ.* 118.

Pſal.118. ſpes mea, jam ſaluum me fac; quoniam mandata tua exquiſiui. Laboraui in gemitu meo; & cetera vt ſup

Gratiarum actio hic exercenda, vt ſup.

DIE SABBATI.

IESVS animam inuitat. *Cant.5.* *Cant.4.* IESVS. Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa: meſſui mirrham cum aromatibus meis: & comedi panem meum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo. Surge, propera, amica, ſpecioſa mea, & veni. Iam enim hiems tranſijt, imber abiit, flores apparuerunt in terra noſtra. Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano: veni, coronaberis.

Anima IESVM glorificatorem. *Pſal.22.* ANIMA O Pater mi, ô Liberator meus & Rex meus, ô glorificator meus! O quàm præclara eſt hereditas tua! quanta præparaſti timentibus & diligentibus te, Deus meus, qui præparaſti in conſpectu meo talem menſam aduerſus omnes qui tribulant me; qui hîc eſſe, & ad vocem etiam peſſimi ſacerdotis aſſiduè præſtò eſſe pro me, ſub vtraque ſpecie totus & integer, non dedignaris! Fac, obſecro, vt cibus etiam meus ſit, *Exodi 33.* voluntas tua. Et ſi inueni tantam gratiam in conſpectu tuo, vt te mihi dares, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam te, quem magno deſiderio deſiderat anima mea: & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur! Oſtende mihi gloriam tuam, & ſaluus ero. Recordare, recordare Paſtor bone, recordare ouis perditæ, Pater amantiſſime, prodigi filij tui. Scio, non ſum tibi neceſſarius, non ſum neque vtilis ſeruus. Sed tamen noſti, ſpero, Domine, quia amo te, & ad te omne *Pſalm.83.* ſuſpirium meum. O quàm dilecta tabernacula tua, Domine! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. *Laboraui in gemitu meo*, &c. vt ſuprà. *Exerce hic affectum Amoris & Reſignationis*,

Oratio coram Ven. Sacramento, pro ſui renouatione, & vitæ emendatione: quæ etiam ante, & poſt Communionem vſurpari poteſt.

PRIMÒ, obſerua, & memento, dum ingredetis templum ad aquam luſtralem, lotum te ſanguine Chriſti IESV, & te ablue actu contritionis, ac ſiſte te quaſi coram totâ curiâ cæleſti, cuius ibi pars bona eſt, hancque orationem recita: *Nota. Contritio ad aquam luſtralem excitanda.*

Aue, dulciſſime IESV, *Domine meus, & Deus meus; benedic, quæſo, inopi & calamitoſo exuli tuo, recipe me in amoris tui ſuauiſſimos amplexus.* Fac ſignũ Crucis.

Auete venerabiles manus pro me cruci affixæ.

Auete pedes ſpecioſi pro me clauis confixi.

Aue latus ſpecioſum pro me vulneratum

Aue cor mitiſſimum IESV, *meo & mei indigniſſimi peccatoris æterno amore ſaucium.*

Aue Mater & refugium peccatorum MARIA, *ſtella maris & portus ſalutis.*

Auete Angeli & Sancti Dei, *fauſtiſſima ſidera, ſuccurrite naufrago & erranti in medio vaſti maris mundi hujus, vel deſerto inuio & inaquoſo.*

Audi, Domine, ſuſpirantem ad te, laqueis in mediis, in mõtibus Gelboe, vbi, eheu! tot ceciderunt fortes Iſrael Ecce velut in anguſto & lubrico ſtamus; & hic ſubtus me dracones & mille cuſpides, infernus ipſe, circa me hoſtes. intra me ipſa fragilitas. Tu, Deus meus ſupra me, cuius abyſſalia iudicia conturbant me, qui infidelis fui peccatis innumeris, longè plura cõmiſſurus, ni ebriũ tenuiſſet in præcipiti manus tua & miſericordia tua. quod enim eſt peccatũ, quòd facit homo, quod nõ faceret alter homo, ſi tu deſis Rector *per quẽ factus eſt homo? & eheu! quid ſcio, quid ſerus veſper vehet, quãdo colũnæ cæli obſtupeſcunt, & ſtellæ de cælo ceciderunt; Habeo enim fontes peccatorũ & omnis infelicitatis intra me. imperfectiones meas, quib. omnia ita vereor inficiũtur, vt neſciã, an reſpõdere tibi de vllo opere poſſim. O quoties periclitatus ſũ, & euaſi gratiã tuâ* Miſeria humana. Aug. hõ. 23. lib. 50. homil.

de

de medio hoſtium, ſerpentiũ, ignis, naufragij in arcem tuam, id eſt adiutoriũ tuũ, & ſublatus ſuper altitudinẽ terræ ex amore tuo, qui amore mei ſolus non habuiſti vbi caput reclinares!

Oblatio ſui & reſignatio.

Obtuli tibi & iterum offero in holocauſtum voluntatem meã arborẽ tuam, vt nec bona velle liceat mihi, niſi tu, Deus, cui cura ab æterno de me eſt, id per Superiores ſignifices. Abſit verò vt iam detraham de holocauſto. Quid enim, Pater benigniſſime, ſcit puer tuus, quid expediat ſibi, quã viã teneat cæcus in tot periculis, & ignarus viæ? Quid medico phreneticus præſcribet? ſi me voles eſſe omniũ minimum, vt ſim maximus in æternum apud te ſeſſurus in throno tuo, nónne infinita eſt miſericordia tuæ? ſi obedire vis me omnibus, vt regnẽ & iudicẽ, & gloriâ tuâ circumder, qui veniſti miniſtrare, & non miniſtrari, qui factus eſt obediens Patri æterno, etiamſi ei eſſes æqualis, vſque ad mortẽ crucis, parentibus tuis, immò & tortoribus in tormentis; nónne mihi magna gloriâ ſequi te, Domine, præſertim cùm pro me cũ ſceleratis reputatus te? Si ergo iã commoda quærã, corporis, ſenſuum, ventris mei mancipium ſciens impoſſibile eſſe hic ventrem, & ibi implere mentẽ: ſi obliuiſcar præuaricationis meæ, & Adæ, & tot dãnatorum & tui, IESV, felle potati; ſi immenſo ſupplicio redimam ſicut Eſau in cõſpectu tuo vilem è creatura voluptatem: ſi honorifica, qui me verè omnium minimũ & peccatorẽ maximũ agnoſcere debeo, affecto; ſi pauperes ſperno, iudicia hominum formido; ſi vilem me cognoſco, & vilis haberi nolo; ô quanta erit confuſio mihi in die illa in conſpectu tuo!

Iſaiæ 53. Marci 15. Hieron. in epiſt. ad Iulian.

Quomodo, ô IESV amantiſſime, exempla tua ſequi graue mihi eſſe poteſt, nónne ſum creatura, ſeruus, miles & filius tuus, toties æternæ mortis reus? nunquid toties ſponte in ſeruum me obtuli tibi, & optaui fieri vnicam voluntatem tuam? nunquid probè ſcio te per Superiores loqui vtiliſſima animæ meæ, & omnino, omninò incertas eſſe prouidentias noſtras? Vbi iam eſt ergo fiducia mea? Tu, Domine, ſpes mea, & amor meus à iuuentute meâ, ne memineris iniquitatum mearum. ne ſis mihi formidini, tu ſpes mea; ſed illumina me, & coniunge me tibi, & laudent te cælũ & terra mecũ pro tot & tan-

tantis beneficiis tuis. Gratias ago ex affectu & amore quo poſſum ſummo: (noſti enim, ſpero, Domine, quia amo te) quòd tu Deus, me amaueris ab æterno, etiamſi ſcires, me te aliquando oſurum, & conſeruaueris te crucifixurum, redemeris te toties pro vili creaturâ venditurum, expectaueris prodigum, iuſtificaueris impium, præſeruaueris fragiliſſimum, & vocaueris fugientem proditorem tuum, vt collocares eum cum Principibus populi tui, & ſeruiret tibi omnibus diebus vitæ ſuæ. Et non ſufficit adhuc charitas tua tanta, vt amore liqueſcat anima mea? Gratiarũ actio.

Gratias item ago pro tribulationibus, tentationibus, reprehenſionibus & confuſionibus, quas ad ſalutem meam eſſe voluiſti, & me offero ad hæc, & poſtulo veſte tuâ indui, obteſtans per viſcera miſericordiæ tuæ, vt retribuas illis, qui ſuo fortè crudeli dãno, & pœnâ tibi luendâ, tantum bonum mihi attulerunt. Cupio tecum baiulare crucem, nudus nudum ſequi, pro te viuere & mori. Hæc eſt voluntas mea, Deus meus, ſuprema, velut hodie morituri coram te Iudice & Patre amantiſſimo, & curiâ Sanctorum, quos teſtes habebo infidelitatis & tepiditatis, ſi deterior, ſuperbior, diſtractior, impatientior euaſero. Auerte, Domine, & dele in me quicquid tibi diſplicet in me, ſeruo tuo, & fac vt temporalium omnium habeat faſtidiũ, cùm hæc ſatiare numquam poſſint. Tu verò, Domine ſolus bonus, & omne bonum ſola ſatietas animæ meæ quis ergo mihi tribuat vt te ſolùm diligam, & proximum propter te, etiam hoſtem, vt membra, vt filios tuos, & ſponſas & paratus ſim etiam animam ponere pro iis: tibi enim præſtare me ſcio quæ iis facio, ſeu bona, ſeu mala.

Quis mihi iam tribuat, vt quæram te toto corde, vt amem te in omnibus, cùm tu in omnibus mei amore exiſtas & mihi opereris? Deſidero te millies, mi IESV *dulciſſime, ſuauiſſime amantiſſime, precioſiſſime, pulcherrime, potentiſſime, nobiliſſime, ſapientiſſime, liberaliſſime, optime, vita mea protector, gloria mea, creator meus, finis, Redemptor meus, Domine, Pater, ſponſe, frater, & omne bonũ. Hæc omnia es & quomodo mihi non ſufficis, & tepidus ſum tu in amore? Veni, mi bone* IESV*, quando venies? veni, & vre cor meum, inebria* Actus charitatis, & reſignationis.

inebria me charitate tuâ,ſac me vnum tecum,ſicut tu & Pater vnum eſtis. Accipe cor meum,ſuſpiria hæc mea,corpus& animam,ſanguinem,cogitatione N. verba N. & omnes actiones meas N. in vnione omnium meritorum tuorum, & Sanctorum tuorum, puriſsimis manibus B. Virginis & Angeli Cuſtodis mei,ſanctorum Patronorum meorum. Diſpone,ordina de me creatura tua: noſti enim quid expediat,& vis & potes,& tua infinitis titulis ſunt omnia Deus meus, Deus cordis mei & omnia. Amen.

Colloquiū animæ cū Chriſto pro Sacro audiendo, & Communione,maxime pro ijs,qui non intelligunt,quæ loquuntur,& diſtractis.

CONSIDERARE hîc oportet IESVM velut præſentem,atque eum magno affectu comitari.

Iſaiæ 63. ANIMA. Quis eſt iſte,qui venit de Edom,tinctis veſtibus de Boſrâ,iſte formoſus in ſtolâ ſuâ, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? quare rubrum eſt indumentum tuum Domine IESV, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? *Ibidem.*

CHRISTVS. Torcular calcaui ſolus,& de gentibus non eſt vir mecum,circumſpexi,& non eſt auxiliator; quæſiui,& nō fuit qui adiuuaret; quæſiui qui ſimul contriſtaretur,& nō fuit; conſolantē me quæſiui,& nō inueni *Iſaiæ 63.*

Hæccine verâ,vt ſup.p.7.

Pſ. 68. ANIMA. Miſerationum Domini recordabor; laudem Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus,& ſuper multitudinem bonorum domui Iſraël, quæ largitus eſt ſecundùm indulgentiam ſuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum. Ludebam ego in plateis,& in ſecreto regalis cubiculi ſuper me ferebatur iudicium mortis. Audiuit hoc Vnigenitus eius,exijt poſito diademate, ſacco veſtitus, aſperſus cinere caput, nudus pedes, flens & eiulans, quòd morte damnatus eſſet ſeruulus eius. Intueor illum ſubitò procedendentem, ſtupeo nouitatem, cauſá, *Bern. ſerm. 3. de nat. Chriſti.*

per-

percunctor & audio. Quid facturus ſum? adhucne ludam & illudam lacrymas eius? planè, ſi inſanus ſum, & mentis inops, non ſequar eum, nec ſimul cum lugente lugebo. Ecce, unde pudor, dolor, & timor unde? vtique quia ex conſideratione remedij, periculi mei æſtimo quantitatem.

CHRISTVS. Ne timeas, quia ego tecum ſum; ne declines, quia ego Deus tuus. Elegi te, & non abieci te; confortaui te. auxiliatus ſum tibi: ſuper montem excelſum adſcende tu, exalta in fortitudine vocem tuam. Ecce enim memoriam feci mirabilium meorum, & dixi diſcipulis meis: Hoc quotieſcumque feceritis, in memoriam mei facietis. Audi Euangeliſtam meum, & recordare paupertatis meæ, abſynthij & fellis. *Iſaiæ 41. Iſaiæ 40. Ad ingreſſum Sacerdotis. Luc. 22. Thren. 3.*

ANIMA. Quid retribui tibi? eheu *aduertere hîc poteris, quomodo tu Chriſto moribus tuis fueris contrarius*, quid retribuam; credo, Domine, & doleo vehementer peccaſſe me in cælum, & coram te, qui dediſti animam tuam pro me: ſed ſpero in te ſpes mea, & diligo te ex toto corde meo. *Gloria Patri*, &c. vel potes, ſi vocat, dicere. *Haccine vera*, vt ſup. p. 7. *Actus contritionis, fidei, ſpei & charitatis.*

EVANGELISTA, Egreſſus IESVS trans torrentem dixit: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem; ſuſtinete hîc, & vigilate mecum: & progreſſus puſillùm procidit in faciem ſuam orans, & dicens: Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: verumtamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu: & factus in agoniâ prolixè orabat, & factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. *Matth. 26. Luc. 22.*

ANIMA. Et ego te vltrà offendere potero, Deus meus? quid retribui tibi, &c. vel *Credo tibi*, vt ſup. p. 7.

EVANGELISTA. Tunc ait illis, Venit hora, ecce filius hominis tradetur in manus peccatoris: & confeſtim accedens ad IESVM, dixit Iudas, Aue Rabbi; & oſculatus eſt eum; dixitque illi IESVS, Amice, ad quid veniſti? oſculo filium hominis tradis; *Ad oſculũ altaris. Marc. 14. Matth. 26 Luc. 22.*

ANI-

ANIMA. Et ego pro vána creatura te tradam & deſeram? quid retribui, &c.

Ad introitum. Ioan.18.

EVANGELISTA. Et poſthæc adduxerunt eum ad Annam primò, & interrogauit IESVM de doctrinâ, & diſcipulis eius, atque unus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam IESV, dicens, Sic reſpondes Pontifici?

ANIMA. Et ego, ô IESV patientiſſime, ne verbum quidem pro verbere tolerare potero, quid retribui, &c.

Ad Kyrie eleiſon. Marc.14. Matth.26

EVANGELISTA. Sequebatur autem IESVM à longè Simon Petrus: & qui adſtabant dicebant ei: Verè ex illis es: ille autem cœpit anathematizare, & iurare, Quia neſcio hominem iſtum, & ſtatim gallus cantauit: & egreſſus foras, fleuit amarè.

ANIMA. O quoties negaui te, & egreſſus adhuc mitiſſime IESV, riſi dolores tuos! quid retribui, &c.

Ad orationes, epiſtolam, graduale. Matth.26 Matth.27

EVANGELISTA. Et adduxerunt IESVM ad Caipham Principem ſacerdotum, & quærebant falſum teſtimonium contra IESVM, vt eum morti traderent: & adiurauit illum Caiphas, & conclamarunt vniuerſi: Reus eſt mortis. tunc exſpuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem plamas in faciem eius dederunt, & illudebant ei. Manè autem facto concilium inierunt, vt eum morti traderent.

ANIMA. Et quomodo non viuam tibi, ô vita mea, & ſalus mea, quid retribui, &c.

Ad Euangelium. Ioan.18.

EVANGELITA. Adducunt ergò IESVM à Caiphâ in prætorium, & cœperunt illum accuſare dicentes, Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram!

ANIMA. Te, Domine, qui pertranſiſti benefaciendo, & ſanando omnes! tu autem nihil reſpondebas, bone IESV, quid retribui, &c.

Ad Credo. Luc.23.

EVANGELISTA At illi inualeſcebant, dicentes: Commouet populum, docens per vniuerſam Iudæam.

ANIMA. O quoties reddidimus tibi, ô bone IESV, pro bono malum! quid retribui ego tibi? Eheu! quid retribuam? credo, Domine, & doleo vehementer pec-

caſſe

taſſe me in cælum,& coram te; ſed ſpero in te, ſpes mea, & diligo te ex toto corde meo. *Gloria Patri* : vel vtere illâ oratione. *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Hic offer te & omnia opera tua ſicut Dominus à Iudæis reprobatus ſeſe Patri pro nobis obtulit. Ad oblationem, & calicis præparationem.

EVANGELISTA. Pilatus autem audiens Galilæam, remiſit eum ad Herodem ; qui interrogabat eum multis ſermonibus : & cùm IESVS illi nihil reſponderet, ſpreuit illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte albâ, & remiſit ad Pilatum. *Lucæ 23.*

ANIMA. O Sapientia æterna, túne factus es in deriſum propter me? quid retribui tibi, &c. *Ierem. 3.*

EVANGELISTA. Per diem autem feſtum ſolebat dimittere illis vnum ex vinctis, quemcumque petiiſſent, & dixit, Quem vultis vobis dimittam, Barrabam an IESVM? *Marc. 15.* Ad lotionem manuum & ſecretas.

ANIMA. Cui comparârunt te, Deus meus! & quoties vilior mihi fuiſti? quid retribui, &c. *Matth. 27.*

EVANGELISTA. Dicit autem illis Pilatus, Quid igitur faciam de IESV, qui dicitur Chriſtus? dicunt omnes, Crucifigatur. ait illis Præſes: Quid enim mali fecit? Ad præfationẽ. *Matth. 27.*

ANIMA. Ego ſum, Domine, qui peccaui. filii hominum vſquequo graui corde? nónne iſte eſt, cui venienti ce ciniſtis feſtum oſanna? nónne, de quo ſcriptum: Omnia bene fecit? & canunt Angeli, Sanctus, & perenne Alleluia? quid enim mali feciſti, ô bonitas infinita? at illi magis clamabant, Crucifigatur. Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. quid retribui tibi, &c.

EVANGELISTA. Tum milites Præſidis ſuſcipientes IESVM in prætorio, congregauerunt vniuerſam cohortem, & flagellabant eum, & plectentes coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem in dexterâ eius, & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue Rex Iudæorum, & exſpuentes in eum, ceperunt arundinem, & percutiebant caput eius, & ponentes genua adorabant eum, & dabant ei alapas. Ad Canonem. *Matth. 27*

ANIMA. O quàm pudet me, ſub ſpinoſo capite membrum eſſe tam delicatum! quid retribui, &c.

Memento hîc cum ſacerdote eorum, pro quibus orare debes, & ſupplica per dolores Chriſti Domini, in nomine ipſius.

Ad Eleuationẽ. *Ioan.* 19. EVANGELISTA. Exiuit ergo iterum Pilatus foras, exiuit & IESVS, portans ſpineam coronam, & purpureum veſtimentum, & dicit eis: Ecce homo. Cùm ergo vidiſſent eum Pontifices & miniſtri, clamabant: Crucifige, crucifige eum; & dicit Iudæis: Ecce Rex veſter. illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum.

ANIMA. O Pater æterne, reſpice in faciem Chriſti tui, & miſerere noſtri, quid retribui, &c.

Ad reliquum canonis poſt eleuationem. *Matth.* 27 *Lucæ* 23. *Matth.* 27 EVANGELISTA. Exuerunt ergo eum chalamyde, & duxerunt, vt crucifigerent eum, & angariauerunt Simonem Cyrenæum, & ad flentes mulieres conuerſus IESVS dixit: Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? & venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, & dederunt ei vinũ bibere cum felle miſtũ.

ANIMA. Volo, Domine, ſequi te Regem meum, & abnegare me, tollere crucem tuam, & ſequi te. quid retribui? &c.

Ad *Omnis honor, & Pater noſter.* *Lucæ* 23. *Matth.* 27 *Ioan.* 19. EVANGELISTA. Et ibi crucifixerunt eum, à & latronem vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris, & diuiſerunt veſtimenta eius, ſortem mittentes, & blaſphemabant eum dicentes, Salua temetipſum. Stabat autè iuxta crucem JESV, mater eius. IESVS autem dicebat: Pater, dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt: latroni verò, Hodie mecum eris in paradiſo. Matri: Ecce filius tuus: Ioanni & mihi, Ecce mater tua: Deo Patri: Deus meus, vt quid dereliquiſti me?

Ioan. 19. ANIMA. Mihi verò dixiſti, ô IESV, Sitio, æſtuans amore ſalutis meæ, denique, Conſummatum eſt. & , Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum. Verè dignus eſt, Domine IESV, morte, qui tibi recuſat viuere. quid retribui, &c.

EVANGELISTA. Centurio autem, & qui cum eo erant, videns tenebras factas ſuper vniuerſa terram, ait: Verè filius Dei erat iſte: Stabant autem omnes noti eius à longe: & vnus militum latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. *Ad Agnus Dei. Lucæ 23. Ioan. 19.*

ANIMA. Quis mihi tribuat vt viuam tibi, & moriar pro te, bone IESV? quid retribui tibi? &c.

EVANGELISTA. Et cùm ſerò eſſet factum, Ioſeph ab Arimatheâ petiit corpus IESV, & donauit ei Pilatus, & accepto corpore inuoluit illud in ſindone mundâ, & cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire: & poſuit illud in monumento nouo, quod exciderat in petrâ. Ad communionē. *Marci 15. Matth. 27 Ioan. 19.*

ANIMA. O IESV, vtinam complantati ſimus ſimus ſimilitudini mortis tuæ, vt ſimus ſimul etiam reſurrectionis, & in nouitate vitæ ambulemus! Mihi verè adhærere tibi, bonum eſt, & ponere in te omnem ſpem meam. quid retribui, &c. *Pſalm. 72.*

EVANGELITA. Et cùm tranſiſſet ſabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM, qui tertiâ die reſurrexit à mortuis propter noſtram iuſtificationem Ad poſt Communionem.

ANIMA. Quid retribui tibi, &c.

EVANGELISTA. Maria autem ſtabat ad monumentum, & conuerſa retrorſum, vidit IESVM ſtantem. tunc dicit ei IESVS, Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, ad Deum meum & Deum veſtrum. Poſt hæc apparuit diſcipulis ſuis, & dixit eis: Pax vobis, ego ſum, nolite timere. Ad *Dominus vobiſcum*, & orationes *Ioan. 20.*

ANIMA. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? quid retribui, &c.

EVANGELISTA. Et accedens IESVS locutus eſt eis dicens, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, & aſcendit in cælum: & cùm implerentur dies Pentecoſtes, miſit promiſſum Paraclitum: illi autem prædicauerunt vbique, Domino coo- Ad Benedictionē. *Macr. 10*

perante,& ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

Pſalm.115 ANIMA. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo. Credo, Domine, & doleo vehementer peccaſſe me in cælum & coram te; ſed ſpero in te, ô ſpes mea, & diligo te ex toto corde meo. Abſorbeat me immenſa & melliflua vis amoris tui, vt amore amoris tui moriar, qui amore mei dignatus es mori.

Alia oratio, Chriſtiani hominis officia ac omnium propè virtutum actus complectens.

4.Reg.3. *DOmine Deus meus, in cuius conſpectu ſto, coram quo tre-*
Iſaiæ 40. *munt vniuerſæ poteſtates, omniaq; ſunt quaſi nō ſint;*
Gratiarū *gratias tibi ago, quia me de nihilo creaſti, & hæc vniuerſa pro*
actio. *me, quia redemiſti me ſanguine tuo, & Eccleſiæ tuæ aggre-*
gaſti: & pro omnibus beneficiis, quæ ſanctiſſimæ humanitati
Chriſti Domini, Beatæ Virgini & omnibus Sanctis, atque
1 Cor.1. *hominibus & mihi conceſſiſti: à te enim, & tua ſunt omnia, vt*
Auguſt. *non ſit vnde glorietur omnis caro. Creaſti verò me, & hæc*
omnia dediſti, vt ſeruiam tibi, & niſi fecero, æterna mihi ſup-
Adoratio. *plicia comminatus es. Adoro te ergo, Deus meus, & ſeruire ti-*
bi volo: atque abrenuntio mundo, carni & diabolo, & omni
creaturæ, quæ me rebellē faciat tibi creatori meo. Quid enim?
Theſſ.5. *fortè hodie ſicut fur in nocte veniet improuiſa mors, & quid*
tum coram tribunali tuo reſponderem tibi, ſi ob leuem volup-
Pſal.118. *tatem, vile lucrum, vel vanitatem declinaſſē à mandatis tuis,*
1.Ioan.5. *quæ, vt dixiſti, verè grauia non ſunt; Ah, vtinam te, Pater pij-*
Actus contritionis. *ſſime, nunquam offendiſſem! tu enim verè omne bonum es, &*
à te immenſa ac ſpontanea charitate mihi omnia bona vene-
runt, pro quibus, eheu! retribui mala: verùm ecce redeo ſeruus
Sap.7. *ad Dominum, filius prodigus ad Patrem miſericordiarum, &*
Pſalm.34. *Deum totius conſolationis, & adhærere tibi volo fide viua,*
2.Cor.1. *ſpe firmâ, charitate perfectâ. Credo tibi, ô veritas æterna ac*
Fides. *Catholicæ Romanæ Eccleſiæ tuæ, tot Martyribus, miraculis,*
antiqui-

antiquitate & vnitate roboratæ; immò per gratiam tuam paratus ſum potiùs millies mori, quàm eam non audire. O Spei.
Deus meus, tu es enim ſpes mea, in te confido, non erubeſcam. Iob.3. Pſal.54.
etiamſi occideris me, in te ſperabo. Iacto ſuper te, Domine, curam meam, & omnem ſollicitudinem meam proiicio in te. Scio enim præſentem vbique eſſe te, & mei velut vniuerſi curã gerere. Fac ergo, Pater amantiſſime, de me ſecundùm bo- Aug. Soliloq. c. 14.
nam voluntatem tuam, non meam: tu enim ſolus Dominus, tu medicus & dux meus in via hac; tu noſti, quid mihi ægro expe- Reſignationis, Patientiæ & Fortitudinis.
diat, quæq; ſit peregrino eundum. Accepto proinde omnia bona & mala de manu tua, ſiue paupertas, infamia, ſeu dolores erunt. omnia enim prouidentiâ tuâ gubernantur, & in ditione ac voluntate tua cuncta ſunt poſita, & quis eſt qui dicere Sap.14.
poſſit: Cur ita facis? & quid quæſo habet conqueri qui infer- Eſter.13. Iob.9.
num eſt promeritus, de momentaneâ tribulatione, quæ æter- 2.Cor.4.
num gloriæ pondus operatur in nobis? Scio inſuper quòd benignus & miſericors Pater es, neque patieris ſcio me tentari ſu- Confidentiæ.
pra id quod poſſum. Nunc ergo, ô bonitas infinita, diligo te, Ioël 2. 1.Cor.10.
vtinam verè ex toto corde meo, & nihil extra te: a te enim, & in te ſolo omne bonum meum eſt, vbique mihi præſens es, & omnia largiris, ô fons bonorum omnium. Cur igitur te neglecto, creaturæ vanum anxiè ſimul & fruſtra quæram ſolatiũ? Téne IESV *bone, derelinquere poſſum, fontem aquæ viuæ & bibere Aegypti, huius mundi aquam turbidam? Sitio & ſuſpiro* Amoris Dei.
te vnum, & amplectar te vlnis animæ meæ proximos verò om- Matth.22.
nes & inimicos propter te. Ecce condono illis iam coram te ex Ierem. 2.
toto corde, quidquid peccauerunt in me. Si enim diligentes me tantùm diligo, nónne & Ethnici hoc faciunt? Ego verò ô IESV *Chriſtianus & filius tuus ſum, qui pluis ſuper iuſtos & iniuſtos, & ſolem tuum oriri facis ſuper bonos & malos. Verùm,* Charitatis proximi & inimicorum. Matth 5.
ô Domine Deus, da mihi ut non verbo tantùm, ſed & opere & 1 Ioan. 3.
veritate diligam te & proximos meos, ac lato corde curram in viâ mandatorum tuorum. Et certè cùm recogito labores & dolores, IESV *dulciſſime, quos pro ſalute meâ ſponte ſubiiſti, quid mihi pro illâ graue eſſe poteſt? an Miſſam audire?* Propoſitũ bene viuendi. Pſal.118.
terræ viliſſimum aliquod fruſtum alteri reſtituere? hoc N.

Lucæ 16. *abnegare? Sacramenta ferquenter? frequentare? conſcientiam ſedulò examinare? ſobrium eſſe proximũ diligere? aliis honoratiora deferre? te ſuper omnia amare? Pudet me torporis mei, dum filios huius ſæculi aſpicio, & quantos illi labores pro momentaneâ hac vitâ tuendâ ſubeant: quomodo enim mihi mandata grauia videri poſſunt, cùm tu, Veritas æterna dixeris,* Matth. 24 *Mandata mea grauia non ſunt? Verè leue eſt onus tuum, & iugum tuum ſuaue, maximè ſi annos in mente habeam. O æternitas, æternitas! æternitas quàm rara es in mentibus hominum! quarum alterutra feliciſſima, vel miſerrima fortè hodie mihi obtinget: neſcio enim quâ horâ venturus ſis, & amore an odio dignus ſim neſcio. O quid non, cùm in morte iudex aduẽneris, pro æternitate feciſſe vellem! Quid tum prodederunt deliciæ, ſuperbia, diuitiarum iactantia, & hominum fauores à te ſummo iudice ſtrictè iudicando? Et cui vnquam profuerunt, aut quem ſatiarunt? Suſcipe, quæſo, Domine propoſitum hoc meum, quo tibi hodie ſeruire firmiter ſtatuo præcepta tua & Eccleſiæ ſeruare, cuiq; ſuum tribuere, vti temperanter donis tuis. omnia aduerſa & proſpera ſuſcipere de manu tuâ, omnia ad tuam vnius gloriam facere. Offero tibi cor, corpus & animam meam, oculos & manus, quæ numquam ad illicita conuertam; aures, quas numquam detrahentibus aut ſtultiloquio præbebo. Linguam, quâ nihil niſi tibi placitum loquar; ſed ſemper laus tua erit in ore meo. Denique me totum offero maieſtati tuæ; fac de me ſecundum beneplacitum tuum: ſeruus enim tuus ſum ego, & opus manuum tuarum, ac deſidero vni tibi placere, idq; proteſtor hodie corã te, Deus meus, B. Virgine MARIA, & cæleſti curiâ tuâ, quam ſuppliciter inuoco in auxilium meũ. Da mihi, Domine, IESV Chriſte, per vulnera tua, & per mortem tuam, & merita Sanctorum tuorũ, gratiam, ſine qua nil poſſum, vt hæc propoſita mea fortiter exequar: tu enim ſola ſpes mea, tu gaudiũ, & gloria mea, tu qui es & finis meus, in quo ſolo conquieſcere valeo & volo O Deus meus, ô omne & vnicum bonum meum! Amen.*

[Margin notes: Aeternitas. Sap. 5. Contemptus rerum terrenarum. Exercitiũ virtutum cardinalium. Iob. 2. 1 Cor. 10. Oblatio ſui. Pſalm. 33. Epheſ. 1. Iſaiæ 64. Sanctorum patrocinium. Obiectatio cum diffidentia ſui. Pſal. 141. Pſalm. 3. Auguſt.]

Praxis audiendi Sacrum.

Quid cogitandum, dum itur. EUndo, cogita te velut ad montẽ Caluariæ ire; & quid ibi viſurus ſis, quantâque deuotione debeas adeſſe. Et intran-

intrando locũ, aſperge te aquâ luſtrali, & contritionẽ excita. Tum, Primò, adora Deum, Fidei, Spei & Charitatis actu, & intentionem renoua, dicendo, Credo Domine, & in te ſpero, ac toto corde te diligo. Secundò, conſidera dignitatem ſacrificii. Tertiò, propone reuerenter aſſiſtere: quæ omnia, iam ſequenti oratiuncu là continentur.

Credo tibi, Rex regum, qui ex amore ſummo verè carnem & ſanguinem nobis tuum dediſti. & ſub his ſpeciebus, vt perpetuò nobiſcum eſſes, mirabiliter eſſe voluiſti, & infinitis figuris ac miraculis hoc declaraſti. Cupio igitur intereſſe huic memoriali paſſionis & ſapientiæ, & potentiæ, & bonitatis tuæ, attentè, & omni, quâ poſſum, deuotione, cum Angelis tuis, & tota curia tua ad gloriam tuam & ad ſalutem & auxilium meum, ad Eccleſiæ vtilitatem, & omnium, qui ſe mihi commendarunt N. & defunctorum N. ſolatium. Da mihi ad hæc gratiam, ô vnica virtus mea, Amen. Præparatio ad Sacrum audiendum.

Dum Sacerdos parat neceſſaria ſacrificio, antequã incipiat, cogita Angelos aduentantes, vt honorent ſacrificiũ, & confundere de tepore tuo.

Ad *Confiteor*: percurre breuiter peccata, contritionẽ excita, & innoua propoſitum emendandi. In ceteris, attende ad verba, ſi ea intelligas: aut roſarium, aut aliud lege. *Contrio ad Confiteor.*

In offertorio: cogita quæ agenda habeas illo die, & ea offer ac ſancta deſideria tua recole, priſtinaque propoſita; omniaque vnicum meritis Chriſti IESV. *In offertorio quid.*

Ad *ſurſum corda*: attende ad Paſſionem Chriſti. Eſt enim memoriale illius. Et in vtroque *memento*, ora pro iis omnibus, quibus oportet, collocando eos in partibus crucis.

Ad eleuationẽ conſidera Chriſtum in cruce, & adora, deinde cogita, quæ aduerſa accidere poſſent: & ad ea te reſigna. Conſidera poſt hæc beneficia Dei, & ad ſpiritualẽ communionem te præpara, rogando Dominum, vt ad te veniat, animã purget ab his N. & illis N. defectibus, eamque virutibus exornet: denique, quaſi cum ſacerdote deſiderio ardenti communica. *Ad eleuationem te reſigna. Præparatio ad Communionem ſpiritualẽ.*

Poſt communionem gratias age, & gratulare Deo de perfectionibus diuinis. Iterũ renoua vota, & propoſita; ac iterũ agenda Deo offer, & in particulari ad mortificationẽ illius, circa quod examine particulari verſaris.

Dignatus es, vt ſup. pag. 10.

Oratio pro Communione ſpirituali.

E*Cce adſto pauper & inops ad menſã magni Regis, & amantiſſimi Patris mei tuã Chriſte* IESV: *& credo tibi, ô æterna Veritas, quòd verè è ſummo calorũ ad verbũ ſacerdo-* Fidei actus.

Contritionis. Matth. 8.

tis, vt me viſites, venire dignatus es; veruntamen, conſcius infirmitatis meæ & peccatorum meorum, de quibus propter te vehementer doleo, non audeo ſacramentaliter ſuſcipere te, ſed dico ex amore tui cum Centurione, cuius ſeruum abſens vti alios plurimos ſanaſti: Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum; ſed per os Sacerdotis, veni Amantiſſime IESV *in animam meam, munda, quæſo, illam à malis eius & imperfectionibus N. & orna bonis & virtutibus N. paſce corpore & ſanguine tuo: ex nunc in æternum viuam tibi.*

Sine, ô bonitas, ſine vt catellus comedat de menſâ Domini ſui, & reſ le me tuâ benedictione, vt potes, & ſæpè ſoles, etiam tantâ, quantâ ſi ſacramentaliter quis te ſuſciperet. Omnino ita ſpero, quoniam bonus es, & quod non deſeres me, & nihil me ſeparabit à te hodie, nec vllo momento vitæ meæ in æternum. Nónne enim vidi te & cognoui charitatem tuam inæſtimabilem, immenſam pietatẽ? verè, niſi glacies ac lapis ſim, fera & non homo, non potero per gratiam tuam obliuiſci illius, ſed in te viuã, & tu in me in æternũ. Tu mihi eris ſemper

Ponau. l. 1 Stimuli.

ſpes mea, gaudium meum iucunditas mea, fiducia mea, diuitiæ meæ dilectio mea, quies mea, tranquillitas mea, dulcedo mea, ſuauitas mea, cibus meus, refectio mea, tutela mea, ſuſtentatio mea, expectatio mea, refugium meum auxilium meum, refrigerium meum, patientia mea, protectio mea, reſponſio mea, locutio mea, meditatio mea. operatio mea. theſaurus meus, in quo ſolo fixa & firma, & immobiliter radicata ſit ſemper mens mea, & cor meum Amen.

Praxis alia pro Sacro.

ALIA Praxis erit, conſiderare ſacerdotem vt Chriſti perſonam repræſentantem; Primò, tonſurâ, ſcilicet illius coronam.; Secundò, amictu, velamen oculorũ Chriſti; Tertiò; albâ illuſoriã veſtẽ Herodis Quartò; cingulo, vincula eius; Quinto; manipulo vincula manuũ: Sextò, ſtolâ, funes quibus tractus fuit; Septimò caſulâ, veſtem purpuream; Octauò, cruce in pectore ac humeris, Chriſti crucẽ; Nonò, calice, dolores paſſionis; Decimò, corporali, ſindonem quã inuolutus fuit Dominus.

Alia praxis conſtãs memoria Paſſionis Dom.

Alia, conſiderare Miſſæ cerimonias, eiſque vitæ & paſſionis Chriſti memoriam renouare, Tu itaque, ſi libet, Primò, cum ſacerdote, priuſquam ab altari deſcendat, fidem

ac puram intentionem exerce; deinde ipſo ſtante ad pedē altaris repræſenta tibi Chriſtum orantem in monte Oliueti, ſanguinemque ſudantem pro peccatis tuis, ac de iis conterere. Deinde ad oſculum altaris, memora oſculum Iudæ; ad introitum, quod in domo Annæ paſſus eſt IESVS: dum itur ad medium altaris, deductionem ad Caipham: ad *Kyrie eleiſon*, negationis Petri: ad collectam, accuſationes: ad Epiſtolam, concilium in domo Caiphæ, & Chriſti condemnationem: ad Euangelium, quod in Septemtrione legitur, deductionem ad Pilatum gentilem, eiuſque interrogationes: ad *Credo*, populi clamores: ad *Dominus vobiſcum*, Pilatum ad populum loquentem: dum aqua & vinum petitur & offertur, te tuaque omnia Deo offer, ac cogita miſſionē ad Herodem & reditum ab eo: ad lotionem manuum, corā Pilato accuſationem: ad *Orate Fratres*, & ſecretas orationes, Barabbæ poſtulationem: ad præfationem & Canonē, recordare Iudaicarum vocum, *Tolle, tolle, crucifige eum*, & flagellationis & coronationis Domini tui: ad eleuationem, quomodo Pilatus oſtenderit eum populo: ad cruces aliquot, & cùm ſilentio orat Sacerdos, baiulationē crucis, & crucifixionem intuere: ad *Omnis honor*, crucis eleuationē: ad *Pater noſter*, eiuſque ſeptē petitiones ſeptē verba Chriſti commemora: ad *Pax Domini*, &c. mortē IESV: ad *Agnus Dei*, militum confeſſionem: ad *Domine non ſum dignus*, apertionē lateris, & depoſitionem de cruce: ad communionem, ſepulturam: per primum *Dominus vobiſcum*, poſt eam, ſignificatur reſurrectio & apparitiones ac documenta: per *Ite Miſſa eſt*, aſcenſio Chriſti: per benedictionē, miſſio S. Spiritus: per Euangelium S. Ioannis, prædicatio Apoſtolorum. Hæc commemorans pro ſingulis gratias age & dic: Credo tibi, & in te ſpero & te toto corde diligo, Deus meus & omnia

Finitâ Miſſâ ſi communicare velis, rurſum contritionem excita ad *Confiteor*, ante communionis diſtributionem; fidē item, ſpem & charitatem, quarum actus, vt dixi, toto decurſu paſſionis exercere diligenter ac diſcretè potes. In cōmunione, affectibus amoris & reſignationis inſta, Chriſtumq; animæ vlnis complectere, ac propone ſeriam vitæ emendationem, coram ipſo & curiâ illius vniuerſâ.

Alii diuidunt vitam Domini in tres partes, & gratioſam memorant vſque ad Canonem, pœnoſam eiuſque paſſionē vſque ad communionem, glorioſam ab eâ vſque ad finem. Quiſque id ſequi poterit, quod ſpiritus eū vnctio docebit.

Hoc autem modo; ad confeſſionē memento lapſus Adami, tuaque peccata deteſtare: ad altaris oſculū, Incarnationis Chriſti: ad introitū & *Kyrie eleyſon*, deſiderii SS. Patrū:

ad *Gloria*, conſidera Chriſtum natum: ad *Dominus vobiſcum* Magorum adorationẽ: ad Euangelium & Symbolũ, Chriſti prædicationem: ad *Dominus vobiſcum*, miracula Chriſti: ad *Offertorium*, Chriſti oblationem: & tu te pariter offer; ad *Orate fratres*. quomodo mortem ſuam aperuerit diſcipulis: ad præfationem, ingreſſum in Ieruſalem: ad Canonem, orationem in horto, tormenta, & baiulationem crucis: ad eleuationem Hoſtiæ, Chriſti crucis exaltationem: ad calicem, effuſionem ſanguinis: depoſitio Hoſtiæ, & calicis, depoſitionem de cruce notat: *memento*, deſcenſum in limbum, hîc pro mortuis ora, & velut moriturus propoſita renoua: ad *Pater noſter*, conſidera dolores & orationem B. Virginis ſtantis iuxta crucem: ad *Agnus Dei* & communionem, Chriſti ſepulturam: ad cætera, reſurrectionem, apparitiones: atque ad extremam benedictionem, aſcenſionem. Poſt ſingula gratias age, & dic, Credo tibi, & in te ſpero, & toto corde te diligo Deus meus & omnia.

Dignatus es, vt ſuprà pag. 10.

IACULATORIÆ.

Deut. 4. *NOn eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris.*

Pſal. 100. *Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator Dominus; eſcam dedit timentibus ſe.*

Iſaiæ 66. *Quis audiuit vnquam tale, & quis vidit huic ſimile.*

Eccleſia. *O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur.*

Zach. 9. *Quid eſt bonum eius, & quid pulcrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?*

CAPVT X.

Peregrinatio cum Chriſto patiente, ſiue exercitium de Paßione Domini: quo ad amoris affectum homo diſponitur.

Pſal. 100. ANIMA. O benigniſſime IESV, Saluator mi, & deſiderium animæ meæ! O qualem mihi memoriam feciſti mirabilium tuorum, miſericors & miſerator Domine, amoris inquam & charitatis tuæ immen- *Pſal.* 138. ſæ, & ineffabilis erga me! O quàm mirabilis facta eſt *Abacuc.* 3. ſcientia tua ex me! Confortata eſt, & non potero ad

eam.

eam. Audiui, ecce, Domine, auditum tuum, & timui; & conſideraui opera tua hæc, & expaui: mirabilia, inquam, opera tua, & anima mea cognoſcet nimis; mirabilia prodigia quæ poſuiſti ſuper terram, mirabilia teſtimonia tua, teſtimonia magnitudinis amoris tui. ideò deſiderat hæc ſcrutari anima mea. Scrutetur alius mirabilia maieſtatis tuæ, & videat ne opprimatur à gloriâ, mihi verò da, vt affectu magno ſcruter & amplectar opprobria & dolores tuos, neque enim cupio quicquam ſcire niſi IESVM meum, & hunc crucifixum, aut in me fieri quàm beneplacitum tuum. *Pſalm. 45.*

CHRISTVS. Pone me, fili mi, vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum, & recordare paupertatis meæ, abſinthii & fellis, & laborum & dolorum quos ſuſcepi infinitâ charitate, velut pro te ſolo. *Thren. 3.*

ANIMA. Pro me, tu Deus meus, Deus meus! Credo Domine, & in te ſpero, & toto corde te diligo. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, & charitatis tuæ quam ſic commendaſti nobis. O quàm fortis eſt vt mors dilectio tua, quàm dura ſicut infernus æmulatio! Lampades eius lampades ignis atque flammarum. aquæ multæ tribulationum non potuerunt tuam, ô IESV, extinguere erga me charitatem, nec flumina peccatorum meorum obruent illam. & poterítne fieri, vt aliquando tui me capiat obliuio, qui in ſplendoribus Sanctorum in gloriâ tuâ æternâ recordatus es nominis mei, cùm mei ipſe immemor eſſem, & vocaſti me nomine meo, tu qui es ſpes mea, ſalus mea, & vita mea? *Aſpira*, vt ſup, pag. 7. *Haeccine firmâ fide*, ibid. *Cant. 8.*

Videte, & audite omnes, & enarrabo vobis qui timetis Deum, quanta fecerit animæ meæ: venite & audite opera Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram. Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas, & legam veſtigia pedum tuorum: & deoſculabor, & quoad potero lacrymis meis rigabo, & complectar te deſide- *Pſalm. 65.* *Pſalm. 46.* *Cant. 3.*

deſiderium collium æternorum. Ecce à ſummo cælo eſt egreſſio tua, vt me ouem perditam quæreres, & occurſus meus erit vſque ad ſummum eius; ſequar te quocunque ieris, cùm mihi dignatus fueris dicere mihi tu infinitâ miſericordiâ tuâ, Veni, & ſequere me.

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

De inſtitutione Ven. Euchariſtiæ

Cant.2. CHRISTVS. Surge, propera, amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauernâ maceriæ, vide vt dereliquerim pro te domum *Ierem.14.* Patris mei, & factus ſim pro te ſicut colonus in terra, & viator declinans ad manendum.

ANIMA. O vtinam, ô vtinam magnificaſſes, Domine, facere nobiſcum Paſtor animarum noſtrarum, & non derelinqueres nos in hâc vaſtâ ſolitudine.

Ioan.14. CHRISTVS. Non vos reliqui orphanos: dixi vobis, *Matth.28.* Vado & venio ad vos; & ecce ego vobiſcum eſſe volui in Euchariſtiâ vſque ad conſummationem ſæculi. cum-*Matth.13.* que triennio toto ego Vnigenitus in ſinu Patris eructaſſem abſcondita à conſtitutione mundi, cùm pertranſiſſem benefaciendo, & ſanando omnes, potens opere & ſermone, & viderem tempus eſſe vt reuerterer ad Patrem; tibi dedi corpus & ſanguinem in cibum & potum, vt epulareris in conſpectu meo ſemper, & memoriale eſſet tibi mortis & paſſionis meæ, immò vt tecum eſſem omnibus diebus. *Hic fidei affectui vel amoris indulge*, vel dic *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7.

Pſalm.25. ANIMA. O qualem poſuiſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me!

Pſalm.77. CHRISTVS. Et hanc paraui, & feci conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ omnibus populis, & pa-*Iſaiæ 25.* nem cæli dedi, & panem Angelorum, cùm dixerunt inimici mei, & qui cuſtodiebant animam meam, conſi-*Pſalm.70.* lium fecerunt in vnum, dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini & comprehendite eum: cùm mortem

mihi

mihi pararent, ego arborem vitæ illis & tibi nominatim dedi. Credis hoc? & cùm veniſſem, ô filia Sion, *Zachar.9.*
Rex tuus tibi iuſtus & Saluator, ipſe pauper, & aſcendens ſuper aſinam & pullum filium aſinæ, dixiſti, Venite (vt fratres Ioſeph) venite, occidamus eum. Ecce vt filios enutriui carne & ſanguine meo, ipſi autem ſpreuerunt me: ego verò iis dixi, Venite iam, & comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis: & viuite, & quare moriemini domus Iſraël? *Cant.5.* *Hæc meditatio eſt tractim legenda.*

Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

ANIMA. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, & portæ eius deſolamini vehementer. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Dicat nunc Iſraël, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. Dicite Deo quàm terribilia ſunt opera tua, Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui. O verè miſericors & miſerator Dominus, patiens, & multùm miſericors, ſuauis Dominus vniuerſis, & miſerationis tuæ ſupra omnia opera tua. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terrâ. Confitebor tibi, Domine, quia terribiliter magnificatus es, & mirabiliter ex immenſâ charitate minoratus es propter me. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. Credo, Domine, Credo, adiuua incredulitatem meam: certè teſtimonia tua incredibilia facta ſunt nimis propter immenſam charitatem tuam, propter hanc enim feciſti hæc omnia pro me, velut ſi ſolus eſſem, & indigniſſima pati dignatus es. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut tu Deus ades cunctis obſecrationibus noſtris. Multa enim feciſti tu, Domine mirabilia tua, & cogitationibus tuis non eſt qui ſimilis ſit tibi.* *Admiratio* Ierem. 2. Pſal. 117. *Laus, & gratiarum actio.* Pſal. 114. Pſal. 111. Pſal. 138. *Actus fidei* Deut. 4. Pſal. 39.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, & caro mea requieſcet in ſpe, quoniam in te eripiar à tentatione hâc vel illâ N. & in Deo meo tranſgrediar murum imperfectionum N. & tribulationum mearum. Proſequar inimicos meos, & comprehendã illos & non conuertar donec deficiãt, quia tu es miſericordia mea, & refugiũ meũ, ſuſceptor meus, *Actus ſpei.* Pſal. 25. Pſal. 17. Ibidem. Pſal. 143.

Actus Charitatis meus, & liberator meus. Tuus, tuus ſū ego, opus manuū tuarum, tanto pretio ſanguinis tui emptus & redemptus. cuius ergo eſſe potero, amantiſſime IESV, niſi tuus? tu es enim fortitudo mea, & firmamentum meum, & refugium vnicum meum: te diligo ex toto corde meo, & ex totâ animâ meâ, atque ex totis virib. s meis. O quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto
Pſalm. 72. ſunt corde! Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quā abPſalm. 30 ſcondiſti timentibus & diligentibus te! Potes hic affectū amoris proſequi.

Iſaiæ 5. CHRISTVS. Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iudæ iudicate inter me & vineam meam, quid eſt quod vltrà debui facere vineæ meæ, & non feci? & quid tibi debui facere, & feci?

Pſalm. 4. ANIMA. Nihil, Domine, ſed ſecundùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ, iuſtitiâ plena eſt dextera tua,
Pſalm. 91. quam magnificata ſunt opera tua, Domine! nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Verè melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te, ſic benedicant te in vitâ meâ, & in nomine tuo leuabo manus meas: ecce enim iuraui
Actus Reſignationis & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Tuus enim ſum ego, tuus ſum ego; ſalvum me fac, quoniam mandata tua exquiſiui. Fac de me ſecundum diuinum beneplacitum tuum in tē-
Actus zeli. pore & in æternitate, paratū cor meum, Deus, paratum cor meum, etiam animam meam ponere pro te per gratiam tuā & pro fratribus meis, & tecum opprobrium & miſeriā exſpectare & amplecti: vt cognoſcant omnes & diligant te, &
Pſalm 116 audiant vocem tuam, ô Paſtor bone, qui animam tuam poſuiſti pro ouibus tuis, & peccatoribus, quorum primus ego ſum. Erraui enim ſicut ouis quæ periit: ſed quæſiſti ſeruum tuū, & portaſti ſic in humeris tuis, & quomodo vnquam obliuiſci potero tanti amoris & dignationis tuæ? Quomodo tu illius erga me obliuiſci poteris? & deſpicere & proiicere me à facie tua? In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. Amen.

De

De Oratione Chriſti in horto.

Anima. Egrediar nunc, ibi plorans & ſilentio comitabor Iesvm in hortum oliuarum, quia miſericordia Domini plena eſt terra: quid dico hortum oliuarum? in montem myrrhæ & collem thuris.

Christvs. Sicquidem fuit mihi, ſed meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, & torcular calcaui ſolus, & expreſſi miſericordiam tibi in iuſtitia mea; cor meum conturbatum fuit in me, & formido mortis cecidit ſuper me; repleta eſt malis anima mea; & vita mea inferno appropinquauit. Oraui itaque ad Patrem pronus in terrâ, & humiliaui animam meam pro eo, quòd ſe homo exaltârat, & dixi tactus dolore intrinſecus, Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Suſtinui verò tunc qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, qui conſolaretur, & non inueni: nec poterant Diſcipuli vel vnâ horâ vigilare mecum. lacrymæ meæ erant in maxillis meis, & ſuper vnoquoque, vt in Ioſeph figuratum fuerat, ſolus ploraui ſuper interfectos populi mei, & ſuper te N. nominatim, quia fera peſſima deuorauerat te fili mi, & inhiabat infernus aperiens os ſuum ex tunc, vti & modo, vt abſorberet te æternùm. *Credo Domine, & in te ſpero, & toto corde te diligo.*

Cant. 5. *Pſalm. 34.* *Pſalm. 87.* *Matth. 26.* *Pſalm. 86.* *Gen 37.*

Hæccine vera, vt ſup. p. 7. vel *Fidem exerce.*

Anima. Verè languores noſtros tuliſti, bone Iesv, & dolores noſtros portaſti, ô Redemptor animarum noſtrarum. Accedam igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequar, & inueniam gratiam in oculis tuis. O quàm amarum calicem, quam amarum cuius fæx non eſt exinanita, tibi propinârunt peccata noſtra!

Christvs. Et ego tamen eum vtrâque manu accepi de manu Patris mei, & deſiderio deſideraui bibere illum, vt ſolarer te & ſanarem, atque eum haberem ego verus

verus Salomon, & pacificus Rex ſapientiam multam nimis, & latitudinem cordis, quaſi arenam quæ eſt in littore maris; omnem arenam, id eſt peccata mundi, incorde meo & dolore meo expiaui, & ideò ſicut aqua effuſus ſum; & diſperſa ſunt omnia oſſa mea, & factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei, aruit tanquam teſta virtus mea.

3. Reg. 4. *Offer te Deo vti* IESUS. *Pſal. 22.*

ANIMA. O gaudium Angelorum! ô abyſſus dolorum! & poteſt fieri, vt dicas adhuc, delicias tibi eſſe cum filiis hominum, qui tales contra te ſcripſerunt amaritudines? Video madere terram, quæ maledicta fuerat cùm eſſet primus Adam in horto voluptatis, & rubere video ſanguine vnigeniti filii Dei in horto oliuarum & doloris. Hic perge in amoris affectu & gratitudinis & compaſſionis.

Contemplare IESVM *orantem.*

CHRISTVS. Terra, ne operias ſanguinem meum ſed, mi Pater, vox ſanguinis mei clamet ad te. Pater miſericordiarum, de terrâ pro ouibus meis, & pro hoc N. qui hæc legit, pro quo te cùm lacrymis oraui, & exauditus ſum ſcio pro reuerentiâ meâ, ac conſolatus me es per Angelum tuum, cuius ſolatium minoratus non reſpui, vt docerem te, fili mi, vias meas, vias humilitatis, patientiæ & charitatis. Poſt hæc verò, vt cognoſceret mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dederat mihi Pater, ſic facerem, dixi diſcipulis, Surgite, eamus hinc; & exultaui vt gigas ad currendam viam, ac Iudæ oſculum alteri Achitophel non negaui: & poſtquam Malcho perſecutori aurem ac cæteris quaſi exanimatis verbo vitam reddidiſſem, ſpectantibus infinitis propè Angelorum legionibus tradidi pro te ex infinitâ charitate in mortem animam meam; & homo pacis meæ, qui edebat panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem.

Patientia IESV.

Pſal. 18.

Pſal. 40.

ANIMA. Et ego non me tradam tibi, cuius tot nominibus totus, totus ſum? an reſiſtam vltra tibi, & oſculo tradam te concupiſcentiis meis hoſtibus, tuis & meis

meis, tantâ benignitate & beneficijs præuentus! O ardentiſſima charitas! ô quàm ſuauiter vris! quàm fortiter trahis nos in funiculis Adæ & charitatis! *Obſtupeſcite*, &c. vt ſuprà: Compaſſionem, contritionem hic perge, ſi voles, exercere aut Amorem. *Oſeæ 11.*

De Christi ad Annam deductione.

Anima. Iam verò quò te clementiſſime Iesv duxerunt & reduxerunt peccata mea Meſſiam ſuum, expectationem, & Regem ſæculorum, deſiderium collium æternorum, te Principem pacis, Pontificem innocentem, ſanctum & impollutum Agnum abſque macula; Quo te duxerunt vel traxerunt potius? *O quàm benignus eſt IESVS.*

Christvs. Ad Annam primùm, atque ibi ſteti velut reus, Deus tuus, & Dominus & Pater tuus, vt tu ab æternis ſupplicijs liberareris: ſteti, vt ſedere poſſis cum principibus populi mei: & dedi percutienti me maxillam, & ſaturatus ſum opprobrijs, vt ſatiareris cùm apparebit tibi gloria mea, & inebriareris ab vbertate domus meæ. *Adſpira*, vt ſub. p. 8. *Haccine firmâ*, &c. *Thren. 5.*

Anima. O Agne mitiſſime: jam ſcimus cujus ſpiritus eſſe debeamus. Elias Propheta tuus ignem de cælo deſcendere fecit, vt perderet aduerſarios ſuos: quod etiam Diſcipuli tui anteà fieri iuſtum putarunt: ſed necdum perfectè à te didicerant mites eſſe, & humiles corde. O quàm ſuauis eſt, Domine, ſpiritus tuus! non reddit pro bono malum, ſed vincit in bono malum; ſapientiam non vincit malitia. In te Deo meo ſalutare meum, & gloria mea, Deus auxilii mei, & ſpes mea in Deo eſt. *4. Reg. 1. Manſuetudo IESV. Matth. 11. Pſalm. 61.*

Christvs. Diſce igitur, fili, cùm ſis puluis & cinis, non verbo moueri, non maledicere cùm malediceris, cùm pateris non comminari, quando opprobrium optauit & exſpectauit cor meum & miſeriam. Quid retribues mihi pro his qui vix moneri potes, qui me, id eſt, præcepta majorum ac mea, trahis ad judices, & exa- *Humilitatem Chriſtus nobis commendat.*

examinas ad mundi leges,& tribunalia propriæ exiſtimationis?Poteram verbo vlciſci, & delere ob hoc facinus uniuerſum orbem:vel, ſicut Moyſes, efficere vt
Num.16. terra dehiſceret;vel, ſicut Elizeus, vt omnes diſcerpe-
4.Reg 2. rentur; ſed ego cum gaudio ſuſtinui amore tui meque Deo Patri meo inſuper ad omnia tormenta obtuli; ac deſiderio deſideraui indui confuſione ſicut diploide, & túnc,fili mi, velles vltrà honorificè tractari,háberi, amari,priuilegia vendicare.

Iſaia 53. ANIMA. Omnes nos quaſi oues errauimus, & unuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit in te Dominus iniquitatem omnium noſtrûm, ſeruorum infidelium in filium, in quo ſibi benè complacuit. Compaſſionis, Amoris, & Gratitudinis affectum proſequere.*Obſtupeſcite*,&c.

De CHRISTI *apud Caipham accuſatione, & illuſione.*

ANIMA. Video, video, & exitus aquarum deduxerunt oculi mei, etenim rurſus tractum an ductum te cerno,ab Anna ad Caipham Principem Sacerdotum;an forſitan,quia habebat legē, quia prophetauit?ut Pontifex anni illius benigniùs exciperet te Saluatorem meū?

CHRISTVS. Immò ipſi cum majoribus circumde-
3.Reg.21. derunt me ſicut apes,exarſerunt ſicu tignis in ſpinis, &
Pſ.108. velut olim Naboth falſi teſtes, ita me circumuenerunt. Os peccatoris,& os doloſi ſuper me apertum eſt; locu-
Pſal.37. ti ſunt aduerſum me linguâ doloſâ,& ſermonibus odij circumdederunt me. Ego verò factus ſum tamquam homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.

ANIMA. Vbi ſumus nos filij Adæ, tam prompti ad declinandum os noſtrum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis, vt deciplamus ipſi de vanitate in idipſum?Nihilne,Domine, excuſaſti? nihil utique;

vtique ; quia te accuſabant peccata mea. Eheu! quàm verè prædixit Propheta tuus, Ego redemi eos,& ipſi locuti ſunt contra me mendacia! *Credo tibi*, vt ſup pag. 7. *Oſeæ 7.*

Christvs. Immò verò qui tenebant me, expuerunt in faciem meam,& velauerunt eam. *Matt 26. Luc 22.*

Anima. In tuam faciem, in quam deſiderant Angeli proſpicere, quam exquirunt omnes animæ ſponſæ tuæ, quam vbi oſtenderis mihi, beata & ſalua ero? Audio enim dicentem: Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. *1. Pet. 1.* *Pſ. 79.*

Christvs. Alij autem mihi Regi immortali cotam curia mea aſſiſtente & ſpectante palmas dederunt, & vt Samſoni Philiſthiim mihi illuſere. Ego verò corpus meum dedi percutientibus, neque faciem meam auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me, vt tu me imitareris & amares: & hoc negare mihi poteris, fili mi? *Reſignationem exerce*, vt ſup. *& Amorē.* Poſt hæc falſas attulerunt accuſationes multas, & cùm defeciſſent ſcrutantes ſcrutinio, clamaverunt, Reus eſt mortis. Et hæc fuit mihi merces laborum meorū, qui veneram è throno regni mei, ex ardentiſſimo amore vt vitam haberent, & abundantiùs haberent oues quæ perierant domus Iſraël, & tu viueres & ſincerè amares me. *Iud. 16.* *Iſaiæ 50.*

Anima. Hæccine vera ſunt, Deus meus, Chriſte Jesv? eheu, eheu! laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. O Domine, ante te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus non eſt, non eſt à te abſconditus. Utinam te numquam offendiſſem! vtinam toto corde amaſſem te, qui ſic me dilexiſti! O quàm video meritò meritò exclamauit Propheta tuus: Domine Iesv, Quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? non eſt ſpecies tibi, neque decor: vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem; & nos putauimus eū quaſi leproſum, & percuſſū à Deo, & humiliatum. Tu autem vul- *Pſ. 6.* *Pſ. 37.* *Iſaia 53.*

 neratus

neratus es propter iniquitates noſtras, & attritus propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper te, & livore tuo ſanati ſumus. Sed num fortè ſolatio hîc fuerunt Diſcipuli qui parati tecum fuerant in mortem ire?

Iob 19. CHRISTVS. Imò abominati ſunt me quondam conſiliarij mei, & quem maximè diligebam, & cui claues regni mei dederam, ac principatum, auerſatus eſt me; *Luc.* 9. inquilini domus meæ ſicut alienum habuerunt me, & quaſi peregrinus ſui in oculis eorum. Et tu poſt hæc erubeſces etiam te profiteri Chriſtianum; & pudebit non eſſe cum impudente impudentem?

Thren. 5. ANIMA. Verè repletus es amaritudinibus, & inebriatus abſinthio. *Compaſſionem & gratitudinem exerce*, vel dic: *O bſtupeſcite*, &c.

De Chriſti apud Pilatum accuſatione.

CHRISTVS. His omnibus ſatiari non poterat improbitas, ſed adducunt me à Caiphâ in prætorium, & mox apud Pilatum exacuerunt vt gladium linguas
Pſ. 63. *Pſ.* 108. ſuas, locuti ſunt aduersùm me linguâ doloſâ, & ſermonibus odij circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Ego autem tamquam ſurdus non audie-
Pſ. 37. *Thren.* 3. bam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum, atqu e inde ad Herodem miſſus ſum, & factus ſum in deriſum omni populo, canticum eorum totâ die.

Act. 10. ANIMA. Et nónne pertranſiſti, ô IESV, ô bonitas infinita, benefaciendo & ſanando omnes? nónne tibi acclamatum ſcio: Omnia benè fecit, cæcos fecit videre,
Marci 7. *Geneſ.* 27. & mutos loqui? In quo ergo accuſare te poterant? Me, Domine mi, accuſabant in te, tu innocens Iacob es, ſed manus, manus ſunt Eſau: poſuit Pater in te iniquitates omnium noſtrum: & ideò tanquam agnus
Ierem. 27. non aperis os tuum, & indutus es ſicut diploide confuſione meâ. O Domine, quid retribuam tibi? doleo ſuper te, doleo amantiſſime IESV.

IESVS. Stabam ego coram Præſide, ego ſtabam, ſedebat ille: interrogaba 1, ego verò placidè reſpondebam,

bam. Clamabant illi ad quos veneram: inuenimus hunc ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dare Cæſari.

Anima. Hæccine ſequuntur acclamationes illas: Benedictus qui venit in nomine Domini? ſic te Dominum & Creatorem mundi, mundus honorat, & ego ab eo meliora ſperabo? Dicebas Pilato ſuperbè interroganti, an Rex eſſes; Regnum meum non eſt de hoc mundo; tamen te in hoc natum, & cùm omnis qui eſt in veritate, audiat vocem tuam, abſit vt ego te non audiam, abſit, vt velim de hoc mundo eſſe regnum meum, aut quicquam ex eo concupiſcam. Abrenuntio carni, mundo & diabolo, & adhæreo tibi, innocentiſſime Agne, quem cùm video tacere, etſi olim pro Magdalenâ & adulterâ loquerere, non declinabo vltra os meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. *Contritionem vel Compaſsionem excita*, vt ſup. *Pſ.140.*

De illuſione apud Herodem.

Iesvs. Cùm autem perſtarent Sacerdotes accuſantes me, & dicentes: Commouit populum, incipiens à Galilæa, vt Herodi gratum fieret, miſſus ſum vinctus & illuſus ad illum concurſu magno, inſultatione & exprobratione ſummâ.

Anima. Hæccine pro me paſſus, & toties illuſus? commouiſti tu populum, princeps pacis? ita commouiſti terram mentis meæ, & conturbaſti eam, ſana, obſecro, mi bone Iesv, contritiones eius, quia commota eſt. O quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſâ terrâ! ô quanta mutatio dexteræ Exceſi! quando tu dignaris commouere cor noſtrum. Sed quid Herodes, te viſo, quod toties optârat, ô Sapientia æterna.

Iesvs. Sperabat ille à me ſignum videre, ſed ſilentio damnaui curioſitatem eius, & mundi Principibus non adulandum eſſe, docui te exemplo meo. Ille verò mihi

illuſit cum exercitu, & remiſit ad Pilatum indutum veſte albâ.

HOMO. O quàm diuerſum eſt judicium mundi, & tuum! Quid, bone IESV, elegiſti in hoc mundo, ô æterna Sapientia? an gloriam? nequaquam, ſed ignominiam. Samaritanus, dæmonium habens, vorax, & potator vini habitus fuiſti; Quis mihi tribuat etiam eligam contumeliam pati & deſpici pro te, & lauem ita ſtolam meam in ſanguine tuo, vt ſimplicitate mundo quidem deſpectus ſim, ſed à te dilectus, & conformis imagini tuæ. Obſtupeo, obſtupeo, ô Redemptor mi, in quo theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi erant; tùnc ſiles in hac cauſſa coram Rege & aula ejus, & pateris ſtultum te haberi? & homo de ſcientia inflatur? Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas. Vide, Domine, & conſidera, quoniam factus ſum vilis, non refrænans linguam meam, & quærens ſæpè gloriam meam. Nónne magna mea gloria ſequi te Domine mi, regem meum? Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus eſt inimicus meus.

Matth. 11.

Apoc. 22.

Rom. 8.
Coloſſ. 2.

Pſal. 2.
Pſ. 68.

CHRISTVS. Obmutui, & ſilui etiam à bonis; quando adſtiterunt Reges aduerſum me, & principes conuenerunt in unum: quæſiui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; conſolantem me quæſiui, & non inueni, tùnc me, fili mi, ſolari cupis, & me imitari? *Amoris hic excita & imitationis deſiderium,* vt ſup. *Obſtupeſcite* &c.

De reditu CHRISTI *ad Pilatum, & flagellatione & coronatione.*

ANIMA. Remiſſus es, Domine, ab Herode ad Pilatum, & conuenerunt turſum omnes inimici tui, Agne mitiſſime, ſitientes velut rabidi canes ſanguinem tuum: eheu! quas accuſationes, quæ attulerunt improperia de tacente te amore mei, atque ita auctorem vitæ poſtpoſuerunt homicidæ, & Barabbam poſtularunt, & factus es, ô Deus, ô Rex Angelorum, nouiſſimus virorum,

Nunc

Nunc ſcio verè, quia maximi ſceleris reus ero, ſi vbi tu te, Deus, humilias, ego homo & vermis, & vapor me exaltauero, ſi me vnquam contemptum, neglectum, præteritum doluero, de ullo queſtus fuero; éſtne enim major ſeruus viliſſimus Domino ſuo?

Christvs. Ego pro te factus ſum ſicut vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis; nam neque hîc ſtetit benignitas & charitas mea; ſed mox permittente me nudatum flagellàrunt coram integrâ cohorte; & à planta pedis vſque ad verticem capitis non fuit in me ſanitas, & coronarunt me ſpineâ coronâ, & purpurâ illuſerunt mihi; ac ſpectaculum factus ſum omnibus inimicis meis, & toti curiæ cæleſti meæ ſtupenti, & miranti, quod pro te tam indigna, tam dura paterer ex immenſa mea charitate. *Pſal.* 21. *Iſaiæ* 1.

Anima. Tu nudus fuiſti propter me, bone Iesv, velut alter Noë ebrius amore: tu qui tegis omnia, qui veſtis fœnum agri (id eſt, omnem carnem) quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, qui ſtola gloriæ induis electos tuos, cujus omnes domeſtici veſtiti ſunt duplicibus, & quorſum, Domine? nempe vt induar te, Domine, Iesv Chriſte, & tuis veſtimentis, loricâ fidei, galeâ ſalutis, veſte nuptiali, id eſt, charitate tuâ, & non erubeſcam te, neque legem tuam in omni vitâ meâ.

Christvs. Cùm verò ſic rabiem ſuam in me exercuiſſent, indutum & illuſum purpurâ, ligatum, ac coronatum, ſanguine undique coopertum, adductus ſum à Pilato foras, qui exclamauit: Ecce homo. illi verò mox vt me aſpexerunt, auerterunt faciem ſuam, & crucifixerunt me labiis ſuis.

Anima. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte ſuper te, ô Redemptor mi; verè enim populus iſte abſinthio cibauit te, & potum dedit tibi aquam fellis, & dilatauerunt ſuper te os ſuum. Dixerunt, Euge, euge viderunt oculi noſtri. *Pſal.* 34.

Cant. 3. Egredimini filiæ Sion, & videte Regem veſtrum Salomonen in diademate, quo coronauit eum mater ſua.
1. Pet. 1. Aſpicite ſponſum, ſponſum verè ſanguinum; aſpicite eum in quem deſiderant Angeli proſpicere. *Exerce te in compaßione & amore.*

CHRITVS. Totâ die verecundia mea contra me
Pſ. 43. eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me à voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & perſequentis.
Jerem. 1. Subſannauerunt me ſubſannatione, & frenduerunt ſuper me dentibus ſuis. O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor
Jerem. 22. meus. Facta eſt mihi hereditas mea quaſi leo in ſilua, dedit contra me vocem, & condemnauit me populus meus; dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, me vitam ſuam, & fecerunt fœdus cum morte, & pepigerunt pactum cum inferno, *Obſtupeſcite*, &c.

De baiulatione crucis, & crucifixione.

ANIMA. O IESV, ſicut aqua effuſus es & factum eſt cor tuum tanquam cera liqueſcens, ô fons aquarum viuentium. Iam exhauſtum te video doloribus, & vulneratum toto corpore propter iniquitates meas, vndique vndique fluunt riui ſanguinis tui, quomodo poteris, amantiſſime IESV, portare crucem longâ ac difficili viâ? tam grauem & longam, & iniquitates omnium noſtrum? verè enim languores noſtros tuliſti, & dolores noſtros ipſe portaſti.

CHRISTVS. Exulto iam vt gigas ad currendam
Lucæ 12. viam; & baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coar-
Pſ. 118. ctor donec perficiatur! paratus ſum, & non ſum turba-
Pſ. 119. tus, paratus ut copioſa tibi ſit redemptio.
Pſ. 106. *Hæccine ſ. ymâ fide*, vt ſup. pag. 8.

ANIMA. Confiteantur tibi, Domine, miſericordiæ
Iſaiæ 53. tuæ, & mirabilia tua filiis hominum Quid retribuemus tibi pro omnibus quæ retribuiſti nobis? ſicut ouis ad occiſionem ductus es, quaſi agnus coram tondente

ſe obmutuiſti, & non aperuiſti os tuum. *Compaſſionem exerce*, vt ſup.

Christvs. Vide ne aliquando obliuiſcaris mei Domini Dei tui, qui dilexit te, & laui in ſanguine meo.

Anima. Adæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui, ô Iesv Redemptor mi, ſi introiero *Pſ. 139.* in tabernaculum domus meæ, ſi dedero ſomnum oculis meis, donec inueniam te, Domine Deus, donec *Pſ. 131.* inueniam locum tibi, & tabernaculum in medio cordis mei.

Christvs. Quære me dum inueniri poſſum, inuoca me dum propè ſum: abnega temetipſum, & tolle *Luca 14.* crucem tuam, & ſequere me: qui enim non baiulat crucem ſuam poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Haccine vera*, vt ſup. p. 7. Conſidera me hîc rurſum nudatum in monte Caluariæ, proſtratum, crucifixum; vide vt foderunt manus meas, & pedes meos, & dinu- *Pſal. 21.* merauerunt oſſa mea: ipſi verò conſiderauerunt & inſpexerunt me, & deriſerunt. Adſpice in me, quanta ex charitate offeram me in ſacrificium pro te, tu qui ſcis *Pſal. 68.* improperium meum, & confuſionem meam, & reuerentiam meam.

Anima. Heu, Domine Iesv, quis dabit capiti meo *Ierem. 7.* aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? Quæ ſunt *Zach. 13.* plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?

Christvs. His plagatus ſum in domo eorum, qui *Iſaiæ 53.* diligebant me, & in anima tua: & cum ſceleratis reputatus ſum.

Anima. O quàm indebita miſeratio! quàm gratuita dilectio! quàm inopinata dignatio! quàm ſtupenda dulcedo! quàm inuicta manſuetudo! Regem gloriæ pro deſpicatiſſimo vermiculo crucifigi! Quis audiuit *S. Bernard* vmquam tale? aut quis vidit huic ſimile? Vix enim pro *ſerm. de* iuſto quis moritur: tu pro inimicis, & iniuſtis mortuus *qua drupl* es, eligens exulare à cælis, vt nos reportares ad cælos. *ici debito.* Proinde memor ero, quamdiu fuero, laborum & do-

lorum quos pertuliſti in prædicando;fatigationum , in diſcurrendo ; tentationum, in jejunando ; vigiliarum, in orando: lacrymarum , in compatiendo. Recordabor dolorum tuorum , conuitiorum , ſputorum , colaphorum , fligrorum , ſubſannationum , exprobrationum , clauorum , horumque ſimilium,quæ per te , & ſuper te abundantiùs tranſierunt. Hæc meditari dixi ſapientiam,in his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, plenitudinem ſcientiæ diuitias ſalutis,& copiam meritorum. Hæc me erigunt in aduerſis , in proſperis reprimunt,& inter læta triſtiaque vitæ hujus præſentis viâ regiâ incedenti, tutum præbent vtrobique ducatum ; propterea hæc mihi in ore frequenter , in corde ſemper. Hæc mea ſublimior Philoſophia,ſcire IESVM,& hunc crucifixum. Vulneraſti cor meum , Redemptor mi , vulneraſti cor meum , vtinam amore tui mori poſſim , & viuere tibi! Reliquum enim eſt,vt qui viuunt, non ſibi jam viuant, ſed tibi,qui pro nobis mortuus es.

Bern ſer. 43 ſuper Cant.

O pedes ſpecioſi euangelizantis pacem ! decurriſtis ſtadium , & hoc tibi brauium retulerunt peccata mea , Domine Deus meus.

O manus beatiſſimæ , quas aperuiſti ſemper , bone IESV , vt impleres me & omne animal benedictione! hæccine retribuimus tibi?

O latus precioſum , aſylum peccatorum, perfugium afflictorum , delicium Sanctorum ! apertum es,vt cælum mihi exuli pateret , apertum es,vt columba , quæ non inuenit ibi requieſcat pes ejus,reuertatur per te in arcam ſalutis, & ſua viſſimam quietem. Nam reuera vbi tuta firmaque mihi & omnibus infirmis requies , niſi in vulneribus Saluatoris ? Tanto illic ſecurior habito , quanto ille potentior eſt ad ſaluandum ; fremit mundus,tremit corpus, diabolus inſidiatur; non cado, fundatus ſupra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbabitur conſcientia , ſed non perturbabitur ; quoniam vulnerum Domini recordabor. Quid enim tam effi-

efficax ad curanda conſcientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Chriſti vulnerum ſedula meditatio? quid tam ad mortem, quod non Chriſti morte ſoluatur? Si ergo in mentem venerit tam potens, tamque efficax medicamentum, nulla jam poſſum morbi malignitate terreri. Fidenter quod ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini, quoniam miſericordiæ affluunt, nec deſunt foramina, per quæ effluant. patet arcanum cordis per foramina corporis: patet illud magnum pietatis ſacramentum; patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. *Bern. in Cant. ſer. 62.* *Bern. ſerm. 61.*

Ecce os beatiſſimum, quod poſitum erat tamquam gladius acutus, jam mihi præbet oſculum pacis, & adhuc peccata mea diuident inter te & me, & recuſabo viuere poſthæc tibi?

O oculi multò plus lucidiores ſuper ſolem, circumſpicientes omnes vias hominum! quis vos obtenebravit? reſpicite me, quæſo, quia facti & fracti eſtis propter me; ſemel aſpicite, & ſaluus ero. Oculi verè ſicut columbæ, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident juxta fluenta pleniſſima. O mundi oculi, qui reſpicere ad iniquitatem non poteſtis. Oculi ſicut piſcinæ in Heſebon, in quorum lacrymis lauantur crimina, quorum benignitate ſanatur anima, quorum ſuauitate omnis aboletur triſtitia. *Eccli. 23.* *Ibid.*

O lingua Iesv mei, lignum vitæ, quæ nobis peccatoribus vitam reddidit, & Patrem placauit, dicens: Pater ignoſce illis, & latroni paradiſum promiſit. O verbum dulce, ſpes deſolatæ animæ! ô verbum quod mitigauit inimicos tuos, multiplicauit amicos tuos. Sitis ſalutem meam, & ego non ſitiam amorem tuum, non ſitiam ad Deum fontem viuum? Commendaſti me & dediſti matri Domini mei, & ego vllam aliam agnoſcam? Conſummata omnia dixiſti, felle & aceto potatus fuiſti, ô Iesv vita mea, ſalus mea; mortuus es propter *Eccli. 6.*

pec-

peccata mea, vt viuam tibi: & moriar tibi, & cui viuam? Mortuus es, & tenebræ factæ ſunt ſuper uniuerſã terram, occidit ſol in meridie, & planxerũt vniuerſæ creaturæ, & petræ ſciſſæ, & monumenta, aperta, velum templi diuiſum: & de petrâ cordis tanto percuſſa charitatis telo, non fluent aquæ largiſſimæ? Ecce mare gratiarum etiam conuerſum eſt in mare lacrymarum; & ego potero ſiccis oculis hæc intueri? Cui comparabo te? vel cui aſſimilabo te, Domina mea, cui exæquabo te? magna enim velut mare contritio tua.

Thren. 2.

Bernard.

CHRISTVS. O homo, vide quæ pro te patior; non eſt dolor ſicut quo crucior: vide pœnas quibus afficior, vide clauos quibus confodior: cùm ſit dolor tantus exterior; interior eſt planctus grauior, cùm te tam ingratum experior. *Obſtupeſcite*, vt ſup.

Praxis in paſſione Dominica ſeſe exercendi.

MEmoria Paſſionis Domini quàm ſit ſalutaris, paſſim omnes ſancti Patres declarant. D. Auguſt. ait: Fratres, vt peccato ſanemur, Chriſtum crucifixum intueamur; quomodo qui intuebantur ſerpentem æneum in deſerto, nõ peribant morſibus ſerpentum: ſic qui intuentur fide Chriſti mortem, ſanantur à morſibus peccatorum: Gregorius autẽ: Nihil, inquit, adeo graue, quod nõ æquanimiter toleretur, ſi Chriſti Paſſio ad memoriam reducatur. D. Bonauent. Huius, ait, Paſſionis Chriſti meditatio continua mentem eleuabit, quid agendum, quid meditandum, quidue ſciendũ & ſentiendum ſit, indicabit; te demum ad ardua inflammabit; te vilificari, contemni & affligi faciet: affectus tuos tã in cogitatione, quàm in locutione ac etiam operatione regulabit. Propterea Sancti mirificè in hac meditatione ſe exercuerunt, adeò vt, quoad fieri poterat, conformari Chriſto crucifixo etiam corporaliter optarent. Hinc Seraphico Franciſco, & S. Catharinæ Senenſi ſingulari priuilegio vulnera Chriſti Domini communicata ſunt; vt oſtenderet ſibi gratiſſimas illas animas, quæ in Paſſione ſuâ, & vulneribus habitarent.

Aug. ſuper Ioan.

Stimulus diuinis amoris. cap. 1.

Modus meditandi de Paſſione.

Modus meditandi Paſſionem iam ſuprà explicatus eſt: obſerua tamẽ, hîc ſingulariter iuuare loci compoſitionem; Secundò, intueri vultũ dulciſſimi IESV reſpicientis nos, & ſenſuum

ſenſuum facere applicationem, id eſt fingere ſe audire, videre omnia: Primò, Chriſtum, & cor ejus afflictum: Secundò, homines, Tertiò, ſpiritus malos & bonos. Angeli enim pacis amarè flebant, dæmones exultabant. Et ſingulis Primò, confuſionem tui; Secundò, ſpem, Tertiò, charitatem; Quartò, imitationis Chriſti deſiderium excita. In colloquio gratias age, pete & obſecra, & poſtremò te totum Deo offer. Albertus Magnus memoriam Chriſti paſſi plus prodeſſe, ait, etiam ſimplicem, ſed deuotam, Deoq; gratiorem quàm diſciplinare ſe quotidie vſque ad ſanguinem, quàm jejunare anno integro in pane & aquâ; quàm quotidie recitare integrum Pſalterium. Hujus argumentum manifeſtiſſimum, quod ſacrificium auguſtiſſimũ Miſſæ in Paſſionis memoriam inſtituiſſe ſe Dominus profiteatur, ideoque id fieri mandet. Immò paſſim Spiritus ſancti inſtinctu in templis, in turribus, in pontibus, in compitis cruces viſuntur, velut trophæũ Saluatoris, memoriale Paſſionis, & perfugium omnium miſerorum. Hæ igitur te admoneant tanti beneficij, admoneat etiam horæ pulſus, piamque illam conſuetudinem imitare, quâ ad horas ſingulas ſingula Paſſionis capita quidam piè ſolent commemorare. verbi cauſsâ, cogita horâ ſextâ veſpertinâ pedum lotionẽ; ſeptimâ, inſtitutionem Ven. Sacramenti; octauâ, ſermonẽ poſt cœnam, nonâ, Chriſtum euntem ad hortum; decimâ, orantem in horto; undecimâ, comprehenſionem ejus; duodecimâ, deductionem ad Annam, &c. primâ, deductionẽ ad Caipham, & coram eo accuſationem; ſecundâ, illuſionem in domo Caiphæ; tertiâ, quomodò manſerit ligatus, & negatus ſit à Petro illâ nocte; quartâ, condemnationem Chriſti factam à Sacerdotibus; quintâ, accuſationem coram Pilato; ſextâ matutinâ, illuſionem coram Herode; ſeptimâ, accuſationem ad Pilatum, & Barabbæ præ Chriſto liberationem; octauâ, flagellationem & coronationem; nonâ, condemnationem ejus; decimâ, bajulationem crucis; undecimâ, crucifixionem; duodecimâ, erectionem crucis; horâ primâ, verba ejus in cruce; ſecundâ, ſitim ejus; tertiâ, mortem Chriſti IESV vitæ noſtræ; quartâ, apertionem lateris; quintâ, depoſitionem de cruce ac ſepulturam.

Quanta ſit vtilitas de ea meditari.

Quæ ſint paſſionis memorialia.

Paſsionis Domini per horas memoria.

Alia praxis eſt unire omnes corporis afflictiones atque animi cum Chriſti paſſionibus & doloribus, eoſque in ſe aliquo modo exprimere, aut orando extenſis in modum crucis brachiis, aut funiculis corpus ſtringendo ad memoriam vinculorum Chriſti, aut aliâ ratione, ſicut unctio & exempla Sanctorum te docere poterunt. Quàm fuerit gratum Chriſto Domino certa loca ac templa diuerſis myſteriis

Vnio ſuarũ afflictionũ cum Chriſti doloribus.

Stationes de paſsione.

ſterijs commemorandis deſtinata obire ac viſitare, non unum eſt exemplũ quo id declarauit; recentius illud, quod de beato illo viro Simone Valentino refertur, cui etiam Dominus ſeſe in ejuſmodi pietatis exercitio videndum objecit.

In paſsione quid meditandum.

Tertiò, obſerua autem in omni meditatione Paſſionis, quis, qualis, & quantus ſit qui patitur, quâ formâ, quantâ, quis ex ijs fructus? vt latiùs proſequitur Diuus Bonauentura in incendio amoris.

Miſſæ auditio quàm vtilis.

Quartò, quotidiè Sacrum Dominicæ Paſſionis memoriale reuerenter audire, in primis Domino gratum eſt, atque homini vtiliſſimum, tum aduerſus tentationes remedium, contra omnia aduerſa præſidium, optimaque gratitudinis pro redemptionis beneficio ſignificatio. O quàm indigna res, ſi hoc aut negligatur, aut, quòd longè deterius eſt, negligentiùs peragatur! Quid turpius, quàm dolorum Chriſti, & acerbiſſimæ Paſſionis renovari memoriam, auguſto ſacrificio, & Angelis tremendo, & hominem fabulis & riſu nonnumquam illud dehoneſtare? lacrymarum fieri memoriam & effuſionis ſanguinis Agni immaculati; hominem verò ne de peccatis quidem, aut vix ingemiſcere, & in vanitatem verbis, oculorumque conjectu effundi? omnia in ſacrificio repræſentari tormenta & afflictiones Domini noſtri; & ſeruos ejus vix Paſſionis illius recordari? humiliationis Regis regum proponi exemplum; & pigere hominem flectere genua coram illo, coram quo tremunt vniuerſæ poteſtates, & in cujus nomine flectitur omne genu, cæleſtium, terreſtrium & infernorum?

Indeuotio in Sacro Deo ingrata.

Dignatus es, vt ſup. p. 10.

IACVLATORIÆ.

Cant. 1. *FAſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.*

Iſaiæ 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.*

Rom. 8. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?*

TRIGESIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Attende in omni cogitatione, verbo & opere, cujus gratiâ operetis: Dei Opt. Max. an hoſtium tuorum.

COnſidera inter Deum & diabolum, hoſteſq́ tuos conſiſtere te, & diligenter aduerte, quiſquis es, cui in omni cogitatione, verbo ac opere ſeruias, ac placere deſideres: nónne Deo? ejuſq́ implere exoptas ſanctam, beneplacentem ac perfectam voluntatem? Igitur offer ei *A* cor, atque opera omnia tua, offeretque ea *B* Angelus in conſpectu Domini, & coram *C* throno diuinæ Majeſtatis, qui ſingula in miſericordiâ coronabit. Quod ſi ex tuâ, non Dei voluntate, eiq; placendi deſiderio opereris, aut impulſus *D* auaritiâ, aut *E* concupiſcẽtiâ carnis, aut *F* ſuperbiâ vitæ; ſeu *G* gloriæ ac famæ cupiditate; teipſum vehementer fallis: nihil enim mercedis præter pugillum fumi recipies; & quaſi *H* diabolo tua offeres atque dicabis opera, quibus ut *I* ſarmentis (ſi pereas) æternùm vraris atque crucieris.

CAPVT XI.

Exercitium de pura intentione.

Quid pura intentio.

NOTA Primò, intentionem puram eſſe, quâ homo facit aliquid, quia Deo ſic placet, arridet, & vult, & dignus eſt ob immenſam bonitatem, vt omnia in illius honorem fiant.

Duplex intentio.

Eſt autem duplex: Actualis; quâ actu opus aliquod ad Deum refertur; & Virtualis, cùm vel in principio negotij, aut manè omnes actiones actuali intentione diriguntur ad Deum; adeò, vt illa influat in omnes.

Actualis frequentanda.

Actualis autem ſæpè uſurpanda eſt, quòd non rarò contingat mutari intentionem, etſi manè quis ſtatuerit ad honorem Dei omnia peragere, ſicut & aliæ bonæ intentiones, v.g. quia rationi conſonum, vt virtutes acquiramus, Sanctos imitemur, vitia exſtirpemus, gratiam Dei augeamus, proximo præluceamus, obediamus Superioribus, & ſalui ſimus. Sed hæ omnes ad finem ſuum referendæ ſunt; id eſt, Dei (propter quem omnes) gloriam, ad quam omnia creata ſunt: omnia enim fecit propter ſemetipſum. atque ita etſi nobis bona, & virtutes & gloriam petere poſſimus, tamen ſi fideles ſerui ſimus, ſi caſtæ ſponſæ Chriſti ſint animæ noſtræ, nullum monile ſibi petere debent, niſi quia ſic placet, & ſic vult ſponſus: nullum ornamenti, nullum armorum genus miles Chriſti, niſi per quod ille nos vult tutari. Vnde Dauid: Tu gloria mea, ait Domino, tu laus mea: fortitudinem verò ſuam cuſtodiebat ad illum, virtuteſq; poſtulabat, vt omnes in ſe unum Deum laudarent, & famulorum ſplendor Dominum honoraret: eò invitabat omnes, & narrare optabat quanta feciſſet Deus animæ ſuæ.

Prov. 16.

Virtutes ſunt petendæ vt Deo placeamus.

Pſ. 3.

Pſ. 58.

Plures fines vtiles ſeu intentiones.

Cant. 3.

Obſerua tamen, utile etiam eſſe, plures fines & intentiones, ſeu motiua obedientiæ, mortificationis, zeli, impetrationis beneficiorum, gratitudinis, initio operis, proponere; quia ſic variæ virtutes exercentur, aſcenditque in altum opus noſtrum, ſicut virgula fumi ex aromatibus

matibus myrrhæ,& thuris,& vniuerſi pulueris pigmẽtarij: tamen & charitas Dei per ſe ſufficit,& principatum tenet,cùm illa omnes complectatur;charitas enim patiens & benigna,&c. *1.Cor. 13.*

Nota Secundò, intentionem rectam adeò eſſe neceſſariam, vt nulla opera indifferentia bona ſint abſque illa;neque vlla bona abſque illa bona eſſe poſſint, ſicut nec mala bona eſſe poſſunt (niſi materialiter, id eſt,cùm ignorantur talia)etiamſi fiant cum illa, neque enim ſunt facienda vmquam mala vt eueniant bona. *Intentio recta neceſſaria.* Opera itaque indifferentia intentio recta bona facit, vt ſunt mercari, laborare, ſtudere, recreare ſeſe; vtique non futura meritoria, ſi abſque bona intentione fierent: vt qui dat eleëmoſynam ex ſolâ compaſſione naturali:non enim eſt Deus remunerator operarum, quæ neque pro ſe in vineâ, neque aliâ ratione ſibi ſeruiunt. *Indifferentia bona fiunt per intentionem.* Vnde apparet quanti ſit pura & ſancta intentio: indifferentia enim etiam quæcumque bona facit, omniaque velut virgula Mydæ aurea charitate inaurat, & omnibus cogitationibus, verbis & operibus vitam dat & formam:ac proinde omnino longè pluris eſt, quàm ipſa opera,fodinaque auri veri,id eſt charitatis, condimentum optimum,& omnium, bonorum fundamentum:quod ſi terrenum eſt,vt in illa ſtatua Nabuchodonoſoris, opus totum facilè corruet. *Simile.* Unde non eſt tam laborandum, maximè in Religione, vbi à Superiore & voluntate Dei omnino pendetur,quid fiat: ſed ex quanto affectu.ideo dicit Scriptura, Reſpexit Deus ad Abel, & affectum, deinde ad munera eius. neque nos æſtimamus munera,niſi ab affectu,& perſona dantis;adeò vt ab hoſte ea accipere nollemus:ita nec Deo holocauſta placent & incenſa impiorum, vt patuit in Core,Dathan & Abiron. *Dan.2. Intentio eſt fundamentum. Gen.4. Munera ab affectu æſtimantur.* Contrà intentio recta efficit, vt minima noſtra à Deo maximi fiant, vt patet in vidua, quæ duo minuta offerebat. *Num. 16.* *Marc 12.* Facere quippiam ſolùm;vt euadas infernum & patibulum, etſi bonum ſit, *Intentio triplex.*

ſeruile prorſus eſt: vt præmium obtineas, mercenarium: ex amore, vt illi placeas, filiale eſt. Et vide quomodo tibi ſeruiri, & an ab vxore, vt ait D. Auguſtinus, te diligi vis. quia bona ei præſtas & largiris; ſic enim verendum eſſet ne te pauperem deſereret.

Auguſt.

Nota Tertiò, requiri, vt opus ſit meritorium, Primò, vt ſit bonum ex omni circumſtantia; Secundò, vt perſona ſit Deo grata; Tertiò, vt fiat bonâ intentione, quod communi ſententiâ Theologorum intelligitur ſaltem de virtuali, quæ naſcitur ex voluntate illâ, quâ juſtus decernit Deum ſibi finem eſſe vltimum, omnibus cogitationibus, verbis & operibus quærendum: ac proponit conſtanter illi ſeruire, & in omnibus placere. Atque ita quando prauus finis abeſt, iuſti opera etiam abſque actuali intentione in Deum diriguntur; ſi tamẽ opus nullâ circumſtantiâ vitietur: indifferentia verò, bonâ intentione & fine adornanda ſunt: nempe quia Deus ea fieri voluit, quia neceſſaria, vel ad bonum aliquem finem adminiculo ſunt, aut certè quia humana ratio ſic facienda eſſe præſcribit.

Quid requiratur vt opus ſit meritoriũ.

Intentio virtualis quæ.

Nota Quartò, quemadmodum initio vitiatur intentio, ita etiam poſſe in medio eamdem vitiari aliquando in fine; ideoque ſemper vigilandum, ne zizania vanitatis ſuccreſcant, ne vinum miſceatur aquâ, ne à viâ deuiemus.

Quomodo vitietur.

Nota Quintò, nihil ita vitiare intentionem, quàm amorem proprium, ſeu proprium commodum, & recreationes: quibus homo in omnibus commodo ſuo attendit, & quærit quæ ſua ſunt, & exiſtimationem. Sed affectus etiam alii quicumque, niſi moderati ſint, vitiant ſæpè intentionem, & præcurrunt rationem, maximè tamen vanæ gloriæ, & aliis placendi amor, aut timor diſplicendi.

Amor ſui & vana gloria quàm noxia.

Nota Sextò, licet commendetur, vt frequenter iteretur intentio recta, tamen citra violentiam faciendum; ſufficeretque in principio renouare manè, veſperi,

ante

ante Meditationem, examen, Miſſam, exercitium ſeu opus corporale, refectionem, & recreationem; ſed inprimis ſingulis horis, vel locis certis & temporibus deſignatis, vt cuique commodum eſt. *Violentia cauenda.*

Nota Septimò, gradus puræ intentionis. Primus eſt, nihil agere ob reſpectum humanum aut omittere; Secundus eſt, quo homo virtute matutinæ, vel alterius actionis omnia peragit; Tertius eſt, quo eam frequenter ac actualiter renouat, etiamſi ſine guſtu deuotionis. Quartus, quo cum feruore amoris; Quintus, quando ſi aliquid alio fine agit, mox quaſi neceſſariò compellitur ad Deo offerendum, & redeundum in viam generoſo amore, quo nulli niſi illi placere vult. *Gradus puræ intentionis.*

Nota Octauò, ſigna vndecim. Primò, non aggredi impetuosè, non perturbari; Secundò, in opere eo affectu progredi, adeò vt ſi rogaretur? quorſum faceret, quò tenderet, vti viator, mox diceret: Eò tendo, ad Dei gloriam operor: & ſi minimum quid obſeruaret in viâ deuiare, ſeſe, regrederetur in viam; Tertiò, non anxium eſſe, & propter agenda variis modis diſtrahi; Quartò, poſt opus collectum eſſe, neque aliorum iudicia anxiè venari; Quintò, non turbari de euentu minùs ſecundo; Sextò, non habere vanam cogitationem poſt factum; Septimò, non ſpectare anxiè, multi an pauci laudatores, ſpectatores, auditores, &c. Octauò, iudicia hominum contemnere; Nonò, in ſenſualibus omnibus valdè moderatum eſſe, & à curioſis mollibuſque libenter abſtinere; Decimò, priuatim & publicè æquè diligenter ſua facere; Undecimò, reſignatum ad omnia eſſe, neque optare, neque timere. *Signa eiuſdem.*

Meditatio prima de pura intentione.

ORATIO PRAEPARATORIA ſolita.

COMPOSITIO LOCI eſt, conſiderare vniuerſum, & in medio cæli Deum omnia replentem benedictione; & iuxta infernum, teterrimum dæmonem,

carnem, mundum, & propriam voluntatem, vt repleant omnia confuſione, ſcilicet retrahendo à Deo Domino noſtro ac ſummo bono.

PVNCTVM I. Conſidera neceſſariò ob aliquem iſtorum quatuor operandum, & ſi quidem non propter Deum fiant tua opera, merâ vanitate omnia in fumum abire, quantumuis ea ſancta videantur. O quot rectæ intentionis defectu cùm ad mortem venerint, Pſal. 85. viri diuitiarum, Monarchæ, & deuoti Religioſi multid ormient & nihil iuuenient in manibus ſuis! Immenſa viarum ſpatia viator conficit ſpe quietis & opum parandarum; quòd ſi verò exhauſtis laboribus plurimis eâ excidat, quanto mœrore ac dolore conficitur. Sic tibi futurum, ſi viam ad æternitatem & labores in eâ emenſus, deprehenderis labores fuiſſe inanes, & nihil niſi ſupplicium tibi peperiſſe gtauiſſimum & æternum. Erubeſco, bone IESV, quòd præter te alium vmquam amauerim, verbo, opere, linguâ: poſthâc eris Cant. 8. mihi, Domine, in Deum, & ponam te ſicut ſignaculum ſuper cor meum, & ſicut ſignaculum ſuper brachium meum, & omnia opera mea. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ fide. Affectum amoris excita*, vt ſup.

PVNCTVM II. Conſidera quaſi ſpeciem eſſe idololatriæ, quando homo, relicto Deo ſibi præſente conuertit ad eum dorſum, faciem ad aliquod idolum, creaturam aliquam, vel propriam voluntatem, aut 1. Reg. 15. commodum Deo contempto, & eius voluntate. Huc illa Samuëlis ſententia: quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere: vnde auaritia dicitur idolorum ſeruitus, & ſimiliter Pſal. 113. auerſio à Deo. Similes autem illis fiunt, vt Pſalmiſta loquitur, Omnes qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in illis. Tu autem, Deus meus, tu gloria mea, tu finis meus. Ad te reſpiciunt oculi mei qui habitas in excelſis. Abſit, abſit vt oculos meos ſtatuam declinare in terram, ut non videam te Solem iuſtitiæ, & peccatum regnet

regnet in meo mortali corpore, & auertar à te. Omne enim peccatum conuerſio eſt ad creaturam, quaſi ad idolum. Tibi ergo adhærebo, ſpes mea; tibi adhærere bonum eſt, & ponere in te ſpem, gaudium & amorem meum. *Pſal. 72.*

PVNCTVM III. Conſidera hoc ſimile: ſi Rex hominem viliſſimum è ſtercore ſuſtuliſſet, ornaſſet muneribus, & dignitatibus feciſſet eximium, ad pugnandum cum ſuo proprio inimico capitali, & Regis; ſi ille mox, vt eſſet euectus, ſtatim ad capitalem inimicum ſe conuerteret, eique dona Regis ſui amantiſſimi largiretur hoc fine, vt Regi in cuius conſpectu hæc fiunt, ægrè faceret, & cum hoſte conſpiraret; quis dolor Regi foret? Applica. Nec refert an praua an magna offeras hoſti: nam praua peccata ſunt quaſi arrhæ proditionis, quia via ad illam. Eheu! Domine, quoties hoc illoque ad vanitatem abuſus ſum; & mutaui gloriam in ignominiam, & ludibrium factus ſum inimicis meis! Ecce nunc in puluere dormio, vinctus & captus; da mihi manum tuam, mitte Angelum, vt ereptus de omni expectatione inimicorum meorum cantem tibi, ô gloria mea, & viuam tibi, & te in æternum benedicam.

COLLOQVIVM erit, renouatio promiſſi in Baptiſmo facti & propoſiti ſanctè ſeruiendi Deo maximè in Religione, ſi Religioſus es; toties iterati in communione & confeſſione, quòd illi ſoli ſeruires & propter gloriam eius viueres, vt in eâ æternùm viueres.

Secunda meditatio de pura intentione.

COMPOSITIO LOCI. Conſidera Deum in omnibus creaturis, velut ſolem in omnibus operantem, &c.

PVNCTVM I. Conſidera, quòd Deus in omnibus creatis ad miniſterium hominum ſemper ſit quaſi paratus, nullâ ſuâ vtilitate, ſed tantùm noſtrâ; nos verò ingrati, contempto illo, & præmio æternæ gloriæ, quam nemo concipere poteſt, pro ſtercore malimus laborare.

Philip.3. O JESV, quæ noſtra inſania; quæ tua bonitas? pro ſtercore, inquam, omnia enim (ait D. Paulus) arbitratus ſum vt ſtercora. Quid enim habemus ex iis vbi tranſierint, quid ferè, niſi quod erubeſcimus? ô quàm optabimus aliquando laboraſſe pro te & non in vanum! Neque jam ſolùm operaris, ô Deus, ô creator meus, verùm *Rom.6.* ab omni æternitate pro nobis hæc condere cogitaſti, & ſemper nos amaſti, & à condito orbe hæc omnia pro nobis conſeruaſti: & nos ſuſtentas & nutris, & nos de hoc quaſi momento vitæ, non quinquies milleſimum tibi damus. Ex nunc in æternum non declinabo à mãdatis tuis; ſed diligam te fortitudo mea, firmamentum meũ, & refugiũ meũ, *Aſpira*, vt ſu. *Hæccine firmâ fide*, p. 8.

PVNCTVM II. Cõſidera, id quod finis eſt operis hoc ipſum verè nobis dominari, & nos ei ſeruire. unde cùm beſtialibus cupiditatibus mancipamur, tunc nos ſponte velut beſtiis in ſeruitutem dirã addicimus. Hinc ſi petatur à guloſo, quare non ſit ſobrius; dicendum ei, quia ſic caro me trahit, vt ouem herba, vincit me, & trahit in perniciem quouis precio redimendam. Vnde ſi moleſtum eſt uni ſeruire, quanta moleſtia tot Dominis! Deus verò, in cuius conſpectu hæc fiunt, libertatem veram offert; ſed nos duram ſeruitutem præferimus. O quanta cæcitas noſtra! quæ patientia tua, Deus! nobiliſſimum, potentiſſimum, amantiſſimum parentem reiicimus, & duris tyrannis nos in ſeruitutem addicimus, & in ſeruitute gloriamur. Vſque quo claudicamus in vtramque partem? ſi Dominus eſt Deus, ſeruiamus illi: ſi autem creatura alia, abdicemus Dominũ. Ecce, Domine, tibi cor meum pacto ſempiterno offero, & commendo omnibus diebus vitæ meæ, æternitatis tuæ. *Exerce fidei actum*, vel vtere O IESV *Rex*, vt infr. pag. 909.

Seruitus dura eſt abſque intentione bona.

3. Reg. 18.

PVNCTVM III. erit hoc ſimile. Si ſponſa foret maximi Regis, Rex verò in ſignum amoris præmitteret famulos & dona, vt eam ſui amore magis accenderet; illa verò famulos præferret Regi, & regiis donis armaret in ipſum

ipſum Regem, nónne indigniſſimum facinus omnes judicarent? Non eſt hoc auditum à ſæculo: & tamen fit quotidie, ô anima, dum creaturis, quas Deus creauit, vt miniſtrarent nobis, & nos pellicerent ad ſui amorem, abutimur ad deſpectum Dei. Quid eſt in quo contriſtauit te Deus tuus? quid fecit tibi, vt proiiceres illum? O omne bonum, clementia immenſa, profugum retrahe, reuertentem ſuſcipe, & volentem adhærere tibi, fons vitæ, ne dimitte ſitientẽ. Reddo tibi dona tua & pro creatis omnibus gratias ago, & benedico; ſuſcipe cor meum & amorem meũ, &c. O IESV, *Rex*, vt inf. 909. vel *exerce te in affectu charitatis* vt ſup.

Quid faciat qui donis Dei abutitur.

Meditatio tertia de pura intentione.

COMPOSITIO LOCI erit, ſe conſtituere inter Chriſtum inuitantem ad ſe, & dæmonẽ ab alterâ parte, cum mundo & carne.

PVNCTVM I. eſt ſimile. Erat quiſpiam qui miniſtros omnes bene ſibi ſeruientes maximis pœnis afficiebat & morte, ſed perſtringebat oculos ſpecie boni: & ſic pelliciebat omnes, & fallebat eos qui ſuo ſe obſequio dicabant. Contrà erat, qui vitâ immortali donabat, & æterno honore afficiebat: & omnes detractabant ei ſeruire. Quid tibi videtur? qui illi ſunt, quæ eorum dementia? Hi ſunt filii hominum qui diligunt vanitatem, & quærunt mendacium, &c. Quid fodimus nobis ciſternas, quæ continere non valent aquas, ô fons bonorum? Si ſeruire delectat, nónne tibi ſeruire regnare eſt, ô Rex regum, & Domine dominantium, qui, merces noſtra es magna nimis diligentibus te?

Quàm turpe à recta intentione deficere.

Ierem. 2.

Aſpira vt ſup. *Haccine firmâ*, vt ſup. pag. 8.

PVNCTVM II. Conſidera beneficium creationis redemptionis, conſeruationis & vocationis, quodque Deus ſe totum toties dederit in cibum, pretium & præmium noſtrarum actionum, & eheu! ſi attendas & fatearis, an non maxima pars impura eſt, & in gratiam alicuius ex hoſtibus operaris, qui tamen hoc unum agit

Beneficia Dei excitant ad rectam intentionem.

git vt te deſtruat,captivet, omnia eripiat, etiam animã ipſam. O Deus,quid retribui tibi pro omnibus quæ retribuiſti mihi? mala plurima, Pater optime; ſed ecce redeo ſervus ad Dominum, creatura ad Creatorem. Tu

Pſal.122. Domine, hereditas mea, Deus meus in æternum eris. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi

Pax eius qui puram habet intẽtionem. mei erunt ad te, Domine Deus meus. Conſidera Secundò, quietem purè quærentis Deum, & ob eius ſolius voluntatem operantis: nihil appetit, nihil timet: alter verò omnia timet, numquam quieſcit, vt plerique

Ierem.6. mortalium ſæculares, & multi Religioſi. dixit impius: Domine, pax, pax, & non eſt pax. quæſiuit requiem, & ecce turbatio: non eſt vbi requieſcat pes columbæ tuæ,

Amoris affectui inſiſte; niſi in arca ſanctiſſimæ voluntatis tuæ.

Domine Deus noſter, Hæccine vera, vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM III. Conſidera, tanto ſuperare opus factum ex purâ intentione aliud, etiamſi bo mnu, quantum cælum nucem, mare guttam, terra arenam, Vide

Sanctorum Zelus. ergo quàm ſtulti mercatores nos ſimus comparati filiis huius ſæculi. Conſidera Secundò, Sanctorum ſtudium in meritis augendis. Tertiò, quantum ratione

Bernard. ſingularium beneficiorum debeas Deo. Scio, Domine mi, quia ex hoc quòd me feciſti, debeo tibi meipſum; quia me redemiſti, & pro me factus es homo, deberem tibi pluſquam me, ſi haberem; quanto tu maior es eo pro quo dediſti te ipſum. quid ergo retribuam tibi pro omnibus miſerationibus tuis? Conſidera Quar-

Intentio ſi mala, omnia mala. tò eum qui in intentione errat, in omnibus errare, quia in fine creationis: ac proinde vti qui in viâ errat, quo magis prouehitur, magis errat: ſic quo quid vehementiùs agitur, vel opus præſtantius, ſi intentio deſit, tanto periculoſius & deteſtabilius eſt, quod agimus. Quid, quæſo tibi in viâ Ægypti, ô anima, vt bibas aquã turbidam & peſtilentem? reuertere Sunamitis, & reſpice ad Deum, ad viam, ad terminum & Regem omnium ſæculorum. Amen.

COL-

CoLLOQVIVM, prout affectus dictabit.

O IESV, vt infrà. *Affectum gratitudinis exercere, potes* vt ſup. pag. 909.

Meditatio quarta de purâ intentione, & maiori Dei gloriâ quærendâ.

COMPOSITIO LOCI, & Oratio vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, quomodo Dominus creauerit hoc vniuerſum, velut pulcerrimum domicilium, & in eo non pauca, ſed innumera ad vtilitatem mortalium & recreationem: & quàm indignum nos in noſtro hoc paruo mundo vix etiam & neceſſaria, illiberales erga liberaliſſimum Dominũ, vt ſic ſic loquar, tribuere, & ſua malignè reddere, & ferè non quid illi gratius, ſed quid nobis commodius, attendere. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7. Secundò, conſidera quàm copioſam voluerit eſſe (ideò tantùm, quia nobis vtiliſſima erat) redemptionem, cùm vna ſanguinis gutta eſſet pluſquam ſufficiens; & nos pro noſtrâ ſalute, & in eo quod ad maiorem ejus gloriam pertinet, eheu! quàm ſegnes ſumus & illiberales! Conſidera Tertio, quàm multa Sacramenta, & alia auxilia ſpiritualia, & gratias largiatur: & confundamur, ſi nos, quod minùs illi gratum eſt, quæramus. Quid enim eſt pulcrum & bonum eius quod nobis non donarit liberaliſſimus Deus? Gratitudinis affectui inſiſte. *Liberalitas Dei erga nos.*

PVNCTVM II. Conſidera omnes paſſim ſibi ſummos honores, commoditatem & vtilitatem quærere, & quãto zelo, & dic quæſo, Nónne IESV Domino noſtro plus, affectus & amoris debemus? illi tamen ſæpe minima aut præferimus, aut etiam, ô impudentiam! etſi ſua ſint negamus, parũ omnino de maiore eius gloriâ ſolliciti. percurre torporem tuum in iis, quæ Dei ſunt, & videbis te, qui es viliſſimum mancipium, velut Regi dicere: Ego ſplendidè etiam abs te haberi volo, tu contentus eſto vilioribus: Ego illum conſeruum, immò etiam hoc tuum honorificè habere & haberi cupio, tu de tuo ho-

Gratia hominum magis quæritur quàm Dei.

nore ſolicitus eſto;& cùm vacabit mihi, tibi loquar, te aliquo honore afficiam. Nónne enim ô IESV mihi præſentiſſime ferè homines magis de hominum captandâ gratiâ,eaq;ue a miſsâ anxii ſunt, quàm tuâ Deus meus? nónne promptiùs iis ſeruiunt,diligentiùs eos honorāt, quàm te Deum ac Dominum noſtrum? *Contritionē hic excita.* Conſidera Secundò, Deum vti Regem alicui plurima dona, eaque pretioſa liberaliter dantem ,& quòd cùm ipſe nullius habeat opus , repetat quid paruum,vt videat quo ſit is animo qui accepit: quàm verò turpe foret,ſi viciſſim illi viliſſima in omnibus,quęque vix canibus proiiceret daret? Ita facit qui poſt concupiſcentias ſuas vadit,verè canes rabidos , iiſque optimū tempus,ætatem,vires,ſtudium; Deo verò deteriora concedit,vel potiùs proiicit.Conſidera Tertiò, à ſæcularibus mundo ita ſeruiri,vt quiſque ſtudeat in diuitiis,voluptatibus , &c. aliis præcellere æmulatione magnâ : contrà verò Deo à ſeruis eius tepidè ſeruiri,& minima tantum tribui,quàm turpe?*Crede tibi*,vt ſup.pag.7.

Deo viliſſima damus in tempore & modo.

PVNCTVM III. Conſidera Primò , in conſpectu Dei omnia nihil eſſe,& ſi verum hoc noſti ſicut eſt veriſſimum,quæ dementia,ob aliud, quàm Deum operari? Secundò , Sanctos & Angelos extollere vocem , & affectus ad laudes intendere,& tamen erubeſcere, quòd tam parum retribuant tantæ Maieſtati,tantæ bonitati: tu verò quid agis?quid reddis Deo tuo?Cogita verò te in medio eorum,& quàm erubeſceres de tuo tēpore in quærenda maiore Dei gloriâ , quodque aliquando petas,an tenearis facere hæc,vel illa ad maiorem Dei gloriam?& eheu!quid ſi Deus ea, quæ tenetur , tantùm tibi præſtaret?Conſidera Tertiò , quomodo dederit nobis etſi perduellibus pretioſiſſimum donum , ſe, & Filium,& Spiritum ſanctum.ex ſummo amore , adeoque ſi dilexit nos , nos Deus ipſe quaſi pluſquam ſe, nos verò non illum æquè ac nos,diligere,quàm pudendum, quàm indignum? An credo hæc,Domine mi, an credo? an

an ſpero te videre in terrâ viuentium? an te toto corde in æternum amare volo? & tamen iam magnam in eo partem vendicabit mundus aut alius rei affectus, cura vel ſolicitudo. COLLOQVIVM,

EXERCITIVM.

O IESV, Rex regum & Domine dominantium, nunquid tibi ſeruire regnare eſt, tibi cui omne genu meritò flectitur, cælestium, terreſtrium, & infernorum? ecce coram te in hoc uniuerſi theatro conſtituti ſumus, & à manu tuâ innumera beneficia accipimus in horas, immò in momenta, quorſum? vt tibi ſeruiamus, te laudemus, & operemur ſalutem noſtram. Quid faciemus, Redemptor mi; ecce adſtant diabolus, mundus, & caro, hoſtes tui & mei truculetiſſimi & fœdiſſimi & paratiſſimi vt ſibi me ſeruire faciant, & membra mea ad iniquitatem, & æternam meam & inexplicabilem calamitatem: tu verò, Creator meus, & Rex meus, & Pater optimus es & benigniſsimus Deus meus, qui infinities ruiturum in infernum conſeruaſti, & hâc horâ conſeruas, qui ſanguinem mihi in amoris ſignum quotidie propinas; cui ergo ſeruiam, egone te relicto, aut cogitationem, aut opus hoſtibus dabo ſeu dicabo cum tanto meo detrimento, tuo tanto tamq; iuſto dolore? Et quare, precor, id faciam, vt coram te & curia tuâ dem tua bona hoſtibus tuis, & meis? & ſeruiam illis, & non tibi? abſit vt placere iis ſtudeam, & coram vniuerſo te contēnam? tibi obuertam dorſum, vt illos qui inexplicabili odio me proſequuntur, vt idololatra colam hoc præmio, vt exquiſitiſſimis tormentis ab illis afficiar & æternùm peream? Philip. 2.

Hæccine vera ſunt & ſic demens & fatuus & impius in te pientiſſime IESV eſſe poſsim? Quid quaſo aufero pro his laboribus & ſudoribus niſi fumum honoris, quem an habeā, verè ſcire numquā poſsim, neque retinere, vel certè momentaneam voluptatem, quæ cor & conſcientiā poſtea duris tormētis exagitet: tu verò ab æterno infinitè dilexiſti me, & pro verbo, cogitatione & opere æternam gloriam mihi promittis, Vide quid agas habens malam intentionē. Vanitas mundi. Applicatio ad Communionem.

O

& innumeris beneficiis affeciſti & afficis, & paratus es omni die omni horâ paſcere me pane Angelorum, & dimittere Maieſtatem magnitudinis tuæ ad viliſsimum hoc mancipium tuum, & ſterquilinium, & adhuc illudam tibi? & dona tua, id eſt membra & potentias in tuam contumeliam & deſpectum hoſti tradam?

Nunc ergo Domine Deus meus reuertor ad te in toto corde meo; nunc aperio oculos cæcus natus, nunc audio ſurdus & mutus vocem tuam amabilem per Apoſtolum tuum. Omne quodcumque facitis in verbo, & in opere, omnia in gloriam Domini IESV *Chriſti facite. faciam gratia tua vt lauderis in hæreditate tuâ, vt lætetur cor meum in ſalutari tuo, vt oculi mei ſint ſemper ad te, & tui ex infinitâ miſericordiâ ſint aperti ſuper locum iſtum, animam meam. Ne quæſo dulciſsime Redemptor mi, ſic me vlteriùs inſanire permittas, ſed da gratiam vt ſicut me totum obtuli, & offero velut arborem tibi: Vti infinitis titulis tuus ſum, ita tibi omnes fructus reddam in tempore ſuo, ne furti aliquando arguar, ne illa die ſis mihi formidini, ne fruſtrà cum operarius veniam & expectem mercedem, quæ non eſt alia quàm tu bone* IESV. *quis remuneratur eum qui pro ſe operatus non eſt? Da ergo pro te operari, eſto mihi merces mea magna nimis: non aliâ mercede & præmio ſeruire volo quàm propter te. Cui enim ego miſer, & inops, & pauper, & peripſema, cui potiùs quàm tibi? Faciam ergo vt benedicant & laudent te omnes tribus terræ, & ab omnibus accipias gloriam & honorem Amen. Amen.*

Praxis.

Mortificatio neceſſaria.

VT gradus illos de quibus ſuprà, gradatim aſcendamus, praxis Prima eſt, ſecum conſiderare, quid ſit quod amet in ſingulis, illudque abnegare, ne vitiet intentionem. Deinde aliquo ex motiuis ſe excitare, & videre quàm ęquũ ſit ad Dei honorem, ob quem creatus ſit, operari potiùs, quàm dęmonis, mundi, vel proprię voluntatis gratiâ, aliqua idololatria Deũ offendere, vt Sancti loquuntur. Hoc meditatione altè priùs inbibere oportet, deinde ſuas offerre actiones, & in Deum dirigere. Primò, mane; Secundò, in Sacro; Tertiò, ad horas ſingulas; Quartò; in examine, præuidendo actiones, verba & cogitationes quoad fieri poteſt

poteſt, & diuinæ Maieſtati offerendo, & vniendo actionibus Chriſti Domini: ſic enim gratiores longè erunt in conſpectu Dei veſtitæ auro mundiſſimo charitatis illius; ſignū etiam crucis fac ante notabiliores actiones, denique ad alias minoris momenti gradatim procede.

Vnio actionum cum Christi actionibus.

Mane cùm ſurgis flecte & dicito: Ecce creatus ſum vt obediam & ſeruiam tibi Deo meo hîc & vbique præſenti, non dæmoni, mundo, carni &c. Offero itaque tibi quanto poſſum affectu meas actiones N. verba N. cogitationes, & cum cęleſtibus, terreſtribus, & infernis tibi ſoli, Domine IESV, omne genu flecto.

Veſperi in fine examinis conſidera diem & opera tranſiiſſe, & quantam ſi ea feciſſes purâ intentione, moriturus (quod ea nocte contingere poteſt) caperes lætitiam: inſtaura verò optando omnia ad Dei gloriam caſtiſſimè te feciſſe, & iterum ſtatum actioneſque offer vſque ad alterum examen. Modus alius offerendi actionem hic eſſe poterit, primò eleua mentem ad Deum præſentem, illique dic: Offero tibi ad maiorem tuam gloriam, & vnio actioni Domini mei hoc opus, & diligo te toto corde meo. Idipſum pronuntiare aliquando, vel potes in ictu oculi cogitare, & vnire vt dixi actiones cum Chriſti Domini actionibus. *Dignatus es*, vt ſuprà pag. 10.

Oratio quâ maximè ante & poſt Sacrum ſeu communionem quis ſe Deo roconciliare poteſt, omniaque opera ſua per intentionem ſanctificare.

O Bonitas & charitas infinita, Deus meus, quàm amarum mihi eſt quòd unquam vel momento receſſerim à te, aut ullo peccato, vel creaturæ amore contriſtauerim te, ô omne & ſummum bonum. Ecce video vt cuſtodias me velut pupillam oculi ab innumeris malis, & undique te ipſo & bonis & beneficiis tuis, cingas me, ô bonorum oceane! Diligo te quantum poſſum toto corde & viribus meis. Et cùm ex te, & in te & per te ſint omnia, egoq; inprimis factus & ſic refectus à te, hoc unum omni quo poſſum affectu cupio vt ex nunc & in æternum omnia mea ad gloriam tuam ſint, cogitationes, verba N. & opera N. quicquid hic lucrari, aut habere poſſum gratiæ, meriti, indulgentiarum, per pia opera, vota ſacrificia, preces, id maximè cupio ſecundùm tuam intentionem, vtq; ex me & iis velut talentis & donis tuis, agro & vineâ tuâ, tibi ſoli ſit fructus, laus, honor gloria, vtilitas & delectatio. In æternum ex nunc hoc volo ſi quid unquam volo vel nolo, vel oro, ſpero, metuo, vel amo, impende omnia ſicut vis, &

Contritio.

Præſentia Dei.

Intentio.

quibus

quibus vis, viuis vel defunctis, tu ſcis quibus & quantum me debere & præſtare velis, mea equidem tua ſunt, diſpone de iis in tempore, & in æternitate. Da tantùm vt te amem, & timeam te ſolum propter te, & in te viuam, & ad te ſuſpirem. Cùm enim caro tua cibus, & ſanguis ſit potus meus, non viuo ego niſi propter te, vt benedicat tibi anima mea: & omnia quæ intra, extra, ſupra, infra, & circa me ſunt, nomini ſancto tuo, omnis denique anima & ſpiritus te mecum laudet in æternum, Amen.

ACULATORIÆ.

Pſal. 112. HÆc vſurpari poteſt: *Quis ſicut Dominus Deus noſter?* conſiderando eum non quaſi ſit tantùm digniſſimus honore, ſed is cui ſoli omnis honor & gloria debetur.

Quid mihi eſt in cælo: & à te quid volui ſuper terram? Vel:
Pſal. 72. *Benedicite omnia opera Domini Domino.* quaſi dicat, *Omnia*
Dan. 3. *Dei ſunt, nolo mihi vendicare, nolo abuti ad contumeliam tuam dono tuo, Deus meus.*

Ad maiorem tuam Deus gloriam hoc facio, & diligo te toto corde.

Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in ſæcula ſæculorum. Amen.

Pſal. 113. *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

1. Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.*

TRI-

TRIGESIMÆ PRIMÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Ambula coram Deo, & eſto perfectus.

CRede, atque apprehende firmiter *A* Deũ ubique præſentem, ſuiſq *B* oculis, clarioribus ſole, omnia, tuoſq renes & cor intueri ac ſcrutari. Videt ille *C* anguſtias noſtras & *D* tentationes, vt adiuuet. Cõſiderat *E* epulones, qui hîc recipiunt bona ſua; & *F* pœnitentes, qui plangunt hîc mala ſua: vt præmium his reddat; *G* malos, vt puniat, ſeriùs aut ociùs. Prouide ergo illum in conſpectu tuo ſemper, ſeu *H* negotieris, comedas ac bibas: coram illo *I* lude, *K* ambula cum illo, atque imprimis ſcito eum præſentem in *L* corde tuo; cum eo tracta negotia tua: *M* dilige vitæ ſtatum ex voluntate eius, & naturæ etiam inclinationem attende: eſt enim à Deo, vti & omnis *N* ſpiritualis poteſtas, ac *O* temporalis Deus operatur omnia in omnibus, & attingit à fine vſque ad finem fortiter, ſuauiterque omnia diſponit, pro ſummâ ſua potentia, ſapientiâ ac bonitate.

CAPVT

CAPVT XII.

Meditatio de Præſentia Dei.

Compositio loci eſt, videre quaſi immenſum lumen, quod hoc vniuerſum velut punctum penetrat & perluſtrat; ſiquidem totum hoc gutta eſt roris antelucani. *Sap.* 11. Oratio vt ſuprà.

Pvnctvm I. Conſidera, ô anima, omnes vniuerſi partes, terram, & quidquid in illa vel ſuprà, ſyluas, ſpecus, &c. Secundò, aquam, Tertiò, aërem, Quartò, ignem; Quintò, cælum, & quidquid in his; nihilque eſſe quod non occupet & penetret intimè Deus; & hunc locum vbi ſtas, & te ipſum & omnia, immo etiam poſſibilia, & infinita ſpatia imaginaria. O immenſe Deus, & Pater mi, quàm magna eſt domus tua! ſi aſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades; neque te cæli cælorum capere poſſunt. O quàm cæci ſumus filii hominum, qui te neque vt Dominum veremur aſtantem & præſentem, neque amamus vt filii pientiſſimum patrem amant; neque velut milites & luctantes aſpectu tuo, vt Regis noſtri a, nimamur.

Deus omnia implet. *Pſal.* 138. 3. *Reg.* 8.

Exerce hic actum fidei & amoris, vt ſup. vel *Aſpira*, vt ſuprà pag. 8. *Hæccine firmâ*, &c.

Pvnctvm II. Conſidera firmâ fide, vbique eſſe Deum per eſſentiam, potentiam, & præſentiam. Per eſſentiam (nam verè hîc vbique tota eſt SS. Trinitas) Pater generans Filium, & cum eo producens Spiritum S. adeò vt ſi lumen gloriæ adeſſet, hic beatus eſſes. vide ergo vt numquam ſolum te eſſe arbitreris, ſed magnâ reuerentiâ vbiq; adſta Deo tuo. Secundò attende vbique eum eſſe per præſentiam, quia omnia cognoſcit, tentationes tuas, & renes tuos ſcrutatur, & omnia: illi ergo ſoli placere deſidera, illi omnia committe, qui attingit ſolus à fine ad finem: noſtræ verò eheu prouidentiæ ſunt omnino incertiſſimæ, inque reſignatione te exerce. Tertiò Deum vbique eſſe aduerte per potentiã, vtque

Quomodò Deus vbique ſit. *Eccleſ.* 9.

vtque hæc cum ſapientia & bonitate eluceat in creatis, in pondere, numero & menſura, modo, ſpecie & ordine, ſubſtantiâ, virtute & operatione, origine, de curſu, & termino. Omnia verò hæc Deus mouet & ſuſtentat; aliis largiendo eſſe, aliis viuere, aliis vegetari, aliis intelligere; adeò, vt ſi ſe ſubtraheret, & omnia in nihilum redigerentur. denique operatur naturalia & ſupernaturalia, artficialia & moralia; vt ex his velut anima in corpore ex operatione cognoſcitur, ita eius præſentia in omnibus queat agnoſci. Contemplatur poſtremò fixis oculis te in omni loco, & bonos & malos, & vnumquemque ac ſi ſolus eſſet. Et quis audeat te, ô Deus meus, cui decies millies centena millia aſſiſtunt, offendere? Quis te poterit non amare? cùm vbique adſis, & te mihi ſidas, & impleas omnia benedictione, vt te diligam toto corde, ô bonitas immenſa? Denique quis te non timebit & abyſſalia iudicia tua? quis pro te non operabitur pro te operante omnia in omnibus pro nobis? Poſtremò quis non inuiſibilem tanquam videns, tribulatus & tentatus ſuſtineat, cùm omnia opera noſtra ſint veluti ſol in conſpectu tuo? *Aſpira*, vt ſup. *Haccine firmâ fide*, vt ſup. p. 8. vel vt infrà, *Cæli enarrant*, p. 918

Deus omnia ſuſtentat.

PVNCTVM III. Conſidera primò, ô homo, Deum & SS. Trinitatem verè eſſe intra te omnia penetrantẽ, & intimè magis tibi coniunctam quàm anima tua tibi ſit. Secũdò, non tantùm eſſe, ſed ſuas perfectiones vti, & aliis creatis communicantem, dando tibi eſſe, intelligere &c. & maximè fidem & gratiam qua filius eius es, & conſidera te in ipſo velut euntem, ambulantem, &c. in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus, ſingulæq; partes & potentiæ, & omnia membra tua, & ſenſus tui accipiunt ab illo eſſe, & operari; immò circumdaris ab eo, velut infans in vtero, eumq́ue pro muro, lecto, nutritio habes; atque ex iſtis in eo velut in aëre volucris, in aqua piſcis, aut vt in lumine magno, aut igni ſemper ardenti, te tamen non vrenti, mox rediturus in nihilũ,

ſi ſubtrahat ſe, vt lumen mox deficit face ſublatâ. Tertiò, conſidera vt in anima tua omnia ſint, Deus & totus mundus, qui in eam per ſenſuum portas intrat: deinde vide vt tua mens ſe cognoſcat, amet, memoret, ac Dei imago ſit & ſedes; & fac ibi cubiculum in corde tuo cum S. Catharina Senenſi. tibi Dominum adora, conſule, vt ipſe monuit eam Dominus. Crebrò ora in ſecreto hoc: gaude de theſauro præſente, protectore, luce, & omni bono tuo: reſpue quidquid diſplicet oculis multò lucidioribus ſole, & crebrò ſuſpira ad Deum, & dic: Pone me, Domine, iuxta te, & cuiuſuis manus pugnet contra me; abſit vt ſit diuiſum cor meum, & inteream, ſed maneam gratiâ tuâ in tua charitate, & in te vno cupio permanere in æternum. *Inſiſte affectui amoris*, vt ſup. vel *Excercitio.*

Dei ſedes. Anima

Catharinæ Senenſis praxis.

Iob.17.

Cæli enarirant gloriam. vt infra 918.

PVNCTVM IV. Conſidera aliquos modos quibus particulariter Deus eſt in aliquibus locis. Primò, in cælo, vbi oſtendit gloriam ſuam, eoque adſpira. Secundò, in terra ſingulari modo eſt, vbi dat ſignum aliquod præſentiæ ſuæ, vt cùm Jacobo apparuit, qui mox ait, Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam: hoc etiam pacto eſt in templis & oratoriis, ibique varias inſpirationes à Deo concedi expende, variaque tibi iſtic collata beneficia, & toto corde gratias age. Tertiò, peculiariter eſt in iuſtis, qui enim manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, & opta vt ſimiliter ſemper in te permaneat. Quartò, pro te eſt & manet in Vener. Euchariſtia, ideoque cogita quomodo pro illo beneficio gratus eſſe queas, crebrò & magno affectu eum viſendo, magnâ reuerentiâ Miſſæ ſacrificio aſſiſtendo, &c. Quintò, IESVM conſidera in cælo ſecundùm humanitatem ſedentem, & hæc omnia noſtra gubernantem. Vides quàm ſit Deus tibi variis modis præſens, quàm prope & quàm longè tamen à te, ſi quando grauiter peccas, & offendis eum, & obliuiſceris eius? O Domine

Gen.28,

1 Ioan.4.

Domine,quid eſt homo quòd memo res eius, aut filius hominis quia reputas eum? *Pſal.8. Homo græcè Enos ſeu obliuiſcens*

Pvnctvm V. Conſidera primò quàm turpe ſit Deum vbique non ceſſare, omnia ſuſtentare pro te, vt ſui memineris, omnibus te allicere ad amorem, & innumera tibi conferre beneficia (quæcumque enim vlli creaturæ conferuntur hominis gratia, meritò eidem dicuntur præſtari) & rurſum præſeruare te ab innumeris malis, (omnia enim accidere tibi poſſunt) & te non meminiſſe illius! Gregor. Nazianz. ait; non tam ſæpè reſpirare oportet, quàm Dei meminiſſe. Deus enim continuò & continenter nobis benefacit; &c. Conſidera Secundò, tam vtile hoc exercitium eſſe, vt Dionyſius Rickelius inter omnia hoc dicat præcipuè curandum, & hanc vnam cauſam, quòd pauci perueniant ad perfectionem, quod aliis variis exercitiis, & deuotionibus, & hoc non vt oportet, vtantur. & addit: Moueant te,ad frequentandum hoc exercitium dicta ſanctorum Patrum, qui omnes communi conſenſu,quaſi ab vno edocti magiſtro; videlicet Spiritu ſancto, nos ad hoc ſtudium exhortantur. Conſidera Tertiò, quanti fecerit hoc S.P.N Ignatius,illud vnum ferè inculcando, & cum omnibus Sanctis, Dauide, & aliis vſurpando. Quartò, expende loca aliqua S.Scripturæ,quibus commendatur hoc exercitium: Quærite Dominum, ait, & confirmamini, quærite faciem eius ſemper. & iterum; In omnibus viis tuis cogita Dominum, & ipſe diriget greſſus tuos. & rurſus attende quoties vnus Magiſter noſter Chriſtus ad orationem nos hortetur: vſque adeò vt dixerit: Oportet ſemper orare: Quintò,attende quomodo hoc exercitium nos Angelis ſimiles & beatis faciat, qui ſemper vident faciem Patris. Et verè contemplatio hæc hic eſt beatitudinis initium. Prætereà vtilitatem expende, & quantus ex eo ſit ſpiritualis porfectus, primò quia puritatem cordis adfert, & à peccatis arcet, vt in Thaide

Greg Naz. orat.de cura pauperibus præſtanda.

Exercitij præſentiæ Dei vtilitas:

Scriptura S. commendat hoc exercitium.

Pſ.104

Prou.3.

Luc.8.

& Ephremo declaratur. & verò quis coram iudice præſente peccare audeat? Secundò tentationes nos ſuperare facit, animoſque addit, vt patet in Suſanna caſta. Sine Dei præſentia verò homo fit aut per luxuriam velut beſtia, aut per iram velut dæmon vt ille in vitis PP. Tertiò hoc exercitio ſtabilitas cordis in oratione acquiritur, & in tribulatione conſtantia, dum omnia à manu Domini accipiũtur Quartò acquiritur etiam omnium virtutum perfectio, hoc enim exercitio cor Deo vnitur & illuſtratur, vt etiam exteriùs appareat, quemadmodum ſtellæ Soli oppoſitæ lucent. Quintò maximè autem amorem Dei promouet, & conſolationem ſpiritualem, quia ſicut de Ioſia loquitur Scriptura in omni ore quaſi mel dulcorabitur Dei ac Domini noſtri memoria, & vt muſica in conuiuio vini. Denique vide quid in humanis faceret præſentia Regis, patris, iudicis, amici, ſponſi, fontis omnis boni coram ſitiente, panis omne in ſe delectamentum habentis coram famelico, hoc Dei præſentia præſtat hominibus. Si hæc vera credo, & tu credis, ô Lector, quod aliud putas erit tuum meumque ſtudium, quæ oblectatio? quod ſolatium?

Eccli.49.

Vide quid Regis præſentia in humanis faciat.

EXERCITIVM.

Pſalm. 18 *CAEli enarrant mihi gloriam tuam, ô immenſe Deus & omnis creatura quàm oculis mentis perluſtro, clamat in auribus meis: Magnus eſt Dominus, & magna virtus eius. ſed & ratio mea in veſtigiis iſtis tuis deprehendit te elucet enim vbique & etiam in corde meo, ſapientia, potentia bonitas tua, & numquid in te viuimus, mouemur & ſumus, velut ſpongia in mari, in aëre volucris? quomodo ergò præſentem te non cognoſco, aut tui obliuiſci poſſum? numquid reſpicis me aſſiduè, omnes vias meas oculis tuis multò lucidioribus ſole conſideras? & quid eſt ergò quod te latere poterit? tu es enim verè Dominus, ſolus Deus inuiſibilis, inæſtimabilis, incircumſcriptus, illocalis, immenſus, incomprehenſibilis, vbique*

Aug.li.de ſpec.c.3.

que totus, vbique præſens, ineffabiliter omnia continens, omnia penetrans, omnia ſciens, cuncta proſpiciens, omnia potens, vniuerſa gubernans, totus in cælo, totus in terrâ, totus etiã vbique greſſus meos ſemitasq; conſideras, & die noctuq; ſuper cuſtodiam meam vigil es, omnes ſemitas meas diligenter notans, ſpeculator perpetuus, veluti ſi totius creaturæ tuæ cæli, & terræ oblitus, tantùm me ſolum conſideres; & nihil ſit tibi cura de aliis. Neque enim tibi creſcit lux incommutabilis viſionis tuæ, ſi tantùm vnũ adſpicias; neque minuitur, ſi innumera videas & diuerſa. Sic igitur ſuper cuſtodiam meã ſtas, ſicut ſi omnium oblitus ſis, & mihi ſoli intendere velis, ſemper quippe te præſentem exhibes, ſemper te paratũ offers, ſi me paratũ invenis. quocũque iero, tu, Domine, me non deſeres, niſi prior ego te deſeram.

Deus ſingulis vt omnibus intendit. Auguſt. Soliloq. cap. 14.

Fateor quidem; quia quidquid facio, & quæcumque facio, ante te facio; & illud quidquid eſt quod facio, meliùs tu vides quàm ego qui facio: quidquid enim ego ſemper operor tu pariter ſemper præſens aßiſtis, vtpote perpetuus inſpector omnium cogitationum, intentionum, delectationum & operationum mearum. Cùmq; hoc diligenter conſidero, Domine Deus meus terribilis & fortis, timore pariter & ingẽti rubore confundor, quoniã nobis magna indita eſt neceßitas iuſtè rectêq; viuendi qui cunctafacimus ante oculos judicis cunctacernentis. Et ita quidem eſt, ſaluator mi; ſed longè magis me trahere ad te amor tuus longè magis excitare torpentẽ debet, quòd ſis lux vera illuminans omnia; potentia infinita, quæ operaris omnia propter me. Per te enim lucet mihi ſol, & aſtra, ac ſidera palatij tui patriæ meæ: per te me refrigerat aër & calefacit ignis, & innumera operantur per te: me cantu ſuo vario recreant volucres cæli, & inuitant ad laudem tuam: per te mihi herbam & omne lignum profert terra, & de viſceribus ſuis innumera producit. hunc ornatum vniuerſo & pulcritudinẽ quis dedit? nónne tu pulcritudo & perfectio ſumma, velut de oceano guttam, & ex ſole radium exiguum tribuiſti, vt qui ex te eſſe iſta videmus, ad te fontem omnium ſuſpiremus & veniamus? O quàm ſerò te cognoui, pulcritudo tam antiqua,

Neceſſe eſt nos rectè viuere in Dei præſentia.

Omnis creatura ſeruit homini.

August. in Confeſſ. *tam noua, ſerò te amaui! Væ tempori illi quando non amaui te. Væ mihi, & iterum væ, ſi quando non amauerim te. Vtinam potiùs non eſſem quàm eſſem aliquando abſque te! eſſent meritò mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, ſi rurſum aliquando diceretur mihi, Vbi eſt Deus tuus? Flebat Magdalena, quòd tuliſſent Dominum, & neſciret vbi poſuiſſent eum: & quid agerem ſponſe anima mea, ſi diſceßiſſes à me in furore tuo ob peccata mea, & ſcirem vbi eſſes inter me & magnum chaos eſſet inter me & te! auertat hoc benignitas tua, neque me à te vnquã ſeparari permittas. Ecce ſum in terra deſerta, inuia & inaquoſa; appareat mihi benignitas & humanitas tua, erudiens me, vt abnegando impietatem & ſæcularia deſideria, adhæream tibi, & libero corde uolem ad te, vt videam ſemper virtutem tuam, & gloriam tuam.*

Pſalm. 1. Pſalm. 3. Ioan. 20. Pſal. 62. Tit. 2.

Pſ. 122. *Ecce ſicut oculi ſeruorum in manibus dominorum ſuorum, & oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita & oculi mei ad te, Domine Deus meus, donec miſerearis mei. Miſerere igitur, & da mihi ſemper te præſentem intueri, ſuſpicere, & amare per gratiam tuam: non loquatur mihi deinceps vt homo, Superior quiſquis eſt meus, ſed tu mihi, qui docere ſoles vtilia, & optima præcipere: illi enim os tuum ſunt, & oraculum & tabernaculum tuum: & qui eos audit, te audit. Proximos verò meos, cùm ſciam membra tua, non lædam facto, non tangam verbo, nõ cogitatione: qui enim eos tangit, tangit pupillã oculi tui, ſed quod tibi nequeo, qui nullius indiges, & omnia largiris, hoc in illis tibi faciam amantißime Deus meus, & quæ mihi dederis retribuam tibi, in illis te complectar, in illis te amabo, te paſcam, ſolabor, ſi quid verò mihi ab vlla creatura proueniat, ad te reſpicient oculi mei. omne enim datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à te Patre luminum. Non ſcribit calamus, non pingit penicillus, non canit tuba, non defendit ferrum, ſed tu, Domine, magis facis iſta, tu enim bonorum omnium artifex, & omnia operaris. Atque ita ſicut nullum eſt momentum, quo homo non vtatur ac fruatur tuâ bonitate & miſericordiâ: ſic nullum debet eſſe momentũ, quo te præſentẽ non habeat in memoria:*

Zach. 2. Iacobi 1. Hugo de S. Vict. Inſtit. l. 3. de anima.

Prouidebo itaque te, Domine in conſpectu meo ſemper, & vndique me cingentem, & intimè me penetrantem intuebor, & amabo te, qui vbique es, & intra me habes ſolium tuum, ſupra me thronum regni tui. circumdas me velut aqua & aër, & ignis, & oceanus omnium bonorum; & quo vel quomodo à facie tuâ fugiam? vel potiùs cur non ambulabo cum timore & tremore in conſpectu tuo, iuſtiſsime iudex, & Pater miſericordiſsime? numquid poteſt obliuiſci homo factoris & tanti benefactoris ſui? ecce omnia quæ ſunt, propter me ſunt, non pro ſe, neque pro te, ſed clamant, vt diligā te, & memor ſim tui. qui non ceſſas benefacere, neque mei meminiſſe, & ſi immemoris tui. quid, quæſo, quid eſt homo quòd memor es eius? Etſi hæc pauca ſunt, Paſſionis tuæ, & dolorum tuorùm, nónne refricant memoriam vniuerſa, & ardenter nos prouocant ad tui recordationem, quòd ſemper nobiſcum eſſe in Venerabili Sacramento volueris? Pſal.8.

Vtinam iam dirumperes cælos, & deſcenderes in me, & à facie tuâ montes defluerent, qui ſeparant me à te? ſicut exuſtio ignis tabeſcerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis. A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, abſque te, quæ hîc præparaſti expectātibus te, & amantibus. O amator hominum quomodo, cùm tot modis te præſentem habeo & credo; attamen te, vt debeo, nec video, nec amo, nec reuereor? quid faciam, Deus meus, refugium meum, ſpes mea, gloria mea, & gaudium meum? tu ſolus ſolari me potes, tu confirmare. Veni, oſtende mihi faciem tuam, & manſionem apud me fac. Pone te vt ſignaculum ſuper cor meum, vt ſignaculum ſuper brachium meum; vt in te perpetuò maneam, & in charitate tuâ, vt ambulem coram te omnibus diebus vitæ meæ, ac in ſæcula ſæculorum contempler vultum tuum, ô deſiderium oculorum meorum Amen. Applicatio ad Communionem. Can.3.

Modi præſentiæ Dei & praxes.

PRimò, conſidera animo, & loco quieto, in iis quæ præſentia videris, Deum per eſſentiam, præſentiam & potentiam: Primò, per eſſentiam; quia, vt ſuprà dictum, replet cælum, & terram ſubſtantiâ ſuâ, ac magis intimus vnicuique rei eſt, quàm anima humano in corpore. Secundò, per præſentiam: quia omnia clarè & diſtinctè cognoſcit, & ab æterno, ſcrutaturque renes & corda noſtra. Tertiò per potentiam, quia omnibus dat eſſe, & conſeruat, & in iis operatur. Idem fac cùm tribulatio ſuperuenit, aut quiſpiã beneficium contulit, vt in auctorem omnia referantur.

In Deum omnia refer.

In Deo nos viuimus.

Secundò, attende, quomodo in ipſo viuamus, & moueamur & ſimus, & reſpiremus, & ambulemus, vndique ab eo circumdati.

Tertiò, poſt ſacram communionem peculiariter hanc Dei præſentiam exerce: neque tantùm id credendo, & raciocinatione ad viuum repræſentando, ſed fidem ſimul & & charitatem coniungendo.

E cælo nos Deus conſiderat.

Quartò, vide eum, vt è cælo conſiderantem omnes greſſus & actiones tuas.

Cor noſtrũ Dei templum.

Quintò, te vti templum Dei exiſtima, & in corde tuo, velut ſacrario Deum adora; ibique eum velut Moyſes ad tabernaculum conſule. quæ enim eſſet prudentia Sapientiam æternam & veritatem apud ſe habere, & eius conſilium & voluntatem, cum ſit Rex regum & Dominus dominantum, non exquirere?

Creata nos Chriſti & Dei admonent.

Sextò, conſidera diligenter creaturas, quibus ſe diuina Sapientia comparare dignata fuit, vt ſunt leo, agnus, lapis angularis, &c. aut à quibus pati, ita D. Franciſcus ad adſpectum agni tenerrimè afficiebatur. alius omnia ad Paſſionem Chriſti referebat, cùm aut ſcalas videret, aut clamorem, aut tumultum audiret, aut malleorum ictus, aut pluuiam adſpiceret: ſanguineæ enim pluuiæ, & inſtrumentorum Paſſionis grato animo memoriam recolebat.

Creaturæ voces quæ?

Septimò, creaturæ omnes, vt beneficia Dei attendi poſſunt & audiri hę earũ voces: *accipe, redde, caue*: ſi quid enim tribuunt mortalibus à Dei manu, viciſſim poſtulant Deo grates reddi, & caueri abuſum, amoremque in ipſum transfundi.

In proximo Deum attende.

Octauò, in creaturis rationalibus Deum intueri, ad charitatem valet plurimùm & obedientiam, id eſt, omnimodam perfectionem, ideòque in Superioribus Eccleſiaſticis & ſæcularibus Deum honora, eorum mandata vt Dei vocem

accipe,

accipe,qui enim vos audit,ait Dominus IESVS, me audit; *Luc.10.*
& qui vos ſpernit,me ſpernit,& qui poteſtati reſiſtit, Dei
ordinationi reſiſtit, ait Paulus, nō eſt enim poteſtas niſi à *Rom.11.*
Deo. Et S. Bernard. Siue,ait, Deus, ſiue homo vicarius Dei *Lib.1.de*
mandatū quocumque tradiderit,pari profectò obſequen- *præcept.&*
dum eſt curâ,pari reuerentiâ deferendum, vbi tamen Deo *diſp.c. 12.*
contraria non præcepit homo. Similiter conſiderandus eſt
Deus in proximo,ita vt quod illi fit, Deo nos facere exi- *Matth.25.*
ſtimemus: Quod enim,ait Dominus, vni ex minimis meis
feciſtis,mihi feciſtis,& quidquid ab illis fit,à Deo nobis *Nota.*
fieri arbitremur,nō huic illiue tribuamus,ſed cùm Iob vna *Iob.1.*
ſit nobis vox: Dominus dedit,Dominus abſtulit. Iucundiſ- *Charitatis*
ſimum verò hoc eſt exercitium,neque parum ad charita- *vtile exer-*
tem conducit,quando proximos uelut membra Chriſti in- *citium.*
tuemur & complectimur. Vnde D. Leo: Cùm,inquit,hanc *S. Leo*
venerabilium meorum conſacerdotum ſplendidiſſimā fre- *ſer.1.*
quentiam video,Angelicum nobis in tot Sanctis ſentio in- *in annuni.*
tereſſe conuentū;nec dubito nos abundantiore hodie diui-
næ præſentiæ gratiâ viſitari,quando ſimul adſunt, & vno
lumine micant,tot ſpecioſiſſima tabernacula Dei, tot mē-
bra excellentiſſima corporis Chriſti; tabernaculum enim
& membrum Chriſti quilibet eſt proximorum noſtrorum.

Nonò,ſuppeditabit praxes varias D. Bonauentura in epi- *S.Bonau.*
ſtola ſua,quæ memorabilia vigintiquinque complectitur.
Vigeſimum, inquit,ſecundum eſt,quòd Deum ſemper &
vbique habeas in memoriâ,vt ſolutus,ab omnibus creatu-
ris,tanto mentis conatu,deſideriique feruore, circa tuum
Creatorem intendas,vt quaſi omnium inferiorum oblitus
quidquid agas,& vbicumque ſteteris, & quibuſcumque
negotiis impliceris,die ac nocte ex omni momento & ho- *Varij modi*
râ, Deum ſemper habeas in memoriâ,credens & cogitans *præſentiæ*
te eſſe veriſſimè coram eo,& ipſum cogitans vndique te *Dei.*
aſpicere. Hæc autem cogita cùm magnâ reuerentiâ,ac ti-
more,& cùm magnâ diſcretione,nunc ante pedes immen-
ſæ maieſtatis eius proſtratus, corde amariſſimo peccato-
rum veniam poſtulando,nunc ſacratiſſimæ Paſſionis Filij
Dei,gladio compaſſionis coram eius cruce vulneratus cum
eo lacrymoſus & flebilis apparēdo;nunc totius vitæ illius
decurſum,obliquitati tuæ velut rectitudinis lineam pro-
ponendo; nunc inenarrabilia & immenſa beneficia Dei
mente pertractans, gratiarum actionibus inſiſtendo; nunc
ſtimulis ipſius amoris ardentiſſimè punctus,ipſum in crea-
turis omnibus intuendo,nunc potentiam,nunc ſapientiam,
nunc bonitatem & clementiam eius attendens, eum de-
uotiſſimè in cunctis operibus ſuis collaudando;nunc deſi-

derio patriæ cæleſtis attractus ad ipſum gemebundis ſuſpirijs anhelando: nunc circa nos viſcera inęſtimabilis charitatis eius adſpiciens, lætabundâ quadam & exceſſiuâ admiratione, corde & animo, in ipſo deficiendo; nunc te pręcipitem, nunc te fugientem, nunc te ruentem: nunc Deũ te tęnentẽ, ſubleuantem, retinentem, & attrahentem, nunc Deum te ingratum per omnia conſeruantem conſiderans, ineffabilibus diuinæ miſericordiæ viſceribus tibi patefactis, nimio in eo charitatis ardore te conferens totum te fletibus reſoluendo; nunc verò occultiſſima, profundiſſima, & ſummè arcana nimiumque ſtupenda iudicia iuſtitiæ eius diligenter attendens, eum in omnibus fidelis & conſtans cũ ſummo amore, ingenti quoque timore ac tremore diſcretus, ſupplex & humilis venerando: præ omnibus autẽ continuã & viuam memoriam ipſius ſacratiſſimæ Paſſionis in animo & cordę tuo ferens, ei quantum potes ſtudeas conformari.

Corporalis præſentia eſt diſcretè vſurpanda. Obſerua circa hoc memoriale, pręſentiam illam corporalem circumſpectè eſſe frequentandam, ne imaginatio lædatur, & caput offendatur; ſed gradatim, & abſque magno conatu iſte modus exercendus: ita vt Primò, in cubiculo Chriſtum Dominum cum curiâ cæleſti præſentem ſtatuamus, adoremus & alloquamur: poſtquam autem facilitatẽ huius & vſum acquiſiuerimus, ab hoc cubiculo ad alitranſire, exercitiumque transferre poſſumus, & imaginibus ſanctis animæ noſtræ templum adornare.

Intentio recta perutilis. Neque valdè laborandum initio, vt hoc vel illo modo præſentẽ habeamus. Sufficit enim in genere id fieri, & intentionẽ rectam crebrò innouare, quę etiã communicationis cum Deo, & præſentiæ illius commodũ eſt exercitiũ.

Affectus plus hic præſtat quàm ſpeculatio. Moneo tamen plus affectu hìc, quàm ſpeculatione, plus aſpirando, & cum Deo colloquendo fructus, quàm ex conſideratione referri: immò ex affectu plurima conſideratio ſpontè germinant, & velut ex fonte promanat.

Humilis in primis oratio, & crebrâ cũ charitate hoc donũ impetrare ſolent. Signorum etiam aliquorum externorũ vſus conducit, vt eſt annuli, horologij, pulſus, imaginis, &c. *Signa adhibenda.* *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10.

IACULATORIÆ.

Pſal. 26. *NE abſcondas faciem tuam à me, & ne declines in irâ à ſeruo tuo.*

Pſal. 41. *Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?*

Pſal. 24. *Reſpice in me, & miſerere mei, quia vnicus & pauper ſũ ego.*

Pſal. 33. *Ecce oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.*

Sicut

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri. Pſal.122.

Si adſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades. Pſal.138.

Ibidem.

Quò ibo à ſpiritu tuo; & quo à facie tua fugiam? Pſal.79.

Oſtende nobis faciam tuam, & ſalui erimus. Pſal.9.

Vt quid Domine receſsiſti longè, deſpicis in opportunitatibus, in tribulatione?

Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Gen,28.

CAPVT XIII.

De Amore Dei.

OBSERVA Primò, amorem eſſe inclinationem voluntatis in bonum aliquod. Secundò, eundem eſſe duplicem; alterum concupiſcentiæ, quo diligimus illud, quod nobis volumus: alterum amicitiæ, quo diligimus illud, cui bonum volumus. Tertiò, cùm ignoti nulla ſit cupido, cognitionem boni amoris eſſe originem. Illa autem triplex eſt; prima, quâ cognoſcitur bonum, quaſi per auditum, vt cùm narratur mihi vinum eſſe bonum; Secunda: cùm quaſi per viſum percipitur: Tertia, per guſtationem. Audire in amore Dei eſt incipientium, videre proficientium, guſtare perfectorum. Audite, ait Propheta, audientes me, & comedite bonum. Secundò, monet, Vacate & videte; quod proficientium eſt. Tertiò, Guſtate & videte.

Duplex amor. *Origo eius eſt cognitio triplex* *Iſa 35.* *Amor triplex.* *Pſ.45.*

Obſerua Secundò, hinc ſequi quo aliquod maius bonum eſt, eo magis eſſe amabile, ſi tamen ſatis cognitum fuerit. Cognoſcere igitur oportet, Hæc eſt enim vita æterna, ait Dominus, vt cognoſcant te ſolum Deum verum & quem miſiſti IESVM Chriſtum. *Ioan.17.*

Meditatio de Amore Dei.

PRAELVDIVM I. Conſtitue te coram Deo, & in præſentia ipſius.

PRAELVDIVM II. Roga humillimè vt amorem ſuum tibi largiatur; id omnium donorum maximum.

PVN-

PVNCTVM I. Conſidera, diuinam Maieſtatem tibi tres potentias dediſſe, memoriam, intellectum & voluntatem; has autem velut tabulas eſſe, & ab obiectis ſuis aut perfici aut corrumpi: nulla autem nobilior eſt voluntate. qualis enim amor, talis homo eſt; talis verò amor, qualis res amata, ſi ergò bonum amas, bonus es, ſi malum, malus; ſi ſummum bonum, valdè bonus & optimus: nam anima verè plus eſt vbi amat quàm vbi animat, illique quod amat vnitur, ac velut inſeritur & ſeruit, eiuſque affectiones omnes experitur, velut ſuas. nónne qui opes formámue amat, eius viciſſitudines in ſe ſentit? perit hæc? perit anima quæ illi adhæret: dolet? dolet & illa. gaudet? congaudet etiam iſta. O quantò ergo beatius Deo coniungi & adhærere, & vnum ſpiritum fieri cum illo, & quaſi Deum, iuxta illud, Ego dixi, Dij eſtis! Talis enim anima omnia poteſt in eo qui ſe confortat, nihil timet præter illum. Ergo apud te ſic ſtatue firmiſſimè; optimus eſſe cupio vt placeam Deo meo, illum optimum amando toto corde, totâ animâ, & verè ſolum optimum, & bonum, nemo enim bonus niſi ſolus Deus.

Voluntas nobiliſſima.

Qualis res amata, talis eſt qui amat.

Aſpira, vt ſup. pag 8. *Haccine firmâ*, &c.

Conſidera & dicito mihi, ſi pulcerrima videre poſſes, an fœda ac funeſta optares? ſi audire dulciſſimam melodiam, eligeres abſonam? Si ergo ſenſibus tuis optima eligis obiecta, cur non amori tuo ſummum bonum, vt optimus ſis? ſed reſpuis etiam oblatum vbique & præſentiſſimum: nullum enim Deo eiuſque bonitate præſentius & præſtantius; ergo toto tibi corde diligendum eſſe propone, ô anima, ſummum bonum, & ſic ratiocinare: Si honor, ſi voluptas, ſi quies, ſi ſubſtantia aliqua diligenda eſt, Deum tibi præ omnibus eſſe diligendum: omnia enim quæ deſiderantur, non valent ei comparari. Credis hoc? Immò, ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione, quaſi nihilum deſpiciet eam. Si ergo comparari

Cant. 8.

parari non poteſt, ſummè diligi debet Deus. Si enim aliquid diligo, quia bonum; quod millies melius, magis amare debeo. Cur ergo per multa vagaris, ô homo, quærendo bona animæ tuæ & corporis? Ama vnum bonum, quod omne bonum eſt, & ſatis eſt. Deſideria ſimplex bonum, quod eſt ſummum bonum; & ſufficit. Riuuli bonorum concupiſcibilium diuerſi: fons vnus omnium Deus, ſed melior & concupiſcibilior fons quàm riuulus, cauſa quàm effectus: immò incomparabiliter melior, nolo verò, Domine, te amare, vt te fruar, referre Creatorem ad creaturam; ſed diligere te ſuper omnia, & præ me, & omnibus. Tu enim ſolus bonus es, tu ſolus Dominus, tu ſolus altiſſimus, tu ignis conſumens, tu es qui dixiſti, In igne zeli mei deuorabo terram; & rurſum, Ignem veni mittere in terram. & quid volo niſi vt accendatur? Accende ergo me frigidam terram, & conſume quidquid terrenum eſt, elegi te hodie, vt ſis mihi in Deum, & omne bonum, & omne deſiderium meum. *Quis dabit*, vt infrà.

Anſelmus.

Deus vt ſummum bonum ſummè diligendus.

Deut. 4.

Soph 3.

Luc. 12.

PVNCTVM II. Conſidera, quare aliquid vel aliquem in hoc mundo ames. primò ob naturæ conformitatem; ſic omne animal diligit ſibi ſimile. Et ne quid hìc deeſſet, ô homo, ecce pro te, audi & exardeſce, dignatus eſt immortalis fieri mortalis; æternus, infans vnius diei ſuper terram. Si igitur amas hominem, qui tecum factus eſt homo, quantò magis Deum, qui pro te factus eſt homo? *Haccine vera*, vt ſup. p. 7.

Ratio cur ametur, eſt ſimilitudo. Chriſtus homo eſt, vt eum diligas.

Secundò, quia præſens eſt is quem amas. Quis autem magis mihi & tibi eſt præſens quàm Deus noſter; certè noui, noui, quòd ſis mihi verum & omne bonum intimè præſens, & ſemper, & vbique per eſſentiam, præſentiam, & potentiam: Intus, aiebat ille, eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in iſta formoſa, quæ feciſti, deformis irruebam: mecum eras, & tecum non eram: ea me tenebant longè à te, quæ ſi in te non eſſent, non eſſent. *Credo tibi*, vt ſup. pag 8.

2. Præſentia.

Auguſt. 10. Conf. c. 27.

Tertiò,

Vtilitas. Tertiò, amatur aliquis, quia vtilis eſt. Quis verò tibi eſt vtilior, quàm Deus tuus omne bonum; quis tibi digniora dedit in ſubſtantia, maiora in quantitate, permanentiora in duratione, meliora & oportuniora? qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, immò nullum bonũ niſi ab illo. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt. Quem ergo potiùs amabis? fontem ex quo manat tibi bonum, an canalem, per quem manat? auctorem Deum, an latorem? auctor in ſe Deus, ille in omnibus operatur, inclinat beneficos, conciliat auerſos, ipſe ſolus aperit manum, & implet omne animal benedictione. *Aſpira*, vt ſup pag 8. *Haccine firmâ*, vel *Quis dabit*, vt infrà. 932.

Rom. 8.

Amabilitas, *Gen. 32.* Quartò, amatur aliquis, quia amabilis, affabilis, ſuavis. ſed quis te amabilior, Deus meus? Vidi Dominum, aiebat ille, facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea. Ideò, Domine, tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.

Cognatio. *Exercere hîc potes fidem, ſpem, & charitatem*, vt ſup.

Quintò, amamus hominem, quia conſanguineus, vt parentes: ſed Deus meus, creator meus, nónne à te ſum quod ſum? numquid, ô anima, non ipſe eſt pater tuus, benignus & prouidus pater, qui poſſedit, & fecit, & creauit te? dignatus eſt inſuper fieri frater noſter, & pro fratribus animam ponere? Immò, ait, quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ille meus frater & ſoror, & mater eſt. Denique ſponſus eſt tuus, qui dixit: Sponſabo te mihi in fide. O Sacramentum verè magnum, & magnũ pietatis & amoris argumentum! *Quis dabit*, vt inf. 932.

Deut. 32.

Oſeæ 2,

Fidelitas. Sextò, amico fideli, ait Sapiens, nulla eſt comparatio. diligitur hic ſæpè ſuprà fratrẽ: fidelis autẽ amicus Deus meus eſt; ab illius enim amicitia nec nouus ſuperueniens excludit, imo nec à gradu, vel loco, quem in animo ſuo mihi dedit, nec dignitate mutat mores; apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio: nec

nec indignitas mea eum efficit alienum: quoniam ex- *Pſ.37.*
celſus Dominus, & humilia reſpicit. nec miſeria mea
alienat eum: qui Lazarum, quem diligebat, in monu-
mento quæſiuit. & Patres quos amabat, de inferno ipſe
liberauit Ne dimittas antiquum amicum, ô anima mea, *Eccli.9.*
& ab æterno, & in æternum: nouus enim non erit ei ſi-
milis, Ecce aſcendit ad Patrem noſtrum, & Deum no-
ſtrum, non eſt oblitus noſtri: quia vbi amor, ibi oculus
meus. O quoties nos reſpexit! omni tempore verè dili- *Prou.17.*
git, qui amicus eſt: imò ipſe amicus ante omne tempus, *Ioan.13.*
qui cùm dilexiſſet ſuos, verè in finem dilexit eos.

Quis dabit, vt infr. vel vt ſup. pag. *exerce amorem.*

PVNCTVM III. Conſidera: quas perſonas, quas res *Quicquid*
in mundo hoc diligas; & rationem exquire, amorem- *boni in*
que omnium in auctorem omnium transfer, & dic: Tu *creaturâ,*
enim Domine feciſti ea qui pulcer es, pulcra ſunt enim; *magis in*
qui bonus es, bona ſunt enim; qui es, ſunt enim: nec ita *Deo.*
pulcra ſunt, nec ita bona ſunt, nec ita ſunt, ſicut tu crea- *Auguſt.*
tor eorum, cui comparata, nec pulcra ſunt, nec bona
ſunt, nec ſunt. *Hæccine vera*, vt ſup. pag. 7.

Secundò, conſidera quàm multa, & quanta beni-
gniſſimus Deus ab æterno voluerit, & in tempore con-
tulerit creatis omnibus. Vide iam cæli & quæ ſub eo
magnitudinem, ſpeciem, pondus, numerum, menſu-
ram: & cur hæc iis contulit? Nónne propter te, vtque
amares magis donatorem quàm donum? Itáne facis?
Nunc fac tibi creata loqui, quid dicerent putas? de-
dit nos Deus tibi, ſed vt te dares illi; ſeruimus nos tibi,
vt tu ſeruias illi; corrumpimur vt tu ſubſiſtas; non cu-
pimus amari abs te; quod optimum habes, amorem
tuum tribue Deo, ama Deum, & eum lauda vti nos
laudamus, vtque tu id facias, libenter patimur, vt *Creaturæ*
corrumpamur à te, & intereamus, vt tu viuas; *expoſtula-*
vt conuertamur nos in ſaniem & in ſordes, vt tu *tio cum*
æternùm viuas. Hæc ſuſtinemus iuſſu eius, & *homine.*
propter eum, qui fecit te & nos, indignamur
verò

verò ſi nos tu cæce ſuſpicis & illum deſpicis; ſi per nos de te triumphet diabolus, cùm ad Deum te dúcere velimus. pudet nos ſimulacra noſtrì poſitá eſſe propter nimium in nos affectum in templo cordis tui, de nobis ſæpiùs quàm de illo cogitari, & te ſollicitum nobis immolare non animalia, ſed animam tuam, & propter nos æternis eam ſuppliciis addici. Nunquid meritò dicit Apoſtolus: Omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc? Tertiò, conſidera beneficia Creatoris tui, Patris liberaliſſimi, creationis, redemptionis, vocationis, & multiplicis inſpirationis; ac perpende, quòd tam longanimiter te reſpexerit, & exſpectarit, vbi innumeri perierunt; benignè acceperit te, cùm plurimos reiiceret; amantiſſimè tractarit, cùm indigniſſimè à te habitus fuiſſet. Quartò, cùm hæc omnia & ſingula maxima ſint, tamen, quod his omnibus maius eſt, eſt charitas eius. Amor enim non gignitur, niſi per amorem; nec beneficia, niſi à beneuolo animo æſtimantur. Recogita igitur, quòd ab æterno te amauerit, & ſic dilexerit, vt dederit filium ſuum vnigenitum; Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſemetipſum, & te piget redamare, & te reddere ei cuius es? *Haccine vera*, vt ſup. pag. 7. Quintò, conſidera magnum incentiuum eſſe amoris, quòd aliquis à nobis diligi velit, vult autem Deus noſter, Deus inquam, noſter, magnus ille Deus, & laudabilis nimis, cuius magnitudinis non eſt finis, à te vermiculo diligi: & toto corde non amabis eum? atque adeò, hoc eſt; eius primum ac maximum mandatum. Tu mandas, vt diligam te bonum meum, & omne & ſolum bonum. O durities humana! mandari nobis oportuit vt amaremus te? Quis odiſſe poteſt, aut auerſari fontem bonorum omnium? Hæc tua poſtulatio: Fili, præbe mihi cor tuum. Neque ſolùm vis ſimpliciter, ſed, ô incomprehenſibilem dignationem! ecce, ecce, velut in omni creatura occurris mihi, Deus meus, & per omnesd petis à me. Si oculos aperio, omnia

Amorem Dei conſidera.

Deus vult à nobis diligi.

Id petit per creaturas omnes.

omnia clamant, hortantur, vt diligam te. Nihil audio, quo non enarretur gloria tua: quamcumq; igitur portam, vel feneſtram aperio animæ meæ, ades amator mi. Si ſentio odorum fragrantiam, ecce odor Dei mei, vt curram in odorem vnguentorum tuorum. Si ſapit cibus, ille, ille eſt, quem creauit potentia tua, ſapientia cõdiuit, bonitas miniſtrauit, vt guſtarem, & viderẽ, quàm eſſes ſuauis. Oleum verò tui amoris ſupernatat omnibus creaturis: fons hic irrigat omnem terram: aurum hoc veſtit hunc mundum, templum gloriæ tuæ. Et verò, non dubiâ, ſed certâ conſcientiâ, Domine, amo te. Percuſſiſti enim cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cælum, & terra, & omnia quæ in eis ſunt, ecce, vndique mihi dicunt, vt te amem: nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles. Altiùs autem tu miſereberis cui miſertus eris; & miſericordiam præſtabis, cui miſericors fueris. Alioquin cælum & terra ſurdis loquuntur laudes tuas. Quid autem amo, cùm te amo? non ſpeciem corporis, nec decus temporis, nec candorem lucis ecce iſtis amicum oculis; non dulces melodias ſuauium cantilenarum omnimodarum; non florum, & vnguentorum, & aromatum ſuaueolentiam; nõ manna, & mella; non membra acceptibilia carnis amplexibus. Non hæc amo, cùm amo Deum meum: & tamẽ amo quandam lucem, & quandam vocem, & quendam odorẽ, & quendam cibum, & quendam amplexum, cùm amo Deum meum, lucem, vocem, odorem, cibum, amplexum interioris hominis mei; vbi fulget animæ meæ, quod nõ capit locus; & vbi ſonat, quod non rapit tempus; & vbi olet, quod non ſpargit flatus; & vbi ſapit, quod non minuit edacitas; & vbi hæret, quod non diuellit ſatietas. hoc eſt quod amo, cùm Deum meum amo. Et quid eſt hoc? Interrogaui terram, & dixit: Non ſum: & quæcumque in eadem ſunt, idem confeſſa ſunt. Interrogaui mare, & abyſſos, & reptilia animarum viuarum, & reſponderunt: Non ſumus Deus tuus; quære ſuper nos,

Pſalm. 145

Rom. 9.

Aug. l. 10. Confeſſ. c. 6

Quid eſt amare Deũ,

Creaturæ loquentur de Creatore.

Interrogaui auras flabiles,& inquit vniuerſus aër,cum incolis ſuis : Fallitur Anaximenes,non ſum Deus tuus. Interrogaui cælum,ſolem , lunam , ſtellas : Neque nos ſumus Deus,quem quæritis,inquiunt. Et dixi omnibus his,quæ circumſtant fores carnis meæ:Dixiſtis mihi de

*Pſalm.*99. Deo meo , quòd vos non eſtis , dicite mihi de illo aliquid:& exclamauerunt voce magnâ,Ipſe fecit nos. Interrogatio mea,intentio mea, & reſponſio eorum , ſpecies eorum. O quot ſunt mihi monitores & ſtimuli, vt amem te! Itáne difficilis & amara res , amor tui, Deus meus? O amor Dei mei ſuauiſſime,verè propitiatorium noſtrum , verè tabernaculum fœderis ,reclinatorium aureum , laborum ſolatium ! valdè omnino amandus mihi es,per quem ſum,viuo,ſapio , ſi non ingratus ſim & indignus. Dignus planè eſt morte,qui tibi, Domine IESV, recuſat viuere,& mortuus eſt;qui tibi non ſapit , deſipit;& qui curat eſſe,niſi propter te,pro nihilo eſt,& nihil eſt.Propter temetipſũ Deus, feciſti omnia; & qui eſſe vult ſibi, & non tibi, nihil eſſe incipit inter omnia.

Bern.ſer. 20. ſuper Cant

Exercitium.

QVis dabit mihi pennas ſicut columbæ,& volabo, & requieſcam in te,Deus meus;vbi enim inueniet pes meus, & cor meum requiem,niſi in te? ex quo,per quem , & in quo ſunt omnia qui ſolus immobilis,æternus,optimus benigniſſimus & ſuauiſſimus es? quò cæcus ibo,niſi ad te,lumen æternũ illuminans omnẽ hominem ; quo ſatiabitur cor meum , niſi te vno,ô vera & vnica ſatietas? Si dulcedinem appetit , nónne verè tu dulcedo ineffabilis, & totus deſiderabilis? Si pulcritudine capitur,pulcer es,dilecte mi,candibus & rubicundus,ſpecioſus formâ præ filiis hominum , in quem deſiderant Angeli proſpicere. Cur ergo , te fonte omnis boni & pulchritudinis relicto,ibo ad ciſternas,quæ continere non valent aquas, id eſt creaturas vanas? An iis quibus vſus ſui, ſatiatus ſum ? nónne irritatus miſer? Si commodo ducor, & quietem amo , tu vera requies mea in ſæculũ ſæculi,tu ſola vera mentis delectatio,tu mea gloriatio.Si amare delectat,cur non ſummũbonum potiùs

Contemptus mundi.

quàm

quàm nihil & ſummum malum? cur non potiùs mei verè amantiſsimum, quàm odientem me, te inquam dulciſsime IESV qui verè es amator ineffabilis, & infinitus. & interminabilis, qui ante mundi conſtitutionem me dilexiſti, qui tui in his omnibus pignus amoris dediſti, qui mille modis in ſingulis creaturis, in ſingula momenta amorem tuum in me declaras?

Heu mihi, Domine, væ duro cordi meo, ſi non liqueſcat hoc amore, ſi hoc igne non caleſcat! obruis me beneficiis tuis, & ingratum & fugientem à te, inuitas vt veniam, imò vndique me conſeruas, & geſtas velut geſtari ſolet infantulus, imò abluis peccata & lepram meam ſanguine tuo. Obſtupeſcite cæli ſuper hoc, portæ eius deſolamini vehementer, quia magnificauit ſic Dominus facere nobiſcum. Venite omnes, venite qui timetis & diligitis Dominũ & enarrabo vobis, quanta fecerit animæ meæ: introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem. O vos Cherubini, & Seraphini, vos tegitis pedes & facies, quia pudet non ſatis amare tantum bonum, Deum noſtrum; Quid ergo faciam miſer & miſerabilis, quid faciam? Dominus IESVS pro me, non pro vobis mortuus eſt, nec vos lauit ſanguine ſuo, nec triginta triginta tribus annis pro vobis multa paſſus eſt, & dura & indigna, ſed verbo creauit vos, & me morte ſuâ recreauit, & redemit; moriar millies, moriar potiùs quàm non amem te, mi bone IESV, qui quotidie dignaris deſcendere ad me, vt ego accenſus amore tui particeps eſſe queam regni tui quod ſic præparaſti mihi, & corporis & ſanguinis quem ſic mihi propinaſti.

O Domine, quaſi ebrius eſſe videri poſſes amore, qui Dalilã iſtam ita proſequeris: neſcis quia ille iam te prodidit Philiſtæis hoſtibus tuis? ſcis, Domine ſed patiens es, & longanimis ſuper malitiâ hominum, & poſtquam inſultauimus tibi, & fornicata eſt anima noſtra cũ amatoribus multis, ſi reuertatur ad te, ſuſcipis illam. & poteritné fieri, vt vltrà obliuiſcar tui, & adhæream creaturæ fallaci dignum eſt ſanè morte, qui tibi Domine IESV recuſat viuere. Qui enim manducat te, nónne viuit propter te? viuam tibi, cui omnia viuunt: qui enim tibi non viuet, iã mortuus eſt morte ſecundâ. viuam itaque tibi, qui ſoli mihi vixiſti, laboraſti, mortuus fuiſti, qui mihi hæc omnia, quæ mundus

habet, dediſti; &, ſi hæc pauca ſint, adijcies ſine dubio maiora. Sed, ô Domine, quis ea de manu tuâ quæſiuit? nõ ſatiarũt hactenus, neque ſatiant me, non delectant, ſed cruciant: clamant enim mihi in auribus meis de pulcritudine tuâ & bonitate & cùm longè ſis ab oculis carnis, & intra penetrale animæ meæ, anhelans quæro te & non inuenio. Oſtende mihi faciem tuam, & ſufficit mihi oſtendi mihi faciẽ tuam. veni, quia ad te ſuſpiro, cur auertis faciem tuam? ſi vulneraſti me amore tuo, ô charitas Deus meus, infunde oleũ mieſricordiæ tuæ, & ſana me dulcedine eius. ſed tamen, ô Domine, voluntas tua fiat, fiat id quod tibi placet, non quod mihi: ſi abis, benedictus eſto, & laudabilis in ſæcula: ſi venis, benedictus eſto, in æternũ, in æternũ.

Verumtamen ne me deſeras, ne deſpicias me, neque longè abeas à me, ne me derelinquas, Paſtor bone, ouiculam tuam ſolã in terrâ horroris & vaſtæ ſolitudinis, ſed trahe me poſt te, ſitq́; ſemper anima mea plùs vbi amat, quàm vbi animat. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt! heu mihi! ſed quoniã ita tibi placet, placet & mihi; velle enim meũ obtuli tibi, tuũ eſt, & ego tuus, & omnia me tua, & tua mea immenſâ charitate tuâ. Nolo, Domine, nolo vt velle meum mihi vnquam reſtituas, cultrũ in manum pueri. Corpus & animã dicaui tibi, conſerua hæc, ſicut placet, & impende ſicut tibi placet in obſequium tuum. Vnum tecum eſſe deſidero. & non niſi propter te volo; petitionẽ tamen paruulam petam à te, & confido, quia non confundes faciem meã. O Domine ne derelinquas me, ne proiicias me vnquam à facie tuâ, ne vnquã obliuiſcaris mei, neq́; permitte vt vnquã obliuiſcar tui. Veniat mihi millies mors potiùs, quàm viuam ſine te, aut in vllo diſpliceã tibi. Sed da mihi vt amẽ te, & omnes omnino ſtrahere poßim ad tui amorẽ. Minaris enim nobis æternas flammas, niſi amoris tui igne accedamur, & mandas vt ego, ego te amẽ. Fateor, indigniſsimus sũ, vt amẽ & teneã te, vt tamẽ digniſsimus es qui ab omnibus ameris, & in primis à me qui ſic N. dilexiſti me. Sed, Domine mi quid, quæſo, mihi ſũ ipſe, quid tibi, vt amari te iubeas à me. & ni faciã, iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? paruane ipſa eſt miſeria ſi non amem te, imò

mors

mors amariſſima & ſempiterna. Vtinam igitur ex hoc nunc in æternũ. ô vtinam ſemper ſuſpirem ad te ſuauitas ineffabilis; vtinam ſemper ſitiam ad te fons aquæ viuæ; ſemper anhelem, deſiderium collium æternorum; ſemper ſuſpiciam ad te, amabiliſſime ſponſe animæ meæ; ſemper viuam tibi, ô vnica vita mea ſemper moriar pro te; inſatiabiliter appetam te, ſatietas vera; confugiam ad te, refugium meum; ſemper memor ſim tui amor æterne; ſemper amplectar te vlnis animæ, nec dimittam donec lætitiâ inenarrabili te videam, & ſatier, & te ſtringam, & tibi inhæream, & in te liqueſiam, & vnum tecum ſim, & in me eſſe deſinam! Noli, vnquam, Pater mi, obliuiſci prodigi pueri tui; noli, miſericors Deus, Creator mi, creaturæ tuæ. nihil eſt illa quidem, & tu omnia. ita eſt ſed propter me feciſti omnia, & nihil horum odiſti quæ feciſti: ſed pro me tanta feciſti. & pertuliſti ſi deſpicis miſeriã meam, reſpice bonitatem tuã, & amorem tuum erga me indigniſſimum, dicet ille tibi, me tuum eſſe, & certè non potes quin illum mihi des, quia promiſiſti, Veritas æterna. Da mihi illum, & da mihi vt illum omnibus prædicare poſſim, & te hîc & in æternum laudare, & in amore tui viuere & mori, Amen.

Praxis, ad amorem Dei excitandum.

PRima. Eadem huius exercitij praxis eſt quæ præſentiæ Dei, & puræ intentionis. Exercitia item zeli, & Paſſionis Chriſti Domini imprimis meditatio, quemadmodum etiam beneficiorum Dei frequens conſideratio; de quibus omnibus ſuprà variis locis actum eſt. Methodus verò ad amorẽ vera eſt mortificatio, maximè amoris ſui, & vanitatis, & ad Deum ex rebus creatis adſpiratio. *Mortificatio methodus ad amorem.*

Secunda. Quotidie etiam expedit in meditatione aliquã Dei perfectionem conſiderare, atq; eâ in ſe caritatis ignem ſuſcitare ac fouere. Nullum enim exercitium exercitio amoris præſtantius, cùm, vt Apoſtolus declarat 1. Cor. 13. cætera omnia abſque hoc nihil proſint; & hoc vnum in ictu oculi nos Deo gratiſſimos efficiat, & ex hoſtibus amicos, ex miſeris feliciſſimos. *Charitas in momento nos beat.*

Tertia, eaque admodum vtilis, in proximo Deum agnoſcere, illique præſtare quæcumq; beneuolentiæ ac charitatis opera, *Proximo præſta quod Deo.*

opera,perinde ac ſi Chriſto Domino fierent. Dulciſſimum hoc exercitium eſt,quod de Deo benè mereri, eique qui nullius indiget, largiri multa poſſumus Sed de hoc pluribus,cùm de charitate proximi agetur,dicendum erit.

Quarto erit,Ven.Euchariſtiæ non ex conſuetudine, & negligens frequentatio,ſed deuota ac religioſa;in eâ enim ſpiritualis dulcedo,quaſi in fonte ipſo deguſtatur. Examina te ad proprietates amoris,ſeu gradus, quos vide in D. Bernard.Bonauent.Richardo, de gradibus caritatis. Primus gradus eſt, quòd amor ſit inſeparabilis; vt anima cũ Apoſtolo dicere poſſit: Quis me ſeparabit à Charitate Chriſti? Secundus,quòd ſit inſatiabilis:ignis enim numquam dicit,Sufficit:nihilque ſibi egiſſe vmquam videntur, & ſeruos ſe dicunt inutiles qui eo ſuccenſi. Tertius, quòd ſit inuictus.Fortis enim vt mors dilectio: & aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem. Quartus quòd ſit delectabilis,dicereque anima poſſit amore iſto ſuccenſa: Introduxit me Rex in cellaria ſua.Memor fui Dei, & delectatus ſum.Quintus,quòd vulneret animam ardentibus deſideriis & plurimis,quibus optat vt omnes ei ſeruiant,& omnes trahere ad eum conatur.Sextus,quòd ſemper Deũ ſitiat,ſemper eum præſentem habeat, omnis ei creatura memoriam illius reuocet.Septimus, quòd deſideret coniungi & eſſe cum Chriſto, non tædio vitæ, ſed charitate impulſus, quiſquis eâ fuerit inflammatus. Potes ſingulos expendere deuotè,& conteri quòd tam imperfectè ames, & addere: Credo tibi & in te ſpero,& toto corde te diligo.Poteris etiã has iaculatorias miſcere.

Gradus amoris & quomodo eis vtendũ.

Dignatus es,vt ſup.pag.10.

JACVLATORIÆ.

Pſal. 112. *QVis ſicut Dominus Deus noſter,qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra?*

Quid mihi eſt in cælo,& à te quid volui ſuper terram?

Pſalm.72. Pſal.102. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius.*

Exaltare ſuper cælos,Deus,& ſuper omnem terram gloria tua.

Pſalm.56. *Non eſt ſimilis tui in dijs,Domine,& nõ eſt ſecundùm opera tua.*

Pſalm 85. *Quoniam magnus es tu,faciens mirabilia,tu es Deus ſolus.*

Ibidem. Pſal. 144. *Confiteantur tibi,Domine, opera tua,& ſancti tui benedicant tibi.*

Pſal. 146. *Magnus Dominus noſter,& magna virtus eius, & ſapientiæ eius non eſt numerus.*

Aug.l.10. Conf.c.29 *Minùs te amat,Domine,qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.*

CAPVT

CAPVT XIV.

Meditatio de charitate proximi.

COMPOSITIO LOCI, conſiderare Sanctos, ex omniũ Sanctorum gloriâ, vt ſua, gaudium captantes, & Chriſtum Dominum fraternè cum illis agentem. Oratio vt ſuprà.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, & examina an in te verè reperias ſigna charitatis. Primum eſt, ſua non inordinatè quærere, ſuumq; commodum non ſpectare; Secundum, bonis proximi congaudere, & malis triſtari; Tertium, bonum illius ex animo promouere cuiuſuis generis, & auertere mala; Quartum, defectus eius tolerare potiùs quàm quicquam charitati ac beneuolentiæ detrahere, & ſic adimplere legem Chriſti IESV: hoc eſt enim alterius onera portare; Quintum, affabilem omnibus ſe exhibere; Sextum, ſua ſpiritualia & temporalia vltrò etiam & hilariter communicare. vides cur inter ſæculares raro poterit eſſe perfecta, niſi animo ſint auguſto ac liberali? Septimum, neminem iudicare temerè, nemini obloqui, aut facilè repugnare. Conſidera Secundò, charitatem, amicitiam & concordiam eſſe vnicum vitæ ſolatium, ſine quâ nec animalia eſſe poſſint: quodque fuerit omnibus bonis etiam ab Ethnicis prælata, ſolique comparata. Conſidera Tertiò, quãta ex charitate & concordiâ commoda promanent, nullum verò ex diſſenſione proueniat, ſed incommoda grauiſſima: ab illâ auxilia mutua aduerſus hoſtes, quibus vndique cingimur: omnium eſt communio bonorum, & ſolatium malorum, deinque vbi duo ſunt congregati in nomine Domini, ibi eſt in medio eorum. Quid autem ibi deeſſe poteſt, vbi omne bonum Deus ipſe ſingulari benignitate adeſſe dignatur, omnibuſque poſtulatis annuere? ait enim Dominus IESVS; Si duo

Signa charitatis proximi.

Gal. 6.

Charitas eſt magnũ ſolatium.

Deus eſt vbi charitas.

Matth. 18

ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo. *Aſpira*, vt ſup. p.8. *Haccine firmâ ſide &c.* ibid.

PVNCTVM II. Conſidera in proximo Deũ, & quâ ratione ille Deo & Chriſto coniunctus ſit per naturam: ſiquidem primò opus atque imago Dei eſt, & ſeruus; per gratiam verò filius eius, Chriſtique frater & miles, & hoſpes, & templum, atque amicus tantus, vt pro eo ſanguinem & vitam dederit ſuam, paratuſque ſit millies pro vnoquoque dare ſi opus foret. Adde dona; fidem, ſpem, & virtutes, & gratias quæ in eo ſunt, quas certè negligere, & formam externam attendere, nónne turpiſſimum eſt? Indignum tot cauſas amoris te prætetire, & leuem næuum qui te alienet, obſeruare. Túne agrum optimum deſpicis, ſi fortè lolium innaſcitur? tu nummum, ſi non ex auro optimo? Tu teipſum ſi inſpexeris, plura comperies, ob quæ meritò deſpiciaris; atque id omnino futurum eſt iuſto Dei iudicio, ſi proximum iudices: vt quâ menſurâ menſus fueris, remetiatur tibi. His conſideratis, vide quis eſt à quo alieniorem te eſſe putes, & rationes allatas appende, amoris ſcilicet cum cauſis auerſionis. *Haccine vera*, &c. vt ſup. p.7.

Conſidera Secundò, hunc ipſum proximum penetrari à Deo intimè, vti & te, etſi tot defectibus plenum, & omnia quæ tùm in eo, tum in teipſo mala ſunt, conſpici: attamen Deum hominem non faſtidire, non deſerere, imò rogare, pulſare, & cum eo conuerſari velle, illumque amare, vt fratrem, militem, filium cariſſimũ, ſeipſum illi tradere in cibum & potum. O incomprehenſibilem charitatem! Imitare & huic affectui inſiſte.

Tertiò, conſidera proximum, qualis aliquando futurus ſit in cælo, id eſt, perfectum, & virum, & regem, tibiq; in omnem æternitatem verè amiciſſimum, ideoq; nunc vt pueri infirmi, ignari, &c. imperfectiones ferendas ſtatue. Quartò, expende veritatem huius ſententiæ, *Matth.25* Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, in extremo

tremo iudicio pronuntiandæ. O IESV, cùm hæc ſciã, & credere me profitear, poteritné fieri, vt ego ſeruus tuus imaginẽ tuã deſpiciã? iraſcar ei, & oderim quẽ tu amas, & tã longanimiter apertis vlnis expectas? aut negabo ei propter amorem tui, quod tibi debeo omnino infinitis titulis, & ab aliis mihi pręſtari opto? *O Ieſu*, vt inf. p. 942.

PVNCTVM III. Conſidera, quantum requirat Deus vt ſit inter homines coniunctio, ac Primò quidem appende Dei præcepto te teneri omnes amare ſicut teipſum, atque hoc qui implet mandatum, legem implere, & nulli magis prodeſſe quàm ſibi, qui eam ſeruat. Omnibus enim charus eſt, fruiturque perpetuâ pace & gaudio, & omnibus bonis; ſiquidem de proximi bonis ac proſperitate æquè gaudet ac ſuis. *Exerce hîc charitatem*, vt ſup. *Deus præcipit vt ames, negabis? Matth. 19.*

Conſidera Secundò, quòd non amare tantum, ſed ita debeamus, ſicut Deus dilexit nos. Mandatum, inquit Dominus IESVS, nouum do vobis, vt diligatis invicem ſicut dilexi vos. adeò vt Joannes dicat, Et nos debemus pro fratribus animas ponere: D. Paulus verò, Si quæ, ait, conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi quæ viſcera miſerationis: implete gaudium meũ, vt idem ſapiatis, eandẽ charitatem habentes, vnanimes, id ipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quę ſua ſunt ſinguli conſiderantes, ſed ea quæ aliorum. *Aſpira*, vt ſupr. pag. 8. *Hæccine firma fide*, vt ſup. pag. 8. *Ioan. 15. 1. Ioan. 3. Quomodo ſit amandus proximus. Phil. 2.*

Conſidera Tertiò, ſic voluiſſe Dominum IESVM coniunctos eſſe homines inter ſe, ſicut Pater & Filius vnum ſunt. ita enim orauit abiturus in cælum, Non pro eis autem rogo tantùm, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te; vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt credat mundus quia tu me miſiſti. Vide an hanc vnionem imitere, & imitationis affectui inſiſte. *Quomodo oporteat coniunctos eſſe inter nos. Ioan. 17.*

Conſidera Quarto, communem hoſtem eſſe qui diſſidia ciuilia inter nos molitur, quantaque iniquitas ſit cum illo in æternam perniciem meam & fratris conſpirare, concordiâque vnitas vires eſſe inuincibiles. O IESV *charitas*, vt infrà pag. 942.

Quintò perpende menſuram, quâ diligimus proximum, eſſe eam, quâ Deum diligimus; adeoque neceſſariam, vt Apoſtolus dicat: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, & cymbalum tinniens: & ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil ſum: & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. O IESV *charitas*, vt inf. pag. 942.

1. Cor. 13. *Menſura amoris proximi eſt Dei.*

PVNCTVM IV. Conſidera, quali vinculo coniunctos nos eſſe oporteat proximo, ex illo loco, Obſecro vos, vt dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis, cum humilitate & manſuetudine, cum patientiâ, ſupportãtes inuicem, ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. vnum corpus, cuius caput Chriſtus, vnus Spiritus, ſcilicet ſanctus, & amor. Itaq; vide, vt membra vnita ſe ament, & an tu ſic tuum proximum. deinde vide quanta vnio eſſet, ſi anima vna, ſeu ſpiritus te & proximum informaret: tanta enim procul dubio inter Chriſti membra meritò eſſe debet. Addit verò Apoſtolus, In vnâ ſpe vocationis veſtræ: vocati enim ſumus omnes vt Deum amemus, & ſeruiamus ei, ibique præmium exſpectemus, vbi omnes gaudent de bono alterius æquè ac ſuo; vbi in æternum erimus conciues illius Ieruſalem, & domeſtici Dei. Et quid, quæſo, ô frater, an verbum, an offenſio, an iniuria aliqua à charitate nos poterit ſeparare? Vna nobis fides eſt, doctrina & lex, & media omnia ad ſalutem, vnum baptiſma, per quod eiuſ-

Epheſ. 4.

Quanta vnio requiratur.

dem nationis, immò patris filii ſumus; eodemq; Chriſti ſanguine abluti, cætera quoque omnibus Sacramenta communia; vnus omnium cibus corpus Chriſti, & potus ſanguis eius; vnus Dominus omnium, qui ex vno omnes homines produxit; vnus Deus, gubernans & regens omnia; vnus mediator, Paſtor, dux, & ſignum militiæ, Magiſter, & Dominus; denique idem Pater omnium. Numquid, inquiebat Propheta, non pater eſt vnus omnium noſtrûm, quare ergo deſpicit vnuſquiſq; veſtrûm fratrem ſuum? Poſtremò mater omnium eadē Eccleſia, & (ſi Religioſus es) Religio, ex quo capite omnia bona & mala communia ſunt, omnia ſimilia, veſtis, victus, &c. Eſtnè credibile vbi tot ſunt charitatis adminicula, eiuſque tanta præſtantia, fieri poſſe vt ob fruſtum terræ, & res nihili illa contemnatur? *Exerce hîc charitatem*, vt ſuprà, vel vt infrà O IESV *charitas, &c.* pag 942.

Omnia ad vnum referuntur & charitatē.

Malach. 2.

PVNCTVM V. Conſidera Primò, ſi proximus te lædat, nónne eo ipſo ſatis miſer eſt, cùm tu vindicem habeas Deum, apud quem talis pœnæ reus eſt, quam nemo crudeliſſimo hoſti optaret? & hæc non tibi ſufficit, ſed inſuper vlciſci vis & iraſceris? &c. *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7. Imò iam tanto grauiùs ille punitus eſt à ſe, quo vulnus & mors animæ grauiora ſunt vulnere & morte corporis; atque ita verè magnâ commiſeratione potiùs dignus eſt, eoque maiore, quo minus cognoſcit. Secundò, vide quanta incommoda in omni ſocietate, & familiâ, & animâ, eiuſque potentiis talis hominis, defectu charitatis oriantur. Tertiò, quantum ſcandalum ſit ſi Chriſtianus, multò magis, ſi Religioſus, alienum ſe ab alio gerat, ab alio diſſentiat & contendat. Quartò, attende Sanctos omnes, & Angelos eſſe eius quem odiſti ſinceros amicos, maximè Angelum cuſtodem, & Deum opt. max. cur igitur tu non es? Caue, caue, tangere Chriſtum Domini & pupillam oculi eius. Quintò, vide quàm turpe non amare inimicum propter Dei volun-

Lædens alium cōmiſeratione dignus.

voluntatem,quem amares ob leue beneficium, vel ob leuem reparationem iniuriæ.Sextò, dic mihi, velléſne Deum odiſſe tuum inimicum, vel alienum ab eo eſſe? ergo nec tu oderis,nec alienus eſto. Septimò, vis aliquando tandem conciliari? cur non modò? nunquid diligendo faciliùs, quàm odio vinces inimicitias? & quid ex his tibi vis? fratri & proximo malè? & tibi nónne eo ipſo peſſimè? de bonis eius vis dolere, & cruciari iis quibus ipſe gaudeas,cùm poſſis congaudere? Eo magis certè ſi improbus ſit gaudebit, quo certiùs nouerit ſe bonis gaudere, quibus fruſtrà tu inuideas. Vide, precor, quanta inſania. O charitas infinita Deus meus, ne permitte, obſecro, vt malitia mea eò creſcat,vt poſt tot rationes, ob verbulum & nummulum,filios tuos offendam,auerſer; ac præceptum abs te latum violem. Sanguis tuus, quem fudiſti, molliat durum cor meum,vt diligã te ex toto corde meo, & proximum meum ſicut meipſum, propter te ad gloriam nominis tui. Amen.

Exercitium.

O IESV,*charitas immenſa,Deus meus,qui nos ſic amas,atque vbique nobis adſtas,& ſuſtentas,quis ô Sol iuſtitiæ, quis poteſt ſe abſcondere à calore tuo? quæ poterit glacies cordis reperiri,quæ non liqueſiat hoc amore & ſanguine tuo?*
Iſaiæ.31. *Mitte,mitte de excelſo ignẽ in oſſibus meis,tu, cuius ignis eſt in Sion,& caminus in Ieruſalem. Tu,quid dilexiſti me & proximos meos,& lauiſti in ſanguine tuo,da mihi te diligere ex toto corde & proximum propter te,vt filium tuum,vt fratrẽ, amicum,& membrum tuum, talem eum dignatus es efficere, atque adeò aſſerere,quod mihi quod vlli etiam inimico tuo fit, tibi fieri,& eum qui nos tangit, tangere pupillam oculi tui. Abſit ergo vt vnquã,etſi ille,vel ille auerſionis dederit occaſionẽ, & hoc ipſo valdè miſerũ ſe fecerit.propterea eum auerſer & me per ſummam dementiã ſponte lædã cum communi hoſte conſpirem, contra illum & me, imò contra te & præcepta tua,*

tua, quæ pro nobis amantiſſimè condidiſti. Scio, ſcio ſi diligentes tantùm diligam, cùm etiam Ethnici & Publicani hoc faciant, mercedem non habiturum me, neque te patrem, qui ſinis ſolem tuum oriri ſuper bonos & malos; & pluis ſuper iuſtos & iniuſtos. Abſit igitur vt vlli malè velim, de vllo loquar malè, aut charitatis ſigna negem, quin potiùs vltrò offeram, vt te ſequar, qui cùm adhuc inimici eſſemus pro nobis mortuus es. O Pater cæleſtis, cupio filius tuus eſſe per gratiam tuam, & cupio in æternum. Signum hoc tuum, bone IESV, *hoc gerere volo, vt ſciant omnes quia diſcipulus tuus ſum, qui nõ tantùm pro iniuſtis etiam mortuus es, ſed & ingratos nos tuos filios & fratres paſcis tuo corpore & ſanguine, qui cùm maledicerens, non maledicebas; tradebas autem iudicanti te iniuſtè. Si tu poſuiſti animam tuã pro me, ego gratia tua pro te & pro proximo ponam, nullas vnquam alam inimicitias; ſed dimittã debitoribus meis, & dimitto coram curiâ tuâ, vt tu mihi, cui millia talentorum debeo, dimittas: & dimitto de corde meo, obſequium atque amorem, eiuſque ſingularia ſigna præſtare volo maximè aduerſarijs meis N. quia non ille me, ſed te bone* IESV *& pupillam oculi tui, & ego me ſponte meâ ego me læſi; illi oſtenderunt me mihi, qualis eſſem, amator ſcilicet mei, qui ne quidem verbum vnum pro te pati æquanimiter poſſim, pro omnibus doloribus & beneficiis tuis, pro tot peccatis meis. Quis id credat de me Chriſtiano? Vbi eſt ergo amor meus? vbi fortis vt mors dilectio? dura ſicut infernus æmulatio? amor certè vbi eſt, operatur & patitur: ſi operari & pati recuſat, amor non eſt. Ecce video quanta ſuſtineantur pro amore pecuniæ & formæ vaniſſimæ! dies pauci videntur, & labores parui præ amore, & mihi quidquam durum erit agere aut pati pro te & charitate, quæ eſt vinculum perfectionis finis legis, & maior omnibus holocauſtomatibus & ſacrificiis? O charitas immenſa, Deus meus concede mihi vt maneam in te & tu in me: qui enim manet in charitate, in te manet & tu in eo. Et qui manducat tuam carnem & bibit tuum ſanguinem, in te viuit & tu in eo. Iam non miror, ô* IESV *benigniſſime, dicere Pſaltem tuum, Ego*

Matth. 5.

Marc. 12.

Applicatio Communionẽ.

dixi

dixi dij eſtis, & filij Excelſi omnes; panis enim quem nobis das, caro tua eſt pro ſæculi vitâ. O Rex regum ô Maieſtas infinita dignare me præſentiâ tuâ, & viliſſimum illud domicilium cordis mei non deſpicias, eſt enim contritum & humiliatum, & anhelat ad te, & requieſcere non poteſt niſi in te. Concede, obſecro mihi, vt numquam verbo neque linguâ offendam proximum meum omnis enim qui detrahit, vacuũ ſeipſum prodit charitate & ferit eam in omnibus qui ſe audiunt lingua malefica, & quantum in ſe eſt, necat funditus & extinguit. Fodit etiam hæc corpus tuum, & membrum de membro; nec iam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo ipſis quoque nocentior eſt ſpinis, quas illi tam ſublimi capiti furor militaris impoſuit ſe etiã clauis ferreis, quos ſanctiſſimus illis manibus tuis & pedibus tuis conſummatio Iudaicæ iniquitatis infixit. Auerte igitur hoc à me, benigniſſimè IESV, & laudet te lingua mea, ſitq́; ipſa lignum vitæ, tibi mortuis, & ſolatium afflictis, & benedicat tibi anima mea omnibus diebus vitæ meæ. Amen

Bernard. ſerm. 24. in Cant. Detractor quid agat & quam nocens. Bernard. ſerm. de Tripl. cuſtodi.

Praxis ad charitatem erga proximos fouendam.

Suſpiciones vitandæ.

PRimò, cauere diligenter admodum oportet ne radix aliqua amaritudinis aut fibra ſuſpicionis in animâ noſtrâ ſerpere incipiat. Vix credi poteſt, quanta ex leui ſuſpicione naſcatur ſæpè animorum alienatio, creſcit in odia magnamq́ue flammam, eò quòd ſcintilla diſſenſionis extincta non fuerit. Hæc autem dæmonis aſtutia eſt, quâ conatur inter ſe coniunctiſſimos ſeparare. Præſentiſſimum huis mali remedium charitas eſt, & magnitudo animi. Si enim ſuſpicione natâ in te adires proximum, & iam non malum in bono vinceres, ſed etiam mali ſuſpicionem; multa mala in ſemine opprimeres: quæ vbi adoleuerunt, ægrè eradicantur. Ex charitatis igitur lege omnia in bonũ interpretare: charitas enim non cogitat malum. Sane ſtultiſſimũ eſt fingere ſibi hoſtem, & ſolâ ſuſpicione talem efficere.

Omnia in bonum interpretari oportet.

Secundò, nulli facilè contradicere. Nihil enim vt B. Ignatius dicere ſolitus eſt, tanti eſt, vt detrimentum charitatis poſſit cõpenſare. Ideoq́ue hortatur Sapiens: Fili in manſuetudine opera tua, & fac ſuper gloriam hominis diligeris

Ne contradic facilè.

Tertiò, beneficiis præuenire atque honore, ſed vel maximè amore, nulla eſt maior ad amorem inuitatio, quàm amorem prçuenire: aliò quàm ſe, amor emitur, ideoq́ue ciuilis & amabilis conuerſatio & charitatẽ gignit & fouet; ruſtica atq; aſperior etiam quos natura, aliaq́; multa nomina coniungunt, ſeparat.

Ciuilis conuerſatio laudabilis.

Quartò,

Quartò, examina te, an ſigna charitatis, quæ Apoſtolus ad Corinthos commemorat, in te reperias. Charitas, inquit patiens eſt, benigna eſt: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati: omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet.

1. Cor. 13.

Examen Charitatis

Quintò, Opera miſericordiæ exerce. Sed obſerua obſecrò vt corporalia quantum potes ſic conferas, vt ſimul etiam aliquid ſpirituale ingeras, iiſque velut eſca vtatis. Nunquid enim quem pauiſti pane terreno, hortari potes vt vtatur cæleſti? Cur quem veſtiſti terrenis, commonere omittis vt induat IESVM & pietatem? quia autem captiui vt infirmi maximè idonei ad ſemen bonum verbi Dei ſuſcipiendum; ideò aduerte quæſo vt ad ægros maximè periculosè laborantes, omnimodò accurras; eoſque ſoleris & iuues, vt infrà in præparatione ad mortem declaratur. De tribus verò cum iis age; Primò, de aſſecuranda anima per confeſſionem, pœnitentiam & communionẽ, idque exemplis allatis. Secundò, de temporis mercatus habendâ ratione per deuotionẽ & indulgentias, Tertiò, de bonorũ diſpoſitione. Nulla huic officio functio eſt præponenda. Concio etiam plurima, ſtudium & quidquid eſt, lucro huic cedit. Quoties concionator toto anno laborat, & quã ſæpè paucos conuertit! Et necdum tamen in portu eos ſtatuit vt in morte fit: ſeminat non metit, vti hoc caſu, oppugnat hoſtem, non vincit vti hîc: hortatur ad bonum, ſed hic impellit, ibi curat ad tempus ægrum, hîc æternùm: ibi operã ludit ſæpè, hic rarò.

Nota benè. Corporalia quomodo præſtanda.

Ægris & moribundis iuuandis inſiſte.

Sextò, Carcer etiam pietati idonea palæſtra. Fac intelligat captiuus Primò non ſe ſolum; ſcriptum enim, cum ipſo ſum in tribulatione: & verè omnes ſumos in magno mundi carcere & paruo corporis. Deinde ſciat à quo illi hoc malum, & diſcat à Deo eſſe & apud eum Primò cauſſam agat. Dominus, aiebat Iob, dedit, Dominus abſtulit: & Dauid ait: Dominus dixit Semei vt malediceret Dauid. Quo fine captus ſit videat, fortè quo fera, ne cui noceat, vel aliàs vt lacerãda canibus aut lupis Regiæ menſæ apponatur. Cuſtodia illi eſt ergò, non carcer, & ad omnem virtutem ſtadium, vt patet in religioſis ſpontè carcerem ineuntibus, & eremitis. Hic præluſere omnes ferè martyres à Ioanne Baptiſtâ inchoando. Fortè etiam vt furioſus detinetur vt ſibi reſtituatur, & parcat. Si cauſſam ignorat, exploret cum B. Ephrem, cuius eſt illuſtre exemplum. Porrò curan-

Incarcerati quomodo iuuandi.

Nota. Vide Raderum.

curandum vt in omni carcere ſint libri pii,& hiſtoriæ,quos legat quiſpiam etiam conductus. Secundò, Imagines piæ. Tertiò, Sacellum. Quartò contra otium opus ſit, & occupatio. Quintò, contritio in communi loco, manè & veſperi recitari poſſet, & examen inſtitui. Sextò, ſi cætera adſint, etiam exercitia in eo fieri poſſunt S. Ignatij, vt factum ſcio His excultus in Hiſpania quidem, & ſupplicium morte maturâ euaſit, & ſanctus habitus. Ita illis exercitatus ſuſpiriis, lacrymis, ciliciis Deum placarat, non enim punit Dominus bis in idipſum. Septimò, animas in purgatorio ex charitate ſedulò cura, his enim ſemper prodeſt oratio, & tibi gratiſſimæ erunt. Itaque indulgentias iis applica, & fac vt in promptu habeas faciles modos applicandi illis indulgentias, vt mox auditâ morte eas ſuffragiis tuis adiuues.

Nota benè.

Exercitium breue pro incarceratis.

O Ieſu vere tu mihi ades, dixiſti enim: Cum ipſo ſum in tribulatione: tu, Dominus, mihi es Adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo: quid dico? homo, quid inquam tu facias mihi. Tu enim vti in hoc mundi carcere, & corporis conſtituiſti me, & in eum deſcendiſti pro me, & in hoc me eſt vis tecum, & tot millibus Sanctorum quibus hæc palæſtra virtutis fuit, & quorſum? vt redeam ad te, vt adhæream tibi, vel compulſus. Gratias itaque tibi ago, & fateor, merentur hæc peccata mea, ob quæ ex amore tui doleo, & condono iis qui nocere mihi volunt, vt à te mihi cupio condonari, & reſigno me ſanctiſſimæ voluntati tuæ, certò enim ſcio non patieris me tentari aut vexari ſuprà id quod poſſum, & noſti quâ via me ad te perducere velis ad regnum tuũ. Tu per crucem, bone Ieſu, Rex meus, iuiſti & tormenta, & ego quid querar? multis carcer cuſtodia, aſylum, via ſecura ad vitam, & te cui credo, in quem ſpero, quem toto corde diligo, Amen.

IACVLATORIÆ

Ioan. 15. *HOc eſt præceptũ meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.*

1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam factus ſum ſicut æs ſonans.*

Matth. 24 *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

CAPVT XV.

Meditatio de Inimicis, & iis, qui nobis aduerſantur, diligendis.

PRAELVDIVM I. Statue te coram Deo inſtar rei diuinæ maieſtatis, vnà cum proximo.

PRAE-

PRAELVDIVM II. Ora, vt, ſicut illi dimittis, ita tibi dimittat iuxta legem ſuam & promiſſum. *Matth.6, 13.*

HOMO. Quamuis ſtem coram te, Deus meus, & ſciam plurima me talenta debere tibi, tamen vrit me, & ſtimulat ira, & cogitationes meæ conturbant me gratis, & fruſtra: benedictio enim tua Domine, ſuper caput iuſti, os autem impiorum operit iniquitas. O quoties mihi occurrunt beneficia collata à me, & retribui ab illo N. mala pro bonis! ſi quidem ille iniuriam intulit, aut etiamnum infert; eſtque alienus à me: Quid faciam? amore, an odio cum illo certabo? reconciliabor, an alienum fouebo animum erga eum, pro quo tu Chriſte IESV mortuus es, pro quo me oportet animam ponere? *Prou.10.*

IESV. Si hoc conſideres, ſol non occidet ſuper iracundiam tuam; vide, fili, quis ſit ille, quid ſit quod fecerit, cur, quomodo, vbi, quando, deinde quid reconciliari; & ex ſingulis collige quo lenire malum ac dolorem poſſis. Homo certè eſt qui nocuit, tecum eiuſdem conditionis & naturæ; ſed improbus, inquis. Ita eſt, morbos ſuos habet perpetuos: eorum aliquando, id eſt paſſionum, paroxyſmos & acceſſus graues, variis oblatis occaſionibus. Vt enim elephas aſpectu purpuræ furore, leo etiam galli ſolius cantu pauore concutitur: ita homo leui aliquando occaſione ſuæ affectionis prauæ frangitur impetu. Sed nónne etiam ſimilibus laboras? inſpice te coram me, & vide an tu ita velis à me iudicari, vti tu proximum. *Vide quid proximo debeas.*

HOMO, Fateri debeo, ô IESV, ſine vitiis nemo viuit, optimus ille eſt, qui minimis per gratiam tuam obnoxius eſt.

IESVS. Imò ſi humilis ſis, Maioribus, dices, ego vrgeor. cur igitur non tibi indignaris? an fortè te vincis, te coërces? Tuáne hæc virtus eſt? & an à te? nónne à me omnis eſt ſufficientia? quis eſt qui te diſcernit? ſi par ergo illi es, patere: ſi impar, compatere illi, qui quòd illis

Ooo armis,

armis quæ tibi dedi careret, læſus primò fuit ab hoſte, & tibi obtulit quo te lædere poſſes. Non verò læſit: ſiquidem nemo niſi à ſe ipſo læditur omniũ prudentum iudicio. Nónne enim tu contemnere iniurias potes, & vanos conatus hoſtium mea gratiâ ridere, vti etiam in tormentis Sancti fecére? Si aliter iudices, vlciſci velis, imprudens es & inſipiens. Si te læſiſti, cur de alio quereris, & non de teipſo? cur alium iudicas fruſtrà, & non teipſum cum tuo fructu magno, ſimul & te vlciſceris? ſanè imprudens es & inſipiens.

Tu te ipſũ lædis & quereris?

Boëtius.

HOMO. Doces me Domine verbo tuo, ſed magis exemplo quod eſt verè penetrabilius omni gladio ancipiti, verùm & alius me monet dicens: Apud ſapientes locus nullus odio relinquitur. nam bonos quis niſi ſtultiſſimus oderit: malos autem odiſſe ratione caret: ſicut enim corporis languor, ita vitioſitas quaſi quidam morbus eſt animarum.

Cùm ergò ægros corpore minimè dignos odio, ſed potiùs miſeratione iudicem; multò magis tales miſerandi, vt video, ſunt, non perſequendi, quorum mentis improbitas eſt omni languore atrocior. *Exerce te in patientiâ*, vt ſuprâ. vel *Aſpira*, vt ſuprà. *Haccine firmâ fide, &c.* vel, O IESV *charitas.*

IESVS. Dicito mihi quid agis? fortè illum vis ſanum reddere, qui teipſum ægro animo vides, & curare nequis? imò ab illius morbo malè afficeris contagione malâ, & ſic in te transfers malum, cùm auertere ab illo, & à te ipſo deberes: cumque habeat proximus bona plurima, ſi rectè attendas, in nullo cum eo communicas præterquam in malo. O infelicitatem tuam, vel malitiam, qui omne bonum in agro & anima proximi odiſti, quia ſpina vna tibi diſplicet: illud autem negligis, & hac te vulneras? corpus eius odiſti totum, quia næuus in eo vnus eſt? quin potiùs proximum ama ob bona & nomina plurima, quàm oderis eum ob vitium aliquod ei ſuũ & ſimul bona in eo plurima? Si hæc autem ratio valet,

Inſpice bona proximi.

let, Defectus habet,ergo eum auerſari volo,omnes omnino homines odiſſe debes;quia omnes habent vitiũ ſuũ, & tu ipſe ſi hoc ignoras, longè grauiſſimum. Et quid ſi homines omnes inſaniâ laborârent, velléſne tu ideò eàdem laborare?cur igitur, ſi vnus aliquis illo vitio laboret,tu perturbaris, ſæuis,indignaris? iniquè facit, inquis. Nunquid & tu in me iniquus,qui legem de charitate meam tam leui de cauſſa contemnis, & infirmum fratrem affligere vis? nónne medicinam ei deberes potiùs præſtare, quàm exulcerationem? Vides ergo illum læſiſſe ſe & obtuliſſe tibi quo te ſimul læderes, teque arripuiſſe ſpinam, & cultrum illum tibi proieciſſe,quo ſponte manum pedemq; induceres.tibi ergo imputa.Ille cœpit errare in viâ ſalutis,& hoc vides & dicis: Vis eũ ſequi, quod tu vocas perſequi? idque quia cæcus impegit in te.quod quidem non poterat, niſi tu qui videbas, in eum ſponte incurriſſes; cùm verò eum cæcum videres & phreneticum, nunquid potiùs miſeratione tangi debebas? Si non illius,ſaltem mei. Vulnerabat ille me, tu vis addere vulnus vulneri? excluſit ille me perturbatione ſuâ, cùm in pace factus ſit locus meus, & tu, fili, etiam me repellis? *Nemo læditur niſi à ſeipſo.*

HOMO. *Hæccine vera &c.* vt ſup. pag. 7. Contrit. excita.

JESVS. Age verò,quid ſi frater, filius aut pater phreneticus te percutiat,conſpuat, irrideat, nónne condolebis, morboque tribues? atqui ira breuis furor eſt, cur ita inſanis vt longiorem tu efficere velis nolendo reconciliari, & grauiorem, vt & ipſe qui ſe prior læſit,reſpuat medicinam? Age verò quid fecit ille? enarra mihi coram curiâ meâ vniuerſâ,coram quâ patent hæ cogitationes tuæ N.

HOMO. Verbo iniurioſo ſic læſit me, contempſit, auerſatur, vel vulnerauit corpus,famam denigrauit, rem abſtulit,&c.

JESVS. Et ego factus ſum opprobrium hominum, & abiectio plebis amore tui, & non velles illud

Viciſſim pati pro me ? an ampliùs præſtares mihi quàm debeas? An tibi putas noceres, ſi condonares hoc mihi verbum vnum, qui innumera talenta dimiſi tibi, & dimitti à me petis? Porrò contemnit te. eſto; quot ſunt qui me contemnunt ? tu verò inter eos es deſpiciens legem meam, quâ dimittere te iuſſi proximo tuo. An ſi contemnat quis me, ideò minor ſum ? ſi quis neget aurum eſſe aurum, ſplendere margaritas, & precio dignas, quid eis nocuit ? ſi tu bonus eras & te contempſit, ſtultum omnino & indignum eſt ideo te malum eſſe velle, & meritò contemni ab illo, & me, & omni curiâ meâ. Si læſit te, non pudet quod tu iniuriæ tuæ vltor & tortor fratris eſſe optes ? tu qui Chriſtianum te profiteris, & forte Religioſum ? Quòd ſi ita eſt, vide an apud te, apud quem aſylum reperire facinoroſi poſſunt, & quietem, non ſit æquum vt eam inueniat frater ? Certè ſi bonus eras, ſi humilis, an putas te conturbaſſes? ſi malus, nónne dignus eras qui ſic acciperére, vt vel ſaltem te cognoſceres, & bonus eſſe poſſes ? ſi vis vt ille innocentiam erga te ſeruet, non noceat tibi; nónne viciſſim ei patientiam debes ? corpus ille, id eſt, veſtem tuæ animæ ſi læſit, infelix eſt; etenim ipſe priùs vulnerauit animam ſuam : ſcriptum eſt enim : Gladius eorum intret in corda ipſorum, ſcilicet vt tunicã alterius ſi ipſe omnino permittat, ſcindant. Siccine tibi placet iſta amentia ? an ſimili etiam tibi corripi libet delirio, vt vlciſci velis, & ad corporis læſionem, vel famæ aut bonorum, animæ tuæ adiicere periculum, aut perditionem ? At fortè partem ſubſtantiæ temporalis, terræ fruſtum, tua denique perdidiſti : vis igitur & cælum, & æternam proiicere hæreditatem? vis virtutes omnes, patientiam, humilitatem, charitatem ? ſi enim harum vel vnam haberes, animo certè quieto & beneuolo eſſes. Aduerte verò, fili mi, vbi is nocuerit tibi, nónne coràm me & Angelis meis in contemptum mandati mei ? hoc autem toleraui, vtpote quia miſericors ſum ſuper malitiâ hominum,

Res non mutantur hominum dictis.

Dilemma expendendum.

Anacharſis

Deus parcit fratri tuo, tu recuſas.

minum. Aut iuſtè fieri video, quod tu ſecus tibi factum arbitraris, & tu certè iniuſtè iraſceris; aut iniuſtè fit, & ſi patienter ego ſuſtineo, vti & peccata tua plurima, tu audes indignari? optas eum puniri? ex ore tuo te iudico: ſi puniri oportet, nónne eſt quia legem non ſeruauit? at neque tu ſeruas. ego etenim Rex ſummus mihi vindictam volui ſeruari; tu verò quo auſu temerario eã arripis? Age tandem, quando nocuit? certè illâ horâ & momento quo permiſi, nec potuit diutiùs. An forſan arguis me quòd permiſerim? Exerce te ad patientiam, & humilitatem, & contritionem, vel dic, *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7.

Homo. Ex his & aliis circumſtantiis elicere me præclaras, vt video, virtutis occaſiones oportuit, & virtutis armis indui, & ad gloriam tuam ex ſpinis roſas colligere, ex alterius iniuriis apud te fortitudinis laudem: melior enim eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo, expugnatore vrbium. Adiuua me Deus ſalutaris noſter. De profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam: fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. niſi enim tu, Domine, adiuueris me, cadam in conſpectu inimicorum meorum: neque enim eſt in me iſta fortitudo, vt reſiſtere poſſim. & nunc, Domine, memor eſto mei, & ne vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum. *Credo tibi*, vt ſup. p. 7.

Prou. 16.

Pſal. 129.

Iesvs. Spera in me, & confitere mihi, & requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, & facies cum tentatione prouentum: ſol non occidat ſuper iracundiam tuam, ſed inimicum animæ tuæ citò expelle, diligenterque ſæpè conſidera, quis ſit vindictæ odiique effectus, quis fructus patientiæ & pacis. Finge te hominem videre auerſione atque odio vulneratum: aſpice, quibus illudatur phantaſijs, ſuſpicionibus, æmulationibuſque: non quieſcit memoria illius, ſed furoris plena eſt & triſtibus votis, intellectus verò excæcatur: neque quid

Epheſ. 4.

æquum iuſtumque ſit, etiamſi millies ei repræſentetur, videt: ſi occaſio eſt iræ, rixæ, contentiones ex radice amaritudinis germinantur, & in eas, imò etiam gladios itur. Contrà verò ſuauiſſima patientia, & charitas ac manſuetudo, inter aduerſa læta, aduerſariis benigna, inter medias acies ſecura eſt: in Dei enim protectione commoratur, & in pace in idipſum dormit & requieſcit. Nunc verò omnia tibi ad æternam vitam ordinanda ſunt, quid eligis?

Patientiæ bona.

HOMO. Conturbata eſt in me anima mea, quid eligam ignoro.

JESVS. Verumtamen, ſi quis ex te percontaretur amicus, ſuaderéſne propoſito fine ſalutis in animo, odium alienationemque fouere?

HOMO. Pax, dicerem, etiam iuſto bello præponenda, & ſeriùs ociùs quærenda eſt.

JESUS. Si ergo aliquando vis pacem, quorſum ſinis odium inveteraſcere & exulcerari? cur crucias te centies, quo fructu? nempè vt ſemel aduerſario offeras, vnde, ſi velit, ſumere poſſit, quo ſe lædat: nónne iſta mera malitia & dementia eſt, de aliena plaga quærere medelam? & pro medicamento alienum velle adhibere tormentum? Inſania eſt teipſum occidere velle, vt iumentum, quod eſt corpus hoſtis tui, lædas: facem accendere, vt domum proximi exuras, quò ſimul pereas, tuam priùs accendendo, & ſic incidas in foueam quàm feciſti, in laqueum quem paraſti.

Inſania impatientis

HOMO. Video, ô Sapientia æterna, malitiam eſſe quaſi ignem. ſi incendere quis aliquid velit, illud quod admouetur vt ſuccendat aliud, accenſum ſit oportet, & faculam priùs ardere, quàm aliud poſſit accendere.

Malitia nocet Auctori.

JESVS. Ita ergo impoſſibile eſt, vt malitia quæ procedit ex te, non priùs te vaſtet, lædat, antequam per te alteri noceat. Cùm autem mori communi omnibus lege debeas, (nemo enim euaſit ſpiculum mortis, nemo

ſtimu-

ſtimulum) ſcis quâ horâ venturus ſim? veniam certè in die quâ non ſperas,& horâ cùm fortè minimè ignoſcere poteris, & fruſtra à me tibi ignoſci poſtulabis, & aliâ menſura remetiri tibi quàm quâ menſus es. Quid tum factum optabis? Patientiæ affectum exerce.

Homo. Plurimum certè,patientiſſime Iesv, omnem amaritudinem euomuiſſe,& pacificum fuiſſe,vt inter filios tuos poſſem numerari.

Iesvs. Quid verò in iudicio reſponderes, quando à te leges & conſilia mea deprehenderem eſſe contempta ego iuſtiſſimus Iudex? quam gratiam tibi ſperares, vbi ſoli miſericordes miſericordiam conſequentur? vbi ſola charitas & eius opera mercedem & veniam impetrabunt? *Matth. 5.*

Homo. Quanta confuſio eſſet, ſi ob vilem voluptatem, munus,fauorem, dilexiſſem plurimos, & fortè ardenter,& quod nulla tua in me merita,nulla tua,ô Iesv, mandata id potuiſſent efficere, vt ex corde dimitterem fratri meo.

Iesvs. Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? ſi conſeruo tuo,qui aliquot tibi debet denarios, ignoſcere nolueris, quomodo remittam tibi debitum multorum talentorum, quod eâ conditione tibi me remiſſurum promiſi? dimittite,dixi,& dimittemini,miſericordiam volo & non ſacrificium;mihi vindictam,& ego retribuam? tu verò contrà dixiſti: Ipſe retribuam; & in eum fortè qui iam ſecundùm animam mortuus eſt, vltrò ſæuire deſideraſti. Si enim in tempore gratiæ & veniæ, fueris recordatus ad altare, quòd frater habet aliquid aduerſum te, ſacrificium offerre non potes; quomodo igitur veniam impetrabis, ſi in die furoris, iræ & calamitatis argui poſſis de odio erga fratrem tuum? Denique aduerte,aut in æternum tecum iſte N. beatus erit, aut certè damnatus. ſi damnatus, nulla bellua eſt, quæ tali non commiſereatur. ſi æter- *Deus petit ſibi vindictā: Quid ait.* *Oſeæ 6.* *Matth. 5.* *Dilemma pulcrum.*

nùm beatus erit,& tu ſaltem ſperas, & æternùm futuri eſtis coniunctiſſimi, cur iam odia & auerſiones fouere pergis? Non ita Sancti charitate pleni præiuerunt, ſed in bono vicerunt malum, & pro perſequentibus cum S.Stephano orârunt, & nemo inuentus eſt, qui non retribueret bona pro malis. Sciebant enim, quod Gregorius ait, Ianuam omnium vitiorum eſſe iracundiam. Erant filij Dei, pacifici & miſericordes; Dei inquam, qui pacis & non diſſenſionis eſt Deus. Quòd ſi, inquit Apoſtolus, zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem. non eſt enim iſta ſapientia de ſurſum deſcendens; ſed terrena, animalis, diabolica. vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum. Imò verò quot inter Ethnicos fuerunt duces & victores, quos efferre victoria ſolet, hoſtibus non tantùm clementes, ſed & benefici, & victoriâ de hoſtibus partâ verè de ſe animoque ſuo triumphârunt, pacemque maiorem in animo, quàm in Republ. pepererunt? Tu verò vis poſſidere animam tuam? itaque patientiam amplectere, ſcriptum eſt enim: In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras; cor autem fatui ebullit ſtultitiam, & derelinquit illum, ac velut arreptitius aut olla feruens agitur & non agit.

Actor. 7.
Gregor.
Iracundia ianua peccati.
Iacob. 3.

HOMO. At turpe non nemo putat vincere in bono malum.

IESV. Exue igitur Chriſtiani nomen, quorum eſt mala pati, & fortiter agere: noli ſub me crucifixo militare: ille qui tibi iniuriam facit, eo ipſo grauiorem mihi infert, tangitque pupillam oculi mei. Et tamen parco illi Dominus; & non vult ſeruus? Iudex, & non vult reus? differo vindicare, & non eſt mihi dedecus, tibi uerò illud ex patientia venturum exiſtimabis? Quid verò dices ſi aſpexeris in me Saluatorem tuum, qui etiam pro inimicis mori dignatus ſum? & antè omnia quaſi mei & amicorum oblitus pro iis cum lacrymis Deum patrem

Exemplum Chriſti ſequendum.

patrem rogaui. *Exerce imitationis affectum*, vel dic: O IESV *charitas*, *&c*. pag. 942.

HOMO. Apparuit charitas & benignitas tua, ô paſtor bone, qui pro ouibus tuis animam ponere dignatus es.

IESVS. Et vos, dixi per Apoſtolum, debetis pro fratribus animas ponere. *1. Ioan. 3.*

HOMO. Ecquis ergo, Domine IESV, Chriſtianus exoptabit vindicari ſeſe, humiliari aduerſarium, membrum tuum affligi? & cùm tu ipſe, Domine IESV, ob iniuriam tibi, dum mihi vt pupillæ oculi tui illatam vulneratus fueris; egóne atrociori vulnere iterum percutere nitar? *Matth. 11* quaſi non ſit ſatis te ſemel quaſi vulnera, tum & deſpectum? Doces me, & clamant tua vulnera. Domine IESV: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: quomodo ergo iniuriam fieri mihi exiſtimabo, ſi mitis, ſi humilis eſſe iubear?

IESV. Attende ad Patrem tuum qui in cælis eſt, qui pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, ſolem oriri facit ſuper bonos & malos, vt tu diligas etiam inimicos tuos, benefacias his qui oderunt te, & ores pro perſequentibus te. Si ſalutaueris, amaueris amico tuos tantùm, de iis benè ſenſeris, locutus fueris, mercedem non habebis. Imò verò quis credat te amicum verè diligere ob leue beneficium, cognationem aut quid huiuſmodi, quando ego Dominus tuus, qui te dilexi ab æterno, ſanguine meo redemi, quotidie paratus eodem te alere, & æterna regna promittens, hoc tamen impetrare à te non poſſum, vt me diligas? Siquidem manifeſtè conuinceris, ſi à proximo alienus es, à me Deo tuo auerſus eſſe. Qui enim ſe dicit diligere Deum, fratrem autem ſuum odio habet, mendax eſt, & veritas in eo non eſt. *Aſpira*, vt ſup. pag. 8. *Hæccine firmâ*, *&c*. ibid.

Matth. 5.

Dei & Chriſti exemplũ imitandum.

1. Ioan. 4.

HOMO. At diligo, ſpero, gratiâ tuâ, nulluſque eſt cui malè velim, imò, omnibus optimè cupio, condono, ſi quid in me peccârint, vt me etiam inter tuos agnoſcas.

JESVS. Vide ergo, ne vites vllius alloquium, aſpectũ, familiaritatem, minùs benignè agas, honorificè loquaris, corrigi eum velis, &c. An etenim, fili, cuperes tali menſurâ à me amari? Certum enim eſt & æternâ lege fixum, Quâ menſurâ menſi fueritis, etiam remetietur vobis. Quid verò, precor, ex vltione, alienatione, obtrectatione petis? an gaudere de eo, quòd non impunè alter te læſerit? at quàm fœdum, quàm turpe te paſci alieno malo, liuere bono, in vlcere, in ſanguine fratris coheredis tui, pro quo animam ponere debueras, gloriari? in ſordibus alienis volutari? Sed age quantum iſtud gaudium? nónne mixtum timore, perturbatione, periculo, ne alter vicem reddat? quantumuis enim minimus ſit, & tu inter maximos fores, te acerrimè pungere poteſt, & vel linguæ gladio grauiùs, quàm quouis mucrone vulnerare. Et ecce ſi vis condonare, & amicus eſſe meus poteris, & gaudere, & carior eſſe mihi & hominibus. *Credo tibi*, vt ſup. pag. 7.

Matth. 7.

Ibidem.

Vide quâ menſurâ vtaris.

Denique quis, precor, te ad vindictam impellit? nónne ego Dominus, ego, coram quo tremit totus orbis terrarum, prohibeo, & nullum cupio inter ſeruos meos, qui charitate plenus non ſit? In hoc enim cognoſci eos volui ab omnibus, ſi dilectionem haberent ad inuicem. Ad vindictam verò inuitat dæmon, vt per te primò adigat perditionis gladium, deinde in cor fratris tui. Promiſi quòd vbi duo conſentirent ſuper terram, annuerem petitioni eorum, quamcumque poſtularent. Si igitur diſſides à fratre tuo, vana erit oratio tua, imò in peccatum & vindictam prouocans. Sicut enim qui gladio ferit, gladio perit: ita qui odio fratrem lædit, ipſe ſe interimit: qui in gratiam cum altero redire negat, ſibi gratiæ meæ fontem obſtruit.

Ioan. 13.

Dæmon illudit impatienti.

HOMO. Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium tuum, fac cum ſeruo tuo ſecundùm miſericordiam tuam. en gratiâ tuâ propono in conſpectu tuo proximum diligere: non verbo, neque linguâ, ſed opere &

verita-

veritate, vt meipſum; nec meminiſſe offenſæ, quemadmodum rogo, vt non memineris iniquitatis meæ, vt proiicias poſt tergum tuum omnia peccata mea, Amen.

ORATIO, *quæ ſuprà*, O JESV, *charitas*, *pag*. 942.

Praxis ad inimicos diligendos.

PRIMÒ, conſiderare beneficia ab homine illo accepta, cui offenſus es.

Secundò præteritę iniuriæ, etſi importunè ſeſe offerentis, memoriam oblitterare, & quoties ea recurrit, Deo iniuriam donare, actumque charitatis elicere.

Tertiò, alloqui illum, & eius conſortium nullo pacto vitare: verbum enim dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos. *Eccli.6.*

Quartò, beneficium illi aliquid conferre, tum pro illo orando, tum aliud corporale præſtando. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illũ; ſi ſitit, da illi aquã bibere; prunas enim congregabis ſuper caput eius, & Dominus reddet tibi. Si id à te fieri nequeat, clam per alios facito, & fac intelligat beneuolo te in eum eſſe animo. *Dignatus es*, vt ſup. pag. 10. *Prou.25.* *Nota.*

JACULATORIÆ.

HOmo homini reſeruat iram, & à Domino quærit medelam? Eccli. 28.

Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Ibidem.

In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur. Ibidem.

Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Marc.4.

In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. 1.Ioan.3.

Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Gal.6.

Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum odit, mendax eſt. 1.Ioan.4.

CAPVT

CAPVT XVI.

Dialogus de Contemplatione.

DESIDERIVS. Complura de meditatione iam pertractata ſunt, numquid etiam liceret de contemplatione paulùm diſſerere?

ASCETA. Quod ex variorum lectione didici, ſine inuidiâ communicabo, ac perſtringam: quid enim opus pluribus? habes fontes, D.Bonauenturam, vtrumque Dionyſium, Gerſonem, & eximios viros, P.Paz, P.de Puente, P.Ariam, & alios; habes heroinam illam B.Tereſam. Itaque breuiter accipe quod flagitas. Obſerua autem Primò, vitæ ſpiritualis, & omnium præceptorum ac conſiliorum finem eſſe, voluntatis ac intellectus, & potentiarum animæ noſtræ cum Deo vnionem(ad hoc mortificatio inſtituitur, per orationem & meditationem anima eleuatur, & contemplatione ſuſpenditur)id eſt, vt diligatur Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus noſtris. Vt autem id fiat, ſupra terrena, ſupra ſe eleuari mens debet, quod fit per meditationem; ſed perfectiùs per contemplationem, quâ vti clariùs Deus & diuina videntur, ita ardentiùs amantur.

Finis vitæ ſpiritualis charitas.

Oratione mens eleuatur.

DESIDERIVS. Quomodo verò differt à meditatione contemplatio?

ASCETA. Meditatio, vt Auguſtinus, eſt occultæ veritatis inueſtigatio. Etenim illa per varios diſcurſus intellectus, & ratiocinationis quærit æternam Veritatem, quam amplectatur & amet. Contemplatio verò eſt, vt idem Auguſtin. perſpicuæ veritatis iucunda admiratio; vel, vt Richardus, perſpicax & liber animi contuitus, vſquequaque diffuſus; quando ſcilicet iam diſcurſu veritas per meditationem inuenta; & oculis quaſi ſubiecta eſt: ſicut ſi vinum in vua conſideratum, deinde ex vua expreſ-

Aug. lib. de Spiritu & anima.

Lib. de cōtemplat.

Quid contemplatio.

expreſſum in vitro deguſtaretur, vt eleganter P. de Puente.

Desiderivs. Audiui aliquando eam ſimili hoc declarari, & perinde eſſe, ac ſi ſit imago aliqua, vt eam conſiderem, mihi propoſita: duobus enim id poſſe fieri modis. Prior eſt, ſi ſingulas eius partes intentis oculis conſiderem, & examinem vmbrarum & colorum diſpoſitionem, viuacitatem, proportionem, &c. Poſterior eſt, ſi perſpectâ imaginis huius excellentiâ & pulcritudine, oculos in eam defixos teneam, propter voluptatem, quam ex illa percipio; & magno amore in illam ferar; eoque maiore, quo clarius eam intueor, quo minùs affectu rei alterius diſtrahór. vnde ſequatur ſollicitudo eam conſeruandi, & zelus quiduis potiùs, quàm eam perdendi. Prior modus ſimilis eſſe dicitur meditationi, poſterior contemplationi. *Earum diverſitas ſimili explicatur.*

Asceta. Aptum eſt ſimile: nam in contemplatione, anima in tranquillâ ac ſimplici operatione intellectus, gaudet de veritate laborioſè per meditationem inventâ, vel per fidei lumen nobis manifeſtata. Nónne verò multò ſuauiùs & faciliùs is qui videt, res eaſdem contemplatur, & earum præſentiâ afficitur, quàm cæcus quiſpiam, etiamſi Philoſophicis & Theologicis diſciplinis inſtructus, de iiſdem optimè diſſerere, atque naturas explicare poſſit? ſic etiam longè faciliùs & fructuoſiùs circa eandem rem verſatur contemplatio, quàm meditatio; quia vnico intuitu contemplans, poſtquam multa audiuit & intellexit, vt Regina Saba conſiderat noſtri Salomonis in gubernatione vniuerſi, v.g. prudentiam: vel cum D. Bernardo, facit ſibi faſciculum myrrhæ ex omnibus doloribus Domini ſui. ac poſtquam ſingula conſiderauit & quæſiuit, vulneratus amore, dicit, Inueni quem diligit anima mea: & abſque labore defixus hæret, velut auis poſt varios gyros, & ſurſum ac deorſum volans, ſe in aëre librat; humanaque omnia deſpicit. Perſpicuè hæc deſcripſiſſe R. P. Paz videtur, *Simile cæci.* *Simile auis*

dicens:

Quid eſt contemplatio. dicens: Contemplatio eſt liber, perſpicax & certus intuitus Dei, ac rerum cæleſtium admirationem inferens, in amore deſinens, atque ex amore procedens. Ille enim eſt principium, & finis, vt diligamus omne & ſolum bonum noſtrum Deum, & Dominum IESVM Chriſtum Filium eius: Finis enim legis & omnis contemplationis eſt dilectio. Neque enim, vt ait Dionyſius Carthuſianus, contemplatio induit nomen contemplatiuæ vitæ, niſi in quantum eſt actus à voluntate per charitatem formatus, & per dilectionem vltimo fini meritoriè delectabiliterq; vnitus: machina quippe mentis eſt, vis amoris; quæ dum hanc à mundo extrahit, vt Gregorius, in alta ſuſtollit. *Amor eſt mentis machina. Gregor.*

DESIDERIVS. Eſtnè cõtemplatio ergo actus in ellectus, cùm dicatur eſſe intuitus, & ſpiritualis quædam viſio, ſeu aſpectus veritati fidei innixus? *Intellectus eſt oculus.*

ASCETA. Omninò: ſicut enim oculo corporeo corporea homo ſpeculatur; ſic intellectu mentis oculo cæleſtia, & ſuper omnia, Deum contemplatur; eſtque contemplatio vitalis actio, & voluntaria, ac proinde noſtra, diuinâ gratiâ cooperante: niſi enim eſſet actio noſtra, quomodo eſſet meritoria? Qui enim, ait rectè Auguſt. fecit te ſine te, non ſaluabit te ſine te. *Cooperatio eſt neceſſaria.*

DESIDERIVS. Vnde ergo contemplatio aliquando vocatur paſſio? & Dionyſius dicit de ſancto Hierotheo, eum diuina pati ſolitum? *Dionyſ. cap 2. de diuin. nomin.*

ASCETA. Dicitur paſſio, cùm eſt perfecta, humano loquendi more. Primò, quia abſque labore anima tum videt & amat dum contemplatur; Secundò, quia ſupra vires naturæ eſt perfecta illi contemplatio, & gratuitum ſapientiæ Dei donum, atque ſupernaturale. Trahit enim Dominus animam poſt ſe; ſed tamen voluntate ac intellectu; ſequitur illa, & currit in odorem vnguentorum eius. Contemplatio enim, vt ait Bernard. fit ex condeſcenſione Dei ad humanam naturam per gratiam, & exaltationem humanæ naturæ ad ipſum Verbum *Vnde vocetur contemplatio paſſio. Contemplatio quomodo fiat.*

bum per amorem. Nemo autem diligere poteſt, nemo ſequi aliquem, niſi eum nouerit, & videat. ignoti enim nulla cupido. Si ergo contemplatur quis; eleuatur mens eius in Deum, & eundem vnum libero intuitu videt; & amore ſuo, vt pondere, fertur in eum, atque vt in centro & termino conquieſcit. Primò itaque eleuatur mens in Deum, & aſcendit cum Moyſe in montem. Secundò, quaſi ſuſpenſa eſt ſecundùm voluntatem & intellectum, ita vt nihil aliud cogitet & velit, quàm Deum; & duobus his brachiis eum complectatur, vt dicat, Inueni eum, nec dimittam. Sed neceſſe eſt, Tertiò, imaginationem etiam ſuſpendi, vt diſtractio vitetur. Quartò, aliquando ſenſus externi ita alligantur, vt præſentia non aduertantur, & mentem nequeant perturbare. Denique etiam corpus in Sanctis attollitur. Poſt ſuſpenſionem, & attentam illam conſiderationem, admiratio ſequitur, & denique dulcedo. Nota autem ordinariam noſtram contemplationem, vt Gregor. eſſe breuem, & inſtar ſaltus locuſtarum, quæ euolant, & mox in terram relabuntur, aut piſcium qui exſiliunt, ſed mox in aquam demerguntur: ſic nos ſi Dei gratiâ mentem paulùm attollimus, mox ad meditationes redire cogimur.

Gradus ad contemplationem.

Greg. l. 31. Moralium

DESIDERIVS. Iam video, cur contemplatio dicatur requies.

ASCETA. Eſt verè, & complementum deſideriorum, perfectio virtutum, præmium abnegationis, finis orationis, & ad aſſequendam mentis puritatem inſtrumentum efficaciſſimum: eſt beatitudo huius vitæ, atq; ita appellatur: & quemadmodum ea quæ æterna eſt, in viſione Dei, & amore; ita etiam hæc in vtroque ſuo modo conſiſtit. Viatorum tamen imperfecta eſt, quâ inuiſibilis Deus præſentiam ſuam ſentire facit, mirâ ac ſuaui in animâ operatione; colligitque omnes eius affectus in ſe vnum, & ad iucundam quietem perducit.

Contemplationis bona.

DESIDERIVS. Quem conatum ad hanc adhibere debeo?

beo? audio enim tam multa de contemplatione, tam magnificè quoſdam ſe iactare.

ASCETA. Non ita ſolent Sancti, ſed quicquid erat huiuſmodi occultabant. Diſpone te ad eam, ſed te indignum eâ arbitrare: humilitatem, obedientiam ac reſignationem perfectam aſſiduè exerce, & roga inſtanter, vt ſi ſit pro maiori Dei gloriâ, eam ipſe tibi concedat, adhibito tamen conatu aliquo, exemplo Sanctorum, reliquum verò diuinæ prouidentiæ committe. Nō enim omnes, vt Gregor. ait, ad eam vocati, neque ad eam idonei, vt ſunt naturaliter inquieti, etſi Deus naturā corrigere poſſit & perficere. Præſtans enim, nec omnibus cōmune Dei donum eſt; atque, vt Auguſt. vna & ſola eſt contemplatio, cui meritò omnia iuſtificationum merita, vniuerſa virtutum ſtudia poſtponuntur: comparatque eam auro & gemmis; quia ad charitatem in qua perfectio eſt, maximè accommodata.

Auguſt. ſer. de tem. 43.

DESIDERIVS. Non igitur ſuades, vt aſpirem?

ASCETA. Suadeo: ſed eâ, quâ te Dominus, per obedientiam, ducet viâ, & virtutum quas ſuprà dixi, ſedulo exercitio. Neque vnam ſolùm eſſe viam ad illam noueris, nemo enim ab eâ excluditur: imò ſimplices aptiores, vt cum illis ſermocinetur Dominus. Prima via eſt, quà quis abnegat amorem ſui, & ſuperbiam, & terrenorum affectum. In maleuolam enim animam non introibit ſapientia. vtque corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & terrena cogitatio deprimit ſenſum multa cogitantem: ita nihil magis contemplationis flammam impedit, ac ſumus terrenorum affectuum velut exhalationum nebula, vel pondus amoris rei creatæ, quo deorſum anima trahitur. Non inuenitur ſapientia in terra ſuauiter viuentium abſque mortificatione; abyſſus dicit: Non eſt in me; & mare, id eſt occupati hominis cor, loquitur, Non eſt mecum: abſcondita eſt ab oculis viuentium carnaliter, & volucres cæli, id eſt arrogantes, latet.

Abnegatio via ad perfectionem.

Rom. 12.

Affectus erga terrena impedit

Iob. 28.

DESI-

Desiderivs. O quis dabit mihi pennas, quas optabat Dauid, ſicut columbæ, & volabo & requieſcā; quomodo perueniam ad quietem quam ita deprædicas.

Asceta. Per ſtudium, vt Richardus, operis, per ſtudium meditationis, per ſtudium orationis, ſeu petitionis. Pete frequenter, non autem coneris, vt quidam, indiſcretè & arroganter, ſed diſpone te humiliter per alia virtutum & meditationum ac orationum pia exercitia. Per ſtudium ergo operis, maximè mortificationis, & exercitationis virtutum, obſeruationis tui inſtituti, ad contemplationem perge. Priùs enim mens ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiſcentiæ delectatione tergenda eſt, vt D. Gregorius, & tunc ad contemplationis aciem dirigenda. Hinc eſt, quòd in vitis SS. Patrum & monitis, creberrima mentio, monita ac præcepta de virtutibus reperiuntur; rara omninò, etiam à ſummis contemplatiuis, de contemplatione profecta ſunt; ſed humilitatem, obedientiam, reſignationem, munditiem cordis, commendabant. Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum, hìc, ſuo modo, per ſpeculum in ænigmate; & in æternum facie ad faciem, videbunt. Maximè dixi ſuperbiam mortificandam; ſola enim oratio humiliantis ſe penetrat cælos. Et pro ſigno contemplatiui habe à D. Bonauentura, obedientiam, humilitatem, alios non iudicare, non ſe præferre; qui verè enim contemplatiui, ſunt humillimi, norunt ſæpè eos qui Mattham agunt, Deo gratiores eſſe, quàm qui Mariam, etſi hæc per ſe optimam partem elegerit. Si humilis ergo fueris, & mortificatus, ſi non impediat ſenſus egens (vt in ægro) cura pungens, vel culpa mordens, vel irruentium phantaſmata cogitationum animam tuam non auocent, introducet te Rex in cubiculum ſuum.

Richard. in Beniamin p. 1. c. 79.

6. Moral.

Cur rarus in SS. Patribus de contemplatione ſermo.

Matth. 5.

Superbia maximè fugienda.

Signa contemplatiui.

Bern. ſerm 23. in Cant.

Desiderivs. Sed quæ exercitia ad contemplationem iuuant ac diſponunt, poſt mortificationem ac deuotam orationem.

Sedere ad pedes Ieſu quid proſit

ASCETA. Sedere quietè ad pedes Chriſti, cum Mariâ, illum intueri, meditari, & crucifixum contemplari. Recordaris quem librum S. Bonauentura D. Thomæ oſtenderit; Crucifixus is erat, quem contemplabatur ac lacrymis rigabat. Sanè Chriſtus IESVS, & vita eius, oſtium eſt; ipſe via, veritas & vita.

Lucæ 14. Cantic. 2.

DESIDERIVS. Sed videntur mihi plerique ſtudioſi contemplationis, mox aliis omiſſis ad perfectionum diuinarum conſiderationem prouolare.

ASCETA. Planè ita accidit, maximè ferè in imperitis & arrogantibus. Sedere eos expediret primò in nouiſſimo, donec audirent, Amice, aſcende ſuperiùs: donec illud, Surge, propera, amica mea, columba mea, & veni. Jam enim hiems tranſijt, vitiorum ſcilicet; & imber abiit, irruentium phantaſmatum; flores virtutum apparuerunt in terrâ noſtrâ. Valdè tamẽ vtile imprimis Dei præſentiam (cùm præcipuus contemplationis actus ſit Dei viſio, prout vbiq; præſens eſt) & diuinas perfectiones meditari; imò in ſingulis meditationibus ad eas digredi, & aſcendere: item, beneficia Dei ſæpè grato animo reuoluere, & ex creatarum rerum contemplatione aſcendere ad Creatorem; maximè tamen, vt dixi ex meditatione humanitatis Chriſti, B. Virginis, & Sanctorum. Attende autem de perfectionibus diuinis, duobus modis poſſe inſtitui meditationem.

Perfectiones diuinæ etiam ſunt meditandæ. Item Dei beneficia.

Meditandi de perfectionibus diuinis duplex modus

Primus eſt, per affirmationes, affirmãdo de Deo perfectiones. Eſt enim Omnipotens, Sapiens, Juſtus, Bonus, Creator, Gubernator, Protector, Pater, Magiſter, Medicus, Saluator; & quidquid præſtantiſſimo patri & protectori tribui poteſt, huic meritò, & infinities amplius tribuendum. Et hic modus pingendi arti ſimilis, quâ ſemper aliquid additur, neque ſatis addi poteſt. Sic dicitur æternus Deus, cujus æternitas, etiamſi aſſiduè addat cogitatione centenis ſæculis millena; adhuc longè omne ſpatium cogitabile ſuperabit.

Primus per affirmationes.

Secundus modus eſt, per negationes, quo viſis perfectioni-

ctionibus creaturarum, eaſdem negamus de Deo, quia in creatis omnibus limitatæ ſunt, & imperfectionibus permixtæ v.g. dicimus nõ eſſe lucem, candorẽ, pulcritudinem, iucunditatem; ſed quid his infinities excellentius in ſe omninò eminenter continere, & infinitũ, inmenſum, incomprehenſibilem, ineffabilem eſſe. Sic ait S. Bonauent. l. de paruo bono p. 3. Dicitur, Deus non eſt quid ſenſibile, ſed ſuper ſenſibile; nec imaginabile, ſed ſuper imaginabile; nec intelligibile, ſed ſuper intelligibile; nec exiſtens hoc vel illud, ſed ſuper omne ens. Hic modus eminentior eſt, & ſculpendi arti aſſimilatur, quâ reiicitur aliquid, non additur. Hæc verò quæ dicta ſunt, ferè ad intellectum pertinent, & conſiderationem. Sed voluntatis longè potiores ſunt partes. Illa enim cũ in Deo omnia infinita ſint, nihilque in rebus humanis quod ei valeat comparari; optat infinitè eum amare, & humana omnia nihil æſtimat, & vt ſtercora arbitratur. Et ad hoc contemplatio dirigitur, vt anima Deo charitate vniatur, & ab omni inordinato creaturæ affectu abſtrahatur. Varii autem ſunt actus illius. Primus eſt, quo Deo ſuas perfectiones illas quas habet, gratularis, ex amore ardenti, & gaudes; adeò vt ſi qua illi deeſſet, & in tuâ foret manu, ei liberaliſſimè illã tribueres. Secundus, quo eas ſupra omnia æſtimas, præ Deo omnia deſpicis, omnibuſque, & tibi ipſi renuntias, vt vno illo fruaris, vt vni illi placeas, qui infinitis pluris eſt omnibus quæ ſunt, & infinitis mundis eſſe poſſunt. Tertius actus eſt, quo deſideras illum amare ſummo affectu, ob eius perfectiones, quæ ſingulæ & infinitæ ſunt, & dignæ amore infinito, & optas omnium creaturarum affectus, quos in Deum effundere toto corde poſſis, eumque totis viribus amare. Quartus, quo gaudes de omnibus quæ Deus fecit, & facit, eo maximè nomine, quòd ab illius manu & operâ illius procedant, qui potentiſſimus, ſapientiſſimus & optimus eſt. Quintus, gaudere de honore

Secundus per negationes.

Voluntatis partes ſunt præcipuæ.

Voluntatis actus varij.

nore & gloriâ, quâ eũ afficiunt Angeli in cælo, & optare vt homines & creaturæ eum laudent & honorent. Sextus. deſiderare Deo vniri per cognitionem, & amorem, & frui, & conquieſcere in illâ vnione, quâ eſt creaturæ omni coniunctus, per eſſentiam, præſentiam & potentiam.

Materia contemplationum varia

Verùm perfectiones diuinæ non ſunt ſola contemplationis materia, ſed etiam beneficia Dei, vitæ Chriſti myſteria, & verba illius in quibus verè ſpiritus & vita eſt, æternitatis conſideratio & cæleſtis patriæ, magnus hic mundus viſibilis, nos ipſi, qui paruus mundus appellamur; denique omnis materia meditationis, eſſe poteſt contemplationis, ſi ad amorem Dei referatur, eiuſque præſentis viſionem; qui eſt primus contemplationis actus.

De aſcenſu à creatis ad Creatorem.

DESIDERIVS. Scire velim, quomodo à creaturis ad Creatorem aſcendere oporteat.

ASCETA. Conſidera eas vt Dei opera, & illius in primis præſentiam, potentiam, ſapientiam, bonitatem in iis elucentem, cæteraſque illius perfectiones, idque vel per affirmationes vel negationes, vt ſuprà dictum: omnia enim quæ in iis bona à Deo ſunt eique tribuenda, applicari etiam pleraque poſſunt Verbo incarnato, Chriſto Domino, quia bonis pleriſque carere dignatus eſt propter nos, & malis affligi. Potes etiam cæleſti patriæ; vbi mala quæ hîc ſunt, non erunt, & bona erunt in immenſum majora. Potes etiam ex omnibus gratitudinis arripere occaſionom. nam ſi bona vides tibi data vel aliis, beneficia ſunt tibi collata, ſi ex charitate de bonis proximi, vt tuis gaudeas; ſi mala conſpicis, & iis cares, magnum eſt etiam beneficium; ſi affligaris, remedium. In his autem actus fidei, ſpei, charitatis maximè, facilè, exerceri poſſunt; quia quæ data ſunt bona, certò credere debemus, quia à Deo vltrò data ſunt, & ſperare debemus à tantâ benignitate maiora. Tertiò, cùm ex ſolo amore ea largiatur, non poſſumus amntem non

Modus vt Deus in omnibus videatur.

redamare. Intentionem puram, & perfectam reſignationem in omnibus ac zelum exercere, ad contemplationem medium eſt vtiliſſimum. Vnde videmus zelatores animarum etiam per obedientiam à quiete impeditos, nihilominus maximos in contemplatione fuiſſe. Poſtremò aſpirationibus ad Deum accedere efficax eſt modus ad perfectionem amoris & contemplationis. Vide D. Bonauent. in Itinerario mentis in Deum. *Media ad contemplationem.* *Aſpirationes vtiles.*

Desiderivs. Finiam ſi de his verbo vno aliquas ſuggeſſeris ad contemplationem induſtrias, ſi quidem moleſtum non eſt.

Asceta. Prima, eſt in exercitiis conſtantia; Secunda, corporis quies; vnde dicitur Maria ſediſſe; Tertia ſolitudo iuxta ſtatum vitæ cuiuſque: nam quæ vocationis ſuæ ſunt, negligere maximum eſt impedimentum. Sedebit (ait Propheta) ſolitarius, & tacebit, & levabit ſe; Quartò, cura vt omnia decenter & ſecundùm ordinem fiant, ſiue in interioribus, ſiue in exterioribus, ſiue in neceſſariis corporis; Quinta, defectuum, maximè ſuperbiæ, mortificatio; Sexta, inſtituti vigilans obſeruatio; Septima eſt, libenter aliquid pati. Afflixit, ait Moyſes, te penuria, & dedit tibi cibum manna. Iacob, cùm eum perſequeretur Eſau, vidit Deum, Ioannes in exilio, Stephanus in lapidatione. Octaua, gratiarum actio: ſacrificium laudis honorificabit me; illic iter, quò oſtendam tibi ſalutare Dei. Nona, præſentia omnia, ac ſi quis mortem ab oculos haberet, deſpicere. quod eſt quaſi cum Abrahamo in oſtio tabernaculi ſedere, cùm viſione Angelorum à Domino honoratus eſt. Decima, inſtantia petitionis, & imploratio auxilii à Sanctis atque in primis à Virgine matre; Vndecima, zelus animarum; Duodecima, puritas intentionis; Decimatertia, frequens meditatio & oratio: Decimaquarta, præſentiæ Dei aſſidua exercitatio; Decimaquinta, zelus & charitas erga proximum. *Induſtriæ 15. pro contemplatione.* *Thren. 3.* *Deuter. 8.*

Desiderivs. Ne quid in hoc genere prætmitta-

tur, quod ad contemplationem pertinet: rogo, vt aliquid de affectiua oratione exponas; quid illa, & quomodo inſtituenda.

Quid ſit affectiua oratio.

ASCETA. Oratio affectiua, vocatur ab affectu, qui hic magis exercetur; eſt enim, vt P. Paz ait, conuerſatio, & cum Deo communicatio, quâ anima reiectis diſcurſibus intellectus, & multò magis auocatis ſenſibus ab externis rebus, & imaginatione à corporeis figuris diſtrahentibus; ſtatuit ſe in Dei præſentia, & recordatione eius contenta, in affectus, maximè amoris, incumbit: non tamen eos tantùm, ſed fidei, ſpei, charitatis, gratiarum actionis, laudis, reſignationis; & modò pro ſe, modò pro aliis poſtulat. Sed quid? Ad hanc ſi vocet Deus, vnctione ſuâ præueniet, & erudiet. P. de Puente tamen ſuadet, vt ſe in præſentia Dei colligat anima, & intueatur Deum, vt erat antè mundi creationem, omnia replens, & in ſe ſolus ſibi ſufficiens, & ſe quaſi ſolam cum eo, & in eo, vti punctum, qui ſolus omnia eſt, & ſolus ſufficit; & totum in eum ſuum transfundat amorem. Vel etiam, inquit, attendat, vt Deus ſeipſum diligat, & comprehendat, & de perfectionibus ſuis gaudeat; & in abyſſo ſapientiæ, bonitatiſque poſita velut guttula in eum, toto affectu, conuertatur. Tertiò, contemplari poteſt, quomodo Deus Pater ſeipſum cognoſcens, Filium generet; & vterque ſeſe amantes, producant Spiritum ſanctum: item conſiderare Patris ac Filij & Spiritus ſancti proprietates vt eas infinitâ perfectione in ſe diuinæ perſonæ habeant; & amoris affectus exercere erga tres perſonas, vt vnum ſit anima cum illis: quandoquidem, ô infinita benignitas! id ſanctiſſima Trinitas non dedignatur.

Tract. 3. c. 5. §. 2.

Quomodo ſe contemplans ſtatuat coram Deo.

Contemplatio vtilior meditatione.

Bonauent.

Hoc exercitium vtilius eſt, ait P. Paz, ſi nimirum ad hoc vocetur anima meditatione: quia amor à terrenis fortiùs animum attrahit, virtutes inſerit; meliuſq; purgatur, vt D Bonauent. igne amoris, quàm aqua lacrymarum, & faciliùs. Eſt enim meditatio, ſtudioſa mentis in-

inueſtigatio,quâ aliquid occultum euoluimus, vt affe-ctum excitemus,& ad aliquod bonum ſectandum, vel malum vitandum prouocemur: inueſtigatio autem laborem habet. Verumtamen iſte modus præſupponit ferè exercitationem meditationis,inſignem mortificationẽ, puritatem cordis,fugam minimorum peccatorũ,& virtutis vſum;quò etiam dirigi debet, non ad conſolationem,gulam & vanitatem. Secundò,requirit, vt de contemplatione dictum,naturam quietam ac tranquillam, & Dei vocationem; de qua Magiſter ſpiritus iudicare poteſt,& quiuis videre,quos impulſus ad hunc modum orandi ſentiat, & ex directoris arbitrio eos ſequi. *Præſupponit meditationem.* *Vocatio ad eam requiritur.*

Neq;ſolùm requirit meditationis vſum,ſed ferè cum ea iungitur, &,vti Propheta ad pſaltem prophetabat, ita meditatio præmittitur,aut vitæ,aut mortis Chriſti, aut perfectionum diuinarum: & ſic anima ſubleuatur ad affectiuam orationem; & initio quidem variis affectibus inſiſtit; poſtea, vni ſoli Deo, & eo diutiùs, quo prouectior eſt. Illuſio, vt in omni oratione,cauenda eſt. Si quis enim ſe gulâ ſpirituali trahi, efferri ſuperbiâ, aliosque ſe deſpicere ſentit; aut auocari à zelo, obedientia,reſignatione, mortificatione aſſidua, ac denique ab iis quæ inſtituti ſui ſunt,manifeſtè illuditur à dæmonio meridiano. *4. Reg. 3.* *Meditatio iungitur contemplationi.* *Illuſio cauenda.*

DESIDERIUS. Velim,exemplo me doceas.

ASCETA. Pluribus P. Pax hæc tractantem conſule; intereà hæc accipe velut paradigma.

Exercitium Fidei.

Aſpice Dominum præſentem,vt primum ens, & cauſam omnium, & primam veritatem;& crede his,quę de ſe,de Filio, &c. reuelauit; ac mentalibus verbis coram curia eius confitere;pete,vt tecum ſit Chriſtus;& opta, vt omnes eum cognoſcant & ament.

Exercitium Spei.

Aſpice Deum præſentem, vt remuneratorem optimum,

mum, & auxiliatorem, & fontem omnis boni; & ſpera in eo ob merita Filii, te obtenturum gratiã neceſſariam & media ad vitam æternam; eaque pete fiducialiter.

Exercitium Amoris.

Aſpice Deum præſentem, vt abyſſum bonorum omnium, ex quo omnia; & adora eum, qui à te amari deſiderat: & pete charitatem latiſſimam, vt omnia præcepta impleas, vt omnes eum ament; longiſſimam, optando æternùm eum amare; altiſſimam, quâ omnia terrena deſpicias; profundiſſimam, quâ te infrà omnes ſtatuas. illi gratulare, & gaude de eius bono; & plenè reſigna voluntatem tuam, vt in omnibus illius ſanctiſſimæ voluntati conformis ſit; vnias omnes potentias tuas illi, vt eum vnum cogites & ames.

DESIDERIVM. Quæ mihi explicuiſti, vix videor aſſequi poſſe, quia imaginatio in varia deſtracta quietem diuturnam non patitur.

Iob. 38. ASCETA. Non ideò tamen te affligas: variæ ad perfectionem viæ ſunt. Quis ſcit enim, ait Iob, per quam viam ſpargitur lux; Hocque certò tibi perſuade: optimum genus vnionis eſſe, quam ſpectat contemplatio, ſuam voluntatem in omnibus diuinæ conformare, zelo ſincero animarum ardere, communicationem cum Deo habere perpetuã: nulla ferè hîc illuſio, nulla propè fallacia. & ſæpè longè acceptior Deo huiuſmodi anima, quàm quæ contemplatione dedita, in obedientia tarda, in mortificatione ſegnis, in zelo remiſſa. Hanc vnionem præ omnibus, & ſuprà omnes, S. Tereſa commendabat; & illuſionem, vt in quiete & contemplatione frequentem, cauerent, monebat ſuas; quâ aliqui in zelo & obedientiâ deficiunt, vt ſe in quiete orationis ex amore ſui, & non Dei deliciis ſpiritualibus obiectent. Neque enim Deus propter ſe laborantes defraudat demenſo; neque etiam eos, qui quietem volunt, cùm ab eo ad labores mittuntur, viſitare dedignatur.

Qualis vnio Deo gratiſſima.

Cap. 3.

Obedientia via ad perfectionem.

gnantur. Quod experientiâ ſe comperiſſe S. Tereſa teſtatur: & putare ſe, tot obedientię ideò à dæmone ſtrui inſidias, quòd illa una ſit ad perfectionem, ac plenam vnionem voluntatis noſtræ cum diuinâ compendium. Lib. de fundatione c. 5.

Oratio complectens omnes amoris affectus.

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſâ terrâ! Quis ſicut Dominus Deus noſter? non eſt ſimilis tui in fortibus, Domine, non eſt ſecundùm opera tua. Magnus es, Domine, & magnitudinis tuæ non eſt finis. Potens es, & non eſt qui reſiſtere poßit voluntati tuæ. Bonus es, & miſericordiæ tuæ non eſt numerus. Tu Solus Dominus, tu ſolus bonus & optimus: tu ſolus Altißimus. Gaudeo de omnibus bonis tuis, ô gaudium meum, ô ſons omnium bonorum. Magnificate Dominum omnes mecum, omnes puſilli & magni & exaltemus nomen eius in idipſum. Quid eſt verò magnificare te, Domine, Deus meus, te, cuius magnitudini accedere nulla poteſt quantitas; etenim cælum & terram imples: cuius pulcritudini, nulla venuſtas; bonitati, nulla pietas; potentiæ, nulla facultas? & ſi eſſet vlla, & in mea manu toto corde, totâ animâ & viribus meis amantißime in te transfunderem; quidquid eſſet; etiamſi creaturæ ſingulæ cælum eſſent puriſſimis plenum ſpiritibus; etiamſi omnes arenæ mundi pulcherrimi, darem eos tibi. quia dignus es, quia amor meus es, & verò quid ſunt hæc, nihil antè te. Si haberem omnium mortaliũ, & Angelorũ, & Sanctorũ affectum, te eo complecterer, in te viuerem, mouerer & eſſem. Vtinam omnes miſerorũ pœnas gratiâ tuâ ferre poſſẽ, vt exaltaretur nomen tuũ, vt te omnes cognoſcerent & amarent; fortis enim vt mors dilectio, & breuis dolor, & leuis illi, quẽ tuus, ô IESV, amor inebriat, & in te transformat. O vita mea, ô ſuauitas ſumma, ô omne bonum, quàm coarctor donec perficias deſiderium, quo deſidero vehementer diligere te toto corde, & amplecti ex totâ animâ, ex totâ mente meâ, ex totis viribus meis! vtinam vnus eſſẽ tecũ & tu mecum, idem pro omni velle meum & tuum! Ecce, Domine, tu qui ſcrutaris corda & renes, tu, ſpero, noſti, quia

Pſalm. 8. Pſal. 112. Pſal. 85. Pſal. 144. Pſal. 33.

verè diligo te,& nihil volo extra te:&,ſi iam omnia voluntati atque electioni meæ tribueres,redderē tibi quā tibi millies conſecro voluntatem meā;tu enim Dominus benigniſſimus,& ego ſeruus:tu ſapientia es, & ego infantia:tu bonitas infinita,& ego malitia:tu abyſſus bonorū,& ego malorū & miſeriarū.Tu es Deus cordis mei, dulcedo mea,fortitudo mea,timor & amor meus. Ah, vtinā nihil noſſem præter te,nihil cogitaſſem,nihil amaſſé præter te vnquā,ô Oceane omniū bonorū! nullius me rei fames aut ſitis tenuiſſet, præterquam corporis & ſanguinis tui:fuiſſem, quaſi non eſſem,de vtero translatus ad tumulum; Coloſſ.3. *mortuus eſſem,& vita mea abſcondita cum Chriſto in te Deo meo.*

Exercitium aſpirationum decurrendo per creata ſecundùm tres vias.

Vſus aſpirationum. IN via purgatiua dolor,pudor, & timor de peccatis petitur , & excitatur per aſpirationes ex variis conſiderationibus. His verò ſic vti poteris. Conſidera quâ in virtute te exercere velis,quem defectum deteſtari & corrigere,idque ſiue in meditatione ad hoc mouearis, ſiue ex inſtituto id facere velis. Statue te coram Deo , & gratiam poſtula,vt virtutem talem N. acquiras, vel tale peccatum vites,vel defectum præter legem Dei vel inſtitutum tuum, & deinde ſicuti tres pueri in camino omnes creaturas inuitarunt ad laudem Dei , ſic tu ex iis diſce & remoue ad repurgandum cor tuum, & ornandā animam tuam ad honorem Domini noſtri,imò nota exercitium bonum & modum meditationem inſtituendi decurrere v. g. Hymnum trium puerornm,vel Laudate Dominum de cælis;per tres vias proponendo ſibi aliquod peccatū N. vel aliquē defectum animæ ſuæ ſiue carentiam virtutis N. & primò petere , vt omnes creaturæ laudent Dominum pro te, quia cum ſic illo defectu N.inhonoraſti. Secundò , per illuminatiuam inuitando eas ad laudem tecum vt ſuppleant deſideria virtutis,quæ iam concepiſti. Tertiò , per vnitiuam vt ſuppleant tepiditatem tuam in amore , optando creata conuerti in ardentiſſimos Cherubinos , & cæleſtium ſpirituum choros.

Modus nouus meditandi.

VIA PVRGATIVA.

Aſpirationes, *Niſi quia Dominus adiuuit me,paulò minùs in inferno habitaſſet anima mea, Vtinam nunquam te ſic N,offendiſſē,Deus meus!*

Credo

Credo Domine,& in te ſpero & toto corde te diligo, Ex te enim & in te & pro te ſunt omnia. Sic omnibus aliis adiice. Conſideratione inferni.

Ecce Dominus dedit benignitatem,& terra iſta dedit fructũ ſuũ,ego autem ſicut terra deſerta,inuia, & inaquoſa,protuli ſpinas N.quibus te eheu! te,amantiſſime IESV,coronaui.Vtinã,&c, Terræ.

Beſtiæ & vniuerſa pecora,ſerpentes & volucres pennatæ : & omnia reptilia terræ ſeruiunt tibi;& ego in eo maximè N.ſicut equus & mulus vixi , quibus non eſt intellectus , Domine Deus meus.Vtinam,&c, Beſtiarum, Pſal. 148.

Quanto prudentiores ſunt filij ſæculi,filijs lucis! quid non adinuenit eorum induſtria , vt falsò beati ſint ? & ego adinueni plùrima,vt infelix & tibi ingratus eſſe poſſem. Hominũ. Luc.16.

Precioſa fuiſti in conſpectu Dei mei , quia redempta es ſanguine filij eius,& ego te vendidi gratis. Heu mihi,quia multùm incola facta es anima mea! Animæ. Pſal. 119.

Eleuauerunt flumina vocem ſuam,eleuauerunt flumina fluctus ſuos,ſed aquæ multæ non poterunt extinguere charitatem tuam, ô IESV,quem,eheu! ego ingratus ſic N.deſerui,& in me extinxi. Aquæ. Pſ.92. Cant.8.

Spiritus vbi velut,ſpirat;adſpira,Domine,vt reſpirem in magnis miſerationibus tuis: & miſerere mei , ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ. Aeris. Ioan.3.

Tu,Deus meus,ignis conſumens es: & quomodo ego liqueſcere non potui,heu! Deus meus ? ſed in medio iaculorum ignitorum; id eſt,beneficiorum tuorum,frigere? Ignis.

O magna domus Dei quàm vilis mihi fuiſti! quàm carò ſtetit Domino meo,vt ego te ſecum fruerer! & eheu! ſic contempſi. Cæli.

Gaudium ſit vobis,ô beati ſpiritus ſuper me peccatore pœnitentiam agente,& ſuſpirante ad Dominum Deum noſtrum. Angelorum.

ILLVMINATIVA.

Proficientium Aſpirationes ſeruiunt adeptioni virtutum & vitiorum extripationi ; quod aſſiduè fieri expedit vt præteritorum peccatorum vanas imagines iis cogitationibus extinguamus.

Saluaſti me ex ore leonis,& à cornibus vnicornium humilitatem meam, à rugientibus præparatis ad eſcam : de manu canis vnicam meam,& cui ſeruiam,niſi tibi?Vtinam te numquam ſic N.oſtendiſſem,Deus meus. Credo Domine & in te ſpero , & toto corde te diligo. Aſpirationes ex conſideratione inferni. Pſalm.22.

Terra ſuper ſe venientem bibens imbrem, & non referens fructũ,maledicto proxima eſt;ſed tu benedictionem dabis legiſlator, & ſic N.ibo de virtute in virtutem.Vt videam te Deum Deorum in Sion,Vtinam,& c Eccli 51. Terræ.

Cogno-

Beſtiarũ *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum,& aſinus præſcepe Domini ſui,*
Iſaiæ 1. *& ego te in eo N. non cognoſcam,& nudum nudus ſequar?*
Hominũ. *Non feciſti, Domine, taliter omni nationi, vt mihi & iudicia*
Pſ.147. *tua non manifeſtaſti eis. Idcirco iuraui, & ſtatui cuſtodire ſic*
Pſ.118. *N. iudicia iuſtitiæ tuæ.*
Animæ. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt, no-*
Pſ.102. *mini ſancto eius; vt omnes dicant videntes me talem N. Ecce ſe-*
Aquæ. *men, cui benedixit Dominus.*
Daniel.3. *Benedicite aquæ quæ ſuper cælos ſunt Domino: & vtinam*
Aeris. *augeant vos lacrymæ meæ, vt poſſim ſuper niuem dealbari!*
Pſal. 118. *Os meum aperui, & attraxi ſpiritum; quia iam ſic N. cum*
Ignis. *ſancto propoſito in miſericordia tua ſperaui.*
Pſal. 103. *Suades mihi Domine IESV, vt emam à te aurum ignitum:*
Cæli. *accende me Deus: & qui facis Angelos tuos ſpiritus; fac me in*
Pſal. 101. *hoc N. miniſtrum tuum ignem vrentem.*
Opera manuum tuarum ſunt cæli: ipſi peribunt, tu autem per-
Angelo- *manes: da mihi, Domine Ieſu, conſtantiam, vt iam hæc N. vitia*
rum, *mea ſicut veſtimentum veteraſcant.*
Pſ.90. *Angelis tuis, ô Ieſu, mandaſti de me, vt cuſtodiant me in om-*
nibus viis meis: fac, quæſo, vt in manibus portent me, ne rurſus of-
fendam ad lapides offenſionis pedem meum.

VNITIVA.

Perfecti, aſpirationibus ferè iis vtuntur, quibus anima ac-
cenditur, & Deo vnitur amore.
Ardent hic inimici tui, & ardebunt, vſque ad inferni nouiſſi-
Aſpira- *ma; at ex nunc ſic N. vtinam te ſic N. numquam offendiſſem*
tiones ex *Deus meus! credo Domine, & in te ſpero, & toto corde te diligo:*
conſide- *fortis erit vt mors dilectio mea, & dura ſicut infernus æmulatio*
ratione *mea.*
inferni. *Benedic terra mea Dominum, & laudet & ſuper exaltet eum*
terræ. *in ſæcula, & proferat fructum iam in tempore ſuo.* Vtinam, *&c.*
Hominũ. *Venite, & audite, omnes qui timetis Deum & narrabo vobis,*
Pſ.65. *quanta fecerit Dominus animæ meæ. O quanta fecit! & ego quid*
Beſtiarũ. *feci tibi? ô ſolatium meum, dulcis hoſpes animæ, dulce refrigeriũ!*
Matth. 6. *Volatilia cæli non ſerunt, neque nent; ſed tu, Pater cæleſtis, paſcis*
Animæ. *illa: ita, ſpero, paſces me, & ſic enutries me, ô vnica fiducia mea.*
Anima mea templum tuũ eſt. Veni, Domine, & manſionem apud
me fac. Tu mane in me, & ego in te, vt vnus tecum ſim, ô quando
id erit & ardentiſſimè te diligam!
Aquæ. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Sitit illa ad te Deũ fon-*
Pſ.142. *tem viuum: quando veniam, & apparebo ante faciem tuam-*
Pſ.41. *quando inebriabis me amore tuo?*
Aëris. *O æterna veritas & vera charitas, & cara æternitas! tu es Deus*
meus,

meus, tibi ſuſpiro die ac nocte, inſpira mihi ſpiraculum vitæ: tu enim es vita mea.

Ignem veniſti mittere in terram, & nihil vis, niſi vt accendatur: vre me igne illo, vt liqueſcam amore tuo. Ignis. Luc. 12.

Cæli, enarrate gloriam Dei, cæli cælorum laudate Deum. O quando aperiemini mihi, & inueniam eum, quem diligit anima mea? quando eum diligam ex toto corde meo? Cæli.

O Angeli, qui ſemper videtis faciem Patris mei, quando veniam, & ſatiabor, cùm apparuerit gloria eius? attollite portas, principes, veſtras, & eleuamini portæ æternales, vt guſtem, & videam quàm ſuauis ſit Dominus. Angelorum. Pſ. 23.

Aſpirationes ex Ludouico Bloſio pro ardenti amore excitando.

O Dulciſſime, ſecretiſſime, & præſentiſſime ſanctarum animarum ſponſe, IESV, *accende, quæſo, cor meum vehementer in amorem tui, vt diligam te ex penitiſſimis medullis animæ meæ, viſita me miſericorditer & mentem meam reple gratiâ tuâ, quia te fontem ſuauitatis valdè expetunt intima mea.*

O Domine, mi IESV, *ô ignis qui dulciter ardes, & ſecretè luces, ſuauiterque odoras, occupa totam regionem mentis meæ, ô Rex regum, Rex æternæ gloriæ, vt te ſolum eſuriam & ſitiam, ad te ſuſpirem, tuámque melliſluam faciem videre æſtuanter concupiſcam.*

Transfige, amabilis IESV, medullas animæ meæ ſuauiſſimo dilectionis telo, perfode cor meum igneâ charitate, vt prorſus langueat anima mea tui deſiderio & amore, tota amore reſoluatur, tota liqueſiat, tota in te tranſeat.

Separa, Domine, mentem meam ab omnibus, quæ ſub cælo ſunt, vt ipſa tibi ſoli liberè intendat, tu ſolus illam, vt proprius poſſeſſor, inhabites. Deſcendat in me ſuauiſſimus odor tuus, veniat mihi diuinæ charitatis tuæ inenarrabilis fragrantia, quæ puras & ſempiternas in me ſuſcitet concupiſcentias.

Da, Domine mi, vt ego totus dulcedine amoris tui plenus totus flammâ charitatis ſuccenſus, diligam te ex toto corde meo, & ex intimis medullis præcordiorum meorum: diligam te, ô ſuauis amator, diligam te, o vnica ſalus animæ meæ, diligam te quia prior dilexiſti me.

Præſta, o pulcerrime & delicioſiſſime ſponſe, IESV, vt magis magiſque te amem, & valida vis amoris tui funditus à me excutiat pondus omnium terrenorum deſideriorum, & indeſinenter currere me faciat in odorem vnguentorum. Cant. 1.

Scribe, dilectiſſime mi, in tabula cordis mei dulcē memoriā tui,

nulla

nullâ unquam memoriâ delendam, vt tui deſiderio ſemper æſtuem, igne amoris tui totus ardeam, & diluuio charitatis tuæ penitus abſorbear.

O pelagus ſanctæ dilectionis atque dulcedinis, Deus meus, veni & tribue te animæ meæ. Da vt integro corde, pleno deſiderio flammantiq́; affectu iugiter aſpirem ad te; & ſuauiſſimè reſpirem in te, te omni creatura præferam; propter te omni tranſitoriæ delectationi renuntiem, ô vera & ſumma exultatio mea.

Paſce me, Domine, eſurientem mendicum tuum iugi influxu diuinitatis tuæ. hoc peto, hoc deſidero, vt vehemens amor me totùm penetret, repleat, atque in ſe tranſmutet.

Da, benigniſſime Redemptor, vt dilectione tui totus ignoſcam; totus à me ipſo deficiam, in te ſolo delecter, te ſolum ſciam & ſentiam, O ſupereffluens abyſſus diuinitatis, trahe & immerge me in te, totam affectionem cordis mei ita abripe, & tibi applica, vt ipſa ad cætera omnia ſit prorſus exanimis.

Te inuoco in animam meam, dulcis Deus, te inclamo, te grandi affectu requiro, ſuauis amœnitas intimorum amplexuum. Veni dilecte mi, veni millies exoptate, vt te intus poſſideam, & vlnis animæ meæ caſtiſſimè complectar.

O lux, quæ ſemper luces & numquam offuſcaris illumina me; & ignis, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, accende me; ô amor, qui ſemper ferues, & numquam tepeſcis, abſorbe me, & tranſmuta me in te.

O charum lumen oculorum meorum, IESU, expelle tenebras omnes à domicilio mentis meæ, meq́; totũ illuſtra ſplendore gratiæ tuæ. Intra in animam meam, o dulcedo ſumma, vt dulcia ſapias, & in te ſolo gaudeat atque quieſcat.

O dilecte mi, dilecte votorum meorum, concede, vt te inueniã, inuentumq́; teneam, & brachijs ſpiritualibus arctiſſimè conſtringam. Te deſidero & ad te anhelo, o beatitudo æterna. vtinam te mihi dones, & me tibi intimè vnias, atque mero diuinæ charitatis totum inebries!

Saucia, Domine, interioris hominis arcana iaculo tui amoris, & in medullas frigidæ torpentiſque animæ flammam ſalutarem immitte, vt ego inextinguibili charitatis ardore ſuccenſus, indicibiliq́; ſuauitate ſpiritus tui penetratus prorſus à me transferar in te.

Recipe me, ô floride ſponſe, IESU, inter amoris tui ſuauiſſimos amplexus, quibus conſtrictus ſpiritus meus gelidus, totus incaleſcat. Aperi, Domine, aperi pulſanti, & orphanam animam in dilectionis tuæ conclaue admitte, tibiq́; miſericorditer eam copula.

Hauriam ex te aquam viuam, ô fons melliſſime, quâ guſtatâ mihi

nihil iam præter te ſitiam, deſcendat in me cæleſtis ros ſuauifluæ charitatis tuæ, quo intimè imbutus, purus à terrenis cupiditatibus & adulterinis amoribus conſeruer.

O charorum omnium chariſſime, præſta, vt ego totus tuus ſim, & tu meus in æternùm permaneas. Sic me tibi coniunge, ſic tibi agglutina, vt numquam à te ſeparari poſſim; ſic te mihi præbe, ſic communica, vt pacis tuæ dulcedine repletus, iugiter in te caſtè delicier

O tranquilla & ſerena lux, Deus meus, animam meam tuis illuſtrationibus irradia. Iunge me tibi viciniùs, ô ſol rutilantiſſime, vt ad calorem virtutis tuæ flores & fructus ſanctæ dilectionis progerminet terra cordis mei.

Eia, honor meus, gaudiùm meum, & ſincera voluptas mea, Ieſu, tantam, quæſo, amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, vt deinceps nihil ſub ſole eligam, nihil concupiſcam præter te.

O Domine mi cælum, terra, & omnia quæ his continentur, ſine te ſint mihi, velut hibernum gelicidium. Tu ſolus me afficias, ſolus lætifices, tui ſolius amor in intimis viuat & ardeat, ac viuus atque ardens permaneat.

Illuceſce mihi, ô lux fulgida & gratioſa, vt in meridiem clariſſimum vertantur tenebræ cæcitatis meæ. Exorna, ò bone IESV, animam meam illo charitatis decore, quem diligis; impingua eam illo amoris adipe, quo delectaris: aufer ab ea quidquid oculis tuis minùs placet, & eam redde tibi per omnia placentem.

O ardor ſuauiſſime, vora, & feliciter conſume puluiſculum ſubſtantiæ meæ. Transfer me in te, vt ego indiſſolubili amoris glutino tibi adhærens, viuam ex te, & tamquam lilium effloream coram te.

O venuſtiſſime atque vernantiſſime flos IESV, *ô vita perennis, vita per quam viuo, ſine qua morior; vita, per quam gaudeo, ſine qua mœreo, vita dulcis & amabilis, concede vt tibi iungar, te amplectar, & ſuaui charitate ſoporatus in te, qui es pax gratiſſima, ſanctè obdormiam.*

Da Domine mi, vt anima mea virtute ardentis amoris conflata, & dulcedine penetrantis charitatis liquefacta, tota effluat in te. Poſſide eam, ô ſummum atque incommuatbile bonum, poſſide eam vt ipſa poſſideat te.

Confige, dilecte mi, & transverbera cor meum acutiſſimo dilectionis telo, vt ego amore tui ſalubriter langueam, omnia tranſitoria mihi vileſcant, tu ſolus placeas, ſolus incomparabili pulcritudine tuâ me lætifices.

Dirue, dulcis IESV, *odioſam materiã tepidæ conuerſationis meæ, & præſta*

& præſta, vt paratus ac liber inextinguibili feruore ſequar te. Produc aſtrum ardentiſſimæ dilectionis, quod me tam valido impetu impellat in te, vt ſpiritum non habeam extra te.

O vnice cordis mei conſolator IESV; demitte, quæſo, in me iugiter gratiarum tuarum ſtillicidia. Attrahe me potenti virtute amoris tui, mihiq́; tuæ propitiationis oſculum imprime; quo conſignatus nihil poſthac diligam præter te; quia tu es tota poſſeſſio, totaq́; beatitudo animæ meæ.

CAPVT XVII.

Meditatio de pace animi, & conformitate voluntatis noſtræ cum diuina.

NOTA quod ad hanc pacem omnis ſpiritualis exercitatio dirigatur, & ea cæleſtis vitæ dulcedo delibetur. Continet puncta 38. quorum ſingula meditationis materiam dare conuenit Dei gratiâ.

PRAELVDIVM I. Erit ſtatuere ſe magnâ quiete corporis atque animi, quantum fieri poteſt in conſpectu Dei.

PRAELVDIVM II. Erit, petere à Domino hunc præcioſum animæ theſaurum, & veram in hac vita beatitudinem pro maiori Domini gloria.

I. Conſidera perfectionem conſiſtere in amore, vt ſæpè iam dictum: hic verò quid eſt? idem cum Deo velle ac nolle, & quiſquis hoc conſecutus eſt, vti Dauid vir ſecundùm cor Dei: quid eo felicius & beatius, dic obſecro, etiam in hac vita? ſiquidem talis habet paſſiones mortificatas, & in altiſſima pace conquieſcit; factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion.

Quid ſit amare Deũ. Coloſſ. 3. 1. Reg. 13. Pſalm. 75.

Hæc ci re vera, vt ſup. p. 7.

Aduerte deinde, quòd conformitas iſta voluntatis cum voluntate Dei noſtri ſimul optima ſit methodus & compendium ad perfectionem, id eſt beatitudinem etiam in hac vita, qua ſe ad illam pertigiſſe Thauleri inſtructor reſpondit. Cæſarius verò narrat de quodam miraculis claro, qui nulla alia exercitatione quam iſta perfe-

Methodus ad perfectionem. Bloſ. in opp. c. 5. l. 10. Dial. c. 6.

perfectionem fuerat conſecutus. Túne credis & negligis? ex illa autem oritur pax, quæ eſt ſtatus animæ; quo neque aduerſis, neque ſecundis inordinatè mouetur, ſed in Deo fixa quaſi in rerum vertice; vnum vndique Deum videt, & eum ſupra omnia, ſubtus ſe appetitum ſuum, omniaque cætera humana intuetur; & in diuinâ voluntate conquieſcit. Hoc tibi imaginare, & ad hanc felicitatem adſpira, cùm poſſis; & Dei amicitiam. Nam ſicut pax eſt inter eos; & amicitia qui vnum volunt, & nolunt; ita nobis cum Deo, ſi id quod ipſe vult, hoc vnum velimus, & in eius voluntate ſanctiſſimâ conquieſcamus. Qui hoc modo ſtat vt ita dicam, nónne quaſi ad perpendiculum in Deo firmiter ſtare videtur? & beatus eſſe & tu eſſe nolis? Ex dictis clariùs diſce quid ſit pax; quam alij dicunt eſſe, cùm ſenſus & voluntas, & omnia rationi parant, & ipſa Deo. Pax certè, ô IESV, verè multa eſt diligentibus legem tuam, Domine. E contrario, dicit impius: pax, pax; & non eſt pax impiis. *Pater æterne*, vt infrà pag. 1003. vel *Agnoſco*, ibid. vel vt infrà pag. 1005. *O omne bonum*. vel vt ſuprà *Amorem excita. Hoc poſt ſingula puncta facere licet, alioſque affectus pro arbitrio excitare*, vel *Iaculatoriis* 5. *cap. de contemplat. poſitis mentem eleuare!*

Quid ſit pax. *Pax eſt beatitudo.* *Pſal. 118.* *Ierem. 8.* *Nota benè.*

II. Conſidera I. Antè creationem nihil fuiſſe præter Deum opt. max in ſe beatiſſimum, & ipſum in ſe habuiſſe omnium ideam, & habere; ita autem perfectam, vt neque iota, neque apex deſideretur, ſecundùm voluntatem ſuam: ſecundùm hanc etiam perfectè omnia feciſſe, & quidem valdè bona; & gubernare conſeruare; ac perpetuò & ordinatiſſimè etiam in ſingula momenta. De quo ergò tu queri potes? deinde omnia illa referri ad Deum, vt prototypon optimâ proportione, pondere, numero & menſurâ velut finem vltimum, omnia enim propter ſemetipſum creauit Altiſſimus; & gubernat, & nónne iure meritoque? cùm ipſe ſolus ſit & creator Dominus, & omne bonum?

Deus ideam ſuam ſequitur ſemper. *Prov. 16.*

idque non tantùm obſerua in creatione, ſed etiam in gubernatione & conſeruatione,quæ eſt quaſi continua creatio. Cùm autem tu Domine ſolus noueris quo pacto omnia ad finem dirigenda, etiam minutiſſima, in omnibus me reſigno diuinæ voluntati tuæ: nam quemadmodum primus orbis cæleſtis omnes rapit inferiores, & ſequuntur illi, aut ſi non ſequerentur, vt ſic dicam, obtererentur; ita omnem voluntatem tuæ diuinæ eſſe ſubditam oportet. Liberam tamen ſcio, ſed ſi qua repugnet, eam aut rapi tuâ voluntate, aut trahi, aut obteri. Quis enim niſi fruſtrà reſiſtere tibi poteſt? quis verò aliquando reſtitit tibi, & pacem habuit? Appende illud, & vide quid ſit in præſentibus de quo queraris factum, dictum, vel optares ſiue in publicis ſiue priuatis, & an Deo poſſis vel expediat tibi repugnare, & cùm nequeas, cui id ſtolidè velis, vel præſumptuosè optes vt ſtultus & inſipiens? *Pater æterne*, vel *Agnoſco*, vt inſ. pag. 1003.

Ioh. 9.

Rerum præſentium conſideratio.

III. Aſpice præteritam vitam, & ex iis quæ optares aliter eueniſſe, vnum vel plura delige, & obſerua in hoc accuratiſſimè à Deo id ipſum relatum ad ideam ſuam, ita vt iota vel apex non præterierit, aut mutatus ſit præter eius ſanctiſſimam voluntatem, & quid de te turbando tunc lucratus fueris, aut iam ſi doleas lucreris? Nil niſi vt malum malo adderem, Deus meus, requies mea, infecta enim eſſe nequeunt; & certè quantâ pace fruerer, ſi in iis N. me reſignaſſem tum tuæ voluntati. Numquid iam video quòd oporteat & oportuerit ſemper ad reſignationem velut morbi curationem etiam ſerò venire? Itaque iam ſi quid te torquet, ne demens iterum ad idem impingas vide. *Hæccine vera.* vt ſup. p. 7. *Affectui reſignationis & amoris inſiſte, ſaltem dic.* vt inſ. *Pater æterne*, vel *Agnoſco*, pag. 1003.

Conſideratio vitæ præteritæ.

Serius ocyus ad reſignationem eundum.

IV. Conſidera futura, & quid eorum ſicut & præteritorum ſit in poteſtate & voluntate tuâ. nihil ferè: quid in præſentibus? minimum omnino & vix quic-

Neceſſitas reſignationis & pacis.

quicquam: Omnis enim homo liber eſt, & præter hoc quòd pleraque extra poteſtatem noſtram, addo quòd neque futura prouidere vel ad momentum poſſimus. Numquid enim ignoramus ferè omnia? numquid futura ita ferè à præteritis pendent, vt ſolâ Dei gratiâ mutari queant ex malâ v. g. æſtate, inopia, peſtes, &c. Quid ergò tuum prouidere iuuat! Si ita habet, nónne, ô Deus, mihi præſentiſſime impos mentis ſum? ſi non ſine corde me in omnibus voluntati tuæ accommodem? certè enim noui, neque bona impetrare niſi à te, neque mala præcauere, niſi per te poſſum, id tibi humillimè ſupplicando: Quomodò ergo meliùs mihi conſúlam quàm me tibi committendo? præterita enim infecta eſſe nequeunt, quibus futura connectuntur incerto prorſus euentu. ſufficiat ergò diei malitia ſua, & quietem ama. *Pater æterne*, vel *Agnoſco*, vt inf. pag. 1003.

V. Conſidera in cælo, in aëre, in terrâ, & aquâ ſeriem rerum & ordinem perpetuum, & operationem perpetuam iuxta ideam illam primam diuinæ bonitatis; interim tamen etiam mille reuolutiones & mutationes in ſingula momenta, ortus & occaſus: expende præterea omnes homines eſſe liberos, & nunquam in eodem ſtatu permanere. Deinde dæmonum vide mille machinationes, & aduerte innumeris caſibus eſſe obnoxia omnia, tum publica, tum priuata. Quid ergò, ô Iesv amantiſſime, prouidere aut mutare poſſum, aut præcauere? & quo fructu, cùm innumera præcauenda forent? & millenæ vt ſic loquar portæ cuſtodiendæ, ne intret ad me malum, quarum ne vel vnam ſine te cuſtodire poſſem; niſi enim tu cuſtodieris ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam.

Igitur quemadmodum in plurimis non me torqueo, quæ aliter fieri non poſſe video, ſic in omnibus quæ me tangunt, totum me reſigno ſanctiſſimæ

voluntati tuæ, & ab eâ ſolum moueri opto, & in te viuere, eſſe, & moueri, ideoque neceſſe ſcio vt vndique ſit libera voluntas mea, nulli affixa, nulli obnoxia. Dico ergo cum Apoſtolo tuo toto corde ex nunc in omnem vitam, in omni actione, & millies & millies: Domine quid me vis facere? Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra. *Pater æterne*, vel *Agnoſco, Domine Ieſu*, vt infra pag. 1003.

Reſignatio nobis Deū obſtringit.

VI. Conſidera, quanti ſit eius qui reſignatus eſt, & ex voluntate Dei ſuam facit, felicitas: etenim reſignatione homo ſibi Deum obligat, vt quia in eius manu ſe ſuaque ponit, fiat vas ex luto illo quod ei placuerit in gloriam vel honorem: vel quia eius ductum ſequi toto animo deſiderat, vt dirigatur ab eo in viâ pacis & proſperitatis, vel vt dum ſe projicit in paternas eius manus, vt eum labi non permittat. Nihil ergo ſolliciti ſimus, ô anima mea, ſed ſollicitudinem noſtram projiciamus in eum, id tantummodo agamus oportet, vt hoc momento vni Deo noſtro placeamus, ſecuri de omni ſucceſſu, de omni quod futurum eſt. Nónne enim quiſquis hunc vel illum ſucceſſum optat, anxiè ſe turbationi fruſtrà exponit? nónne vt dixi incertum exitum omnia habent? ac proinde quid eſt ferè quod ſperemus? quid eſt quod timeamus? quàm ſæpè quod timendum homini videtur, ſperandum eſt, & contrà? perieramus ſæpè niſi periiſſemus, infelices eramus, niſi miſeri fuiſſemus. Aſpice vt filios Iſraël Deus per tot ambages deſerti in terram ſanctam duxerit. Cur ita? ſic ei viſum expedire. Vide vt perduxerit per aduerſa plurima & extrema Ioſephum & Dauidem. Hic *in reſignatione te exerce*, vt ſuprà. vel *Agnoſco, Domine Ieſu*, vt infrà pag. 1003.

Phil. 4.

1. Petr. 5.

Rerum omnium incertus euentus.

VII. Conſidera, præterea Deum ſemper in omnibus habere propoſitum ſibi finem ſuum, quodque hunc ſemper ſpectet & conſequatur, nos verò & eum conſequemur, ſi omninò eius voluntati noſtram accommode-

modemus, aliàs non, aliàs quieſcere mens, aut id quod expedit conſequi non poteſt. Quemadmodum igitur in tribulatione poſiti nos reſignare debemus, ita antè omnem euentum nihil velle, niſi Dei voluntatem. Nota tamen, ex parte noſtrâ faciendum quod poſſumus, cætera Deo committenda eſſe, vt nautæ omnia ad nauigandum comparant, ventum deinde à Deo præſtolantur; is nouit quando & quis ſpirare debeat. poſt eam diligentiam de euentu nihil anxiè curandum: fruſtrà enim foret, cum in noſtra ille poteſtate non ſit. Attende verò Deum cupere, vt vnam ipſius optemus fieri voluntatem, & omnem anxietatem deponamus, tum eius prouidentiam magis fore de nobis ſolicitam. Quem ergo putas feliciorem ſucceſſum habiturum? certo certius eum qui voluntatem ſuam diuinæ accommodauerit. Quid ergo me facere conuenit, ô Deus meus? & nónne æquius vt tu, qui Dominus es, tuam voluntatem & prouidentiam ſequaris potius quàm meum viliſſimi mancipii tui? illa enim, ſancta, & optima, & mihi vtiliſſima, mea autem cœca prorſus, & imprudens, & miſera. Impius Achab conſulere velle videbatur te Dominum, ſed ſimul vt reſponderet per Micheam Prophetam placentia, iniquè ferens quod prophetaret ſibi malum. Ego verò, Domine, ſupplico Majeſtati tuæ, fac de me ſecundùm beneplacitum tuum, tu enim veritas, tu bonitas, tu Sapientia æterna. *Pater æterne*, vt inf. pag. 1003. vel *Agnoſco*, ibid. velut ſup. *In amore te exerce.*

Deum habet ſuum finem ob oculos.

Diligentia ex parte noſtrâ neceſſaria.

Succeſſus unde pendeat.

VIII. Conſidera decurſus ſæculorum varioſque euentus rerum non rarò nubilos ac triſtes fuiſſe poſt ſerena principia, felices poſt triſtia, vt in Samſone, Saüle, Dauide, Salomone, cuiuis notum. Secundò decurſum vitæ tuæ, & eadem obſerua. Ergo poſthac nihil vnquam certi deſigna, niſi vnam Dei fieri voluntatem. Tertiò, præſentem ſtatum, & vide numquid in eo felicitatis vel aduerſitatis, quamque variis modis inſau-

Omnia nobis incerta.

ſtum illa excitum, hæc fauſtum habere poſſit; & contrà. *His ad indifferentiam te excita, & Deo te reſigna.* Conſidera præterea Deum initio creaſſe & ordinaſſe ad finem omnia in pondere, numero & menſurâ, atque ita Sapientiam æternam in minimis & maximis facere, vt ne arena quidem abſque eius nutu moueatur. Cùm ergo neque curſum mundi, neque eius ordinem mutare poſſis, imò iuſtum illum & certum arbitreris, cur diffidis Deo tamen gubernationem? illud optas N. de hoc quereris? O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius! *Pater æterne*, vt inf. pag. 1003. *Agnoſco*, ibid.

Nec arena abſque Deo mouetur.

IX. Conſidera an noueris finem Dei, aut noſſe queas in vllis rebus. Deinde aduerte eum minima æque, vt dixi, ac maxima ad finem ſuum ordinare, quem ipſe ſolus nouerit. Attingit enim à fine ad finem vſque fortiter, ſuauiterque omnia diſponit, quodque decreuit aut facere aut permittere, certum id neminem poſſe impedire, quo minus vti & quo voluit modo aſſequatur, & ad ſuum illum finem omnia etiam minima ſubordinata habere. Dur ergo omnia ita ſunt ſubordinata, vide vt minima etiam eius prouidentiæ ſubiaceant ab æterno, vt paſſeres non ſint in obliuione coram eo, ſolium arboris temerè non moueatur, capilli omnes tui numerati ſint, ſortes nullæ mittantur in vrnam niſi à Domino temperentur. An tuæ, an illius prouidentiæ omnia aſſignanda putas? certè vt pacem habeas, in omnibus reſignare tuam voluntatem debes. Quis enim reſtitit ei & pacem habuit? hinc eremitæ ad pacem ſic ſuos inſtituebant, vt cogitarent Deum, & ſe ſolos in mundo eſſe, ita ſe gubernari ab eo, ita illum ſibi prouidere. Hoc magnum exercitium vocabant Sancti; tu ergo eorum exemplo omnia à Dei manu accipe, tuaque bona & mala recenſe, & reſigna te Deo tuo, ita vt in neutram

Sap. 8.

Minima etiam curat Deus & ordinat.

Luc. 12.

Matth. 10.

Prou. 16.

Iob. 9.

Doroth. doctr. 7.

partem propendeas. Nos, ait ille, vt canes lapidem mordemus, iacientem non aduertimus; nos calamo, penicillo, artem, non artifici tribuimus. Aliter certè Scriptura loquitur: Si erit malum, inquit, in ciuitate quod Dominus non fecerit; Spiritus, inquit, Dei malus arripiebat Saul. Dominus dedit, Dominus abſtulit. Vis ergo cum Dauid eſſe ſecundùm cor Dei tui, faciendo omnes voluntates eius? nihil opta, de nullo quere, quòd hoc vel illo inſtrumento Deus vtatur ad opus ſuum faciendum: ſcis, credo, quòd ipſe artifex nouit, quæ qualiaque operi ſuo conueniant, & bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. *Pater æterne*, vt inf. pag. 1003. vel *Agnoſco*, ibidem.

Amos 1. *1.Reg.*16. *Iob.*1. *Act.*13. *Eccli.*11.

X. Conſidera Deum eſſe velut optimum architectum; ſcire proinde primò, quo fine ſingula à ſe prouidentiſſimè & ſummâ ſapientiâ ſint aptata & creata, imò certum eum tibi & ſingulis pro fine ſuo indidiſſe vires & robur animæ & corporis, virtutes & dona largiri. Sicut enim in mundi machinâ partibus eius, & in corpore humano ſingulis membris ſuam menſuram, ſitum & vires tribuit; ita hominibus in Eccleſiâ, Repub. Religione, vt corporis alicuius membris dona ac talenta diſpertitus eſt, ſuntque iiſdem tributa ſitus, forma, menſura, vires, iuxta proportionem operis, cui inſeri & inſeruire debent. Quocirca ſi ſapis ne æmuleris in aliis dona Dei, ſed chariſmata ſola meliora, fidem, ſpem, charitatem, idque animo tranquillo: omnia enim operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. ac fortè optes plura; quo fine? an alium à Deo habes? ecce fortè ſi plura talenta haberes, plus ſuperbires; ſi enim neque iam ſatis humilis ſis, & altiora æmuleris, queraris de contemptu, de munere, loco, collegis quibuſcum te voluit eſſe Deus, quid fieret ſi plura talenta haberes.

Deus optimus Architectus.

Aemulanda chariſmata meliora.

XI. Conſidera, Quid maxima Dei dona & talen-

talenta proſperaque ſors profuerint Salomoni, & ſiſte, & obſtupeſce: nónne meritò dicebat Dauid; Ab altitudine diei timebo, etenim cadent à latre ſiniſtro mille, & à dextris, id eſt, in proſperitate, decem millia; & tu optes tibi ex voto fluere vniuerſa? Deinde attende quid honor & talenta infeliciſſimo Sauli profuerint, & ſacrificia perperam facta. Optare igitur ſæculi bona quis poteſt, aut inuidere alicui dignitatem, honorem & opes? nihil enim eſt hoc aliud quàm inuidere ſalutis ac bonæ mentis impedimenta, cupiditatis incurabilis morbi plura formenta, emplaſtra & medicamina, quæ ſi variare poſſint homines, multiſque vti fruſtrà, beati putantur. Nónne autem melius morbo ſimul carere & pharmacis? non ſitire quàm vario potu debere ſitim leuare? non famere, non indigere pleriſque, ac proinde non appetere? vt adnaſcuntur regio patrimonio, onera ferè maiora, ita talenta & bona mundi dolor & afflictio comitantur. Quorſum verò tu maiora te quæris, & plura optas corporis aut animi bona quæ verè indifferentia ad Dei gloriam ſunt? an vt Deo acceptior ſis? cur igitur à te reſignatio & vera virus & charitas quâ vna millies amplius Deus honoratur, quàm omnibus aliis bonis ſcientiis & talentis, minùs ſtudioſè quæritur? Accedit quod haberi hæc & licitè expeti poteſt, illa ambitioſè ſæpè expetuntur & curioſè, & nónne ea ferè ſtudioſius quæruntur, quibus vt plurimum Deus inhonoratur, vt ſunt ingenium & ſcientia inflans, robur, officium? Certè ſi res inſpiciatur, & fateri velimus, ſæpè non tam quæritur vt apud Deum, ſed homines magni ſimus.

Pſalm. 55. *Sors proſpera quam ſæpè ſit adverſa.*

XII. Conſidera autem omnia membra & partes vniuerſi non eundem actum, locum, formam, ſpeciémue habere, neque niſi omnia perturbentur, æque præſtantia eſſe poſſe. Vides in picturâ non omnia æquè magna, propinqua, illuminata? ita etiam in aliis & vita ſcito varietatem magnam omnino ne-

Deus ordinat partes vniuerſi.

po neceſſariam etiam ad proportionem, quam ſolus ipſe Deus optimus architectus nouit, vti etiam ſolus finem ad quem ſingula à ſe ordinata ſint ab æterno. ita voluit conditor orbis, tu verò in vita tua omnia priuata ſeu publica proſpera optes, & vnius coloris vniuerſa? Túne igitur arguere audeas opera Dei, qui omnia in ſummo bene facit, magni inquam architecti, pictoris, Regis, Ducis, Medici, tu qui nec ideam noſti, nec finem operum eius nec conſiliorum? ergo quoties egrederis, & cogitatione mundum oberras, variosque ſucceſſus appendis, cogita tibi maximi artificis inſpiciendam imaginem, ſummâ arte variis locis inumbratam, & omnino laudatiſſimam, neque certè temerè judicandum abs te ignaro & puero, & inſipiente & cœco, *Pater æterne*, vt inf. pag. 1003. vel *Agnoſco*, ibidem.

XIII. Conſidera, an non contentus eſſes, ſi omnia ex voto & voluntate tuâ fierent, & tamen nónne illa eſt improuida? ſæpè etiam mala? Cur ergo non potius gaudes, & in eo conquieſcis quod Dei voluntas fiat ſancta, & bona & tibi vtiliſſima? nónne coram orbe toto & curiâ cæleſti me & te puderet dicere, volo aut velim potius meam in hac re N. publicâ aut priuatâ quàm tuam fieri voluntatem, Deus meus, quia mihi vtiliorem eſſe judico? nolo tibi, ſapientia æterna, in ancipiti hâc viâ electionem tribuere, nolo ductum tuum, quem mihi offers, ſequi, etſi ſolùm te eſſe nouerim viæ & termini peritum, & mei amantiſſimum patrem & paſtorem animæ meæ? *Pater æterne, coram &c.* vt infrà pag. 1003. vel *Agnoſco Domine* JESV, vt infrà pag. 1003. vel *O omne bonum, &c.* vt infrà pag. 1005.

Malè ex voluntate tuâ omnia fieri quàm Dei.

XIV. Conſidera quàm gratum ſit videre cælum & omnia tranquilla, ordinem cælorum, & curſum perpetuum, & animo tranquillo applica, & ſimiliter quantum ex pace reſpub. gaudium, quantum ex pace

Pacis bona

Pſalm.4. ſuâ anima hauriat iucunditatem, & dic cum Prophetâ: In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Ita neque publicis neque priuatis patiare eam minui. Quid enim tibi prodeſt foris eſſe pacem, ſi domi bellum? publicam eſſe tranquillitatem, & in animo tempeſtatem? Extra te florere omnia, intra te bello ardere, id eſt, paſſionibus agitari? *Agnoſco, Domine Ieſu, &c.* vt infrà pag. 1003.

Vide nunc vt pacem omnia quærant. Quid enim ſeruus propriæ voluntatis ex ipsâ ſibi ſperat, volendo hoc agere, hoc omittere, hîc eſſe, inde abeſſe, hoc munere, loco, fauore frui, niſi quietem? atqui nónne verè hoc eſt inquietudinem quærere, & fontem eius augere? & cor aquis fluentibus, aut ventis furentibus, aut hoſtibus rapientibus dare, & pacem petere, ac ſperare? Tu igitur primò vide quid vtile ad ſalutem tuam iudices, deinde, cùm liber ſis, velis eam, omnemque adhibe diligentiam; Deoque imprimis pro gratia ſupplica; nullum verò ſucceſſum aut exitum pete, niſi vnum & certum, hoc eſt fieri diuinam voluntatem; alioquin inquietus eris, & vt morbidus verſabis te aſſiduè fruſtrà. Proprium, inquit quidam, infirmorum talium eſt nihil diu pati, mutationibus vt remediis vti, indè peregrinationes ſuſcipiuntur vagæ, & littora peragrantur, & modò mari ſe, modò terrâ experitur: ſemper præſentibus infeſta leuitas, ſemper ſe fugit homo, non effugit. Si te ad ſtudium reuocaueris, omne vitæ faſtidium effugeris, nec noctem fieri optabis tædio lucis, nec tibi grauis eris, nec aliis ſuperuacuus, multos in amicitiam attrahes, affluet ad te optimus quiſque. Nunquam enim quamuis obſcura virtus latet, ſed mittit ſua ſigna, quiſquis dignus fuerit, veſtigiis eam colliget. *Pater æterne, coram, &c.* vt inf. pag. 1003. vel *Agnoſco Domine Ieſu*, ibid.

Seneca de tranquillitate animi.

XV. Conſidera etiam ipſum amorem pacis, ſi anxius

xius ſit homo, pacem ipſam turbare, & idem eſt in aliis virtutibus: quanto magis ſi terrena appetas? Itaque ſi non vt optas in virtute proficias, ſi aliis non ſatisfacias, ſi publica mala gloriæ Dei officere videntur, etiam te reſigna, & in gradu virtutis & gloriæ, & in omnibus opta tantùm Dei fieri voluntatem, ne querare hoc vel illud non ſuccedere, ſed ora humiliter Dominum, & ei reſigna. Nónne faciliùs impetrat filius ſedulus, contentus iis quæ Patri placent, quàm querulus? Nónne is gratior mendicus, qui vbi ſcit clamorem ſuum exauditum, in ſilentio patienter exſpectat, quàm ille, qui impatiens & indignabundus illud vel iſtud flagitat? faciendum tamen id quod poſſumus, & præmiſſæ, vt ita loquar, à nobis ſunt ponendæ, concluſio Deo relinquenda, terra colenda, & ſemen iaciendum, Deo incrementum relinquendum qui ſolus id dare poteſt. *Pater æterne, &c.* vt infrà pag. 1003. & *Agnoſco* ibidem.

Virtutes ipſæ non anxiè quærendæ.

XVI. Conſidera num aliquid ſit publicè aut priuatim, quòd à pace & propoſito ac inſtituto tuo te impediat, & ſimul vide, an repelli poſſit vel à te debeat: quòd ſi non poſſis aut non debeas, licèt videantur bona opera impediri, omnino tranquillo animo te eſſe oportet, & dicere cum Prophetâ: Conſerua me, Domine, quoniam ſperaui in te. Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Hæc verba expende. Nec eſt quod te angat offenſa Dei, aut pacem turbet, ipſe nouit & curare poteſt, & tranquillus intuetur, & fortè parua ſunt quæ te in proximo turbant, & vide quantò plura & grauiora committantur. Accedit, ſi illum emendare velis, aut Remp. iuuare, nónne par eſt vt te alieno non inquines malo, perturbationi animæ ſuccumbendo? Quid enim vult huiuſmodi zelus? nonne pacem eſſe in animo proximi ſecum, & cum Deo? turpe igitur te pacẽ alteri optare, & tuã negligere; nónne

Pſalm. 15.

Ferendum quod mutari non poteſt.

nónne hoc eſſet cadentem alium ſuſtentare, aut alium è luto extrahere velle, & ſe ei immergere? Pacem animi tui, ſi alieni defectus turbent. Conſidera defectus eſſe morbos animæ, & in illâ oculum intellectus ſæpè cœcum eſſe, & voluntatem prauam verè phreneſin & magnam eſſe ſtultitiam, habitus verò malos quaſi furorem. Nota tamen optimum in aliena facta dictáue, niſi muneris ratio id exigat, non inquirere. ſi vltro in oculos incurrant, excuſare, & in optimam partem accipere, ſaltem cogita ſic illi viſum eſſe, vt Epictetus. Nec mirare, ſi aliter ac tu ſentiat, nunquid habet ille iudicium ſuum, oculos ſuos quibus ſe dirigere debet? tuis certè non poteſt vti neque oculis, neque pedibus, neque iudicio: & ſi humiliter de te ſentires, illius fortè etiam iudicio tuum poſtponeres. Quæcunque porro vides à te corrigi non poſſe, aut non debere, ſine animo pacato cum illo patrefamilias creſcere vſque ad meſſem. Nónne Sancti, etſi videant innumeros perire, nihil tamen commouentur, ſed in Domino gaudent? horum felicitatem anima pacata quam proximè aſſequitur. An & eam gemmam, & theſaurum emere optas? *Pater æterne*, vt inf. pag. 1003. vel *Agnoſco*, ibidem.

Alienis defectibus caue turbari.

Aliena non curioſè obſeruanda.

Turpe mirari alium à nobis diſſentire.

Matt. 13.

Philip. 4.

XVII. Conſidera eum qui Dei voluntatem ſemper fieri optat, poſſe in omnibus facere voluntatem ſuam, & ſic ſemper lætum eſſe de nullo queri, nullum incuſare: nihil enim illi poteſt reſiſtere: quicumque autem ſuam fieri deſiderat, cùm quot ſunt capita, totidem ſint ſententiæ, plurima illi aduerſari: qui verò propriam non habet voluntatem, ſuam ipſius ſemper aget, voluntatem diuinam adimplendo. Manè igitur, vel ad horas ſingulas, vel quoties foras eundum, cogita te quaſi opus curaſſe fieri per architectum præſtantiſſimum, & ire vt videas id quod certò ſcis eſſe omni ex parte perfectiſſimum, quod omnes ſapientes laudent: neque enim tunc qui te omnino ignarum noſti, aliquid in eo

Qui facit voluntatem Dei, ſemper facit ſuam.

Doroth. doct. 8.

id eſt

id eſt in mundo, arguere audebis, hæc duriora, illa molliora quàm par eſt, ſed in Dei voluntate conquieſces. *Pater æterne*, vt inf. p. 1003. vel *Agnoſco*, ibid.

XVIII. Conſidera, eum, qui pacem in re vlla humana quærit, non magis eam habere poſſe, quàm eâ re amicus queat ſatiari: non ſatiatur autem oculus viſu, nec auris auditu, nec anima cùm ſit ſpiritualis, vllâ re temporali; neque tamen refert an hæc res ſpiritualis, an temporalis ſit, vt ſi deſolatus & aridus petas anxiè conſolationem: nam & in hac opus eſt ad pacem magnâ reſignatione. Imò ſæpè per deſolationem, id quod per conſolationem quæri debet, meliùs obtinetur, nempe cognitio ſui, & humilitas, vnde Propheta: Bonum mihi quia humiliaſti me: adeò vt & D. Paulo ſtimulus carnis datus fuerit, ne reuelationum magnitudo illum extolleret. quocirca in omni euentu ſic ratiocinare. Illud à Deo eſt, ergo optimum mihi, ſi voluntatem meam eius voluntati adiunxero. *Pater æterne*, vt inf. p. 1003. vel *Agnoſco*, ibid.

Eccleſ. 1.

Nihil ſatiat hominem præter Deum.

Pſal. 178.

2 Cor. 12.

Aduerſitas vtilis.

XIX. Conſidera, dominos fidelibus ſeruis ita omnia committere, ut ignorare velint quid in domo ſuâ habeant, vt in Geneſi de Joſephi domino Scriptura teſtatur. ſi ſapis tu qui ſeruus es, tibi omnino illud imitandũ propone, & Deo opt. max. te committe, neque quid de te, quid de publicis, quid de aliis futurum, vnquam anxiè quæras, ſed tibi etiam audi Dominum dicentem vt olim Petro: Quid ad te? tu me ſequere. hoc vnum ſufficiat, quòd in manibus Domini benigniſſimi ſint ſortes noſtræ, ô quanta felicitas eorum, qui ſic vitam ſuam inſtituũt! Huiuſmodi eodem vultu ſemper in pace ſummâ vitam agunt; qui verò propriam voluntatem amant, de ſe ſuiſque aut publicis ſoliciti, nunquid ſtultorum inſtar, ſicut luna mutantur, & mille ſubeunt viciſſitudines atque affectus? è contrario reſignatus vnum formale in omnibus intuetur, diuinam ſcilicet voluntatem, cetera materialia eum non afficiunt;

Gen. 39.

Pſalm. 30.

non

non queritur de vllo, non miratur hoc vel illud accidiſſe præter ſuam voluntatem, cùm diuerſam à Deo non habeat: non optat hunc vel illum euentum, ſed ſolam Dei voluntatem, & in eâ conquieſcit. Ad quod Auguſt. hortatur dicens: Ama vnum bonũ, in quo omnia ſunt, & ſufficit; ſcilicet Dei voluntatem, ama, & quidquid eueniat ei, tribue: atque adeò deprecare, ne id quod tibi vis obueniat præter eius voluntatem, vt filiis Iſraël carnes poſcentibus. *Pater æterne*, vel *Agnoſco*, vt inf. p. 1003.

Pſalm. 77.

Deus ſe tibi dat, tu te Deo.

XX. Conſidera, Dominum ſe tibi quotidie offerre in ven. Euchariſtia, & te crebrò omnia illi tua obtuliſſe, quocirca & gratitudinis nomine, & ſpontaneâ oblatione omnem tui curam eſſe tibi deponendam. ſi enim id non feceris, furtum & ſacrilegium committis, & quidem verbo Domino te fidere, re verò te magis tibi declaras. Dic igitur in omnibus; Fac, Domine, quod bonum eſt in oculis tuis: tua enim ſunt omnia, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ. Quod cùm ita ſit, certo certiùs nunquam voluntatem tuam exequi poteris, ſi illius voluntati optimę & ſanctiſſimę repugnet: ac proinde fruſtrà voles, ſi tamen tecum miſericorditer agat; aut certè miſerè rues, ſi te permittat abire vagum, quocumque libuerit, quaſi equum effrænum inter mille præcipitia. *Pater æterne*, vel, *Agnoſco*, vt infr. pag. 1003.

XX. Conſidera, hanc pacem & animi tranquillitatem ſemper & antè omnia opera habendam: perturbato enim animo nihil rectè fit, vt nec diſſonis inſtrumentis muſica; nec diſtortis menſuris opus laudabile, nec oculo perturbato, qui eſt intellectus, videri res in ſe poteſt: & cùm tantum bonum animi pax ſit, quidquid tolerandum eſſe pro eâ omnino ſcias, & pretium eius eſſe & verè paruum, & potiùs paruum incommodum tolerandum, imò & magnum vndecunque naſcatur, quàm pacem, quæ exuperat omnem (vt Apoſtolus) ſenſum, amittendam. Numquam igitur margaritam

Phil. 4.

Pax margarita preſtioſa.

tam iſtam, quæ omnia bona ſuperat, in alterius poteſtate eſſe permitte. Sed cum Apoſtolo dicito, Omnia mihi licent, ſed ego ſub nullius redigar poteſtate: atque ita ſtabilis eſto, vt quamuis fractus illabatur orbis, impauidum feriant ruinæ: neque huius vel illius offensâ, etiamſi iuſtâ, moueare. Sed conare quod æquum eſt illi præſtare, hoc peracto Deo committe, neque de cetero vlla tibi res pacem & tranquillitatem eripiat, nihil dignum tanto impendio repoſitura *Aſpira*, vt ſup. *Haccine firmâ fide, &c.* ibid. *1. Cor. 6.* *Libertas ſeruanda.* *Nullius offenſione turbari te ſine.*

XXII. Conſidera pacem illam haberi non poſſe ex rebus humanis, ſi vel vna deſit: vt patet in Aman, qui ſic aiebat: Et cum hæc omnia habeam; nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum ſedentem ante fores regias. Expende & ſcito quietum te eſſe non poſſe, etiamſi omnem omnino creaturam etiam Angelicam haberes. O quàm verum, Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus! Attende nobilitatem animæ tuæ, & infinitam capacitatem intellectus & voluntatis eius, adeò vt nec infinitos mundos cognoſcendo, vel habendo vel amando ſatiari vel ex minimâ parte queat, & quieta reddi, ſed magis inquieta fit, magis irritatur, vt Tantalus in mediis aquis ſitiens. Quid ergo fruſtra laboras hoc vel illud ab homine impetrare, ſeu fauorem, honorem, opes, & vnâ aliquâ te re exſatiare, ſi nec omnibus id potes? Ad quod pulchrè D. Auguſt. Creaſti nos, Domine, ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te. & in primis Sapientia æterna, Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, & animæ ſuæ detrimentum patiatur? Ratio autem prima eſt; quòd omnis creatura mille modis varietur, & maximè cor hominis, qui nunquam in eodem ſtatu permanet: itaque anima, quæ creaturæ adhæret, perpetuò moueri & inſtabilis eſſe debet. Secunda; quòd creatura omnis, vtpote tranſitoria & terrena, ſpiritualem animam ſatiare ne- *Eſther. 5.* *Creatura non ſatiat.* *Matt. 16.*

nequeat; non magis quàm ſonus oculum; aut res viſa auditum, aut lapides ſtomachum, aut ventus famem, vt conſideratione 18. attigimus. *Hæccine vera, &c.* vt ſuprà pag. 7. vel *vel Pater æterne*, vt infrà pag. 1003. *Agnoſco*, ibidem.

Vnde ſolatium petendum.

XXIII. Conſidera; quanto; & quàm longo labore paruum illud è creaturâ ſolatium hauriendum & quærendum ſit, idque quàm vile & caducum: vix enim acquiſitum ſæpè perditur; aut ſi non, timore ne aliquando perdatur magis cruciat; quàm præſentia eius animus recreetur. Id enim hodie & omni horâ fieri poteſt vt perdas; cum morbi & mors; & cætera nos circumſtent innumera mala. Accedit quòd ſæpè irrito conatu illud ſolatium creaturæ aſſequi coneris, ſiue de honore, opibus, ſanitate, amicitiâ agatur. Et certè vide vt idem ſolatium, & ſolidius; & verius ex pio aliquo exercitio; ſeu reſignatione, ſeu ſtudio longè minore labore haurire poſſes. trahit quidem ſua quemque voluptas, ſiue ea ex honore; ſiue fauore; ſiue ſenſibus quæratur, ſiue ex publicis bonis; ſiue priuatis; ſed ſincera ex pietatis ſtudio habetur. Quid dico? illa ipſa paruo labore ex Deo fonte & mari bonorum omnium & vbique præſenti hauriri veriſſimè poteſt; ac certò & quidem ita vt non poſſit ab inuito tolli. Certè ſi vel decimam partem temporis deuotioni dares; eius quod tribuis huic vel illi rei, aut ſolatio vano acquirendo, triſtitiam facilè pelleres; & liquidiorem ex Deo voluptatem, æterno deinde præmio & gaudio cumulandam caperes: numquid enim ille vbique præſens, & vltrò ſe offert fons omnis boni, & ſolâ cogitatione ferè haberi poteſt? Id egregiè Spiritus Sanctus confirmat: Quaſi is qui arat & ſeminat, accede ad ſapientiam; & ſuſtine bonos fructus illius: in opere enim ipſius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius. Et cap. 15. Videte oculis veſtris, quia modicum laboraui, & inueni mihi multam requiem. Comparate

Delectare in Deo præſenti. Eccli. 6.

vobis

vobis ſine argento, & collum veſtrum ſubiicite iugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam: in proximo eſt enim inuenire eam, ſcilicet ſapientiam; cum qua illi omnia bona pariter venerant, quam Regius Propheta tam dulcem ſenſerat etiam in aduerſis, vt diligeret eam ſuper aurum & topazium; & gauderet ſicut qui inuenit ſpolia multa: pax enim Dei exſuperat omnem ſenſum, & ſecura mens quaſi iuge conuiuium. Credis hæc & adhuc ſuſpiras ad alia ſolatia? *Pater æterne*, vt inf. p. 1003. vel *Agnoſco*, ibid. *Pſal.* 118.

XXIV. Conſidera, neminem ex vllâ creaturâ ſolatium verum capere poſſe, niſi anima eius in Dei voluntate quieſcat; alioquin enim ægra eſt & inquieta. Quemadmodum autem ægram animam nihil iuuat, nec cantus, nec epulæ, nec honor; vti nec ægrum oculum lux, aut aurem quamuis ſuauis ſonus, aut ſtomachum cibus: ita nec inquietam animam oblectat verè vllum creaturæ ſolatium, ſeu publicum ſeu priuatum, neque enim illud aliud, quàm alterius cupiditatem excitat: quæ ſi deſit, ceteræ nihil proſunt. Sic Aman, vt dixi, ait, omnibus enumeratis bonis: Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum ſedentem ante fores regias. O quàm oportet publicis & priuatis in malis nos abnegnare, & vt egregiè ille ſuo exemplo docet, quòd tribulatio & anguſtia ſit in omnem animam operantis malum; gloria autem, honor & pax in omnem animam operantis bonum. Semper enim læta eſt talis anima etiam in tormentis; vt patet in Martyribus, cùm Dei & ſuam in omnibus videat compleri voluntatem. Collige igitur ex his ante omnia tibi neceſſe eſſe, in Deo quærere quietem, etiam vt creatis benè vti & frui poſſis. idque ſtatue primò curare, & Deum roga, cùm labor omnis aliàs ſit inanis. *Pater æterne, coram &c.* vt infrà pag. 1003. vel *Agnoſco*, ibidem.

Ægro animi nihil ſapit.

Eſther. 5.

XXV. Conſidera, quàm ſtultum foret per ambages

 multas

Cur breui via ad pacem non tendũ?

multas eaſque laborioſiſſimas hominem ſitientem ire, & vitam breuem ad fontem relinquere; maximè ſi tandem vt ad fontem perueniat ſit illâ redeundum, & ambages illæ non tantùm viam longiorem faciant, ſed etiam viam ad quam tandem neceſſariò veniendum, obſtruant. Applica illud creaturæ, & eius amori, quo quis in illâ ſibi quærit quietem: neque enim anima in vllâ re quietem niſi in Deo capere poteſt; ad illum redeundum eſt ipſi, vt columbæ ex arca demiſſæ, quia non inuenit vbi quieſcat pes eius, nihilque aliud agit hoc vel illud optando bonum; vel carere volendo hoc vel illo malo præter Dei voluntatem, quàm fruſtrà quærere pacem idque per ambages multas & remoras cogitationum, verborum & actionum. Reſignatus verò in malis tranquillus in voluntate Dei quieſcit; neque anxius eſt, quid agat vel quid agatur, hoc an illud: vnam enim cogitat, & optat fieri Dei voluntatem, & reſpuit quia nouit inanem voluptatem, quæ non ſit ex illo, eò quòd in Deo fonte omnis boni verum habeat ſemper & vbique paratum illud quod ex creato quærit bonum. *Pater æterne*, vt inf. pag. 1003. vel *Agnoſco*; ibid.

Gen. 8.

Quæ bona noxia ſint.

XXVI. Conſidera, creata omnia, quæ cùm abſunt & deſiderantur, ſui nos deſiderio cruciant, id magis factura cùm præſentia aderunt. Quot enim ſecundo vento pereunt, qui aduerſo ſteterunt? certè bona etiam publica, præſentia cùm ſunt, ſpinæ ſunt (quod enim de opibus ipſa veritas, id de deliciis & honoribus dicere licet) & maiora mala adferunt. vnde Propheta: Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. Sæpè tum magis ſpinæ illæ pungent, concupiſcentiam accendent admiſſa in animum, & vt hoſtes nocebunt, cùm ſolo adſpectu & affectu, & cogitatione nudâ percepta id fecerint. Nec mirum cùm & cor hominis per hoc quòd creaturam inordinatè amat, vt ſic loquar, collocetur extra centrum ſuum, quemadmodum etiam

iam illa creatura, quam petimus vt nobis iungatur vel afficiatur, ſimiliter extra centrum ſuum trahitur aut locatur, atque ita ad illud violentè tendit illa, & cor humanum. Omnia enim, gloria, honor, amor, ad ſolum Deum referenda ſunt, propter quem omnia creata ſunt. *Pater æterne*, vt inf. p. 1003. vel *Agnoſco*, ibid.

XXVII. Conſidera, illa Chriſti verba; Niſi quis renuntiet omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Si ergo renuntiandum omnibus ſaltem affectu; quid quęris iam? quid optas? quomodo ea quęris, & quorum abſentium affectum abnegare nequis, quomodo præſentium poteris? *Pater æterne*, vt infrà. p. 1003. vel *Agnoſco*, ibid. vel *O omne bonum*, vt inf. p. 1005. *Luc. 14.* *Abnegatio neceſſaria.*

XXVIII. Conſidera animam externis bonis vti nec meliorem poſſe eſſe, ita nec quietiorem, vt nec parietem album albedine longè poſita, nec corpus ſanum multis ſanis corporibus circumſtantibus: malum enim & bonũ illius ex ipsâ & in ipsâ eſt: cætera non iunguntur animę, niſi per tenuem ſenſuum delibationẽ, & extra nos ſunt etſi contigua. Attende vt viſus, guſtus, tactus, ſuperficiẽ aliquam quaſi tangant ſolùm: itaque anima iis non ſatiatur magis quàm famelicus cibis longè poſitis, aut neſciens eos deglutire. *Pater æterne*, vt inf. p. 1003. vel *O omne bonum*, vt inf. p. 1005. *Externa bona nihil animæ proſunt.*

XXIX. Conſidera, nihil poſſe quietam animam reddere niſi id ab eâ teneatur, & quocunque modo poſſidere illud ſe ſciat aut videat: atqui potiſſima bona mundi, vt fauor, amicitia, honor, laus, nunquam haberi certò poſſunt, nunquam diu. Hæc enim nunquam homo ſcire poteſt certò ſe poſſidere. Vera autem poſſeſſio animæ eſt perfecta rei cognitio & certa, vt in ſcientiis, quæ proinde auferri nequeunt. Perge modò, & vide quid homo ferè ex rebus poſſideat, an vix quicquã nouerit præter accidentia aliqua; & ea quæ poſſidet verè imaginatione poſſideat, vt inſanus Thraſyllas Athenis, qui omnia ſua aiebat. Quid ergo poſſidet homo de bonis *Externa bona non poſſidentur.*

mundi præcipuis fauore, gloriâ, cum ſcire nunquam poſſit an habeat, atque ita neque poſſidere niſi imaginariè; & vt vno momento id ſciret, tamen incertum quàm diu, quia inſcrutabile cor hominis, & in momento mutatur. Et verò quid amicitia, fauor, honor, &c. ſunt, niſi ferè nuda alterius de nobis cogitatio, eaq; vt plurimùm falſa? quia verè iudicare de homine ſolus Deus poteſt: ſed quidquid ſit, iudicium certè hominum de virtute meâ & eius æſtimatione, non me meliorem reddit, vti nec aliam rem vllam; ſed ſi tantum fecero vt ſincerè Deo placeam quantum homini verè bonus ero, & huic & Deo placebo, & quietem poſſidebo & felicitatem certam. tantus enim quiſque eſt, quantus in oculis Dei. *Pater æterne,* vt inf. pag. 1003. vel *Agnoſco, Domine* IESV, vt infr. pag. 1003.

Opinio & res ſæpè idem valent.

XXX. Conſidera, quanta vanitas rerum ſit, cùm ſcire idem ſit in creatis (obſerua tamen agi de non neceſſariis) habere & putare ſeſe habere; & habuiſſe omnino idem, ac putare ſeſe habuiſſe. Quod cùm ita ſit, vide quanto melius, vera & certa gaudia & quietem ex Deo haurire. *O omne bonum, &c.* vt infrà p. 1005. *Excitare hîc affectum gaudij potes,* vt ſup.

Omnia propter Deum velle oportet.

XXXI. Conſidera, Deum omnia creaſſe propter ſe, ac proinde nihil optandum, quàm vt ad illius maximam gloriam omnia fiant & impendantur ac conſumantur, velut in ſacrificio, nullâ habitâ noſtri ratione; niſi quantum gloria eius poſtulat cùm infinita eius dignitas, præſtantia ac bonitas id planè exigat, vt omnia ad illius obſequium, honorem, gloriam, voluntatem referantur. cetera enim omnia nihil ſunt, nullius pretii. itaque roga Dominum, vt nunquam aliquid ſecundùm tuam voluntatem faciat, aut fieri permittat, nullam tui habeat rationem, ſed ſui. Quomodo enim, quando, ô Deus meus, Maieſtas tua omnia fecit verbo virtutis ſuæ, & ſuſtentat, idque propter gloriam ſuam, & vt faciant voluntatem ſuam, & omnia tibi ſeruiant?

Intentio pura.

viliſ-

viliſſimus vermiculus cupiet non propter quod creata ſunt, hæc & illa impendi; ſed propter ſe, & ſecundùm voluntatem ſuam, atque ita ſe tibi æquare volet & comparare? optabit (inquam) hoc vel illud fieri, illa habere bona, his malis carere ſeu publica ſint ſeu priuata, hoc vel illo in loco & officio eſſe, quaſi tu Deus non noueris eligere eos qui ad obſequium tuum in hoc vel illo loco pulpito, officio, conuerſatione magis ſunt idonei. *Pater æterne*, vt inf. pag. 1003. vel *O omne bonum*, vt infr. p. 1005.

XXXII. Conſidera, quid optes, quid metuas; & pacem illam vel oblectationem, quam creatum aliquod retinendo, vel acquirendo habere vis, ſcito abnegando illud ex Dei amore & propter regnum cælorum, idque vnum quærendo, faciliùs longè comparari: Nónne enim dixiſti ó JESV, ſpes mea, & æterna Veritas, Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis? Si hoc verum eſt, quid ſtultius, quàm aliquid quærere ingenti labore fruſtrà, quandoquidem ſciam vnum regnum tuum, id eſt voluntatem, quærendo (quod facile) hæc vltrò omnia adiicienda. Vnde alio loco mones: Nolite ſolliciti eſſe, dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus? hæc enim omnia gentes inquirunt. conſiderate volucres cæli, & lilia agri, &c. Cùm ergo prohibeamur etiam de neceſſariis ſolliciti eſſe, & nos, Religioſos maximè, ſine omni curâ eſſe oporteat, vt cæli volucres, quas Pater cæleſtis paſcit; certè non curabit ille nos, ſi contra eius mandatum curioſi ac ſolliciti fuerimus de vllâ re etiam neceſſariâ: hoc enim meritò illi diſplicet, quaſi aut nolit, aut non poſſit abſque nobis ſufficienter prouidere priuatim & publicè, poſtquam omnem curam noſtri ſibi ſumpſerit, & nos ei toties commiſerimus. *Pater æterne*, vt inf. p. 1003. vel *Agnoſco*, ibid.

Abnegãdo bona ipſa acquiruntur.

Ibid.

XXXIII. Conſidera, quid ſit facilius, contemnere omnia an acquirere, vt pacem inuenias, certè fateri

debes quòd contemnere omnia. vtrum tu eligis? quid vltrà optas? Ecce vide quid te doceant Eremitarum & monaſteriorum millia; nónne ideò repleta ſunt, vt pax inueniretur, quam nec in regnis & delicijs quiſquam inuenire potuit, & tu in hac re N. eam ſperas? Adeoque id notum ratione etiam naturali, vt eam ob rem Philoſophi in paupertate veram animi beatitudinem conſtituerint; immò idcirco deos nudos, nihil habentes, & omnia largientes fingebant & pingebant. Sed quod certius eſt, accipe, nónne Veritas ipſa in paupertate primam beatitudinem poſuit, & abneganti aliquid, centuplum pro eo promiſit? An verè putas, an falsò? ſi verum, quomodo non ambis? verùm etſi omnes inuitârit, vt ad ſe venirent & reficerentur, & diſcerent mites eſſe & humiles corde, vt requiem inuenirent animabus ſuis; addidit tamen: Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. & rurſus: Qui non odit patrem & matrem, &c. inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus, nec per conſequens quietem animæ ſuæ inuenire quis poteſt, niſi hoc & illud & omnia ſincerè abnegauerit. quo enim quiſque minùs terrenis amore adhæret, eaque tangit, & velut tantùm in puncto, eo faciliùs animus ad Deum, ad centrum ſuum euolat, & omne gaudium adipiſcitur. Credis hæc? & adhuc anhelas ad aliud extra omne bonum? *Pater æterne*, vel *Agnoſco*, vt inf. pag. 1003.

Facilius acquiritur bonum cõtemnendo quàm quærendo.

Matth. 5.

Matth. 11. *Luc.* 14.

Ibid.

XXXIV. Conſidera impetrari non tantum quietem animi dum abnegantur omnia, ſed etiam (omitto quod nobiliùs longè & eminentiùs in Deo vbique præſentia ſint & habeantur) abneganti parata ea ipſa quæ optantur. nónne enim iis, qui Chriſti amore pauperes facti centuplum promiſit Veritas, & quotidie centuplum dari videmus? nónne eos, qui honores ſincerè fugiunt (quod omnino neceſſariò etiam facit ſuperbus, etſi fictè & fruſtra) maiores & ſecuriores adipiſci? & eos qui

reſpuunt delicias amaras ſæculi, abſtinentiæ & ſobrieta- *Centuplum*
tis munere quaſi perpetua agitare conuiuia, vt Corna- *verè datur*
rius ille ſuâ & multorum experientiâ declarat? Immò *abneganti*
ſanitas, abſtinendo à ſuperfluis & noxiis, magis quàm *ſe.*
omnibus medicamentis & deliciis acquiritur. Non aliter ergo neque faciliùs quàm abnegando rem hanc N. quam quæris aut optas, habebis & pacem inuenies ſummum omnium bonorum, non verò quærendo. Neque *Matth. 19.*
dubitandi locus eſt, cùm Veritas ipſa centuplum abneganti propter ſe aliquid etiam in hoc mundo promiſerit: cui diffidere omnino impium foret & ſacrilegum. *Excita fidē*, vt ſup. *Pater æterne*, vel *Agnoſco*, vt inf. p. 1003.

XXXV. Conſidera, an rem illam N. & ſimul ex eâ pacem ac voluptatem veram (eo enim omnia diriguntur) cupias à Deo velut optimo parente? ita omnino exiſtimo; ſcito igitur illam te ab eo non impetraturum, niſi illam abnegaueris, contempſeris, abſque vllâ anxie- *Lucæ 11.*
tate optâris. Quemadmodum enim bonus pater filio non tantùm non porrigit, ſed nec proponit pro pane lapidem, pro piſce ſcorpionem, pro pharmaco venenum, *Deus non*
aut id quod morbum foueat, aut cultrū furioſo; ita ne- *dabit vt*
que Deus optimus maximus dabit nobis id cui videt *Pater id*
nos affici immoderatè. illud enim nos ab amore eius *cui afficeris inordinatè.*
impediret, id eſt, ſummo bono, eoque magis, quo magis eſſet præſens: quod enim vel ſolâ cogitatione & ſpe perceptum afficit, certè viſum, habitum, vſurpatum nónne omnino magis afficiet & nocebit, vti ſuprà dictum? *Credo tibi*, vt ſup. p. 7. vel *Pater æterne*, vt inf. p. 1003.

XXXVI. Conſidera hæc verba: Sapientia attingit à *Sap. 8.*
fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter; & attende, quem finem tu noueris, & quomodo nos homines neutrū̃ finem ſciamus, & quàm incertæ ideò ſint omnes prouidentiæ noſtræ. Præterea aduerte, vitam hanc quaſi ſcenam eſſe; in quâ is laudatur ſolùm, qui partes ſuas rectè agit, quales quales illæ ſint, ægri an ſani, diuitis an pauperis; cum autem ipſe choragus diſpo-

nat omnia, cur obſecro non pares? ſed alias tibi partes petis & repugnas?

Omnia parent Deo, & tu non? XXXVII. Conſidera, omnes creaturas à ſummo deorſum, omnes parere ſuo modo diuinæ voluntati; & quam id dignum ſit; quamque indignum, coram omnibus te vermiculum ſeſe attollere, ideoque toto cordis affectu te diuinæ bonitati reſigna, & cum ſingulis choris Sanctorum idipſum facito, tuamque reſignationem cum eorum perfectiſſimâ vni & coniunget & voluntatem cum diuinâ, vt nihil velis, niſi quod Deus vult, & quia ille vult: immò nihil prorſus velis, nec eſſe, nec viuere, ſed vnum Dei beneplacitum & voluntatem. Talis conformatio, ait Bernardus, maritat animam cum Verbo. Talis amor per ſe ſufficit; is per ſe placet, & propter ſe: ipſe meritum, ipſe præmium ſibi, eſt amor: præter ſe, non requirit cauſſam, non fructuum: fructus eius, vſus eius. Amo, quia amo, amo, vt amem &c. *Serm.38.* *Pater æterne*, vt inf. p.1003.

XXXVIII. Poſtremò conſidera, & aſpice D. JESVM, primò, in ſummo cælorum, Deo patri æqualem ſe offerre, & vt deſcendat ad ima propter te. Secundò in ſummo gaudio, & paratum pro te ad paſſionem amariſſimam. Tertiò, in ſummo honore, & paratum ad ignominioſiſſimam mortem. Quartò, IESVM eam elegiſſe. & in hoc mundo paupertatem, ignominiam, & deſpectum, & propoſito ſibi gaudio ſuſtinuiſſe crucē. Nunc ergo diſpice, an hæc credas, & quis tu ſis. ſi miles Chriſti, cur illud optas bonum & fugias crucem, quam ille & Sancti omnes N.N. vt Andreas vltrò quæſierint & inventam amore magno amplexi ſint? ſi ſeruus es, ſub tali Domino quid te facere oportet? Si filius es, quomodo talem patrem te oportet honorare? Igitur percurre quid in hâc vitâ tibi ſit optabile N. & vide quàm contrarium facias exemplo eius. Quid item auerſeris N. aut timeas, attende & quàm longè ſis ab eo vt dicas: *Luc.12.* Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec

nec perficiatur? donec ſcilicet crucem amplectar, omni ſolatio deſtituar. Nónne hortatur nos Apoſtolus: Omne gaudium exiſtimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis? Iac. 1. Tale putas gaudium tuum eſſe debet? Talene eſt? & in eo pax tua, & requies, & cibus, & delectatio fieri in te voluntatem amantiſſimi Regi Domini Patris tui?

Exercitium breuius.

Pater æterne corã quo ſto, da mihi, qui ſolus potes, gratiã vt requieſcam in te, & amem te ſolum; tua ſunt omnia, & noſti omnia priuſquam fiant, quidue mihi, aut vlli expediat ſolus noſti ab æterno, neque ſine te capillus cadit aut folium mouetur, neque oculus, neque auris aut cor, ſeu voluntas, aut intellectus vllo ſatiatur aut quieſcit niſi in te. Credo igitur tibi, & me committo, ſpero in te & nihil extra te, & diligo te toto corde, & nihil opto ſcire, vel amare præter te & voluntatem tuam in his N. & omnibus fieri in tempore, in æternitate, vehementer dolens propter te quòd meam amauerim, & nihilum & vanitatem fruſtrà coram te, qui es mihi verè vna & ſola ſatietas, requies mea, & pax Deus cordis mei & omnia, Amen.

Alterum.

Agnoſco, Domine IESV, *mihi præſentiſſime, quòd in pace factus ſit locus tuus, tu verò ſcio pax noſtra, & centrum & requies, & omne bonum mihi es. Quid ergò opto aut ſpero iam præter te?* N. *quid metuo aut doleo extra te, tu amor, tu timor meus. Domine mi, mane obſecro mecum, & ſine vt in te quieſcat anima mea, & delectetur in te: quid enim eſt quod paci illi quæ in te eſt, comparari valeat, cùm exſuperet omnem ſenſum; & plus quam iuge conuiuium ſit ſecurum & quietum cor quod inhabitas? Abſit ergo, Domine mi, vt iſta* N. *res me turbet, hanc petam, de illâ doleam; nulla enim adferre mihi vllum bonum poteſt, ſi* Pſal. 75.

pace tua caream, & quid mihi deeſſe cùm te omne bonum habeam? cur te præ ſordibus & ſpinis his N. & ſummum hominis bonum perdam, pacem inquam animæ meæ: habeant ſibi quæ volunt huius ſæculi filij, ego autē in te gaudebo, & exultabo in Deo JESV *meo, & tu diſpulsâ nube vanitatis huius & oſtenſa luce voluntatis tuæ ſeu in publicis ſeu in priuatis N. lucidiſſimo radio vultus tui facies ita ſpero & humillimè rogo, vt pax & ſerenitas & tu ſolus ſis amabilis animæ meæ. Numquid etſi omnia haberem, ſine te nihil eſſem & haberem inter omnia, & renuntiare omnibus deberem vt tuus eſſem diſcipulus? & quorſum illa haberem, ſi omnia abnegare deberē, ſi bonum meum vnicum tollerent aut minuerent, pacem animæ meæ? equidem ideò petuntur, & quæruntur iſta, vt quiſcat in iis cor noſtrum, ſed inquietum ſemper eſt donec in te ſolo requieſcat. Ita ſcio, ita credo, ita mihi denuntiant ſæcula præterita & omnis creatura. Cur verò non reſpuo illud bonum, vel illud malum admitto, quod dum longè eſt, & extra muros eſt, velut hoſtis aſpectu ſolo & affectu turbat animam meam? Abſit Domine, auerte hoc à ſeruo tuo, cuius certè pax & omne bonum eſt conquieſcere in voluntate tuâ. Tu noſti quid expediat publicè & priuatim gloriæ nominis tui, & meæ ſaluti: ego verò cùm ignorem, quid ſpero vel metuo, doleo aut gaudeo niſi de voluntate tuâ? Et verò quidquid eueniat, nihil, ſcio, fiet, non capillus de capite cadet, non arena mouebitur abſque prouidentiâ tuâ: vnde nec mirari poſſum, nec de vllo vnquam queri: facta enim eſt, & fiet voluntas tua, & mea, quia toties eam obtuli, & eam offero iterum tibi, cuius ego totus ſum & omnia, & humillimè rogo, vt nunquam, ô Sapientia æterna, quidquā ſecundùm meam inſipientiam & voluntatem facias, aut fieri permittas. Renuntiaui illi & renuntio, quia ita tibi placet, vt fiat mihi ſecundùm beneplacitum tuum, & ſic velut in tranquillo nauigans ad te, Domine, ad portum ſecuriſſimum æternitatis peruenire valeam, Amen.*

Exer-

Exercitium longius.

O Omne bonum, Deus meus, ô fons bonorum, vnicũ & dulciſsimum ſolatium, ac quies & centrũ animæ meæ; creaſti enim nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te, & nihil quærat aut optet extra te, nihil enim ſatiare aut prodeſſe homini poteſt, etiamſi vniuerſum mundũ lucretur, nec cognoſcere vnquam alicui datũ eſt quid ſibi expediat, quã viã eligat, in multiuio hoc vitæ noſtræ. quomodo igitur timebo iſta aut optabo N dolebo vel gaudebo, niſi de te, & propter te? Quod timeo fortè ſperandũ, in quod ſpero eſt timendũ. Ecce id de quo doleo crux eſſe poteſt, in quo Chriſte IESV tecum triumphem: id de quo gaudeo tale vnde cum Epulone æternùm gemã. Laborarunt ab orbe condito mortales omnes, vt quietẽ inuenirẽt extra te & non potuerunt, & licet vt Salomon, multi nihil negaſſent oculis & concupiſcentiis ſuis; nihil inuenerunt præter laborem & dolorem, momentaneam & amaram vanitatem. August. Nemo nouit quid expediat,

Putabat Nabuchodonoſor ad momentum exultare cogitatione ſolà, poſt multos labores, & ſecum dicebat: Nónne hæc eſt Babylon magna, quam ædificaui in domum regni, & in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei? cumq; adhuc ſermo eſſet in ore eius ablatum eſt ab eo cor hominis, & cor feræ datum eſt ei. Dicebat ille: Habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, &c. & eâdẽ nocte repetita eſt ab ipſo anima ſua. Et vanitatẽ iſtam quis non eſt expertus in ſe? vbi vnquam quiſquam inuenit requiem extra te? cur ergo demens ibi eam quæret, vbi nemo inuenit, nec inuenire poteſt, & ſtulto labore conſumetur? & licet inuenire poſſem, ecce audio & credo, quod niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſsidet, non poteſt eſſe tuus, ô IESV Chriſte, diſcipulus. Si ergo renuntiare, ſi relinquere, ſaltem affectu oportet; ſi tuus, vti volo, diſcipulus eſſe velim, quid quæro, quod mox relinquendum? quid, quæro, quod inueniri nequit? & ſi poſſet, ſaltem affectu, & fortè etiam reipsâ morte adueniente relinquendum. Daniel. 4. Lucæ 12.

Et ſi quietẽ quæro in publico aut priuato bono, ac nihil præterea, quomodo prudens illam quæram in eo quod quærendo, & ſolo deſiderio me iam inquietat? Nam ſi res abſens quietum

me non ſinit, aut quia ſperata aut quia ablata ; & præſentiâ creſcit affectus & amor, ac ſimul creſcit inquietudo & timor; ecce quomodo in caſſum laborant, & vias ambulant verè difficiles omnes filij huius ſæculi; & nihil cùm dormierunt, inuenerunt in manibus ſuis? Cur ergo eos fruſtrà imitabor, & requiem quæram in honore, fauore aut voluptate, otio, cũ in te ſolo, etiam ſi malis carerem & omnia creata haberẽ, quieſcere poſſim? Quod cùm ita ſit, quæ inſania in vna creatura illam quærere vel pluribus, imò omnibus, cùm hoc nihil aliud ſit, quã per cogitationum, verborum & actionũ ambages ſponte ire, & quærere fruſtrà, quod in te fonte omnis boni, qui vbiq; præſens es, in te, inquam, tantum modò habeo & certò paratũ, niſi illæ impediant? Et quid volo mihi in viâ Ægypti ex hoc mundo vt bibam aquam turbidam & ſitiã magis? cùm verè hic te habeam, ô fons aquarum viuentium, abyſſus inexhauſta bonorũ omniũ! Benigniſſime IESV, *aſpice in me, & miſerere mei, nihil neq; hoc neq; illud N. & vltrà peto & quæro extra te, cũ ex te, & in te, & per te ſint omnia: tu verè es pax mea, & gaudiũ meum & gloriatio mea, nihil cupio aut volo per gratiã tuam præter te, quid enim ſenſualis voluptas mihi niſi abſynthium propinat? & irritat ſitim, nõ ſatiat? quid eſt honor niſi momẽtanea & inanis & ferè falſa, aut ſaltem ignota nobis hominis de homine cogitatio & æſtimatio? ſolus enim tu Deus ſcrutaris cor; neq; quiſquam maior eſt quàm ſit in oculis tuis, neque verè cuiquam honos & gloria niſi ſoli tibi tribuenda: tu enim vt tuus Propheta, omnia in omnibus operatus es Domine, & omnia operaris. vnde non eſt quòd ſibi honorem venditet homo, vaniſſimum honorem, externũ bonũ, quo nõ eſt quiſquam melior futurus, neq; magis ſatur quã famelicus cibis longè à ſe poſitis. externũ enim eſt, & in alterius ſemper manu, & vti homo in ſingula momenta fragile & mutabile difficillimũ acquiſitu, facillimũ vt amittatur; quod nemo certò vnquã ab orbe condito poſſedit, vel retinuit vel vno momento: inſcrutabile enim eſt cor hominis, & quis cognoſcet illud? diuitiæ verò quid ſunt niſi terra vilis, quibus commoditates quidẽ multæ parantur, ſed ſpinoſæ, adeò vt beatiſſimus ſit qui te imitatur, ô* IESV *amantiſſi-*

Amor creati boni turbat.

Ierem.2.

Ierem.17.

Quid diuitiæ.

amantiſſime, & quàm minimis indiget vt ſic dicam pharmacis & ſubſidiis alienis, quando nullius indigerere in hâc miſerâ vitâ non poteſt? O quàm verè miſer eſt qui omnia adhibet, vel ſaltem plurima, eaq́; conſectatur, cum ſola beatitudo ſit & quies, plurimis & velle & poſſe carere.

Numquam igitur deinceps optabo, vt hoc vel illud eueniat mihi, hoc vel illo malo liberer, ſed vt tua ſolũ ſanctiſſima voluntas in me fiat, quia ſola ſcio mihi vtilis, iucunda & ſalutaris. Si meã illi coniunxero, tũ verò pacem inuenire potero. nemo enim ei reſtitit, & pacẽ habuit: cùm tu ſis ſolus Dominus, & nos inutiles ſerui tui, & aut libentes aut inuiti parere cogamur. Tu ſolus Rex potens & ſapiens, qui ab æterno à fine ad finẽ, & prudentiſſimè & hæc N. *pro tua voluntate optimè omnia diſpoſuiſti; tu ſolus noſti finem, huius.* N. *& omniũ quẽ rebus omnibus ſtatuiſti; quomodo igitur media & viã eligere potero vel audebo, cùm neſcio quò vadam? Tu Dux meus, tu optimus architectus ſolus ideam habes, & omnia in pondere, numero & menſura ad eam ordinaſti; quomodo igitur ego deſignare in animo meo aliquid poſſum, niſi imprudentiſſimè?*

Ecce quemadmodum in mundo partes eius ordinaſti, & in corpore noſtro membra. & vtriſque vires, & formam, & ſitũ ad finem propoſitum tribuiſti: ita facis, Deus meus, & feciſti de nobis, vt ædifices Ieruſalem cæleſtem, ad quã lapides viui coaptamur. Fac, quæſo, ſicut, optimè conuenire noſti, & quibus expediat inſtrumentis, & quadra, & poli, & colloca, ô Sapientia æterna: omnem ſollicitudinem meam in te proiicio, & hoc vnum opto, vt fiat de me ſanctiſſima voluntas tua; ſucceſſum non hunc vel illum voueo in quauis re, ſed ſanctiſſimam fieri voluntatem tuam; imò nec opto ſcire, quia tibi ſcio eſſe curam de me, neque ſcientiam meam vtilem eſſe, cùm incertæ ſint omnes prouidentiæ noſtræ, & tu ſolus attingas à fine vſque Sap. 8. *ad finem, ſuauiterque omnia diſponas, nec ſit qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ.*

Certò etiam noui eo te maiorem mei curam ſuſcepturũ, quo ego minùs de me anxius fuero, & magis paternæ curæ confiſus altiora me non quæſiero, ſed ea quæ ſunt placita

coram

coram. Quòd ſi tunc gauderem, cùm omnia pro arbitrio facere poſſem, & viã quamlibet cæcus, miſer & inſipiens deligere, quanto magis gaudere debeo, quòd tu Sapientia æterna, digneris curam de me ſuſcipere, tanquam ſi ſolus eſſem in vniuerſo? Ita me in Ven. Sacramento viſitare dignaris. Abſit ergo vt vnquam aliquid cupiam extra te & præter tuam ſanctiſſimam fieri voluntatem. meã illi conſecraui & conſecro, vt inueniat in te dulciſſimam, ſuauiſſimã et ſecuriſſimam pacem, quæ exſuperat omnem ſenſum, cui nihil comparari poteſt, nullus eius pretium inueniri: ſic enim homo incipit guſtare beatitudinẽ, & videre quàm ſuauis ſis, ô Domine, & quòd voluntas tua ſuper mel & fauum, & ſuper aurum & topazium, & tu ſuper omnia, & in te omnia, & extra te nihil, ô Deus meus, qui es benedictus in ſæcula, Amen.

Praxis ad acquirendam conformitatem voluntatis noſtræ cum diuinâ, & pacem.

1. Thren. Minima peccata vitanda, quia pacem turbant.

PRIMO, peccata, etiam minima, diligenter vita & leges ſerua. Peccatum enim, vt ait Ierem. peccauit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Omne enim peccatum inſtabilitatem adfert, & turbationem & confuſionem; vt patet in Cain, Adamo, atq; adeò impius, quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt. Vtinam, ait Dominus, attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, at verò nõ eſt pax impiis.

Iſaiæ 57. Pax ſeruanda.

Secundò, fortiter ſupera te, & abſtine ab iis quæ pacem turbant. Si enim hoſti reſiſtis, & tranquillitatem reipublicę turbanti; cur non omnibus viribus niteris, pacis animi impedimenta tollere?

Matth. 11. Manſuetudo pacem adfert.

Tertiò, pius eſto erga proximum; nec facilè iudica, aut durè habeas. Diſcite enim, inquit Chriſtus IESVS, à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris.

Præceps ne ſis.

Quartò, conſtanter tua age, & nihil niſi conſultò, maturè ac temperatè, tum enim, neque vrgere conſcientia, neque angere nos pœnitudo, neque arguere meritò quiſquam poteſt. Pręcipitantia omnis ferè harmoniam animæ perturbat.

Cum Deo ſæpè age.

Quintò, ex omnibus aliquid collige ad pietatẽ & virtutem: hinc enim magna pax, cum nihil propè in animam ingrediatur, quod eam turbet: quæ enim extra nos, nihil nos mouere poſſunt, quod diligenter expende.

Prouidentiam Dei attende.

Sextò, diuinam prouidentiam & præſentiam in omnibus conſidera, Deoque omnia tribue, idque eſt præcipuum omnium,

omnium, & ſolidiſſimum, & à ſanctis Patribus laudatiſſimum, & vſitatiſſimum iiſdem exercitium.

Septimò, aliorum iudicia contemne. Nihil enim ita pacē turbat, atq; illa vereri, ad ea ſe fingere, vitamq́ue inſtituere. *Iudicia contemno.*

Octauò, nihil ſpera, aut time in tranſitoriis: ſed reſignatus eſto; & magna cum libertate in voluntate Dei conquieſce, nec cū tranſitoriis mutabere. Etenim cùm ſemper Dei voluntas ſit effectum ſuum habitura, quidquid fiat; ſeu proſpera, ſeu aduerſa, tibi certò bona erunt, & ſemper habebis quod optas; tibiq́ue diligenti Deum, omnia cooperabuntur in bonum. *Abnegatio ſui neceſſaria.*

Nonò ſæpè reſigna, quod hac iaculatoriâ, vel ſimili etiā fieri poteſt: O ſuauiſſima pax, & gaudiū meū, Deus meus: ex quo, & in quo, & per quē ſunt omnia: nihil cupio extra te, quia inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te: fiat in omnibus ſanctiſſima voluntas tua, vel, Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terrâ. Quam petitionē trecenties ſexagies quinquies aliquando beata illa Gertrudis pientiſſimè pronuntiabat, Deoq́ue gratiſſimum eſſe ſacrificium intelligebat. Vt autem id vtiliùs fiat; repetam, quod tetigi ſuperiùs: non ſufficere ſi in genere nos reſignemus; ſed oportere ad particularia deſcendere; & in ſingulis, tanquam ſi iam neceſſe foret, vel Deus à nobis id peteret, nos reſignare; & tamdiu nos exercere, donec iidem ſimus in proſperis & aduerſis, & vultus noſter non ampliùs in diuerſa mutetur. Imò, omne gaudium exiſtimemus, cùm in tentationes varias inciderimus. *Reſignationis actus iterandus.* *Bloſ.* *Reſignatio eſt in particulari facienda.*

Praxis huius eſſe poterit: Si fingamus iam hac vel illâ re carendum, conſolatione, honore, ſcientia, commodis, quibus alii abundent; imò virtutibus & gloriâ in cælo; hanc vel illam tentationem, aut iniuriam tolerandam, huc vel illuc migrandum; ſanitatem auferendam, opes, honores, famam, amicitiam, recreationem, vel etiam vitam & mox, nō quaſi ab homine auferenda ſint, ſed quaſi à Deo repetenda, illi libentiſſimè totoq́; animo reſignare voluntatem noſtram magno amoris affectu. Neque ceſſandum donec, vt B.P.N. cùm de electione agit, mouet, ſentiamus indifferentiam, & reſignationem perfectam. Quā expreſſit beata Gertrudis, iuſſa eligere à Domino ſanitatem aut mortē: reſpondit enim: Vehementiſſimè deſidero, vt non facias voluntatem meam. Et hoc pacto in altiſſima pace ac gaudio permanere conſueuerat. Nam qui in Deo ſcit ſe habere omnia, cæteraq́ue nihil æſtimat, & attendit voluntatē eius eſſe optimam & vtiliſſimam, omnino conquieſcit; vnde Thom. à Kempis l. 1. c. 20. cui omnia vnū ſunt, & omnia ad *Praxis vtilis.* *B. Gertrudis exemplum.* *Nota.*

vnum

vnum trahit, & omnia in vno videt, poteſt ſtabilis eſſe corde,& in Deo pacificus permanere.

Malorum præuiſio. Secundò,percurre aliquando,vt initio anni, menſis,hebdomadæ ſemel atque iterum per diem , imò ad ſingulas horas,breuiter quę accidunt in mundo triſtia,atque tibi accidere etiã poſſe attende,& voluntati Dei reſignat,& quęcumq;in mundo fiunt contemplare,vt ab illo facta aut permiſſa;perſępe hoc modo,maximè dum oras,in hac auri fodina,te exerce. Neque tantùm adverſa prouideas, verum etiam proſpera;& vide an,ſi tibi obtingerent , ineptâ lætitiâ de ſtatu mentis deiicerent.Nam vt Poëta;Si vis lumine claro cernere verum,tramite recto carpere callem; gaudia pelle,pelle timorem,ſpemque fugato, nec dolor adſit.Nubila mens eſt,vinctaque frænis,hæc vbi regnant. *Boëtius.*

Tertiò , conſidera omnes actiones & tempora (vt fit in omni Ordine,eaq; rite diſtribue,& ſerua; quemadmodum vides bonos Religioſos factitare , & fabros omnes menſuras ad amuſſim obſeruare;tempore enim omnia metiri conuenit.Neque hoc ſolùm , cura inſuper tua ordine recto & bono poſita eſſe etiã minima,cũ numeris,vt facilè reponantur; vti docent Notarij & Procuratores. Statue ergo quid & quomodo hoc menſe, ſeptimanâ, die, horâ agere velis, quoad fieri poteſt : ita enim in omni diſciplina & iudiciis fieri cernis:Anxietas tamen abeſſe debet. Hinc B.Tereſia nolebat taxã fieri aut dari ſuis vt illa tolleretur. Et ſanè cũ neſcias,quando vocãdus ſis à Domino,id quod præſens eſt tantùm te incumbere oportet, & id curarè quoad fieri poterit,vt nihil fortuitò facias, nõ enim decet ſapientẽ dicere,Nõ cogitabã;nõ filiũ patris ęterni,qui ab æterno omnia ordinauit & diſpoſuit,à fine vſq; ad finem.Atq; adeò prudentis eſt,quid dicat, bis ad limã reuocare antequã ad linguam. & meritò, cũ & de otioſo verbo ſit reddenda ratio; & videamus tanto ſtudio phraſes & loquendi modos elegantiores ab hominibus conquiri;quanto igitur magis prouidendum,quomodo Chriſtianè, & vt filij Dei loquamur? Inſuper cogitationes ordinare,certaſq; admittere, atque imaginationẽ figere tantũ in re vtili ſuadent ſpirituales magiſtri;ideoq; communicationem cũ Deo,& præſentiã eius adeò cõmendant.Et quidẽ S.Bernard.& Hugo Lincolniẽſis,eximij hac in re fuere,quippe qui extra oratorium curas manere tã facilè iubebant,atq; Abraham famulos & aſinos ad pedem montis,dum ſacrificium compleſſet,opperiri.

Ordinatio actionum.

Sapiens nõ dicit , Non cogitabam.

Linguæ cuſtodia.

Cogitationes ordinandæ.

Solitudo & quies. Quartò,modeſtum & quietum te ſerua & extra turbas: ſiquidem corporis quies & ſolitudo ad animi quietẽ plurimùm facit:vti enim vaſe moto turbatur aqua ; ita corpore agitato anima quietem retinere vix poteſt. Quintò,

Quintò,ad pacem etiam conducit alterius quietem non turbare,vt Albert.c.13.de pace.

Sextò,alienis te rebus ac muneribus nequaquam immiſce;neque de iis percunctare,aut ſermones temerè admitte,maximè de nouis,quòd ſpe metuque animum agitare iſta ſolita ſint imperfectorum. *Curioſitatem vita.*

Septimò,ſimiliter reſpectus humanos contemne,cogitando te Deo ſeruire , & ab eo mercedem exſpectare & non ab hominibus.

Octauò,mutatio locorum crebra,exercitiorum, librorũ, quieti obſunt plurimùm, vti & citò credere : quia is leuis eſt corde,Sapientis teſtimonio.denique quamdiu irreſignatus eris,quietem non inuenies.*Dignatus es*,vt ſup.pag.10. *Mutatio crebra perturbat.*

Exercitium pro confidentiâ in Deo excitandâ in ſcrupulis & aduerſis.

CVM pacẽ animæ ſcrupuloſitas vehementer turbet, ei ſedulò reſiſtendũ cõſilio,exercitatione,&c.animuſq; erigendus in Deũ, ideo hæc ſubnecto. *Sancti tui Domine mirabile cõſecuti ſunt iter,ſeruientes præceptis tuis. Quid enim mirabilius,quã tranſire per medios fluctus,& effugere gladium Pharaonis?quid mirabilius,quàm te dicere mari,tace & obmuteſce,& in tempeſtate fieri tranquillitatem magnam;in tentationibus plurimis facere prouentum?etiamſi exſurgant caſtra,poteſtatem tenebrarum harum non timere? mirabilia opera tua & anima mea cognoſcet nimis.Sed eheu ecce circumdederunt me inimici mei,veni in altitudinẽ maris & tempeſtas demergit me; ſed cùm neſciam quid agere debeam,hoc ſolum habeo reſidui , vt oculos meos conuertam ad te,& poterisne Deus totius conſolationis,auertere faciẽ tuam à me,vt ſimilis ſim deſcendentibus in lacum?quid proderit tibi ſi perdas me opus manuũ tuarũ?ô bonitas infinita Deus meus,tu neminem vis perire,nec delectaris in perditione uiuorum.O quoties hortatus me es vt confiderem in te; ecce clamat Pſaltes tuus & ait mihi;Spera in Domino & fac bonitatẽ:ſed vnde hoc mihi vt faciam eam infelix homo,cuius proni ſunt ſenſus ad malum ab adoleſcentiâ ſuâ?ſed rurſum intonat, & erigit me dicens,Spera in eo & ipſe faciet;fac igitur Domine, vt omnem fiduciam in te ſolo ponam;fac tu quæſo bonitatẽ,quia bonus es:fac miſericordiam cum miſero ſeruulo tuo,quia miſericors es,& beatum me facies,& miſericordias tuas in æternum cantabo.Beati enim omnes qui confidunt in te : & beatus vir cuius eſt auxilium abs te,beata anima quæ tales aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit,in hac valle lacrymarum, aſcenſiones quibus aſcendat ſuper altitudinem terræ ſuper omnes Angelos ,ſuper omnes cælos,& accedat ad te & proiiciat ſe in te , & complecta-*

tur te, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia tua, & bonitas tua ſuper omnia opera tua. Non enim vnquam amas & deſeris, non vocas, & repellis, non inuitas, & dimittis inanes, non iubes nos inniti tibi, & ſubtrahis te vt irrideant nos inimici noſtri dicentes: Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eũ, quoniam vult eum: vel ne quis ut ille improbus, petat, Quis eſt qui vos eripiat de manu meâ! tu enim veritas es Deus meus, & bonus es ſperantibus in te, nullusq́; ſperauit in te, & confuſus eſt, quocirca & ego Deus meus, in te confidam, & non erubeſcam: in te Domine ſperabo, non confundar in æternum, neque irridebunt me inimici mei; etenim vniuerſi qui te exſpectant non, confundentur: nónne autẽ tu qui ſcrutaris corda & renes, noſti Domine quia tu vnica es expectatio mea! Expectans enim exſpectaui te Deus meus, cum Prophetâ tuo: & dixit ille quòd intenderis ei: intende obſecro & mihi Pater mi, & benedictionem paruulam da filio prodigo tuo. Ego enim in miſericordia tua ſperaui, ſperantem autem in te miſericordia tua circumdabit, & viuam iam non mihi, ſed tibi, & confidam toto corde, cùm mortuus ſis pro me, cùm millies te dederis mihi, cùm infinities ſincerè me plus ames quàm ego me, Deus meus pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.

PROTESTATIO MATVTINA,

Aduerſus ſcrupulos & tentationes.

P*Rofiteor coram te & curiâ tuâ Deus meus, coram Angelis & Sanctis tuis, quòd tu eris mihi in Deum, & ego tibi in ſeruum fidelem vſque ad extremum vitæ meæ: tu enim Dominus & ego ſeruus; tu Pater meus es, & ego indignus filius tuus: tu merces mea magna nimis: neque oculus vidit, neque auris audiuit, nec in cor hominis deſcendit, quanta præparaueris mihi Et magna & plurima quidem ſunt hæc, ſed tu Creator meus, infinities mihi tu pluris es quàm dona tua: tu enim pars mea, & hæreditas mea & præclara es mihi. Propter te igitur peregrinus & aduena, ibo & curram in viam mandatorem tuorum, quia dilataſti cor meũ. Si quis inſidietur hoſtis, ſi quis allatret, pelliciat, incantet, terreat & ſurrepat, tu eris timor meus, ſpes mea, & amor meus. Ego te elegi in Dominum, & abrenunciaui Satanæ, & adhæſit tibi anima mea; & quis me ſeparabit à charitate tua? quomodò te derelinquam omne bonum, & præceps ſponte ruam in omne malum, quomodo te odero charitas infinita? donec viuam non recedam ab innocentiâ meâ; neque ratum habebo quidquid tibi diſplicere poteſt, neque haberi volo, niſi teſtes rursũ inuocauero cœlum & terram, Beatiſſimam Virginem, & Angelos & Sanctos tuos, & creaturam omnem, & coram iis abnegauero te Deus meus, & elegero omne malum pro te omni bono, amaritudinem*

dinem pro dulcedine, odium tui pro amore, mortem denique & lumen æternum pro ſempiternâ vitâ & gaudio in te & de te Deus meus & omnia

Exercitium pro ſcrupuloſo.

DIxi, confitebor tibi aduerſum me iniuſtitiam meam Domine, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei: Dixi, & mox eructaſti verbum bonum, dicens, remittuntur tibi peccata tua, quoniam rogaſti me, quoniam dilexiſti me. Et quis non diligat te ô infinita bonitas! aperis enim mihi cataractas miſerationum tuarum, & torrente miſericordiæ inundaſti & mundaſti me. Et quis non diligat te ô infinita bonitas? aperis enim cataractas miſerationum tuarum, & torrente miſericordiæ inundaſti & mundaſti me. Quid enim aliud facere poteſt Pater miſericordiarum, cùm certò ſciam quod ab æterno exſpectaueris me, & optaueris vt à regione longinquâ reuerterer ad te: cùm triginta tribus annis in hoc loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis, quæſiueris me cũ dolore & amore Quid aliud facere potes, quã pœnitentem amplecti prodigum? linumq́; fumigans non extinguere, calamum quaſſatum non contereret? Quàm apprehendere manum meam & ſeruare me; educere me de concluſione vinctum, & de domo carceris ſedentem in tenebris? ſed vnde hoc mihi, vt ſciam quòd miſertus ſis mei, quòd inuenerim gratiam coram oculis tuis? Hoc ſcio quòd proculeram abs te, & alligârat me fortis armatus, & ecce ſubitò tu (neque enim alius poteſt) dirupiſti vincula mea, vt venirem ſponte ad pœnitentiæ lauacrum, vt ſacrificarem tibi cor contritum & hoſtiam laudis, traxiſti inquam me in funiculis Adæ, in funiculis charitatis, vt venirem in odorem vnguentorũ tuorũ. Quid eſt enim venire ad te niſi, deſerere priſtinã conuerſationem, & amare te qui ab æterno amaſti me? Quid verò eſt amare te? niſi optare tibi omne bonum & numquam per peccatum alienũ fuiſſe à te, paratum eſſe ſeruare omnia mandata tua, & omnes voluntates tuas: vili pendere terrena omnia, paratumq́; etiam potiùs perdere omnia, quàm tè offendere, libenter tecum loqui, teq́; & verbum tuum audire: hæc per gratiam tuam cùm ſentiã, in te tuaq́; gratiâ & ex te eſſe me confido. Qui enim ex te eſt, ô Deus meus, verba tua audit, eloquia tua dulciora ſuper mel & fauum. An iam igitur quid loquaris in me, & noli me confundere ô ſpes mea, & in te ſperans non infirmabor. Neſcio quidem amore an odio dignus ſim, ſed quis id nouit, cùm Apoſtolus tuus etiam timeret ne cùm aliis prædicaſſet, ipſe reprobus efficeretur? & quamuis millies confeſſus eſſem, fide tamen certus forẽ incertũ eſſe me, & neſcire an placeã tibi, neque hoc me angere debet, cùm æterna ſis Sapiẽtia, & æterna bonitas, & ſic incertos nos eſſe, quia id nobis vtilius, volueris, ac de tuâ confidere infinitâ charitate.

Iſaiæ 14.

Signa veræ conuerſionis & gratiæ Dei.

Vtinam illa diffundatur in corde meo; vt foras mittat timorem quem confeſſio & examinatio crebra auget, non minuit, cùm ex eo vno procedat. Iſte obtenebrat intellectum, memoriam confundit, voluntatem debilitat, atque ita miſer deficio ſcrutans ſcrutinio, & cùm cupiam peccata clariùs agnoſcere, in memoriamq́; vt confitear, reuocare, eaq́; voluntate deteſtari, præ anxietate hebeſcit mens, obſcuratur memoria, voluntas infirmatur; cur igitur diſcrucior animi, & voluor in ſordibus vitæ meæ? an ut tibi placeam? at tu prohibes, & obedientiam mandas vicariis tuis dicens de iis; Qui vos audit, me audit, & qui uos ſpernit, me ſpernit? an vt quietem conſequar & pacem? Quis verò reſtitit tibi &
Lucæ 10. *vicariis tuis, & illam habuit? an vt eò perueniam, vt tandem iudicio meo multoq́; examine quieſcam velut iuſtificatus ſim in conſpectu tuo, ſed dixiſti quod non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: & quòd cùm omnia fecerimus, ſerui inutiles ſi-*
Pſal. 142. *mus. Et certè nónne melius, me ducem & arbitrum ſequi eum, quem dediſti mihi? at non nouit ille anguſtias meas: tu verò noniſti bonitas infinita, & futuras ab æterno, & priuſquã mandares, vt illi velut tibi parerem: neque illas permittis niſi vt probes me ſicut aurũ in fornace tribulationis, & purgans me, vt luceam tibi & hominibus, neque enim nefanda aut etiam valde abominanda ab hoſte ſuggeſta mea ſunt, neque maculant me magis quàm quæuis aliena ſcelera audita, vel viſa; ſi enim zelo zelatus ſim pro te, & puritatem dilexerim, mundans me, meritumq́; eò magis augent, quò vehementiùs ex amore tui ea mihi*
Prou. 23. *diſplicere ſentio. At neſcio an munere meo prudenter functus fuerim: verùm audio vetantem te, ne imitaris prudentiæ tuæ: & video certius eſſe nihil in re incertâ, quàm humiliter potiùs aliis acquieſcere, quàm ſuperbè ſibi ſapere, & iudicio ſuo confidere, dictat mihi, timet mens alia, quàm à medico, à ductore, ab Angelo à te miſſo, (ſic enim vocaſti Sacerdotem) audiã: quomodo igitur dubius hæreo tibine an mihi obedire debeã? meo, an alieno in re meâ iudicio (vti omnes Sapientes ſuadent) confidere? obſecro te Domine, non intres in iudicio cum ſeruo tuo, neque enim reſpondere poſſum vnum pro mille, attamen quamuis offenderim te, ſperare*
Iſaiæ. 49. *me iubes de miſericordiâ, nihilq́; grauiùs vlturus es, quàm ſi diffidam tibi, qui omnia feciſti propter me, & vixiſti, & mortuus es pro me, vt confiderem in te: numquid poteſt mulier obliuiſci infantem, ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, tu tamen obliuiſci mei non potes; quia non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras, ſed in miſerationibus*
Dan. 9. *tuis multis. Adiuua nos Domine Deus noſter, & propter gloriam nominis tui libera nos. & propitius eſto peccatis noſtris. Amen.*

Con-

Conſolatio animæ afflictæ.

DEus,Deus meus,qui cælum & terram imples,& præſentiſſimus hic mihi es:ad te,ad te de luce vigilo,ad te leuaui animã meã,Deus meus,in te confido,non erubeſcã, ad te leuaui oculos meos,reſpice in me & miſerere mei,neque irrideant me vnquam inimici mei. Etenim ô ſpes certiſſima & vnica fiducia mea! vniuerſi qui ſuſtinent te non confundentur. Hoc enim pro certo habet omnis qui te colit, quòd vita eius ſi in probatione fuerit coronabitur,ſi autem in tribulatione fuerit,liberabitur,& ſi in correptione fuerit,ad miſericordiam tuam venire licebit:nõ enim delectaris in perditionibus noſtris, qui poſt tempeſtatem tranquillum facis,& poſt lacrymationem & fletum exultationẽ infundis. Sit nomen tuum Deus Iſaël benedictum in ſæcula. Quocirca & in tribulatione hâc N,non ero conturbatus, immo ſcio & credo,etiamſi conſiſtunt aduerſum me caſtra dæmonum, hominumq́;non timebit cor meum,etiamſi pater meus, & mater mea,& omnes amici & noti me derelinquerint me,non derelinques,non deſpicies me;ſcio enim,ſcio,& firma fide credo te ſemper,& vbique mihi præſentem eſſe,& fixis oculis me intueri, & omnes greſſus,oculorum nutus dinumerare & conſiderare,neque capillum de capite meo caſurum abſque tua prouidentia. Immò firma fide credo,quòd ſis in medio cordis mei adiutor in opportunitatibus,in tribulatione,quodq́;ſis fidelis & verax,neque vnquàm vti per Apoſtolum dixiſti, patieris me tentari ſuprà id quod poſſum. immò etſi ambulauero in medio vmbræ mortis,non timebo mala,quoniam tu mecum es,atque adeò dico cum Propheta:Poſuiſti me iam iuxta te, cuiuſuis manus pugnet contra me,ſcuto enim circumdabit me veritas tua, & non ſines me tentari ſupra id quod poſſum, *neque eruet me quiſquam de manu tua,ſed cùm vbique & ſemper mecum ſis tecum ero & ſum,in te viuam & amore tuo,& mandata tua ſeruabo: dixiſti enim,& verè dixiſti:Grauia non ſunt,neque mandas per te vel vicarios tuos,& vires ad exequendum negas. Neque vocas me ad te, & fugis: vis vt te quærã & abſcondis te. Quòd ſi contingeret me cogitare,dicere aut facere,quod diſpliceret tibi, id ex nunc corã te & curia tua tota,& Angelo meo hic præſente irritum, & inuoluntariũ declaro;& vt tale in hora mortis,in die iudicij haberi cupio & rogo.Hoc enim ſolùm cupio,credere tibi,ſperare in te,& diligere te toto corde,tota anima,totis viribus meis, & cum liberũ mihi id ſit per gratiam tuam,ita coram te ſtatuo,& cupio,quoties reſpirauero ex nunc & in æternùm, quoties oculos mentis, vel corporis eleuauero,quoties ô dulciſſime IESV,te ore vel corde inuocauero,toties tot actus fidei,ſpei,charitatis perfectæ elicere, & humillimè rogo pro talibus haberi,imò toties repetitis quot ſunt in mari guttæ,in arboribus folia, in terra arenæ, in aëre atomi, quia infinities plus mereris,& plus tibi debeo,& plus tibi volo,*

Pſ.24.

Tob.3.

& deſidero ſupra omne id quod poſſum, aut poteſt vlla creatura, de te propter te amantiſſimè cogitare, feruētiſſimè loqui, & te ardentiſſimè amare, nō præſumptuoſè qui minimus sū omniū diligentium te, ſed præ amore quem tibi tibi debeo pluſquampoſſū, & debetur ab omni creaturâ, quia tu Deus es, & meus es, & vita mea es, & fiducia & omne bonum meum es, & eris in æternum in æternum & per infinita ſæcula eris mihi omnia Deus cordis mei & omnia. Amen.

IACULATORIÆ.

Ioan.18. *CAlicem, quem dedit mihi Pater, non uis,* ô anima mea, *vt bibam illum.*

Non haberes(ô aduerſitas *)poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper.*

Ioan.19. *Domine, vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos.*

Pſal.5. *Qui tetigerit vos tangit pupillam oculi mei.*

Zach.2. *Domine, quid vis me facere.*

Act.9. *Omnem ſollicitudinem veſtram proiicite in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis.* 1.Pet.5.

CAPVT XVIII.

De Notis ſalutis, quibus in tanta incertitudine cognoſcere quis poteſt in vitæ ac viæ termino an rectam tenuerit.

1.Pet.1. HORTATVR nos Apoſtolus Petrus, vt per bona opera certam faciamus vocationem noſtram: nihil enim maiori ſtudio faciendum eſt, nihil maiori ſolatio cognoſcitur in tanta ſalutis incertitudine: idcircò poſt longam tractationem variorum exercitiorum, poſt decurſas vias tres, vitæq; piæ nauigationem, portus ſecuri atque ſalutis ſigna iuuat conſiderare.

Greg.l.22. Mor.c.21. Nota autem virtutis cuiuſque iuxta D. Gregorium gradus eſſe tres. Primus eſt, firmum habere virtutis propoſitum. 2. ita firmum illud eſſe, vt tentationibus ab ea homo non deducatur. 3. eiuſdem officia alacriter obire.

Rom.10. Primum ſalutis ſignum eſt fides viua & ſimplex: quâ corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio

ſio ad ſalutem. Vide, expende vt crediderit Abraham Deo & reputatum ſit ei ad iuſtitiam, vt Noë, & ſalui facti ſunt cum eo quotquot teſtimonio fidei probati inuenti ſunt. Indicium huius eſt zelus eam propagandi, abhorrere hæreſim, in credendo ſimplicitatem ſeruare, & eam quam lingua fidem loquitur, conari vitâ ac moribus fateri. An hæc habes? gradus verò eius collige ex iis quæ dicta, & eos propone, & contritionem excita de corpore, & fidem viuam.

O IESV, vt infr. pag. 1022.

Secundùm ſignum eſt mandata Dei conſtanter obſeruare & grauiora peccata deuitare, ac ſincerè cum Deo ambulare. Scriptum eſt enim; ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, & ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Tu vide quam habeas, an mandata Dei ſerues; illud enim certiſſimum ſignum iuxta dictum æternæ veritatis: Qui habet, ait, mandata mea, & ſeruat ea, hic eſt qui diligit me. Si diligit, ergo vitam habet in ſe. Dixi, ſincere ambulare & ſeruare mandata ſignum eſſe: ideò enim Dauid dicitur fuiſſe vir ſecundùm cor Dei, etiamſi fragilis & peccator: ideò acceptus illi fuit Ezechias, & exaudita oratio eius cùm ſic oraret: Obſecro, Domine, memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate. Ideò odibiles Deo Phariſæi, & Publicanis ac meretricibus poſtpoſiti in regno cælorum; ſimulator enim & callidus prouocant iram Dei, & contrà, vbi veritas de terrâ orta eſt, iuſtitia de cælo proſpicit. Explora te ad hunc lapidem Lydium, & gradus obedientiæ, & conterere.

Obedientia ſincera. *Matth.* 19. 1. *Ioan.* 3. *Ioan.* 14. *Iſaiæ* 38. *Iob* 9. *Pſ.* 84.

O IESV, vt infr. p. 1022.

Tertium ſignum eſt tribulatio, attende vt oportuerit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam, & quod dictum Tobiæ: Quia acceptus Deo eras, neceſſe erat vt tentatio probaret te: & rurſùm, per multas tribulationes oportet nos ſaluos fieri. An credis hoc? ergo

Luc. 24. *Tob.* 12. *Act.* 14.

ergo beati vtique tu & ego erimus cum SS. Martyribus, ſi compatimur Chriſti & Sanctis, vt & conglorificemur. Tribulatio enim patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit. Id D. Paulus egregio ſimili exprimit, dicens Deum flagellare omnem filium, quem recipit: immò ipſe Dominus: Ego, quos amo, arguo & caſtigo. Impoſſibile eſt, ait Hier. vt præſentibus quis & futuris fruatur bonis, vt hîc ventrem & illic mentem impleat, & de deliciis tranſeat ad delicias. Hilarius de Trinitate: Proprium hoc, ait, Eccleſiæ eſt, vt tum vincat cùm læditur, tum intelligat, cùm arguitur; tum obtinuit, cùm deſeritur. Sanctus autem Ambr. in hanc ſententiam ſic ait: Vt vinea dum ligatur, erigitur, & reciſa non minuitur, ſed augetur; ita ſancta plebs dum ligatur, erigitur; dum humiliatur, attollitur; dum reſcinditur, coronatur. Patientiam exerce & dic:

Rom. 8. Rom. 5. Hebr. 12. Apoc. 3. Hilarius.

Haccine vera, vt ſup p. 7. vel O IESV, vt infr. p. 1022.

Quartum eſt, eleëmoſynæ addictum eſſe. viri enim miſericordiarum Dei filij dicuntur, immò Nyſſenus: Si, inquit, miſericordis appellatio Deum decet, ad quid aliud te ſermo Chriſti hortatur, niſi vt Deus fias, tamquam inſignitus propriâ notâ deitatis? Subſcribit Nazianz. dicitque, Nihil tam diuinum homo habet, quàm de aliis benè mereri. Beati ergo miſericordes, quia miſericordiam conſequentur: hæc verba expende, & inuenies theſaurum, illud verò ipſum confirmat Propheta Dauid: Beatus, inquit, qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malâ liberabit eum Dominus: in die certè iudicij liberabit eum. Eleëmoſyna enim à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata, & facit inuenire vitam æternam; &, vt Gregorius: Tanto quiſque perfectior eſt, quanto perfectiùs alienos dolores ſentit. Exerce viuam fidem, & explora liberalitatem tuam.

Liberalitas in pauperes. Greg. Nyſſ. lib. de beatitud. In orat. de pauperum amore. Pſ. 40. Tob. 12. Greg. 24. Mor.

O IESV, vt infra p. 1022.

Quintum eſt, pauperem eſſe ſpiritu, & diuitiis cor non

Paupertas.

non apponere. Prima enim beatitudo pauperum eſt, dicente Domino: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, idemque ait: Væ vobis, diuitibus, quia habetis hîc conſolationem veſtram. uſque adeò verò id adſtruit, vt faciliùs camelum dicat tranſire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum: ideoque pauperes elegit in hoc mundo, aut eiuſmodi diuites, qui gratia eius ita comparati erant, vt nuntium opibus ſtatim remitterent: adoleſcentem autem illum repulit, quia multas habebat poſſeſſiones, iisque corde adhærebat. *Exerce humilitatem,* & *Aſpira.* vt ſup. pag. 8. *Haccine firmâ,* & O IESV, &c. vt inf. pag. 1022. *Math. 19*

Sextum eſt, humilitas: hâc enim oſtendit ſe Chriſtianus Chriſti diſcipulum dicentis: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Immò id aſſeruit Dominus dicens: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Hæccine credis, ô Chriſtiane? Stude igitur, quiſquis es, recumbere in nouiſſimo loco: omnis enim qui ſe humiliat, exaltabitur; & qui ſe exaltat, humiliabitur; neque ſuper vllum requieſcet ſpiritus Domini, niſi ſuper humilem & quietum. Gregorius ad hoc ait: Euidentiſſimum ſignum reproborum, eſt ſuperbia, electorum verò humilitas. Auguſtinus verò, Quem ſuperbum videris, filium eſſe diaboli non dubites. Deteſtare ſuperbiam & humilitatem amplectere & dic: O IESV, vt infra pag. 1022. *Humilitas* *Matth. 11* *Luc. 14.* *Iſaiæ 2.*

Septimum eſt, charitas erga proximum; ad quod expende, In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem; maximè verò quanti ſit inimicis ignoſcere, iiſque benefacere. Audi enim: Dimittite, ait Dominus, & dimittetur vobis. & Sapiens, Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc tibi deprecanti peccata ſoluentur. An vera hæc, ô Deus meus, an vera? O bonitatem Dei mei, & duritiam cordis *Charitas* *Ioan. 13.* *Lucæ 6.* *Eccli. 28.*

dis humani? nónne quotidie in oratione Dominica idē
Luc.16. nobis inculcatur, quòd qua menſura menſi fuerimus, eâdem remetietur nobis? nolite iudicare, & non iudicabimini? Pertinet verò hoc ſignum ad manſuetudinem; manſuetorum verò & humilium ſemper Domi-
Iudith.9. no placuit deprecatio. Signum autem huius, mala de
Chryſoſt. proximo grauatè audire & credere, ſicut difficilè aliquis ſuſpicatur malum, qui bonus eſt: ſic difficilè aliquis ſuſpicatur bonum, qui malus eſt: in quo enim quis alium iudicat, in eo ſeipſum condemnat. Bonis ergo proximi congratulare ex animo & malis compatere. Scias, ait rectè Seneca, eum multis virtutibus abundare, qui alienas virtutes amat, & quod ille confundet Chriſtianos? O JESV, vt infrà pag. 1022.

Deuotio. Octauum, frequentare Sacramenta confeſſionis &
Ioan.6. communionis; dixit enim Dominus, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo, & iterum: Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Id verò accipe, ſi piè ac deuotè fiat; ſi enim negligenter, verendum ne in iudicium manducet & bibat potiùs, quàm ſalutem. fidem ergo illius promiſſi æternæ veritatis excita & dic:

O IESV, vt inf. pag. 1022.

Auditio verbi Dei. Nonum eſt, libenter audire ac meditari verbum Dei, maximè de Chriſti paſſione; non enim ſinit irremuneratum Deus, quidquid ſuæ paſſioni fuerit oblatum.
Ioan.8. Audi, obſecro, audi: Qui ex Deo eſt, ait veritas, verba
Ioan.6. Dei audit & libenter, quo verò tu ſenſu; Impiis durus eſt is ſermo; &, Quis, inquiunt, poteſt eum audire? at
Pſalm.118 verò piæ mentes cum Dauide exclamant: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua! ſuper mel ori meo. oueſque Chriſti gratanti animo vocem eius audiunt, & cognoſcunt eam, ac ſequuntur, non verò vocem alienorum. Neque audiunt tantùm, ſed paſcuntur verbo eius. non enim in ſolo pane viuit homo, ſed in omni
Matth.4. verbo, quod procedit de ore Dei. Dole de negligentiâ

in

in verbo Dei, & dic: O IESV, vt infr. pag. 1022. *Reſignatio*

Decimum eſt, reſignatum eſſe & paratum, ad Dei ſequendam voluntatem: idem enim velle ac nolle, certum amicitiæ cum Deo eſt argumentum. ideò Dominus: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt. Ideò Dauid dicitur eſſe vir ſecundùm cor Dei, quia faceret omnes voluntates eius. Ad quod B. Auguſt. appoſitè dixit Domino; Optimus miniſter tuus eſt, qui non magis intuetur hoc à te audire, quod ipſe voluerit; ſed potiùs hoc velle, quod à te audierit. Explora quid in mundo hoc velis vel auerſeris, & dic: O IESV. p. 1022. & reſignationem exerce. *Matth. 12* *Actor. 13. & 1. Reg. 13.*

Vndecimum eſt, actum aliquem heroicum ex charitate, vel zelo ſemel facere; conſidera quid Abraham fecerit, cui ob præclarum illud facinus, ſic Dominus loquitur; Per memetipſum iuraui, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli, &c. Quid verò Phinees? zelatus eſt pro Deo ſuo, & occidens fornicarium expiauit ſcelus filiorum Iſrael, & reputatum eſt ei in iuſtitiam in generationem & generationem in ſempiternum. Huc pertinet, Religionem ex charitate & zelo honoris Dei ingredi, omniaque relinquere, vt Chriſtum ſequamur. Hoc enim pacto de mundo, de carne, de cognatione, de libertate, de vita victoria obtinetur, ideoque Dominus Apoſtolis, Apoſtolicamque vitam ſequentibus, dixit, Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, centuplū accipietis, & vitam æternam poſſidebitis. Ecce promittit veritas, & tu ambigis? excita te ad amorem & dic; O IESV, vt infra pag. 1022. *Zelus magnus. Gen. 22.* *Pſal. 105. & Num. 21.* *Matth. 19*

Duodecimum eſt, cultus beatiſſimæ Virginis ſingularis. idque communi conſenſu Sanctorum: ideò ſtella maris, ciuitas refugii, mater miſericordiæ appellatur. Memorare, ait Bern. eam compellans, ò piiſſima *Cultus B. Virginis.*

Virgo

Virgo, à ſæculo non eſſe auditum, ad tua currentem præſidia, tua implorantem auxilia, tua petentem ſuffragia eſſe derelictum. Poteſt verè Domina noſtra illud Sapientiæ ſibi vſurpare: Beatus vir qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtii mei; qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Hæc expende & pete à Domino, vt Matris ſuæ cultum ſingularem tibi donare dignetur, O IESV, vt inf. p. 1022.

EXERCITIVM.

O IESV ſalus mea, Paſtor animæ meæ, neſcio errabunda ouicula in vaſtâ hâc ſolitudine, neſcio amore an odio dignus ſim, ſed tu ſcis, & amore me dignum facere potes & vis: teſtis mihi vita & mors tua, plagæ iſtæ in manibus tuis, corpus & ſanguis quem mihi das quotidie. Inſuper ſpero quia dixiſti: in quacumque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Ecce igitur magna velut mare contritio mea, reſpice quæſo in me, ſalua me; diligo enim te toto corde meo. Da obſecro vt hæc quoque nota ſalutis in me ſit, ecce eã factis ſic exprimere volo, & gratiâ tuâ ſpero etiam hac certã per bona opera facere vocationẽ meã & ſic aſcendere N. de virtute in virtutem, & ad te, donec te videam & ingrediar in portum & gaudium Domini mei. Sed quæſo per viſcera miſericordiæ tuæ, quæſo per amorem tuum, pone te ſicut ſignaculum ſuper cor meum, ſicut ſignaculum ſuper brachium meum; vnge poſtes animæ meæ ſanguine tuo; ſigno Tau crucis tuæ ſigna me, vt à percutiente immunis ſim, & tu agnoſcas in me imaginem tuam purpuratam ſanguine tuo, & ego aliquando ſim tibi, vbi tu Domine mi, ouis vbi paſtor, diſcipulus vbi Magiſter, ſeruus vbi Dominus meus, miles vbi Dux meus, creatura viliſſima vbi Creator meus, ego nihilum tecum vbi tu es, qui es & mihi omnia es Deus meus & omnia Amen.

(Ezech. 33. 18. & plur.) (Cant. 8.)

Praxis.

HÆc tã varia eſt quàm variæ sũt virtutes, ex quibus notæ hæ colliguntur. Verùm breuiter eas aliquando percurre & conforta te, & ſpem in Deum erige, & id tibi pro praxi ſit.

JACV-

JACVLATORIÆ.

IN te cantatio mea ſemper, tanquàm prodigium factus ſum multis, & tu Adiutor fortis. In te Domine ſperaui, non confundar in æternum. Pſal. 70.

TRIGESIMÆ SECVNDÆ IMAGINIS ANNOTATIO.

Sicut, ô beatiſſima, omnis à te auerſus & deſpectus, neceſſe eſt vt intereat; ita omnis ad te conuerſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt vt pereat.

COnſidera, quantum Beatiſſima Virgo & mater *A* Maria, à Deo, eiuſq; curiâ cæleſti honoretur: tu imitare, ama vt Matrem, venerare vt Dominam, cole vt Patronam, tum *B* votiuâ peregrinatione, tum multâ oratione: ſuſpende illi, & dedica arma vanitatis tuæ, tuaq; pia ac ſancta deſideria commenda; vti fecit *C* B. Ignatius: hæc eſt enim aduocata noſtra conſolatio *D* afflictorum, refugium in omni *E* tentatione, portus *F* naufragantium, & auxiliũ in cunctis malis, omnium in ſe ſperantium. Verùm vt impetres, ait Bernardus, orationis eius ſuffragium, non deſeras eius conuerſationis exemplum, & reſpiremus (vt Bonauentura loquitur) ad illam in omni actione noſtra, & reſerabit nobis atria triumphantium. Bonauent

CAPVT

CAPVT XIX.

Meditatio de B. Virginis imitatione.

COMPOSITIO LOCI. Contemplare Beatam Virginem in medio paradiſi ampliſſimi, ſtipatam vndique Angelorum & Sanctorum agminibus.

PRAELVDIVM II. Roga illam, vt tibi dignetur ſingularem erga ſe affectum impetrare.

Cognitio ſui & humilitas. PARS I. Conſidera, quomodo Beata Virgo erga ſe affecta fuerit: vtque mox creata abyſſum erga ſe diuinæ bonitatis intuita, ſe velut nihilum & abyſſum miſeriarum contempſerit: etſi enim cognoſceret pleno intellectu, ſe tantis donis ornatam; videbat tamen manifeſtè cuius illa eſſent, Dei ſcilicet, ac nihil eorum ſibi deberi; ſed potuiſſe in omnes miſerias, quemadmodum ceteri hominum, cadere, ac proinde non eſſe quòd alicui ſe præferret, ſed Deo pro omnibus plurimum debere: neque quidquam poſſe perſoluere. ita extra ſe in Deo poſita cantabat ex tunc, *Magnificat anima mea Dominum*; eò certè magis, quò ſe magis annihilabat. Scrutare & tu originem tuam, ac nihilum, vbi fueris ante annos tot N. vbi poſt centum futurus ſis, & diuinæ bonitatis abyſſum & beneficia erga te contemplare, & dic: *O Maria*, &c. vt infrà pag. 1029. *Luc. 1.*

Secundò, cùm verò iam nata eſſet, attende & vide maturitatem, pietatem, nihil quidem niſi infantile præ ſe ferebat, attamen vndique virtus elucebat. Aſpice vt anima illa beatiſſima ſe erga Deum, erga parentes, alioſque omnes habuerit, quo ſenſu ex tunc ſacra omnia & cæleſtia corpora intueretur, & ſic ſtatue imitari, & excita contritionem de offenſis tuis.

Præſentatio. Tertiò, contemplare quomodo, trimula in templum aſcenderit, erga ſuperiores, æquales, ibi ſe habuerit: ancillaria opera cuique deferebat, in omnibus promptiſſima cum geſtu humili, facie ad omnem modeſtiam *Obedientia.* com-

compoſita, ita vt quotquot illam viderent, humilitatis & caſtitatis affectum induere cogerentur: hæc in te effinge ad pulcerrimum exemplar, & humilitatis exercitio inſiſte vt ſup. Quartò, cùm autem nubilem ſe ſciret, contemplationi altiſſimæ dedita, ſi legi parendum foret, valdè optabat ſaluâ virginitate humilem & abiectum ſponſum, eique deſeruire, & parere, vti etiam reipsâ præſtitit, & in omnibus obediens fuit: &, ne ſe fortè honoraret S. Ioſeph, ecce quomodo ſecretum omne reticuit incarnationis Filii Dei; verùm cùm illud declaraſſet Deus ſanctæ Eliſabethæ, omnia Deo feſtinauit tribuere, eumque magnificare. Ex hac eadem humilitate in congreſſibus primum aliis vbique locum cedebat, vltrò officiis omnes & honore præueniebat, vt apparuit dum Elizabetham viſitauit: leges etiam quæ peccatum ſupponebat, vt purificationis, libenter ſeruabat. Hîc te examina ad hanc regulam & normam, & contritionem excita, propoſita renoua. *O Maria*, vt infr. pag. 1029. Quia verò creſcebat cum filio ætate & gratiâ coram Deo & hominibus; ipſo nato humilitatem maiorem & deinde paupertatẽ in Bethleem, in Nazareth, & Ægypto ſeruabat: Regibus omnibus & omnibus etiam inferioribus libenter parebat; neque petebat ſedere à dextris vel ſiniſtris; ſed, cùm potuiſſet diſpenſatione filii, Apoſtoli & Sacerdotis munus conſequi, maluit in humilitate ſeruire, quàm priuilegio exaltari. Tandem in morte Domini iuxta crucem ſtetit, vt particeps iniuriarum fieret, & in corde ſuo filii dolores altiùs imprimeret. Cùm verò poſt aſcenſionem cum Apoſtolis exſpectaret Spiritum ſanctum, humiliter poſtremò ſe loco collocauit, & deinceps cum pauperibus viduis humillimè vixit. Percurre nunc diem tuum cum illâ, & vide ſingula opera, v.g. quomodo in oratione, cubiculo, per domum, ambulando, colloquendo, edendo, dormiendo, &c. ſe habuerit. Ex hâc virtute, puriſſima ſequebatur intentio, cuius defectu

Puritas.

Luc. 1.

Profectus

vide

videquàm ſæpè tua opera inficiantur. Nullius creaturæ amore inordinatè tenebatur, ſed ſenſualitati vbiq; reſiſtebat. quod vnicum impedimentum amoris Dei in te recognoſce; *Humilitatem exerce*, vt ſupr. vel dic: *O Maria*. vt infr.pag.1029.

Charitas proximi. PARS II. Conſidera Primò, quomodo B. Virgo erga homines omnes afficiebatur, ſummo ſcilicet affectu, tum ex naturæ ſimilitudine, tum quòd eſſent imago Dei ſuiq́ue filii, hereditas eius, & proinde etiam ſuo ſanguine redempti. *Quomodo erga bonos afficeretur.* Vide quo affectu bonos intuebatur, nempe vt ſubditos, amicos & filios ſibi in cruce commendatos: inſpice cogitationes eius, & audi ſuauiſſima zelo pleniſſima verba. Nulla mater ſic filios, vt ipſa eos, amabat, & amat: vti amantiſſima mater iis gratulabatur, & eorum lucra, vt ſua bona reputabat, & ad Deum omnium fontem recurrebat, & gratias agebat. Verum, vt eſt amor ſollicitus, videns poſſe deficere, vehementi oratione Deum Patrem Filiumq́ue rogabat, dicens: Conſerua hoc Deus quod operatus es in nobis, &c. Imitare & dic: *O Maria*, vt inf.pa.1029.

Quomodo erga malos Patientia. Secundò, ſi malos videbat, multâ amaritudine cordis, ſed tamen dulcedine amoris plena, iis compatiebatur: omnia in melius interpretabatur; patienter tolerabat, cogitans ſibi idem accidere potuiſſe; ſanè vt imagines Dei diligebat, & velut ambulantes in crepidine putei infernalis, circumdatos vinculis peccati & dæmonibus videbat, ac retrahere, conuertere & animare conabatur: *Zelus animarum.* & ad Deum conuerſa ardentiſſimo zelo ſuccenſa æſtuabat. O quoties cum Paulo optabat anathema eſſe; cum Moyſe, deleri de libro vitæ, vt illi viuerent. In me, aiebat amantiſſima mater, ſit maledictio; fili mi, parce, parce! Obſecro te, vide ardentiſſimum & pientiſſimum pectus, aſpice vt lacrymoſis oculis & amoris ſagittis ſurſum miſſis pro peccatorum conuerſione ſit ſolita orare, & pro tuâ orârit, & ei gratias age, & dic: *O Maria*, vt infr.pag.1029. Poſtea vbi poterat peccatores

res ſereniſſimo vultu & ſuaui eloquio ſuper mel & fauum hortare & trahere conabatur. O quomodo, quo amplexu, & gaudio pœnitentem Magdalenam ſuſcepit! quo Petrum lapſum! quo te prodigum & derelictum! &c. Gratias age, & dic: *O Maria*, vt inf.pag. 1029.

Tertiò, ſi videbat pauperes, nunquid putas eos particulariter amabat, vt filio ſimiliores? vti Reges regum filios maiori beneuolentiâ proſequuntur? O quàm libenter cum iis verſabatur, filium imitata, qui paſtores, piſcatores & pauperes vocabat, euangelizabat. Si diuites & potentes videbat, illorum ſortem miſerabatur, cogitando illa filij ſui amantiſſimi verba: Væ vobis diuitibus; & aiebat: O quàm eſt difficile diuites intrare in regnum filii mei! Imitare, & roga vt gratiam tibi impetret. *O Maria*, vt infr.pag. 1026. Erga Superiores admodum erat affecta, ac proinde magnâ reuerentiâ eos proſequebatur; eiſque cum amore & gaudio parebat ad nutum. vt declarauit primò in parentibus, inde Præfectis templi, tum S. Joſepho: nihil quoad poterat, ſine eorum faciebat arbitrio, ſed per plenam abnegationem in voluntatem Dei ſe reſignabat, eam medullitus amplectebatur cum magna in Deum fiducia: vt clariſſimè docuit in Incarnatione, item dum in Ægyptum eundum, & inde fuit redeundum, &c. Tu obedientiæ affectum exerce, & dic: *O Maria*, vt inf.pag. 1029.

Quomodo erga paupe-res affecta.

Quomodo erga Superiores.

PARS III. Conſidera quomodo erga omnia creata fuerit affecta, ita certè, vt nihil appeteret, fugeret, optaret, niſi in quantum Deus vellet, & ad eius purum honorem pertineret; vnde quocumque euentu quieta & libera erat: nihil enim creaturis, ſed Deo immediatè, & Dei prouidentiæ aſſignabat, eique ſe æquo ac imperturbato animo ſupra viciſſitudines rerum humanarum ſecura committebat; vide vt paupertatem in filii natiuitate & reliquâ vitâ, deinde exilium, & perſecutiones ſuas & filij tolerârit. Tu in patientia te exerce, & dic: *O Maria*, vt infr.pag. 1029.

Quomodo erga creata affecta.

Mortificatio.

Secundò, conſidera quantâ in omnibus ſenſibus mortificatione vſa fuerit, quomodo eorum oblectamenta fugerit. Vide hîc ambulantem, loquentem, laborantem, orantem, & contemplare oculorum modeſtiam, ſilentium, aut breuem, ſuauem, & pacificum ſermonem. Vnum enim quærebat, & in vno omnia inueniebat. O Domina mea, & verè ſuauiſſima Mater, quàm beata anima illa quæ te Reginam cæli in iſtis imitari conatur! Conor, ſed eheu dereliquerunt me vires meæ. *O Maria*, vt infr. pag. 1029.

Charitas Dei.

Poſtremò conſidera, quo erga Deum fuerit affectu; verè puriſſimus amor eius erat, quo vrgente, vanis omnibus phantaſiis excluſis libero mentis volatu in omni loco ac tempore mentem leuabat, vnam Dei voluntatẽ volebat, & collectis animæ viribus intra ſe habitabat, & ſimul in Deo manebat, & eructabat verbum bonũ, & cũ ardentiſſimè amabat & laudabat. Nihil amabat niſi Deũ quaſi Deus ſolus & ipſa ſola in mundo eſſent, ſiue domi, ſiue foris, vbique Deo erat intenta, & ſẽper videbat faciem Patris habendo cor eleuatũ in eum & ſupra omnia humana: hoc perfectionis compendium omnes dicũt. Crede & ſequere & dic: *O Maria*, vt infr. pag. 1029.

Conſidera etiam dulciſſimos affectus amoris quos in Chriſti infãtiâ exercuerit in Bethlehem, in Ægypto, in Nazareth, amplexus, oſcula, obſequia dulciora ſuper mel & fauum. Tu etiam Chriſti infantiam mente percurre, & imitare matrem vt à filio diligaris, & dic, *O Maria*, vt inf. pag. 1029. Tertiò conſidera iam quanta maieſtas & dignitas B. Mariæ; & finge tibi hominẽ ſecundùm corpus, pulcerrimum mortalium & abſolutiſſimum; ſecundùm animam, eiuſq; potentias, perfectiſſimum, quiq; omnes omnium Sanctorum virtutes, v.g. humilitatem S. Franciſci, Pauli charitatem longè ſuperaret; & gratiam haberet, quâ in Deum planè transformaretur; & decorẽ, quo omnes Angelos & Sanctos ſuperaret; quanti hunc faceres? quid ſi illum inſuper

Dignitas B. Virginis

Deus

Deus ſummis honoribus dignaretur, & in eo ornando totus foret, eique omnes ſubiicere vellet, quantus is foret! Cùm hæc cogitâris, leuiſſimè adumbraſſe te nôveris abyſſum gratiæ, pulcritudinis oceanum, gratiarum theſaurum, Dei (inquam) matrem, quo titulo nullus eſſe maior poteſt: ac proinde ſcias Deo gratius hanc vnam coli, quàm omnes Angelos & Sanctos: hancq; vnam eſſe Deo gratiorem & magis charam (eſt enim mater Dei) quàm omnes ſimul, vt luna plus omnibus ſtellis lucet. ac proinde ei te conſecra toto corde & totâ mente: ſi enim quod vni ex minimis eius fit, illius filius ſibi fieri dixit, quanto quanto magis quod ſuæ fit matri ſanctiſſimæ? *O Maria*, vt hîc infrà. *Quàm gratum ſit Deo coli matronā eius.*

Conſidera quæ beneficia à B. Virgine acceperis, tu & tui in omni ætate, & gratias age, & vide vt nullus prope ſit angulus orbis, vbi non clareat miraculis, & ſingularia conferat beneficia, & fiduciam excita. Conſidera deinde, quæ non Sancti N. ab illâ impetrarint, & quem affectum erga eam geſſerint, vt meritò dicatur, illius peculiari cultui deditum eſſe, non leue ſignum eſſe prædeſtinationis. Tu ergo id ſtude acquirere omni ardore. Conſidera denique quomodo S. Spiritus Eccleſiæ inſpirârit hunc cultum hyperduliæ, vt apparet primò in *Salue Regina*. Secundò in tēplis, feſtis, ſodalitatibus, ordinibus ad hoc erectis; in omni officio. Miſſis, horis, pſalteriis, roſariis, in pulſu trino per diem, &c. Et vide quo pacto Eccleſiam audias, quomodo augere cultum eius queas, & certam hoc pacto facere vocationem tuam.

Oratio ad B. Virginem.

O Maria Regina cæli & terræ, & quod peccatori dulcius ſonat, miſericordiæ Mater, tu mea es & ſpes omnium in te ſperantium, & refugium omnium miſerorum; ne auerſeris ergo me miſerum, miſericordiæ mater, memento quòd miſericordia tua de miſerorum numero in filiorum tuorum ſortem cupiam transſire, & virtutes tuas N. ſic imitari per gratiam

filii tui. O quàm doleo propter amorem filii tui Dei mei, de corpore & peccatis meis! ſed venio, ô mater, ô ciuitas refugij ad te, & poſt Deum omnem ſpem in te colloco; & me toto corde deuoueo tibi obſequioq́ tuo. Ad te enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad præſidium, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno; & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequuntur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cælo, vt reſarciantur; & qui in inferno, vt eripiantur; qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inueniantur, & qui ſequuntur, vt glorificentur. Eò beatam te dicunt omnes generationes, genitrix Dei, Domina mundi, cæli Regina, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, iuſti gloriam, peccatores veniam inueniunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ; quia per te, & in te, & de te, benigna manus Omnipotentis quidquid creauerat recreauit. Ego tali animatus fiduciâ, Mater pientiſſima, venio ſicuti ad vnicum aſylum & refugium meum, reſpice, precor, ad ſerui tui & filij ancillæ tuæ preces: reſpice ad neceſſitates has meas, & dirige pedes in ſemitam mandatorum filii tui.

Prou. 8. *Nunquid ab æterno ordinata es, & antequam terra fieret, vt ad te oculos attolleret, quem premeret culpa, deprimeret afflictio; peccati reus, ſalutis incertus, & ab omnibus derelictus, vt in te, & per te inueniret reus veniam, afflictus conſolationem, derelictus aſylum, inſipiens ſapientiam, peccator iuſtitiam, iuſtus perſeuerantiam? Vrbs verè refugij, portus naufragantium, & ſolatium omnium in te ſperantium. Tu ſtella maris, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius fulgor & perfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Tu, inquam, es præclara & eximia ſtella, ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum neceſſariò ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O anima mea, quæ intelligis te in ſæculi huius profluuio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per*

Ber. hom. 2. ſuper Miſſus.

terram

terram ambulare; ne auertas oculos à fulgore huius ſideris, ſi non vis obrui procellis, ſi inſurgant venti tentationũ, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam; ſi iactata ſuperbiæ vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice ſtellam, voca Mariam; ſi acedia, iracundia aut auaritia, aut carnis illecebra naniculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariã; ſi criminũ immanitate turbata, conſcientiæ fœditate confuſa, iudicis horrore perterrita, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam. In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis ſuffragium, ne deſeras eius conuerſationis exemplum: ipſam ſequens, non deuias; ipſam rogans, non deſperas; ipſam cogitans, non erras; ipſâ tenente, non corruis; ipſo protegente, non metuis; ipſâ duce, non fatigaris; ipſâ propitiâ, peruenis; & ſic intemetipſo experiris, quàm meritò dictum ſit, Et nomen Virginis Maria.

Verè ſtella maris es, ô Domina mea & pulcerrima aurora conſurgens, nuncia ſolis Domini IESV, *nuncia verè ſalutis. O felix ſidus ſedentibus in regione & vmbrâ mortis! Tu Domina es; nam & hoc ſonat nomen tuum, nos ſerui tui; tu Regina es, nos clientes tui; tu es ſpes vniuerſæ terræ, tu honorificentia gentis noſtræ, tu gloria Ieruſalem: multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas. Tu velut Eſther Aſſuerum, Deum Patrem placaſti, & inueniſti gratiam in oculis eius. Tu Iudith vera Holofernem diabolum ſuperaſti. Recordare, Domina, quòd propter nos, & ex nobis exaltata ſis: tu ſoror, tu mater noſtra es, tu tota pulcra es, formoſa, & macula non eſt in te, vt cùm inueneris gratiam apud Deum, nos eheu! miſericordiam inueniamus per te, Mater noſtra, apud Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis filium tuum, redemptorem noſtrum.* Prou. 31. Eſter. 2. Cant. 4.

Hodie ſpero oportet eum in domo meâ manere. quid verò apponam ei pauper & miſer, ô benigniſſima mater? In deſerto Angeli miniſtrabant ei de cibis quos coxeras, ſicut tu &

illi velle cum nouerant. Itaque Domina mea, obſecro te, recordare paupertatis meæ, & impetra mihi vt habeam quod ponam ante illum, & placeat illi cor meum, & frigida hæc deſideria mea in terra deſerta, inuia & inaquoſa. Vinum non eſt in nuptiis his, ſed memento quæſo priſtinæ benignitatis tuæ. Et *verò quomodo poſſes obliuiſci nos qui ſumus de familia, & de domo Patris tui? introduxit enim te Rex in cellam vinariam, & ordinauit in te charitatem, vt quantum exaltata es ſuper cælos, tantum miſericordiæ radiis ſplendeas in terris. Tu es enim mater pulcræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei: in te gratia omnis viæ & veritatis, in te omnis ſpes vitæ & virtutis. Meritò igitur ad te leuaui oculos meos, quæ habitas in cælis, & omnia gubernas in terris. Tu, ſi vis, potes me iuuare: omnia tibi data ſunt à filio tuo; vt dicat iure ſeruus quidã tuus:* Ex *ore tuo pendet conſolatio miſerorũ, redemptio captiuorum liberatio damnatorum, ſalus denique vniuerſorũ. Altiùs ergo intueor quanto deuotionis affectu à nobis te voluerit honorari, qui totius mundi pulcritudinem in te poſuit, ô Maria: vt ſi quid ſpei, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis in nobis ſit, à te nouerimus redundare.*

Eccli. 24.

Ber. hom. 4. ſuper Miſſus.

Ber. ſerm. de natiuit. Virg.

Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorũ affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, anima mea, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariã; hæc, inquã, voluntas eius eſt, ſed pro nobis. In omnibus ſiquidẽ benignitas eius, & per omnia prouidens miſeris, tentationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiã abigit, erigit puſillanimitatẽ. Virgo, regia via eſt, per quam ad nos Saluator venit, procedens ex eius vtero, tamquã ſponſus de thalamo. Tenentes ergo viã, ô anima mea, ſtudeamus & nos per eã ad ipſum aſcendere, qui per ipſã ad nos deſcendit; per eam venire in gratiã ipſius, qui per eam in noſtrã miſeriam aduenit. Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia qui quærit inuenit, & fruſtrari non poteſt.

Ber. ſerm. de Aduent.

Aduocatum vis habere ad Chriſtũ, ô anima mea? ad Mariam recurre; exaudiet certè matrem filius. Cæterùm quidquid illud eſt, quod offerre paras, Mariæ commẽdare memẽto,

ſi non

ſi non vis ſuſtinere repulſam. Hæc peccatorũ ſcala, hæc mea, ô Domina, maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Sileat miſericordiã tuã, Virgo beata ſi quis eſt qui inuocatã te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. A ſæculo non eſt auditũ, quemquam ad tua currentem præſidia tua implorantẽ auxilia, tua petentẽ ſuffragia, à te eſſe derelictũ. Sit igitur pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipſã quam apud Deũ inueniſti gratiã notam facere mundo, reis veniam, medelã ægris puſillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adiutoriũ, & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo. Amen. De aſſum. B. Virg. ſerm. 4.

Praxis colendi B. Virginem.

PRIMA. Habere in numerato beneficia, quæ per eam obtinuimus, atq; his ignem charitatis eius fouere in pectore noſtro, & diebus eius feſtis ſolemnem memoriã facere, ac gratitudinem animi declarare. *Beneficia à B. Virgine accepta annotanda.*

Secunda. Ex gratitudinis & amoris affectu Sodalitati nomen dare, & leges ſeruare, ac conari aliquos inducere ad illius peculiarem cultum, maximè Sodalitatis erectionẽ, aut propagationem curare. Triſte certè eſt, videre honori duci, & ambitioſè peti, aliquâ ratione aſſcribi Principũ familiæ, ſocietati ſagittariorũ & eiuſmodi; & ægrè adduci poſſe vt B. Virginis Sodalitati ſe quis adiungat, Moleſtiam fingere, & fugere aliquam, eſt affectum exiguum erga Salutis certiſſimum præſidium profiteri. *Sodalitati nomen dare expedit.*

Tertia. Sæpè Salutationem Angelicam recitare. Sancta Margareta Hungarica ad ſingulas imagines B. Virginis accurrens flexis genibus eam pronunciabat: B. Catharina Senenſis, etiam infantula, ad ſingulos gradus: idq́ue gratulando ei maternitatem Dei, in quo priuilegio omnia continentur. Ideò S. Odilo ad illum Hymni, *Te Deum*, verſum, *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis vterum*: demiſſè ſe flectebat: poſſetq́ue quis in ſecreto terram oſculari. Quamuis autem vario fine illam Salutationẽ frequentare licet; tamẽ cùm Maria Virgo ſola cunctas hæreſes interemerit in vniuerſo mundo; pro iis extipandis, & Eccleſiæ defenſione, ſæpè id faciendum eſt. *Angelicæ orationis fructus.*

Quarta. Nihil aggredi, quin illi & per illam primitiæ Deo offerantur. *Offer Deo per B. Virg. tua munera.*

Quinta. Manè & veſperi, ac in prandio, dum pulſatur, eam ſibi præſentẽ facere, benedictionẽ ab ea petere: cui

 enim

enim illa benedixerit, erit benedictus: & iterum per orationem, *Sancta Maria*, eã in patronam eligere: & vota, qui Religioſus eſt, mente renouare in manibus eius.

Tria quotidie fac pro B. Virg. Praxes variæ. Indulgentiæ dicentium Aue.

Sexta, Tria quotidie facere ad eius honorem. Primum, legere aliquas preces, v. g. quinque Pſalmos, quorum initiales litteræ reſpõdent litteris nominis eius, vel Antiphonam, vel Pſalterium D. Bonauenturæ, vel Horas B. Virginis: ſalutare eam in egreſſu cubiculi, domus, & occurrente imagine eius: Litanias recitare pro felici morte; *Magnificat* pro gratulatione de gloria, & dignitate eius. Pontifex Paulus V. conceſſit recitantibus *Aue* ad horæ pulſum centum dies Indulgentiarum. Secundum, facere aliquam mortificationem, tum corporalem, tum animi; vt ſequaris conuerſationis Mariæ exemplũ, maximè verò imagines turpes eliminare, & pias ſubſtituere. Ieiunium Sabbatinum ab omnibus ferè probis vſurpatur, immò in pluribus regnis ab omnibus ſeruari ſolitum. Tertium, facere aliquam eleẽmoſynam corporalem, aut ſpiritualem, dotare virgines nubiles, aut ad Religionem adſpirantes, ſanè laudabile, vti & facere ſermonẽ crebrò de miraculis & cultu B. Virginis, cùm publicè dicendum. Roſarium recitare, ad orationem quidem refertur, ſed peculiarem tractationem deſiderat, quam longiorem cùm aliis, vt breuior ſim, in aliud tempus reiicio, cùm Domino viſum fuerit.

Septima, Circa lectionem roſarii verbum tantùm addam; nimirum vt in aliis orationibus, ſic & in hac præparationẽ aliquam neceſſariam videri: ac Primò, præſentiæ Dei renoua memoriam; Secundò, myſterium aliquod breui ſpatio expende. Primò, ad *Credo*, fidem viuam excita: deinde in tribus Salutationibus primis ſpem, reſignationẽ & charitatem: ad orationem Dominicam, vt aliqui, intentionem etiam potes renouare, vel ſalutare vulnera Chriſti: deinde Salutationem Angelicam, vt B. Virgini præſenti, recita. Potes etiam cum variis Sanctorum choris id facere, v. g. in Prima decade, cum Angelis; Secunda, cum Patriarchis; Tertia, cum Apoſtolis; Quarta, cum Martyribus, Quinta, cum Confeſſoribus; Sexta, cum Virginibus. Sunt qui virtutem aliquam, per eam vt matrem optimam in ſingulis myſteriis petunt, & eamdem ab illa commodant: ac, cùm dicunt *Aue Maria*, mente addunt, *humillima*, v. g. Myſteria vulgò hæc aſſignantur:

Gaudij.

1. Annuntiatio Dominicæ incarnationis. 2. Viſitatio Eliſabeth. 3. Natiuitas Domini. 4. Oblatio Chriſti in templo. 5. Inuentio pueri IESV inter Doctores.

1. Oratio & captiuitas Chriſti in horto. 2. Flagellatio, 3. Co-

ro-

ronatio.4.Baiulatio crucis.5. Crucifixio & mors Chriſti.
1. Reſurrectio Domini. 2. Aſcenſio eius in cælum. 3 Miſſio Spiritus ſancti.4.Aſſumptio B.Mariæ in cœlum. 5. Coronatio B. Mariæ.

Ludouici Bloſij Roſarium,ſeu ſertum B.Virginis Mariæ quinque-partitum, vitâ & geſtis IESU Chriſti pulcrè exornatum.

PARS I.

PAter noſter,*&c.* Aue Maria,*&c. O benigniſſima & ſuauis Maria,Placa clementiſſimum Rédemptorē noſtrum* IESUM, *quē tu Virgo puriſsima Angelo nuntiante de Spiritu ſancto in ciuitate Nazareth concepiſti, ac nouem menſibus in caſtiſſimo vtero tuo geſtaſti.Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESU *Chriſto placeamus,& eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria,*&c.O benigna & ſuauis Maria,Placa clementiſſimū Redemptorem noſtrū* IESUM, *quo concepto, tu Deo plena ad Eliſabeth cognatam tuā cum feſtinatione perrexiſti, & eam ſalutaſti,eiq;humiliter ſeruiuiſti.Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESU *Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria,*&c. O benigna & ſuauis Maria,placa clementiſſimum Redemptorem noſtrū* IESUM, *quē in Bethleem,in vili ſtabulo tu Virgo inuiolata non ſolùm ſine dolore,ſed etiā cum ineffabili gaudio peperiſti, natumq; mox vt verū Deum deuota mente adoraſti,Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESU *Chriſto placeamus,& eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria,*&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorum noſtrum* IESUM,*quem infantulum vagientem lacte pauiſti,panniculiſq; inuolutum in præſepio ſuper fœnum & ſtipulas reclinaſti.Fac ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus,& eū téque videre mereamur in cælis.Amē.*

Aue Maria,*&c.O benigna & ſuauis Maria,placa clementiſſimū Redemptorem noſtrum* IESVM, *quem recens natum Angeli paſtoribus gratulabundi nuntiauerunt: & eum lætis vocibus collaudantes,pacem hominibus bonæ voluntatis cecinerunt. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus,& eum teq;videre mereamur in cælis,Amen.*

Aue Maria,*&c.O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrū* IESUM, *quem paſtores feſtinanter pergentes in Bethleem,inuenerunt poſitum in præſepio,& eū adorauerunt cum ingenti admiratione & gaudio. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teq;videre mereamur in cælis,Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimũ Redemptorẽ noſtrũ* Ieſum, *qui octauo à natiuitate ſuâ die dignatus eſt puriſſimũ ſanguinẽ pro nobis fundere & circũcidi, atq; ad noſtram conſolationem* Ieſus *nominari. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimũ Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem Magi ab Oriente venientes piè quæſierunt, & magno gaudio perfuſi ſtellâ duce in Bethlehem inuenerunt: ibiq; illum humiliter adorantes, aurum, thus, & myrrham deuotè ei obtulerunt. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem die quadrageſimo in templum iuxta legis præſcriptum detuliſti, & hoſtiâ pauperum redemptum Deo Patri gratiſſimo corde obtuliſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem in Ægyptum propter metum Herodis, monitu Angeli mater fideliſſima deportaſti, tandemq; eum inde in ciuitatem Nazareth retuliſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paraclito, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne ſæculum. Amen.

PARS II.

PAter noſter, &c. Aue Maria, &. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem tu Virgo Mater, cùm eſſet annorum duodecim, in Ieruſalem perdidiſti, & eum mæſta requirens, poſt triduum in templo læta inueniſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem tibi ſubditum maternâ curâ ſedulò enutriſti, & nihilominùs ei tanquam altiſſimo Deo ſanctam reuerentiam ſemper exhibuiſti. Fac vt ipſi dulciſſimo Filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria,&c. *O benigna & ſuauis Maria,placa clementiſſimum Redemptorē noſtrum* Ieſum,*qui anno ætatis ſuę triceſimo in Iordane flumine humiliter à ſeruo ſuo Ioannę baptizari voluit, cùm amen ipſe innocens Agnus Dei nullam vnquam peccati maculam contraxerit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo.* Ieſu *Chriſto placeamus,& eū téquę videre mereamur in cælis Amen.*

Aue Maria,&c. *O benigna & ſuauis Maria,placa clementiſsimum Redemptorem noſtrum* Ieſum,*qui in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus nihil manducans ieiunauit,ſicq́ cum feris Dominus cæli & terræ habitauit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus,& eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria,&c.*O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui pro ſalute noſtrâ tentari à diabolo nō recuſauit,& quomodo Satanam vincere nos oporteat,demōſtrauit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus,& eū téque videre mereamur in cælis. Amen.*

Aue Maria,&c.*O benigna & ſuauis Maria placa clementiſſimū Redemptorē noſtrū* Ieſum,*qui per vrbes, vicos, & caſtella iter faciens,Euangelium regni cælorum ſtudiosè prædicauit, & labores faigationemq́; corporis propter nos libenter ſuſtinuit, Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq́ue videre meamur in cælis, Amen.*

Aue Maria,&c. *benigna & ſuauis Maria,placa clementiſſimum Redemptorē noſtrum* Ieſum,*qui crebrò in oratione pernoctauit;& famem ſitim,frigus,æſtum,variaſq́; perſecutiones mitiſſimo corde noſtrâ cauſâ pertulit, Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus,& eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria &c.*O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum.Redemptorum noſtrum* Ieſum,*qui conuerſans inter homines omnibus afflictis miſericorditer ſubuenit, ac ſigna plurima fecit,& Mariæ Magdalenæ,aliiſq́;peccatoribus verè pœnitentibus veniam promptiſſimè dedit, ſéque eis familiarem præbuit.Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téq;videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria,&c.*O benigna & ſuauis Maria,placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum,*qui coràm tribus diſcipulis in monte transfiguratus,facie ſicut ſol refulſit, & excellentiam glorioſi corporis magnificè oſtendit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus,& eum teq́; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria,&c.*O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimū Redemptorem noſtrum* Ieſum,*qui veniens Hieroſolymā vt pro nobis pateretur, rex humilis & manſuetus aſinæ inſedit,atquę*

que inter laudes, quæ ei à populo canebantur, videns ciuitatem lacbrymas effudit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paraclito, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne ſæculum, Amen.

PARS III.

PAter noſter, &c. Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, Placa clementiſſimũ Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui in cœna nouiſſima pedes diſcipulorũ ſuorum poſitis genibus humiliter lauit: & præcellentiſſimum Eucbariſtiæ Sacramentum inenarrabili charitate inſtituit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis* Maria, *placa clementiſſimum Redemptorẽ noſtrum* Ieſum, *qui ingreſſus cum diſcipulis ſuis in hortum Oliueti, maximâ triſtitiâ propter nos correptus fuit: & prolixè orans, ſudorẽ ſanguineũ præ vehementia anguſtiarũ toto corpore ſudauit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amẽ.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorẽ noſtrum* Ieſum, *qui inimicis ſuis obuiã proceſſit, eiſq; vltrò ſe obtulit, & à Iuda proditore oſculum accipere non renuit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorẽ noſtrũ* Ieſum, *quem viri impii irreuerenter comprehenderunt, & tamquam malefactorem ac latronẽ duris vinculis ignominiose ligauerunt. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eũ teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Ave Maria, &. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorẽ noſtrum* Ieſum, *qui vinctus ad pontificem cum opprobrio adductus fuit, & ab vno miniſtrorum eius atrocem alapam ſuſcepit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorẽ noſtrum* Ieſum, *qui in domo Caiphæ falſis teſtibus fuit preſſus, & putentibus ſputis fœdatus, & ludibrioſè velatus, & colaphis alapiſq; inhumaniter cæſus, ac blaſphemiis indigniſſimè affectus. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amẽ.*

Aue Mariâ, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui contemptibiliter ductus*

ductus ad Pilatum, demiſſo placidoq; vultu coram eo ſtetit, & ad falſas Iudæorum accuſationes humiliter tacuit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum, quem Herodes ad ſe miſſum ſapienterq; coram ſe ſilentem ſpreuit, & alba ridiculaq; veſte tamquam fatuū induit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus: & eum teq; videre mereamur in cælis. Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtum Ieſum, qui in prætorio fuit dedecorosè nudatus, & ad columnam inclementer ligatus, & flagris crudeliſſimè conſciſſus, proprióque ſanguine miſerabiliter cruentatus. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorum noſtrum Ieſum, quem homines iniqui clamyde purpureâ ad maius ludibrium veſtierunt, & acutis ſpinis cornauerunt, & nugatoriè adorauerunt atque ſubſannauerunt, & arundine percuſſerunt, ac fœdè conſpuerunt, & diris alapis ceciderunt. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo IESV Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paracleto, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne ſæculum, Amen.

PARS IV.

PAter noſter, &c. Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum, qui geſtans coronam ſpineam & purpureum veſtimentum, è prætorio fuit à Pilato productus, & Iudæis oſtenſus, atque ab eis ad mortem crucis magno turbulentóque clamore poſtulatus. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum Ieſum, quem Pilatus morti iniuſtè adiudicauit, voluntatiq; Iudæorum tradidit. Ipſe ergo mox ab eis trabe crucis oneratus, ignominioſum hoc lignum laceris humeris ſuis cum ingenti cruciatu patienter baiulauit, factuſq; opprobrium hominum & abiectio plebis, humiliter ad Caluariā perrexit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo IESV Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.

Aue Maria, &c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum IESVM, qui in loco Caluariæ myrrhato felléque vino fuit potatus, ac veſtibus probrosè nudatus, & manus ac pedes clauis atrociter perterebratus, cruciq; affixus

Secundò, conſidera quantâ in omnibus ſenſibus mortificatione vſa fuerit, quomodo eorum oblectamenta fugerit. Vide hîc ambulantem, loquentem, laborantem, orantem, & contemplare oculorum modeſtiam, ſilentium, aut breuem, ſuauem, & pacificum ſermonem. Vnum enim quærebat, & in vno omnia inueniebat. O Domina mea, & verè ſuauiſſima Mater, quàm beata anima illa quæ te Reginam cæli in iſtis imitari conatur! Conor, ſed eheu dereliquerunt me vires meæ. *O Maria*. vt infr. pag. 1029.

Charitas Dei.

Poſtremò conſidera, quo erga Deum fuerit affectu; verè puriſſimus amor eius erat, quo vrgente, vanis omnibus phantaſiis excluſis libero mentis volatu in omni loco ac tempore mentem leuabat, vnam Dei voluntatē volebat, & collectis animæ viribus intra ſe habitabat, & ſimul in Deo manebat, & eructabat verbum bonū, & cū ardentiſſimè amabat & laudabat. Nihil amabat niſi Deū quaſi Deus ſolus & ipſa ſola in mundo eſſent, ſiue domi, ſiue foris, vbique Deo erat intenta, & ſēper videbat faciem Patris habendo cor eleuatū in eum & ſupra omnia humana: hoc perfectionis compendium omnes dicūt. Crede & ſequere & dic: *O Maria*, vt infr. pag. 1029.

Conſidera etiam dulciſſimos affectus amoris quos in Chriſti infātiâ exercuerit in Bethlehem, in Ægypto, in Nazareth, amplexus, oſcula, obſequia dulciora ſuper mel & fauum. Tu etiam Chriſti infantiam mente percurre, & imitare matrem vt à filio diligaris, & dic, *O Maria*, vt inf. pag. 1029. Tertiò conſidera iam quanta maieſtas & dignitas B. Mariæ: & finge tibi hominē ſecundùm corpus, pulcerrimum mortalium & abſolutiſſimum; ſecundùm animam, eiuſq; potentias, perfectiſſimum, quiq; omnes omnium Sanctorum virtutes, v.g. humilitatem S. Franciſci, Pauli charitatem longè ſuperaret; & gratiam haberet, quâ in Deum planè transformaretur; & decorē, quo omnes Angelos & Sanctos ſuperaret; quanti hunc faceres? quid ſi illum inſuper

Dignitas B. Virginis

Deus

Deus ſummis honoribus dignaretur, & in eo ornando totus foret, eique omnes ſubiicere vellet, quantus is foret! Cùm hæc cogitâris, leuiſſimè adumbraſſe te nôueris abyſſum gratiæ, pulcritudinis oceanum, gratiarum theſaurum, Dei (inquam) matrem, quo titulo nullus eſſe maior poteſt: ac proinde ſcias Deo gratius hanc vnam coli, quàm omnes Angelos & Sanctos: hancq; vnam eſſe Deo gratiorem & magis charam (eſt enim mater Dei) quàm omnes ſimul, vt luna plus omnibus ſtellis lucet. ac proinde ei te conſecra toto corde & totâ mente: ſi enim quod vni ex minimis eius fit, illius filius ſibi fieri dixit, quanto quanto magis quod ſuæ fit matri ſanctiſſimæ? *O Maria*, vt hîc infrà. *Quàm gratum ſit Deo coli matrem eius.*

Conſidera quæ beneficia à B. Virgine acceperis, tu & tui in omni ætate, & gratias age, & vide vt nullus prope ſit angulus orbis, vbi non clareat miraculis, & ſingularia conferat beneficia, & fiduciam excita. Conſidera deinde, quæ non Sancti N. ab illâ impetrarint, & quem affectum erga eam geſſerint, vt meritò dicatur, illius peculiari cultui deditum eſſe, non leue ſignum eſſe prædeſtinationis. Tu ergo id ſtude acquirere omni ardore. Conſidera denique quomodo S. Spiritus Eccleſiæ inſpirârit hunc cultum hyperduliæ, vt apparet primò in *Salue Regina*. Secundò in tẽplis, feſtis, ſodalitatibus, ordinibus ad hoc erectis; in omni officio. Miſſis, horis, pſalteriis, roſariis, in pulſu trino per diem, &c. Et vide quo pacto Eccleſiam audias, quomodo augere cultum eius queas, & certam hoc pacto facere vocationem tuam.

Oratio ad B. Virginem.

O Maria Regina cæli & terræ, & quod peccatori dulcius ſonat, miſericordiæ Mater, tu mea es & ſpes omnium in te ſperantium, & refugium omnium miſerorum; ne auerſeris ergo me miſerum, miſericordiæ mater, memento quòd miſericordia tua de miſerorum numero in filiorum tuorum ſortem cupiam tranſire, & virtutes tuas N. ſic imitari per gratiam

Ttt 2 filii

filii tui. O quàm doleo propter amorem filii tui Dei mei, de torpore & peccatis meis! ſed venio, ô mater, ô ciuitas refugij ad te, & poſt Deum omnem ſpem in te colloco; & me toto corde deuoueo tibi obſequioq́ tuo. Ad te enim ſicut ad medium, ſicut ad arcam Dei, ſicut ad præſidium, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno; & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequuntur, & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi qui ſunt in cælo, vt reſarciantur; & qui in inferno, vt eripiantur; qui præceſſerunt, vt Prophetæ fideles inueniantur, & qui ſequuntur, vt glorificentur. Ecce beatam te dicunt omnes generationes, genitrix Dei, Domina mundi, cæli Regina, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuiſti. In te enim Angeli lætitiam, iuſti gloriam, peccatores veniam inueniunt in æternum. Meritò in te reſpiciunt oculi totius creaturæ; quia per te, & in te, & de te, benigna manus Omnipotentis quidquid creauerat recreauit. Ego tali animatus fiduciâ, Mater pientiſsima, venio ſicuti ad vnicum aſylum & refugium meum; reſpice, precor, ad ſerui tui & filij ancillæ tuæ preces: reſpice ad neceſsitates has meas, & dirige pedes in ſemitam mandatorum filii tui.

Prou. 8. *Nunquid ab æterno ordinata es, & antequam terra fieret, vt ad te oculos attolleret, quem premeret culpa, deprimeret afflictio; peccati reus, ſalutis incertus, & ab omnibus derelictus, vt in te, & per te inueniret reus veniam, afflictus conſolationem, derelictus aſylum, inſipiens ſapientiam, peccator iuſtitiam, iuſtus perſeuerantiam? Vrbs verè refugij, portus naufragantium, & ſolatium omnium in te ſperantium. Tu ſtella maris, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius fulgor & perfulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia. Tu, inquam, es præclara & eximia ſtella, ſuper hoc mare magnum & ſpacioſum neceſſariò ſubleuata, micans meritis, illuſtrans exemplis. O anima mea, quæ intelligis te in ſæculi huius profluuio magis inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per*

Ber. hom. 2. ſuper Miſſus.

terram

terram ambulare ; ne auertas oculos à fulgore huius ſideris, ſi non vis obrui procellis, ſi inſurgant venti tentationũ, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam; ſi iactata ſuperbiæ vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice ſtellam, voca Mariam ; ſi acedia, iracundia aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariã; ſi criminũ immanitate turbata, conſcientiæ fœditate confuſa, iudicis horrore perterrita, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam. In periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca : non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis ſuffragium, ne deſeras eius conuerſationis exemplum : ipſam ſequens, non deuias; ipſam rogans, non deſperas ; ipſam cogitans, non erras; ipsâ tenente, non corruis; ipſo protegente, non metuis; ipsâ duce, non fatigaris; ipſâ propitiâ, peruenis; & ſic in temetipſo experiris, quàm meritò dictum ſit, Et nomen Virginis Maria.

Verè ſtella maris es, ô Domina mea & pulcerrima aurora conſurgens, nuncia ſolis Domini IESV, *nuncia verè ſalutis. O felix ſidus ſedentibus in regione & vmbrâ mortis! Tu Domina es; nam & hoc ſonat nomen tuum, nos ſerui tui; tu Regina es, nos clientes tui ; tu es ſpes vniuerſæ terræ, tu honorificentia gentis noſtræ, tu gloria Ieruſalem: multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Prou. 31. *Tu velut Eſther Aſſuerum, Deum Patrem placaſti, & inueniſti gratiam in oculis eius. Tu Iudith vera Holofernem diabolum ſuperaſti.* Eſter. 2. *Recordare, Domina, quòd propter nos, & ex nobis exaltata ſis : tu ſoror, tu mater noſtra es, tu tota pulcra es, formoſa, & macula non eſt in te,* Cant. 4. *vt cùm inueneris gratiam apud Deum, nos eheu! miſericordiam inueniamus per te, Mater noſtra, apud Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis filium tuum, redemptorem noſtrum.*

Hodie ſpero oportet eum in domo meâ manere. quid verò apponam ei pauper & miſer, ô benigniſſima mater? In deſerto Angeli miniſtrabant ei de cibis quos coxeras, ſicut tu &

illi velle eum nouerant. Itaque Domina mea, obſecro te, recordare paupertatis meæ, & impetra mihi vt habeam quod ponam ante illum, & placeat illi cor meum, & frigida hæc deſideria mea in terra deſerta, inuia & inaquoſa. Vinum non eſt in nuptiis his, ſed memento quæſo priſtinæ benignitatis tuæ. Et verò quomodo poſſes obliuiſci nos qui ſumus de familia, & de domo Patris tui? introduxit enim te Rex in

Eccli. 24. *cellam vinariam, & ordinauit in te charitatem, vt quantum exaltata es ſuper cælos, tantum miſericordiæ radiis ſplendeas*

Ber. hom. 4. ſuper Miſſus. *in terris. Tu es enim mater pulcræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei: in te gratia omnis viæ & veritatis, in te omnis ſpes vitæ & virtutis. Meritò igitur ad te leuaui oculos meos, quæ habitas in cælis, & omnia guber-*

Ber. ſerm. de natiuit. Virg. *nas in terris. Tu, ſi vis, potes me iuuare: omnia tibi data ſunt à filio tuo; vt dicat iure ſeruus quidã tuus: Ex ore tuo pendet conſolatio miſerorũ, redemptio captiuorum liberatio damnatorum, ſalus denique vniuerſorũ. Altiùs ergo intueor quanto deuotionis affectu à nobis te voluerit honorari, qui totius mundi pulcritudinem in te poſuit, ô Maria: vt ſi quid ſpei, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis in nobis ſit, à te nouerimus redundare.*

Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorũ affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, anima mea, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariã; hæc, inquã, voluntas eius eſt, ſed pro nobis. In omnibus ſiquidẽ benignitas eius, & per omnia prouidens miſeris, tentationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiã abi-

Ber. ſerm. de Aduent. *git, erigit puſillanimitatẽ. Virgo, regia via eſt, per quam ad nos Saluator venit, procedens ex eius vtero, tamquã ſponſus de thalamo. Tenentes ergo viã, ô anima mea, ſtudeamus & nos per eã ad ipſum aſcendere, qui per ipſã ad nos deſcendit; per eam venire in gratiã ipſius, qui per eam in noſtrã miſeriam aduenit. Quæramus gratiam, & per Mariam quæramus, quia quæ quærit inuenit, & fruſtrari non poteſt.*

Aduocatum vis habere ad Chriſtũ, ô anima mea? ad Mariam recurre; exaudiet certè matrem filius. Cæterùm quidquid illud eſt, quod efferre paras, Mariæ commẽdare mẽmẽto, ſi non

ſi non vis ſuſtinere repulſam. Hæc peccatorũ ſcala, hæc mea, ô Domina, maxima fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ. Sileat miſericordiã tuã, Virgo beata ſi quis eſt qui innocatã te in neceſſitatibus ſuis ſibi meminerit defuiſſe. A ſæculo non eſt auditũ, quemquam ad tua currentem præſidia tua implorãtẽ auxilia, tua petentẽ ſuffragia, à te eſſe derelictũ. Sit igitur pietatis tuæ, Virgo benedicta, ipſã quam apud Deũ inueniſti gratiã notam facere mundo, reis veniam, medelã ægris pusillis corde robur, afflictis conſolationem, periclitantibus adiutoriũ, & liberationem ſanctis tuis precibus obtinendo. Amen. De aſſum. B.Virg. ſerm.4.

Praxis colendi B. Virginem.

PRIMA. Habere in numerato beneficia, quæ per eam obtinuimus, atq; his ignem charitatis eius fouere in pectore noſtro, & diebus eius feſtis ſolemnem memoriã facere, ac gratitudinem animi declarare. *Beneficia à B.Virgine accepta annotanda.*

Secunda. Ex gratitudinis & amoris affectu Sodalitati nomen dare, & leges ſeruare, ac conari aliquos inducere ad illius peculiarem cultum, maximè Sodalitatis erectionẽ, aut propagationem curare. Triſte certè eſt, videre honori duci, & ambitioſè peti, aliquâ ratione aſſcribi Principũ familiæ, ſocietati ſagittariorũ & eiuſmodi; & ægrè adduci poſſe vt B.Virginis Sodalitati ſe quis adiungat, Moleſtiam fingere, & fugere aliquam, eſt affectum exiguum erga Salutis certiſſimum præſidium profiteri. *Sodalitati nomen dare expedit.*

Tertia. Sæpè Salutationem Angelicam recitare. Sancta Margareta Hungarica ad ſingulas imagines B. Virginis accurrens flexis genibus eam pronunciabat: B. Catharina Senenſis, etiam infantula, ad ſingulos gradus: idq́ue gratulando ei maternitatem Dei, in quo priuilegio omnia continentur. Ideò S. Odilo ad illum Hymni, *Te Deum*, verſum, *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem non horruiſti Virginis vterum*: demiſsè ſe flectebat: poſſetq́ue quis in ſecreto terram oſculari. Quamuis autem vario fine illam Salutationẽ frequentare licet; tamẽ cùm Maria Virgo ſola cunctas hæreſes interemerit in vniuerſo mundo; pro iis extirpandis, & Eccleſiæ defenſione, ſæpè id faciendum eſt. *Angelicæ orationis fructus.*

Quarta. Nihil aggredi, quin illi & per illam primitiæ Deo offerantur.

Quinta. Manè & veſperi, ac in prandio, dum pulſatur, eam ſibi præſentẽ facere, benedictionẽ ab ea petere: cui enim *Offer Deo per B.Virg. tua munera.*

enim illa benedixerit, erit benedictus: & iterum per orationem, *Sancta Maria*, eã in patronam eligere: & vota, qui Religioſus eſt, mente renouare in manibus eius.

Tria quotidie fac pro B.Virg. Praxes variæ. Indulgentiæ dicentium Aue.

Sexta. Tria quotidie facere ad eius honorem. Primum, legere aliquas preces, v.g. quinque Pſalmos, quorum initiales litteræ reſpõdent litteris nominis eius, vel Antiphonam, vel Pſalterium D. Bonauenturæ, vel Horas B. Virginis: ſalutare eam in egreſſu cubiculi, domus, & occurrente imagine eius: Litanias recitare pro felici morte; *Magnificat* pro gratulatione de gloria, & dignitate eius. Pontifex Paulus V. conceſſit recitantibus *Aue* ad horæ pulſum centum dies Indulgentiarum. Secundum, facere aliquam mortificationem, tum corporalem, tum animi; vt ſequaris conuerſationis Mariæ exemplũ, maximè verò imagines turpes eliminare, & pias ſubſtituere. Ieiunium Sabbatinum ab omnibus ferè probis vſurpatur, immò in pluribus regnis ab omnibus ſeruari ſolitum. Tertium, facere aliquam eleẽmoſynam corporalem, aut ſpiritualem, dotare virgines nubiles, aut ad Religionem adſpirantes, ſanè laudabile, vti & facere ſermonẽ crebrò de miraculis & cultu B. Virginis, cùm publicè dicendum. Roſarium recitare, ad orationem quidem refertur, ſed peculiarem tractationem deſiderat, quam longiorem cùm aliis, vt breuior ſim, in aliud tempus reiicio, cùm Domino viſum fuerit.

Septima, Circa lectionem roſarii verbum tantùm addam; nimirum vt in aliis orationibus, ſic & in hac præparationẽ aliquam neceſſariam videri: ac Primò, præſentiæ Dei renoua memoriam; Secundò, myſterium aliquod breui ſpatio expende. Primò, ad *Credo*, fidem viuam excita: deinde in tribus Salutationibus primis ſpem, reſignationẽ & charitatem: ad orationem Dominicam, vt aliqui, intentionem etiam potes renouare, vel ſalutare vulnera Chriſti: deinde Salutationem Angelicam, vt B. Virgini præſenti, recita. Potes etiam cum variis Sanctorum choris id facere, v.g. in Prima decade, cum Angelis; Secunda, cum Patriarchis; Tertia, cum Apoſtolis; Quarta, cum Martyribus, Quinta, cum Confeſſoribus; Sexta, cum Virginibus. Sunt qui virtutem aliquam, per eam vt matrem optimam in ſingulis myſteriis petunt, & eamdem ab illa commodant: ac, cùm dicunt *Aue Maria*, mente addunt, *humillima*, v.g. Myſteria vulgò hæc aſſignantur:

Gaudij.

1. Annuntiatio Dominicæ incarnationis. 2. Viſitatio Eliſabeth. 3. Natiuitas Domini. 4. Oblatio Chriſti in templo. 5. Inuentio pueri IESV inter Doctores.

1. Oratio & captiuitas Chriſti in horto. 2. Flagellatio, 3. Co-

ro-

ronatio.4.Baiulatio crucis.5.Crucifixio & mors Chriſti.
1. Reſurrectio Domini. 2. Aſcenſio eius in cælum. 3 Miſſio Spiritus ſancti.4.Aſſumptio B.Mariæ in cœlum. 5. Coronatio B. Mariæ.

Ludouici Bloſij Roſarium, ſeu ſertum B. Virginis Mariæ quinque-partitum, vitâ & geſtis IESU Chriſti pulcrè exornatum.

PARS I.

PAter noſter, *&c.* Aue Maria, *&c. O benigniſſima & ſuauis Maria, Placa clementiſſimum Redemptorē noſtrum* IESUM, *quē tu Virgo puriſſima Angelo nuntiante de Spiritu ſancto in ciuitate Nazareth concepiſti, ac nouem menſibus in caſtiſſimo vtero tuo geſtaſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESU *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, Placa clementiſſimū Redemptorem noſtrū* IESUM, *quo concepto, tu Deo plena ad Eliſabeth cognatam tuā cum feſtinatione perrexiſti, & eam ſalutaſti, eiq́; humiliter ſeruiuiſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESU *Chriſto placeamus, & eum teq́ue videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrū* IESUM, *quē in Bethleem, in vili ſtabulo tu Virgo inuiolata non ſolùm ſine dolore, ſed etiā cum ineffabili gaudio peperiſti, natumq́; mox vt verū Deum deuota mente adoraſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESU *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorum noſtrum* IESUM, *quem infantulum vagientem lacte pauiſti, panniculiſq́; inuolutum in præſepio ſuper fœnum & ſtipulas reclinaſti. Fac ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eū téque videre mereamur in cælis. Amē.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimū Redemptorem noſtrum* IESVM, *quem recens natum Angeli paſtoribus gratulabundi nuntiauerunt: & eum lætis vocibus collaudantes, pacem hominibus bonæ voluntatis cecinerunt. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teq́; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrū* IESVM, *quem paſtores feſtinanter pergentes in Bethleem, inuenerunt poſitum in præſepio, & eū adorauerunt cum ingenti admiratione & gaudio. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teq́; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimũ Redemptorẽ noſtrũ* Ieſum, *qui octauo à natiuitate ſuâ die dignatus eſt puriſſimũ ſanguinẽ pro nobis fundere & circũcidi, atq; ad noſtram conſolationem* Ieſus *nominari. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum tèque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimũ Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem Magi ab Oriente venientes piè quæſierunt, & magno gaudio perfuſi ſtellâ duce in Bethlehem inuenerunt: ibiq; illum humiliter adorantes, aurum, thus, & myrrham deuotè ei obtulerunt. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum tèque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem die quadrageſimo in templum iuxta legis præſcriptum detuliſti, & hoſtiâ pauperum redemptum Deo Patri gratiſſimo corde obtuliſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum tèque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem in Ægyptum propter metum Herodis, monitu Angeli mater fideliſſima deportaſti, tandemq; cum inde in ciuitatem Nazareth retuliſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum tèq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paraclito, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne ſæculum. Amen.

PARS II.

PAter noſter, *&c.* Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem tu Virgo Mater, cùm eſſet annorum duodecim, in Ieruſalem perdidiſti, & eum mæſta requirens, poſt triduum in templo læta inueniſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, *&c. O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem tibi ſubditum maternâ curâ ſedulò enutriſti, & nihilominùs ei tanquam altiſſimo Deo ſanctam reuerentiam ſemper exhibuiſti. Fac vt ipſi dulciſſimo Filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum tèque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorē noſtrum* Ieſum, *qui anno ætatis ſuę triceſimo in Iordane flumine humiliter à ſeruo ſuo Ioanne baptizari voluit, cùm amen ipſe innocens Agnus Dei nullam vnquam peccati maculam contraxerit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo.* Ieſu *Chriſto placeamus, & eū téque videre mereamur in cælis Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſsimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus nihil manducans ieiunauit, ſicq́ cum feris Dominus cæli & terræ habitauit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſsimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui pro ſalute noſtra tentari à diabolo nō recuſauit, & quomodo Satanam vincere nos oporteat, demōſtrauit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eū téque videre mereamur in cælis Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria placa clementiſſimū Redemptorē noſtrū* Ieſum, *qui per vrbes, vicos, & caſtella iter faciens, Euangelium regni cælorum ſtudioſè prædicauit, & labores fatigationemq́; corporis propter nos libenter ſuſtinuit, Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq́ue videre meamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorē noſtrum* Ieſum, *qui crebrò in oratione pernoctauit; & famem ſitim, frigus, æſtum, variaſq́; perſecutiones mitiſſimo corde noſtrâ cauſâ pertulit, Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum. Redemptorum noſtrum* Ieſum, *qui conuerſans inter homines omnibus afflictis miſericorditer ſubuenit, ac ſigna plurima fecit, & Mariæ Magdalenæ, aliiſq́; peccatoribus verè pœnitentibus veniam promptiſſimè dedit, séque eis familiarem præbuit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téq́; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui coram tribus diſcipulis in monte transfiguratus, facie ſicut ſol refulſit, & excellentiam glorioſi corporis magnificè oſtendit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq́; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimū Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui veniens Hieroſolymā vt pro nobis pateretur, rex humilis & manſuetus aſinæ inſedit, atque*

ductus ad Pilatum, demiſſo placidoq; vultu coram eo ſtetit, & ad falſas Iudæorum accuſationes humiliter tacuit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo Ieſu *Chriſto placeamus, & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem Herodes ad ſe miſſum ſapienterq; coram ſe ſilentem ſpreuit, & alba ridiculaq; veſte tamquam fatuũ induit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus: & eum teq; videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtum* Ieſum, *qui in prætorio fuit dedecoroſè nudatus, & ad columnam inclementer ligatus, & flagris crudeliſſimè conſciſſus, proprióque ſanguine miſerabiliter cruentatus. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorum noſtrum* Ieſum, *quem homines iniqui clamyde purpureâ ad maius ludibrium veſtierunt, & acutis ſpinis coronauerunt, & nugatoriè adorauerunt atque ſubſannauerunt, & arundine percuſſerunt, ac fœdè conſpuerunt, & diris alapis ceciderunt. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Iesv *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paracleto, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne ſæculum, Amen.

PARS IV.

Pater noſter, &c. Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui geſtans coronam ſpineam & purpureum veſtimentum, è prætorio fuit à Pilato productus, & Iudæis oſtenſus, atque ab eis ad mortem crucis magno turbulentóque clamore poſtulatus. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem Pilatus morti iniuſtè adiudicauit, voluntatiq; Iudæorum tradidit. Ipſe ergo mox ab eis trabe crucis oneratus, ignominioſum hoc lignum lacertis humeris ſuis cum ingenti cruciatu patienter baiulauit, factuſq; opprobrium hominum & abiectio plebis, humiliter ad Caluariã perrexit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Iesv *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Iesvm, *qui in loco Caluariæ myrrhato felitóque vino fuit potatus, ac veſtibus probroſè nudatus, & manus ac pedes clauis atrociter pertérebratus, cruciq; affixus*

affixus Fac vt ipſi dulciſsimo filio tuo IESV *Chriſto placeamus & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* IESVM, *qui nudus, vulneratus & contemptus in ligno crucis pro nobis pependit, amariſſimoſq́ dolores pertulit, ac precioſum ſanguinem ſuum fudit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* IESVM, *qui cùm medius inter duos latrones in cruce penderet, & à Iudæis ſubſannaretur, blaſphemiiſq́ impeteretur, humillimam patientiam exhibuit, & inſuper pro blaſphemis crucifixoribus ſuis Patrem exorauit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teq́ videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* IESVM *qui latroni verè pœnitenti peccata omnia miſericorditer condonauit, & paradiſi gaudia liberaliſſimè promiſit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teq́ videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui tibi dilectiſſimæ genitrici ſuæ ſub cruce ſtanti atque acerbè dolenti intimè compaſſus eſt, & tè Ioanni diſcipulo commendauit, eique ac nobis omnibus in matrem dedit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eũ téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna, & ſuauis Maria, placa clementiſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui ſuam paſſionem ſine aliquo ſenſibilis conſolationis releuamine tolerauit: unde & grauitatem cruciatuum ſuorum indicans, ſe derelictum voce magnâ clamauit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum tèque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* IEſum, *qui exanguis in cruce pendens, ſe vehementer ſitire eſt teſtatus, ſed felle & aceto in extremâ illâ calamitate fuit potatus. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eum tèque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui morte vicinus ſpiritum ſuum in manus Patris commendauit: iamquè redemptionis noſtræ opere conſummato, bonus paſtor animam pro ouibus ſuis ex puro amore poſuit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* Ieſu *Chriſto placeamus, & eũ téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Lau-

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paraclito, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne ſæculum, Amen.

PARS V.

PAter noſter, &c. Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, Placa clementiſſimum Redemptorẽ noſtrum* IESVM, *qui morte pro nobis in cruce guſtatâ, mox ad inferna ſecundùm animam ex ſummâ charitate deſcendit, & electos ſuos potenter inde eripuit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teq́ videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *cuius ſanctiſſimum latus, te præſente, lanceâ apertum, & amoroſum cor vulneratum fuit, vnde nobis ſanguis purpureus & aqua ſalutaris profluxit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria. &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *quem de cruce depoſitum in ſinum gremiumq́ tuum (vt piè credimus) ſuſcepiſti, & lacrymis vbertim rigaſti, eiq́ oſcula amanter impreſſiſti. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teq́ videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *cuius corpus ſacratiſſimum Ioſeph & Nicodemus piâ deuotione aromatibus condierunt, & ſindone inuoluerunt, atque in ſepulcro poſuerunt. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teq́ videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui tertia die victor è clauſo ſigillatóque ſepulcro prodiens, à mortuis virtute propria ſurrexit, & te dilectam matrem ſuam cæteroſq́ amicos ſuos optatiſſimo gaudio lætificauit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teq́ videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui quadrageſimo poſt reſurrectionem ſuam die, in cælum glorioſè aſcendit, & ad dexteram Patris triumphator nobilis conſedit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum teque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, Placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* Ieſum, *qui Spiritum ſanctũ in Apoſtolos alioſque fideles miſit, & eos illo mirificè conſolatus eſt,*

con-

confortauit, illuminauit atque inſtruxit. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo IESV *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* IESVM, *qui te chariſſimam genitricem ſuam in cælum aſſumptam ſupra choros Angelorum exaltauit, Reginámque & Imperatricem celſiſſimam conſtituit. Fac vt ipſi dulciſſimo Filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* IESVM, *qui in fine ſæculi venturus eſt iudex in maieſtate magna, vt reddat reprobis horrenda ſupplicia, & iuſtis æterna gaudia. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Aue Maria, &c. *O benigna & ſuauis Maria, placa clementiſſimum Redemptorem noſtrum* IESVM *qui eſt amabilis & deſiderabilis gloria Beatorum, atque cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Fac vt ipſi dulciſſimo filio tuo* IESV *Chriſto placeamus, & eum téque videre mereamur in cælis, Amen.*

Laus Trinitati fulgidæ, Patri, Nato, Paraclito, laus Virgini Deiparæ, nunc & per omne ſæculum, Amen.

CAPVT XX.

Diarium ſiue actionum per diem ordinatio.

ETIAM Ethnici in eo perfectionem conſtituebant, vt quis agenda & modum proſpiceret. Diogenes monere ſolitus vt priuſquam quis manè egrederetur, quid dicendum, faciendum & quomodo, proſpiceret, reuerſus ea examinaret. Pythagoras idcircò duo tempora maximè obſeruanda, aiebat, matutinum, vt quis tum agenda præuideat, & veſpertinum, vt ea recognoſcat. Vnde & Sapiens: Palpebræ præcedant greſſus tuos, vt videas quas gemmas colligere, quæ lucra ex re omni vt auarus ſolet. Nonne lucrum maximum, ex omnibus amorem Dei colligere, & gemmam pretioſiſſimam v. g. quoties domo egrederis aquam luſtralem capis aut lauas, ſi pio habitu contritionem excites, vel amorem, quantum lucrum? omnino incomparabile, & facillimum. Certè ſanctitas in eo ſita eſt & perfectio, quòd cogitationes, verba, & opera in pondere, numero & menſura, coram Deo & ad gloriam eius ſanctè & perfectè fiãt; id inprimis curandũ eſt, & Deus ac Dominus noſter imitandus. Quemadmodum enim ille omnia opera ſua in ſummo bene fecit, ita ſingula opera noſtra quantum vnquam melius poſſumus, facere debemus ex omni virtute

Prou. 4.

Quanta lucri ſpiritualis occaſio.

Domini

Domini noſtri IESV Chriſti, & cum omni deſiderio triumphantis & militantis Eccleſiæ, & ſub nomine creatoris, quaſi tota ſalus noſtra, & omnis laus Dei, & vniuerſitatis vtilitas, ex vno opere pendeat, quaſi numquam ad id opus reuerſuri, neque opus aliud poſtmodũ incepturi, non quod ad ſingula tot conſiderationes adhibendæ ſint, ſed taliter affectus eſſe quiſque deberet prout ſpiritus dictauerit, ſibi ſuarum actionum modum præſcribere, neque anxius eſſe. Ideò quæ hic videbis, exempli gratiâ allata eſſe exiſtima, vt ſcias molâ animæ tuæ, & cogitationis, vt ſic dicam, molere, & voluere ſancta ac pia, & non paleas aut fumum honoris, aut vt cum Apoſtolo loquar, ſtercora, ſicut ille appellabat, potiùs quàm IESVM, & omne bonum, vt panem omne delectamentum in ſe habentem. Duo tantùm moneo, vt actio bona ſit, nullâ circumſtantiâ vitiari debere, ſed ad Dei gloriam fieri, vt verò melior, poſſe illam quaſi coram Deo fieri, ei offerri, Chriſti & Sanctorum actionibus vniri, in genere vel in particulari, indieſque maiori affectu fieri. De præſentia Dei Sanctorũ hæc eſt ſententia, eam actionum noſtrarum eſſe animam, & pietatis fontem atque compendium, ſine quâ mox in beſtiam vel demonem homo conuertatur. ſecundùm, cauendum in his valdè, ne ſe quis obruat, ne multiplicitate cogitationum caput affligat, atque ita vt fieri ſolet, profectum retardet. vide tamen ne vlla pars vitæ tuæ vacet, vt nec agri cordis noſtri vacare debet. Itaque aduerte ne tempus tibi pereat omnium pretioſiſſimum, & ad hoc habe catalogum actionum tuarum illo die & tempore, & modo faciendarum, vt vita tua ordinata ſit, ſuauis, & conſtans. Ecce vt te id Deus, cæli, & aſtra, & terra, & tempora doceant. Vtere ergò, vtere obſecro tempore, & particula boni diei non te prætereat; & nè fruſtrà cum Chryſaorio petas inducias vſque manè, audi Sapientem: fili, ait, conſerua tempus. Ideo pridiè, quæ agenda poſtridiè, cum ſancto Ignatio prouide & ordina, & manè ſimiliter de iis facito, Deoque ea intentione quàm D. Thomas ſuggerit cogitationes, verba, & opera offer.

Actiones perfectæ faciendæ.

Nota hic paradigma dari.

Præſentia eſt anima actionum.

Nota.

Temporis diſtributio

Eccle. 14.

Gregor.

Diſpice, quales ſint, neque blandis nimis afficiare, aut adhæreſce, quia fallaces, neque alias time, quia ſæpè ſalutares. Diligentiſſimè expelle curioſas, & ſuperbas & impuras, quia hinc ruina.

Directio cogitationum.

Tu noſti quid expediat, tu gaudium meum, tu timor meus, extra te nihil volo, ô Deus meus & omnia: Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.

Vide autem crebrò, in quod animus centrum feratur ſublato

lato retinaculo piæ cogitationis, an ſurſum ſuperbia feratur, an in ſenſualia deorſum. Quid ſperes, quid times, quo gaudeas, aut triſteris; & hos affectus caue admittere, niſi quia Deus vult; & in voluntate eius velut in centro, arce, cardine & felicitate permane, vt nil velis niſi quia Deus vult, nil nolis, niſi quia ipſe nolit; & donec quietem in hoc reperias, ſexcenties te vel horâ vnâ reſigna donec in centro ſis, donec palmes in vite, donec in pace, donec in cubiculo diuinæ voluntatis cum beatâ Catharinâ Senenſi, vt dicas ſemper: fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terrâ, vel, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.

Directio actionum. Ante notabiles actiones collige te, & omni affectu omnis creaturæ intentionem renoua, Deo confidendo, tibiq́ue diffidendo, & perfice, & dic *ad maiorem Dei gloriam*, velut ſi vltima foret, & æterna, ſemel enim factum æternum eſt, vel hâc vtere.

Oratio quâ intentio, vnio & Dei præſentia exercetur

O omne bonum, Deus meus, virtus mea, ego puluis & cinis offero opus hoc N. tibi vbique præſenti, ad gloriam tuam, in vnionẽ meritorum Chriſti IESV, *vtinam te numquam offendiſſem! ex te enim & in te, & pro te ſunt omnia.*

Hæc oratiuncula diffidentiam ſui, & humilitatem, oblationem, puram intentionem, vnionem continet, & conſiderationem præſentiæ Dei in omnibus, cùm ex illo, & in illo omnia profiteatur. Immò ſola hæc poſtrema pars vtilis eſt iaculatoria, quâ omnia Deo tribui, & corã eo agi, illiq; dicari poſsũt, & ſufficit eâ ante omnia vti; lõgiori verò in præcipuis actionibus. Gratias age & dic: omnia in nobis operatus es Domine, ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.

Manè. Primo manè, poſtquam euigilaueris, imaginare quaſi cælum apertũ, & à Sanctiſſimâ Trinitate & Chriſto Domino petitâ benedictione, & prima quaſi reſpiratio & vox ſit: IESVS MARIA; vti & vltima vitæ, & ad illud contritionis & charitatis, item fidei, & ſpei actum elicere aſſueſce: Deinde paulo tibi factus præſentior dic: *Benedicta ſit ſancta Trinitas, atque indiuiſa vnitas: confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiã ſuam*; & ſigno crucis te ſigna. Poſteà actu fidei, ſpei, & charitatis amplexu, adora quo potes affectu Deum, vt omne bonum, vulnera Chriſti oſculare, & ſeruire ipſi ſtatue, non hoſtibus tuis, idq́ue velut vltimo die vitæ.

Gratiarũ actio. Conſidera deinde Primò, omnia creata, & gratias age pro beneficiis acceptis à larga Dei manu. Secundò, vide ad quid ſis creatus: quò eundum tibi, nempe vt Deo ſeruias, & toto corpore adhæreas, omnibus potentiis & ſenſibus

Directio ad finem. tuis; & attende ad defectus conſuetos, & feruenter ſtatue Deum non offendere, maximeq́ue vitare id, contra quod examen

examen facis particulare.

3. Conſideratio agendorum.

4. Item patiendorum.

Tertiò, conſidera, quænam agenda illo die, & quid vocatio tua exigat: ſi Religioſus es, attende ad vota tua, omniaque Deo offer puriſſimâ intentione & amore. Quartò, conſidera breuiter, quæ aduerſa euenire poſſent à Deo, & ab homine, in animâ & corpore, famâ, opibus, & plenè te diuinæ voluntati reſigna in tẽpore & æternitate. Deinde Sanctos velut præſentes inuoca, maximè B. Virginem; & Patronos cum Angelo Cuſtode viæ duce & comite gratulando eis, & virtutem certam petendo: tum deuotè ſubiunge. *Credo, Pater, Aue,* decem præcepta, votaque renoua, ſi Religioſus es, & propoſita prima.

Hæc poſſunt eſſe materia tibi meditationis, quoties alia deficit aut parata non eſt.

ORATIO.

O Iesv *Redemptor mi, credo tibi, ô Deus meus, & omne bonũ meum, confido in te, ô ſpes vnica, & te toto corde diligo, & tibi ſincerè, totis viribus meis ſeruire ſtatuo; tu omne, & ſolum bonum meum es; quid extra te, cùm incerta ſint omnia, deſidero, aut timere poſſum; vel de quo gaudere & dolere?* (hîc percurre propoſita, & quæ occurrere poſſent aduerſa.) *da gratiam, vt creatis omnibus, donis tuis vtar, ne tibi diſpliceam. Ecce nihil appeto, cùm quid proſit ignorem; ſed in omnibus te, qui omnia es, laudo, & gratias ago tibi, ex toto corde, pro omnibus beneficiis tuis generalibus & particularibus his N. & offero tibi intellectũ, voluntatem, memoriam, ſenſus, membra, cogitationes, verba, & opera, & omnia mea, in vnione meritorum Chriſti* Iesv, *ad tuam vnius gloriam, non hoſtium meorum. Aduerſa item omnia de manu tuâ accepto N. Superioribus, vt tibi obedire volo: omnes prò te diligere, & tibi, ô Deus meus, amor æterne, per amorem & orationem adhærere. Vtinam ego, & omnes te diligant, ac ardeant amore tuo! O Regina Angelorum, miſericordiæ Mater, & mea vnica poſt Deum fiducia! O vos omnes ſancti Angeli impetrate mihi veram charitatem, & amorem omnis boni, Dei noſtri; & tu Angele cuſtos, dux viæ meæ, præſentiam illius; Apoſtoli, reſignationem; Martyres; patientiam; Confeſſores, abnegationem omnium ſenſualium; Virgines, puritatem: & tu Patrone mi N.* a *& vt moriar amore eius, qui amore mei dignatus eſt mori.*

a Nomen Patroni menſtrui & virtutis ſententiam in memoriã reuoca.

Dum te veſtis.

Contritio.

Dum te veſtis, continuare potes quæ ſequuntur, & cogitare quomodo lapſu Adæ à fine excideris, & nudus factus ſis, & conterere amanter corã Domino. 2. Veſtes cape & ſtude induere Iesvm, id eſt virtutes eius, humilitatem, paupertatem, obedientiã, & caſtitatem, & patientiã, vel vt

Eccleſia nos docet, in Sacerdote dum ſe veſtit, paſſionem memora vna cum petitione aliquâ virtutis, vel gloriæ veſtimenta pete, prout vnctio docebit, de quibus aliàs ſi Domino placuerit fuſiùs.

Iaculatoria.

Quando induar te Domine IESV? quando veniam & apparebo ante faciem tuam? Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.

Dum lauas vel aquam luſtralem ſumis.

Semper contritionem excita; & memineris te lotum in ſanguine Agni, atque ex mundo corde ſeruire ei ſtatue, vel recordare quod abſterget omnes lacrymas ab oculis tuis.

Iaculatoria.

Amplius laua me, Domine, ab iniquitate N. mea, vt mũdo corde ſeruiã tibi, & videã te. Ex te enim & in te, & pro te ſunt omnia.

Examen & oratio veſpertina.

Greg. l. 35. mor. c. 5.

Caue illud ne pretermittas, immò crebrò fac, bis ſaltem in die, & ad horas ſingulas breuiter. Iam iudica teipſum cùm abſolui, ſi vis, potes. Certè vt Greg. quanto ſe quis minùs videt, tantò ſibi minus diſplicet, & tantò magis, quo crebriùs ſe in conſpectu Dei intuetur.

Examen inſtitue hoc pacto, 1. gratias age Domino tuo pro tot tantiſque beneficiis maximè eo die acceptis. 2. roga eum vt gratiam largiatur, vt cognoſcas eum, & te ſemitaſque tuas. 3. Percurre, ab examine poſtremò vbi fueris, quid egeris, cogitatione, verbo vel opere, & primò quomodo te geſſeris in materiâ examinis particularis, cuius propoſitum ſingulis horis renoua ſi potes. 4. dole ex amore Dei tui de offenſâ. 5. propone emendationem ſeriam præuiſis occaſionibus, maximè in vitio illo, quod extirpare contendis.

Agenda poſt examen.

Poſt hoc verò, Percurre deinde primò puncta poſtridiè meditãda aut legẽda. Secundò, diſpone de actionibus diei ſequentis purificando intentionem: & præuide, quid agere, dicere, &c. velis, niſi in examine id feceris, atq; attende ad examen particulare, & Tertiò, oſculare terram; Primò, cogitando te hâc nocte in puluerem fortè rediturum: Secundò, quia Verbum caro factum eſt, totum te ei reſignando, & inuitando vt cras ad te veniat in vener. Euchariſtiâ. Tertiò, quia peccatis tuis infimum locum tibi deberi putas, & contritionem excita, tũ exue te, & exerce gratiarum actionẽ, vel confuſionẽ, commemorando, ſi libet,

Modus ſe exuendi.

paſſionem Chriſti Domini, v.g. ad togam, gratias agere potes pro denudatione in flagellatione: ad aliam veſtem, repræſentare poſſes tunicam, quæ integra manſit, & petere charitatem ad calceos, & caligas, petere greſſus rectos; & affectus & amorẽ: ad cetera meditari diſpoſitionẽ corporis Chriſti, & mortẽ, vti & de tuâ cogitare. Poſteà ſanctos ſtatue circa lectũ, & eos vt moriturus inuoca, & dic: *Credo, Pater, & Ave. Veni ſancte Spiritus.* Salua etiã Angelũ Cuſtodẽ.

Dum lectum aperis, cogita ſepulcrum, ac fore vt breui illud

illud intres, alteram ex æternitatibus ſortiturus: & cogita, ſi ita nunc foret, quid ſupereſſet ex vanitate, quid ex ſanctâ conuerſatione. Deinde dic: *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*; cum oratione de contritione vel actu illius, & mox petitâ flexis genibus à SS. Trinitate, B. Virgine Matre tuâ, Angelo Cuſtode, benedictione, exerce te vt moriturus (eſt enim hæc diei quaſi vitæ pars vltima) & dic aliquoties, IESVS, Maria, & contritionem, actus fidei, ſpei, & charitatis dicendo: Credo Domine, in te ſpero, & toto corde te diligo. Deinde vota ſi Religioſus es renoua, vt indulgentiam plenariam conſequare, aut aliâ ratione. Poſtea in lecto decumbe in dexterum latus maximè, & aliquid circa Meditationem volue, aut certam cogitationẽ, quâ amorem Dei excites, & deſiderium Communionis, conuertendo oculos vel ad ven. Sacramentum, vel ad cælũ, juxta illud: Anima mea deſiderauit te in nocte, & iterum dic: IESV Maria, cum actu fidei, ſpei, & charitatis. IESVM autem ſi vis conſidera incipiendo à Dominica, vel vt in cælo ad dextrã Patris, vel vt in præſepio, in paupere domo ſuâ, in deſerto, in domo Caiphæ, in cruce, in ſepulcro.

EXERCITIVM.

VTinam, ô Deus meus, vita mea, cras perfectiùs tibi viuam, feruenti oratione ſic N. *te laudem, omniaq; creata ſpernam, te vnum timeam & diligam! quid enim ex iis colligam, aut quid collegi hodie* N. *niſi bonitatẽ tuã, qui omnia in omnibus operaris?* Potes hic viſa & audita piè applicare.

Tu ſolus bonus, tu ſolus animam meam potes ſatiare, quando te ſuſcipiã, & perfectiſſimè omnes actiones ad gloriam tuã exequar.

Ecce neſcio quando venturus ſis, vtinam numquam offendiſſem te omne bonum. 2. *Cùm tu Deus caro factus ſis, vt ego Dei filius ſim, offero tibi cor meum, & omnia. Veni, veni, & fac me vnum tecum.* 3. *Da mihi vt ſim mitis & humilis corde, & amem te, & ſufficit mihi. Quando venies, quando venies, ſanè vti fur in nocte; Et quid tunc proderit vniuerſa vanitas? In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum. Benedic mihi, ô SS. Trinitas, ô dulciſſima Mater Maria, ô Angele mi, Credo tibi Domine* IESV, *& in te ſpero, toto te corde diligo, & amplector te, bone* IESV, *vnica fiducia mea, & (ſi Religioſus es, dic) voueo paupertatẽ, caſtitatem & obedientiam. En vitæ incertus, & ſalutis, velut ſepulcrum ingredior. vtinam te, Deus meus, numquam offendiſſem: doleo ex animo, Redemptor mi, & propono per tuam gratiam præcepta & regulas ſeruare, crucem libenter ferre, & me mortificare,* N. *te & proximum ex corde diligere, quid enim ſunt omnia tranſitoria ſine te, & nónne hæc omnia clamant, vt diligam te, cùm ſis vnicum & omne bonum meum?*

Præparatio ad Communionem.

Examen particulare.

Poſt hoc poſſes lecta & audita piè applicare, & meditationem ruminare.

Meditatio vel lectio matutina.

Nota.

Primò, præpara te breuiter, vt ſuprà dictum eſt, & vide quos affectus velis excitare, quomodo meditationem applicare defectibus, & examini particulari, & ad eliciēdum amorem Dei perfectionibus eius conſideratis, vel aliquà earum. Iturus ad meditationem, ad aquam luſtralem contritionem excita de peccatis in genere; & mox te humiliando, conſidera Deum præſentem, & ádora, fidei, ſpei, & charitatis actu, ex purâ intentione offer tres potentias, ac gratiam pete ad rectè meditandum, oratione eà quæ ſuprà c. 1. lib. 1. poſita eſt, aut hâc: O *Domine, tu mihi per eſſentiam, præſentiam & potentiam præſens es; eſto etiam quæſo per gratiam: credo enim tibi in hoc N. & omnibus & in te ſolo ſpero, & toto corde te diligo, & gratias ago omnium Sanctorum affectu & poſſibili, pro his N. & omnibus beneficiis tuis, quia iudicia tua ſic manifeſtaſti mihi. Vota mea & omnia tibi offero ad gloriam tuam, potentias animæ meæ conſecro tibi. Da mihi, o* IESV, *vt tu ſis meditatio mea, ſemper de te cogitem, vt tu de me ſis ſpes mea, maledictus enim qui confidit in homine, ô Amor meus vt nihil petam aut amem extra te. Da obſecro quod iubes N. vt exardeſcat ille, & creſcat in me, & ego ſic in virtutibus N. & in te, propter te qui es Deus meus, & omne bonum meum, Amen.*

Fides viua. Spes certa. Charitas. Gratiarū actio.

Hanc verò orationem continentem varios actus & affectus in meditatione vel lectione excitandos poſt ſingula puncta, aut conſiderationes vſurpare, vel aliquam ex iis quæ initio libri: *Hæccine vera*, &c. vel *exercitiū complectens modum meditandi*, de quo cap. 35. lib. 2. vel *exercitium quo anima eleuatur*. c. 36. lib. 2. vel *Exercitium Fidei, Spei & Charitatis*: vel certè variis affectibus inſiſtere quos habes cap. 50. & ſeq. lib. 2. vel potes Iaculatoriis vti poſitis in capite de contemplatione; vel certè pſalmis, affectibus illis ſeruientibus, v.g. in affectu fidei Pſal. 135. *Confitemini Domino*, Item 13. 36. 47. 52. 71. 72. 75. 93. 95. 97. 118. 148. Spei Pſal. 4. *Cum inuocarem.* Item 3. 7. 10. 11. 12. 15. 16. 22. 26. 27. 30. 6. 40. 42. 43. 44. 55. 58. 61. 63. 64. 67. 70. 76. 90. 121. 135. 137. Charitatis Pſalm. 41. *Quemadmodum ceruus.* Item. 8. 31. 57. 62. 66. 72. 83. 135. 137. 144. Contritionis Pſal. 50. *Miſerere mei.* Item 5. 6. 24. 37. 38. 49. 78. 79. 83. 84. 89. 100. 101. 129. 141. 142. Admirationis Pſal. 8. *Domine Dominus noſter.* Item 19. 28. 32. 44. 65. 72. 88. 92. 146. Compaſſionis Pſalm. 21. *Deus Deus meus reſpice.* Item 55. 68. Imitationis Pſalm. 44. Eructauit aut 71. Gratitudinis Pſal. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* Item 9. 20. 29. 32. 33. 39. 56. 59. 60. 61. 65. 77. 93. 102. 103. 104. 105. 106. 117. Gaudij Pſal. 33. *Benedi-*

cam

cam Dominum in omni tempore. aut 17. 32. 46. 51.56.64.67. 80.85.91.94.95.96. 99. Reſignationis Pſalm. 22. *Dominus regit me.* aut 107. Humiliationis Pſalm. 127. *Niſi Dominus ædificauerit.* Item 35.74.130.145. Contemptus rerum humanarum Pſal.36. *Noli æmulari.* Patientiæ Pſal.89. *Domine refugium factus,* aut 16.19.25.27.38.40.61.68.73 Diligentiæ ſpiritualis Pſalm.14. *Domine quis habitabit,* item 23.48. Timoris Pſal.49. *Deus Deorum,* item 74. Petitionis Pſal.68. *Saluum me fac Deus,* item 60.69.78.79.82.84.85.87.89. Vel vt alius ſuadet, quotidie diuerſo affectu te exerce, die Lunæ in Fide, expendendo Credo: Martis in Spe, expendẽdo *Pater* & *Aue*: Mercurij, in charitate ad præcepta te examinando: Iouis, in gratiarũ actione beneficia Dei recolendo: Veneris, in compaſſione Myſteria Paſſionis voluendo; Sabbati, in contritione, recogitando dies præteritos & annos. Dominicà, in gaudio, cæli gaudia delibando.

Etſi verò meditatio non omnibus conueniat, tamen lectio orationibus & affectibus interpolata omnibus vtilis, neque omittenda, ſaltem repetenda lectio eorum, quæ ſibi quis facienda, aut cauenda propoſuit, vti inuenies pro ſingulis diebus l.1.c.13.pag.149.

Nota meditationem aut lectionem omnibus negotiis anteponendam, quia per illam miſericordia Dei ad nos deſcendit, vt indicat Dauid, dicens: Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me: vt Auguſtinus in illud Pſalm. 65. ſed loco, horâ, ſitu, commodis & quietis faciendam & abſoluendam, neque quidpiam omnino, nec pilum quidem de hoc holocauſto eſſe detrahendum affectui gratiarum actionis, oblationis, & propoſitis ac petitionibus inſiſtendum. *Pſal.65.* *Meditatio quanti ſit.*

Examen particulare eſt, quo quis peculiare aliquod vitium perſequitur, omnì ſtudio mortificationes, orationes eo referendo, aut ad virtutem acquirendam per partes & gradus, verbi gratiâ, humilitatem vis? 1. ne te laudes, 2. nec laudari velis, 3. nihil ob reſpectum agas, 4. nihil excuſes, 5. vanas cogitationes excludas, 6. humiliationes patere, iiſque gaude. Vis charitatem? 1. de nullius defectu loquere, 2. omnibus quibus potes, operam tuam præſta, 3. auerſionem omnem caue, ſi ſenſeris, contrariis actibus expelle. Vis obedientiam? 1. exteriùs perfectè ad litteram fac, 2. nunquã contradic, 3. Deum in omni Superiore reſpice. Vis paupertatem? 1. parcè vtere rebus. 2. ſuperflua reſeca, 3. etiam neceſſariis gaude carere, eaque aliis libens tribue. Vis caſtitatem? 1. oculos cuſtodi, 2. familiaritates fuge, 3. cógitationibus ſanctis, Deique præſentiâ alias exclude, &c.

Miſſæ auditio. Caue quantum potes eam omittere, venit enim Dominus vt te audiat, te cibet, recreet. Primò, cùm vadis, cogita te ire ad rem ſummam, vti verè eſt, montem Caluariæ, memoriale incarnationis, & Paſſionis Domini. Si libet, cogita quis offerat, quid, vbi, à quibus offeratur, cur, quomodo, quando, & memento te offerre cum Sacerdote hoc Sacrificium, accedere epulum cæleſte, propitiatorium: Ad quam luſtralem contritionem excita: & in Confiteor examine breui inſtituto idem facito. Secundò, ad initium Canonis Paſſionem percurre, & circumſtantias appende, quis, quid, vbi, à quibus id patitur; cur, quomodo, quando; deinde pro Communione ſpirituali examina te breuiter, & contritionem excita, ac famem, & roga Deum vt ad te veniat. Denique tibi & aliis neceſſaria pete, renoua propoſita & gratias age.

Si concio audienda. Primò, quia ſapientia non habitat in anima ſubdita peccatis, breuiter eleua cor ad Deum, dolendo de peccatis præteritis, & curas reiiciendo.

Secundò, diligenter & deuotè attendito, velut Deum loquentem, & te monentem, & propone gratiâ Dei facere: nam, vt Auguſtinus, qui audit negligenter, & ſinit verbum Dei cadere in terram, æquè culpandus, ac qui ſinit cadere corpus Chriſti. Et alius: Accipienda verba Dei, vt ſanguis Chriſti, & aliæ Sanctorum reliquiæ.

Tertiò, in fine tibi applica, & facere propone, & rumina crebrò.

Oratio ante eam. *Munda cor meum, Domine, vt ſemen verbi tui cadat in terram bonam, & fructum afferat. Deſidero illud in manſuetudine ſuſcipere deuotè, vt edicta tua, & ſanguinem tuum, & vt æger medicinam, & propono mihi applicare, & firmiter exequi, ad honorem & gloriam nominis tui.*

Oratio poſt eam. Gratias age Deo, & propone audita exequi, & aliis narrare, cõſideratâ occaſione, his ſi libet verbis: *En, Domine, hæc eſt voluntas tua, ſed non eſt volentis, neque currentis, ſed tui Deus miſerentis: propono itaque hoc facere* (tali tempore, &c.) *per gratiam tuam. Amen. Veni ſancte Spiritus, reple*, &c.

Recollectio ad horas. Singulis horis recollige te: examina Primò, præteritam horam coram Deo. Secundò, propoſita matutina renoua in genere; & virtutem examinis particularis, repræſentatâ occaſione, exerce, hoc modo. O JESV *pro me* v. g. flagellate, *quid retribui tibi? quid retribuam? doleo amore tui, quod offenderim te; diligo te ex toto corde, & omnia tibi offero & committo, quando venies? quando per te humilis ero* N. ſic ad horas ſingulas aliquod myſterium paſſionis, ſi libet, memora v. g. hora 6. O IESV, qui lauiſti humillime pedes tuorum. 7.

Conuiuium

Conuiuium mihi corporis tui inſtituiſti. 8. ſermone tuo ſolatus es. 9. ad horum vltro pro me iuiſti. 10. In horto pro me lacrymis ſanguineis oraſti. 11. Te ipſum tradidiſti proditori. 12. Ductus fuiſti ad Annam, & cæſus pro me. 1. Ductus ad Caipham & accuſatus pro me. 2. Illuſus & conſputus fuiſti pro me. 3. Ligatus & negatus à Petro fuiſti. 4. à Sacerdotibus damnatus fuiſti vt ego abſoluerer. 5. Ad Pilatum ductus & accuſatus. 6. Ad Herodem ductus & ſpretus. 7. Remiſſus ad Pilatum cum ignominiâ fuiſti. 8. Flagellatus & coronatus fuiſti. 9. A Iudæis clamantibus damnatus. 10. Qui baiulaſti crucem pro me. 11. Qui pro me crucifixus es. 12. Pro me eleuatus in cruce. 1. Qui pro inimicis oraſti. 2. Qui pro me ſitiiſti. 3. Qui mortuus es pro me. 4. cuius pro me apertum latus. 5. Qui pro me de cruce depoſitus fuiſti. Poteſt eadem fieri recollectio, recitando Pater noſter, cum piâ aliquâ reflexione, v. g. renouando præſentiam Dei verbis illis, *Pater noſter qui es in cælis*. Primâ petitione, puram intentionem, cùm ipsâ eâdem contineatur; Secundâ, gratiæ poſtulationem cum ſui diffidentiâ; Tertia, reſignationem; Quarta, fiduciam de paterna prouidentia, & ſuſpirium ad SS. Euchariſtiam; Quinta, contritionem & charitatem erga proximum; Sexta, humilitatem. cùm tot periculis cincti nullum euadere abſque Deo poſſimus; Septima, propoſitum vitandi peccata ac defectus, maximè illum, quem examine particulari ſuperare contendimus. *Recollectio per* Pater noſter.

Otium fuge cum prudenti illa femina, nam illud vitiorũ ſentina, & tu natus ad laborem. Initio contritionem excita vt Deo gratum ſit opus, eique ex pura intentione illud offer, & Chriſti operibus & meritis vnias, & præſentem tibi facias, eumque vt Remuneratorem intuere, & vt miles ducem. Verùm memento in opere exercere communicationẽ cum Deo, & ex creatis cor ad Deum eleuare, vti videbis factum lib. 3. cap. de Contemplatione. Exerce potiſſimùm fidem, ſpem, & charitatem crebrò dicendo: O IESV, trahe me poſt te, vtinam te diligam toto crde meo! vtinam tibi adhæream pulcritudo ſumma! Quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra, ô potentia infinita! vita tamen animi contentionem. Peracto opere de defectu dole, & illud Deo offer manibus beatiſſimæ Virginis, ac ſæpè expende illa, ex te enim & in te, & pro te ſunt omnia. *Exercitiũ manuale. Iob. 5. Prov. 31. Cant. 1. Pſal. 8.*

Domine Deus, cui omnia ſeruiunt, denuò offero me hâc horâ, forſitan vltima, tibi in holocauſtum, & opus hoc in vnione meritorum & laborum Chriſti IESV, *dignare hoc per me operari ad gloriam tuam. Amen.* Oratio ante opus

Oratio poſt opus — *Tu Domine principium & finis, gratias ago tibi, qui nemine indiges, quòd indignatus es me vocare in vineam tuam, & hæc per me facere, ſine quo factum eſt nihil. Sit tibi laus de bono tuo. Ignoſce malum meum, & imperfectiones meas, & ſuſcipe in vnione omnium actionum Chriſti filij tui, ad tui ſolius, non mei gloriam.* Amen.

Iaculatoriæ pro laborantibus. — Inter laborandum ſententiam aliquam ex his, que ſequuntur, memoriâ repetere poteris.

Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.

Pſal. 127. 1. Cor. 4. — *Vſque in hanc horam eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris.*

2. Theſ. 3. Luc. 14. — *Si quis non vult laborare, non manducet; beatus verò qui manducabit panem in regno Dei.*

Prov. 10. — *Benedictio Domini diuites facit, nec ſociabitur eis afflictio.*

Prov. 13. — *Vult, & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur.*

1. Tim. 2. — *Labora ſicut bonus miles Chriſti.*

Apoc. 14. — *Beati mortui qui in Domino moriuntur: amodò iam dicit ſpiritus vt requieſcant à laboribus ſuis.*

Sap. 9. — *Mitte ſapientiam de cælis ſanctis tuis, vt mecum ſit, & mecum laboret.*

Prov. 23. — *Noli laborare, vt diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum.*

Matth. 11 — *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Pſal. 16. — *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute meâ.*

Lectio horarum. — Para te & citharam cordis tui ad has vt ad meditationes, horâ & tempore certo & competenti; nec noctem, & opera eius verte in diem, ſeu diurna opera, & contrà Pſalmos fac intelligas, etiam iuuerit legere ſingulos cum S. Angelo aut patronis, aut pro certâ rerum o' tinendâ, &c. Etiam ſitus magnam rationem habe cum Deo collocuturus, eiuſque præſentiam excita & contritionem, & fidei, & ſpei, & charitatis actum. Deinde ſaltem ad Gloria Patri, præſentiam Dei renoua, & intentionem. Et poſt recitationem te collige, & contritionem excita, ac pro remiſſione defectuum. Laudate Dominum omnes gentes, &c. *Vide Richardum.*

Oratiunculam horis præmittendam habes ſuprà ſi videatur, vel dic: O Deus, ecce ſto coram te, & curiâ tuâ, & doleo ex amore tui, quod offenderim te, credo tibi, in te ſpero, & toto corde te diligo.

Studendi modus. — Priuſquam ſtudere incipias, tranquilla animum, anima enim quieſcendo fit ſapiens, caue ne præcipites, caue feſtinare ad finem, ſed rumina & digere. Ora, & contritionem

excita, nam in maleuolam animam non introibit Sapientia: neque ſuperbias, tumor enim mentis eſt obſtaculum veritatis. Dei ergo auxilium inuoca, offerendo opus tuum Chriſti actionibus vnitum diuinæ Maieſtati, & dic: Veni ſancte Spiritus, & emitte cælitus lucis tuæ radium: ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia, & doleo ſuper omnia quod te offenderim, o Deus meus & omnia. Lege verò quotidiè piũ aliquẽ librum, vt ſapientiſſimi viri ſoliti fuerunt, D. Dominicus, D. Thomas, D Bonauent. nõ tamen ſit fortuita lectio, aut præcipitata, ſed attenta ac deuota, ad mediam vt minimùm horam. Ex lectis & cognitis eleua mentem in Deum & Spiritum ſanctum, qui nos docebit omnia, vt veritas dixit. *Greg. lib. 2 Mor. c. 27.* *Ioan. 14.*

Magna hæc eſt occupatio nonnullis, & vtilis ad fructum faciendum in proximo, & charitatem ſouendam. Itaque eam huc ordina. Ex eâ autem fructum colliges, ſi præmeditatè & piè ſcribas, memineriſque quod vulgò dicitur, litteram ſcriptam manere, & ſcribi, vt ſic loquar, æternitati, 1. Contritionem excita, & intentionem, dum crucem pingis in initio, 2. ante ſignaturam reflecte, cruce v.g. aut IESV nomine præmiſſo, hæc enim æterna eſt.

O IESV, *qui in manibus tuis & libro vitæ deſcripſiſti me, Doleo quod offenderim te, da mihi præmeditatè, piè, nõ vt profanus, & prudenter ſcribere æternitati, ad gloriam tuã, ex te enim, &c.* Iaculatoria.

Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Dum lauas te, 1. contritionem excita, adſpira ad Deum, propone feriò temperantiam in medicina corporis ſumenda, & cogita vel de lauacro ſanguinis Chriſti, vel vanitate mundi, vel de menſâ cæleſti, & ad eam aſpira. Accumbe cum Chriſto, cum agnoſce in Superiore vel in proximo, caue properè, lautè, ardenter & ſtudioſè edere, inter comendendum ſemper diſſimulanter in aliquo te mortifica, id eſt, aliquid quod magis arridet, Chriſto Domino offer in proximo ſi potes, & gulæ eripe, vt eo ille, & tu fruaris in æternum: vel inſulſum comede, propter fel Chriſti Domini, de nullo quærere, & ſi libet attende in prandio ad aliquod myſterium, v. g. ad conuiuium vt ſic loquar, in quo Chriſtus Dominus accumbit, die Lunæ, 1. ad vbera matris, 2. in triduo illo, 3. in deſerto. Matris, 1. in Canâ. 2 in domo Matthæi, 3. Zachæi. Mercurij, apud puteũ Samariæ, 2. in domo Simonis, vbi Magdalena, 3. in domo ſocrus Simonis. Iouis in deſerto cum 5000. 2. in domo Phariſæi, vbi hydropicum ſanat. 3. cæna nouiſſima. Veneris: in cruce, 2. ſitim eius, 3. depoſitionem attende. Sabbathi, 1. in ſepulcro, 2. in limbo, & 3. cum diſcipulis, in Emaus. Dominica 1. Vide comedentem *Luc. 12.* *Refectio corporis.* *Matth. 1.* *Matth. 9.* *Luc. 7.* *Ioan. 4.* *Matth. 5.* *Luc. 14.*

Bernard.

dentem cum diſcipulis. 2. ad mare. 3. in cælo, vel certè ad primum ferculum cogita de morte, eiuſque ferculo, vel de ferculis inferni; ad ſecundum, de cœnâ Chriſti, & Euchariſtico epulo; ad tertium de cæleſti, & bene intinges panem tuum in aceto & ſanguine Chriſti. Singularitatem & delicias euita. Sufficiat, vt Bernard. ait, comeſtibilia ſint, non concupiſcibilia: ſufficit enim concupiſcentiæ malitia ſua. Vita etiam voracitatem & præcipitantiam: ideoque initio aſſidens menſæ ſaltem dic vnum *Pater*, pro benefactoribus vel defunctis; & attende lectioni, aut ſermoni, ne totus comedas. Si Paterfam. ſcutellam habe pauperum, cui imponas de ferculis tuis, primitias Deo in infirmis aut alteri tribuendas.

A menſâ, & quid in Colloquio. Præſentia Dei. Intentio pura. Vtere virtutis occaſione. Greg. 1. Mor. c. 5. Virtutum occaſio magna. Dum neceſſitati ſeruis. Salutatio. Ven. Sacr. Contritio. Actio gratiarum. Renouatio propoſitorũ, Oblatio.

Remitte pauliſper animum: ſed ante colloquium renoua præſentiam Dei, ac puram intentionem, tardus ad loquendum eſto, & circumſpectus, & ora cum Propheta; *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis: ex te enim, & in te & pro te ſunt omnia.* Tunc certè magis, quàm aliàs, periculum. Penè enim epulas loquacitas ſequitur, vt Greg. ait. In colloquio, vtere pulcherrimâ, quã habes; humilitatis, oportunè ſilendo, non interpellando: charitatis, alium recreando: & zeli, bona narrando, occaſione. Poſt illud, examina te, & prouide in futurum, ac roga Dominum, vt errata corrigat, pro miſericordia ſua.

Vilitatem inſpice, & ſub omnibus te loca: & dic, Putredini dixi, ſoror mea es. Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, atque hoc pro humilitatis exercitio vſurpa.

Si Sancti & Religioſi ferè aſſiduè coram Domino adſtent, æquum eſt alios ſaltem ſemel, ſcilicet, in Laudibus, Dominum in ven. Euchariſtiâ ſalutare. Ad hoc igitur conſidera breuiter. Primò, peccata præterita, & contritionem excita; Secundò, beneficia, & gratias age; Tertiò, propoſitorum tuorum, & ſi Religioſus es, votorum renouationem facito; Quartò, in honorem paſſionis Chriſti Domini ad tolerandum te offer, deinde pro more fidei, ſpei & charitatis actus exerce. Oratiuncula vti potes, quæ ante Sacrum aut ante horas recitandas propoſita eſt. *Credo tibi*, vt ſuprà. Vel *Quid feci tibi, quid tu mihi, ô* IESV? *offero tibi vita mea, & deſideria N. & omnia mea, fac de me ſecundùm voluntatem tuam, credo enim tibi, in te ſpero, & te toto corde diligo, ex te enim & in te & pro te ſunt omnia.*

Sanctorum cultum.

1. Certos Patronos delige, vel ex inſpiratione, vel ad morbos tuæ animæ curandos, eos v.g. qui in contrariâ virtute excelluerunt, vel ob accepta beneficia. 2. electos conſtanter cole, eos inuitando (ad quod vitam lege.) Deinde

alios

alios ad eorum cultum inuitando, item inuocando crebrò, poſtremò, quod facillimum, orationes, aut pia opera ſolita fieri, iis applicando, Deoque per manus eorum offerendo. Ad hęc calendarium eorum habe, & ſtatas mortificationes, Martyrologium quotidie deuotè audi, & veſperi Sanctos illos cum Patronis inuoca, & ad Primam, & in præparatione ad communionem ſeu ſacrum, & in ipſo.

Excita breuiter contritionem, vt dictum primum Aue, recita gratias agendo pro creatione, ſecundum pro Incarnatione, tertium pro Redemptione, renoua propoſita, & offer te in actu fidei, ſpei & charitatis, & omnia tua tanto benefactori, & ſi lubet ſubiunge poſt tertium *Aue*: *Benedictus ſit Deus Pater, qui me creauit, vnigenitusque Dei filius, qui me redemit, ſanctus quoque Spiritus, qui vocauit me, & fecit mecum miſericordiam ſuam. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia, Deus meus & omnia.* ***Salutationis Angelicæ pulſus***

In his ſtatue Primò te coràm Deo, ac curia cæleſti, & pete à B. Virgine, amorem Dei: ab Angelis, puram intentionem: ab Apoſtolis, obedientiam: à Martyribus, patientiam: à Confeſſoribus, paupertatem: & à virginibus, caſtitatem. Ad *libera nos Domine*, cogita quàm multa mala te circumſtent, & pete liberari. Ad *te rogamus*; vide quàm multis egeas: eaque poſtula à fonte omnis boni tibi præſente. ***Litaniæ.***

Nunc lege, nunc ora, nunc lecta aut ſcripta reuolue:
Vel pugna, vel cerne Deum, vel cuncta reſigna. ***Vacui temporis occupatio.***

Pugna, id eſt, reuoca in memoriam occaſiones exercendæ virtutis, quam examine particulari ſtudes acquirere, & exerce eam, aut vitium contrarium deteſtare: cerne Deum eumque æſtima & ama, & creata inſpice & deſpice. *Reſigna*, id eſt, propone tibi varios caſus, quibus fama, bona, amici eripiantur, & voluntatẽ tuam cum diuina coniunge.

Ante omnia excita coram Deo contritionẽ, & dic: Pone Domine cuſtodiam ori meo. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia, volat enim irreuocabile verbum. Ad Deum verò reſpice, qui poteſt ſolus animas conuertere, & tua dirigere negotia. Secundò, cùm ſcias miſeriam tuam, gratiam pete, & illius, quocum agendum, Angelum inuoca, ac tuum, vt negotia, maximè ſi ſalutis, cum eo homine tractanda feliciter expedias. 3. Sis in ſermone parcus, ſuauis, conſideratus, ne interpella, nunquam de alterius loquere defectibus, vel de tuis laudibus, contentionemque omnem deuita. Si quis murmuret vel detrahat, tu contra ſi potes lauda & reſtitue Deo honorem & proximo, ſaltem auerte ſermonem vt Thomas Morus petitione appoſita, aut compeſce vultu & ſilentio, maximè ſi quis turpia loquatur. ***Conuerſatio.*** ***Quid cauendum in ſermone. 4 Quid dum detrahitur.***

Nullum

Nullum dimitte niſi beneuolum, & inter colloquendum inſere de Dei prouidentiâ, potentiâ, miſericordiâ, de Sanctis, Extremis, de virtutibus vel vitiis colloquia. Ab alienis negotiis & publicis abſtine quantum potes. Si audis, ne admittas in animum tuum & affectum, neque vlli homini multum adhæreſce. In omnibus Deum reſpice ſimul & creaturam, tempus & æternitatem.

In contentione cum aliquo. Si quis contendat tecum, cogita Deum præſentem, & ſatis eſſe IESVM ab illo cædi, fugari, & dic: Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, vel, mane nobiſcum Domine, quoniam adueſperaſcit. Ex te enim, in te, & pro te ſunt omnia. *Nota.*

Pſal. 71. *Conuerſatio cum diſpari ſexu.* Pange cum Iobo fœdus cum oculis tuis, vt ne cogites quidem de virgine in malum: & fuge frequentia colloquia, & familiaritates, memor illius: Inueni amariorem morte mulierem, laqueus venatorum eſt, & ſagena cor illius, vincula ſunt manus illius.

Dum foras itur. Ex obiectis viſis atque auditis ad Deum cor tuum eleua, ſenſus à curioſitate cuſtodi, ſed collige vt apis vel amoris ex omnibus. Si Religioſus es, & nomen tibi egreſſuro ſignandum, ora vt maneat in libro vitæ, & gratias age pro vocatione. Modeſtiam, maximè ſi religioſus es, ſerua, cum ex vno omnes iudicentur; maximè inquam, omnibus enim dictum: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona. *Matth. 5.*

Cum pauper occurrit. 1. Cogita IESVM occurrere, & aut illi largire tanquam Chriſto hilariter, aut à Deo illi pete: & dic: Tu pro me pauper factus fuiſti cùm eſſes diues; ex te enim, in te, & pro te ſunt omnia.

Dũ amici viſitandi. Charitatis hoc exercitium frequentandũ, ſobriè tamen, & curandum vt illa augeatur Sanctorum exemplo, ideoque colloquium tuum pietatem ſpectet, vt in vno Deo magis coniungamini. Pater Faber in hâc re vti ſolet oratione illâ: Viſita quæſumus Domine habitationem iſtam, &c.

In tentatione. 1. Leua oculos ad IESVM ſtantem à dextris Dei cum Stephano, & oculo humili auxilium pete tibi diffidens, & quaſi dicendo: Ego coram te peccem? 2. Conuerte te ad Deum, vti diabolus per peccatũ auertere te cupit, contrariumque fac actum, & quod in ictu oculi potes, dicendo corde, IESV, contritionem, fidem, ſpem, charitatem excita aut amplectendo IESVM crucifixum, & dic: Ex te enim & in te, & pro te ſunt omnia. Credo tibi; & in te ſpero, & toto corde te diligo.

In tentatione ſuperbiæ. Cogita eum qui ſuperbit ſe attollere vt caſu grauiori ruat, & dic: Abſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri IESV Chriſti, ex te enim, &c.

Cogita

Cogita ſi verè beatus eſt pauper, & væ eſt diuitibus: quid auaro eſt ſceleſtius & infelicius? & dic: Dominus regit me,& nihil mihi deerit,in loco Paſcuæ ibi me collocauit. *Auaritiæ.*

Cogita,non ſatiatur oculus viſu, nec auris auditu: ad maiora natus ſum, quàm vt ſenſibus ſeruiam, & dic: Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt. *Luxuriæ.*

Cogita ſi gaudeo de bonis proximi,fruor iiſdem vt apis, & mea ſunt: ſi gaudeo de malis vt araneus,vror illis,& mea ſunt meaque perdo bona,& dic: Hoc eſt preceptum tuum, o IESV, vt diligamus inuicem ſicut dilexiſti nos. Ex te, & in te, &c. *Inuidiæ.*

Memento animæ tuæ, & deliciarum eius, & cogita eſcam omnis mali ſemen, & dic: Siccine Eua mea decipiet me, quando paraſti, o IESV, in conſpectu meo talem menſam aduerſus eos,qui tribulant me. *Gulæ.*

Cogita ſi læſus ſum vltro, cur me iterum lædam, cum meo dolore æterno, & proximi offendiculo? & dic: Audio, Domine IESV, diſce à me quia mitis ſum & humilis corde, & talis eſſe cupio gratiâ tuâ. Ex te enim,& in te,&c. *Iræ.*

Gaude quia facta eſt voluntas Dei, & cogita, Cur fruſtra me torqueo. & malum tranſiens & extrinſecum facio internum,& æternum? Ex te enim,&c. *Triſtitiæ.*

Cogita horam eſſe fortè vltimam cum IESV,& coram eo agendam, & dic: Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum. Ex te enim,&c. *Acediæ.*

Si lapſus fueris,mox contritionem excita. Dixi,confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino,& tu remiſiſti iniquitatem peccati mei,ex te enim,& in te,& pro te ſunt omnia. Credo tibi & in te ſpero,& toto corde te diligo. *In lapſu. Pſal. 31.*

Amplectere Crucifixum & crucem vt à Deo miſſam,& dic: ſicut Domino placuit amantiſſimo Patri,ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum: vel,Pater,ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte, verumtamen non ſicut ego volo,ſed ſicut tu. Ex te enim & in te,&c. *Cum aduerſa accidunt. Matth. 26*

Cum iniuriæ inferuntur, amplectere Crucifixum,& ora pro maledicente, ac dicito: Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. vel, Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam vel,Benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos. Ex te enim, & in te,& pro te ſunt omnia. *Cum iniuriæ inferuntur. Matth. 2.*

Vide an momentanea velis, an æterna cum Chriſto IESV crucifixo, atq; elige. Ego verò hîc delectabor in Domino, & exultabo in Deo IESV meo, in quo ſcilicet omnia: ex te enim & in te,& pro te ſunt omnia. *Cùm iucunda accidunt.*

Cogita

Cùm laudaris. Cogita vt à mundo Chriſtus vituperatus fuerit, & contemptus & deſertus, & proinde ex amore deſpice iſta & dic: Abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri IESV Chriſti. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.

Cogita: Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis, & coniunge tuas iniurias cum Chriſti paſſionibus, & ei offer: Bonum mihi quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia. *Pſal. 118.*

Cum corriperis. Cogita medicinam præberi, vel viam oſtendi tibi, & à Deo fieri correptionem, & dicito: Sana me Domine, & ſanabor, quoniam laus mea tu es. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.

In dolore & infirmitate. Iſai. 53. Chriſtum crucifixum intuere & amplectere: verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, & dic: Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.

Dum pulcra vides. Cogita vel inferni mala, vel cæli gaudia. 3. Dei magnalia, & gratias age: Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.

Dum quid malè fieri vides vel audis. Mox oculos ad Deum attolle, proximoque & Deo condole, & vt ſeruus aut filius Domino & Patri ab alio ereptum honorem, amorem, &c. redde, & corde illius excluſum, & ab eo malè acceptum, amantiſſimè complectere amoris actum excitando, & dic: Ego autem te diligo, & in te ſperaui Domine, Deus meus es, & in manibus tuis ſortes meæ.

Cùm bene quid fieri vides vel audis. Pſal. 9. Gratulare Deo, vt filius Patri, & ſeruus Domino, quod ſemen gratiæ fructum fecerit in proximo, & gratias illi age, & opta in te centeſimum referre, & dic: Lætabor, & exultabo in te, & pſallam nomini tuo Altiſſime.

Cùm ſpeculum inſpicis. 1. Cor. 7. Sap. 7. 1. Cor. 13. Cogita, ſic tranſit mundi gloria & ætas, in Deo autem omnia & æternum videbimus. O ſpeculum ſine macula, quando te videbo facie ad faciem? quid fui, ſum, & ero? tu ſcis, Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.

In curioſitate. Eccli. 1. Pſal. 102. Cogita te fruſtrà cupere, ſcire, & hoc ipſo optimam tui ſcientiam, & Dei cognitionem obſcurare, & dic: Non ſatiatur oculus viſu, neque auris auditu, ſed tu Deus meus ſola ſatietas. Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.

Quoties dubium aliquod incidit. 1. Statue te coram Deo, & affectum reſignationis indue. 2. Rationes vtrimque expende coram Deo, & in lumine ipſius, & ſi vis conſidera quid in morte, quid in iudicio, quid alteri ſuaderes. atque ita te reſolue.

Adoro

Adoro te Sanctiſſima Trinitas, cum omni creatura, & pro omnibus qui te ignorant & blaſphemant. Credo tibi, ô veritas æterna; ſpero in te & ex toto corde meo te amo, ô bonitas infinita! Ex te enim, & in te, & pro te ſunt omnia. Dum per templum itur.

Luſtrali aquâ te aſperge, & contritionem excita, & dic: Credo Domine, in te ſpero, & te toto corde diligo: Nos cum prole piâ benedicat Virgo Maria. *Dum cubiculo vel domo egrederis.*

Cogita gaudium quo fruêris, quando ingredieris in domum & regnum Patris tui æterni, & inuenies ibi Deum expectantem te cum B. Virgine & Sanctis, & dic: Quis mihi det vt inueniam te, ſolum & omne bonum, & nunc arbitrer omnia vt ſtercora, vt te lucrifaciã. *Ex te enim &c.* *Dum redit. Cant. 8. Pſalm. 3.*

Cogita, te Deo petenti vt facias ſic, oportere reſpondere: *Tu pro me, à me hoc petis, Domine* Iesv, *& cùm poſſim, quare id nolim, cum damno meo, cum dolore tuo, gaudio hoſtium meorum? Ex te enim*, &c. *Mortificatio dũ ſe offert.*

Primò intentionem renoua; deinde offer, & vnias actionibus aut doloribus Chriſti Iesv, & dic: Propter te mortificamur toto die, vt viuamus in te, o amantiſſime Iesv. *Ex te enim*, &c. *Dum mortificationẽ facis.*

Primò ludus vt ſal adhibendus, maximè in hac valle lacrymarum: omnis is vitandus qui ſpeciem auaritiæ habet, cor inquietat, animum nimis occupat: aliàs non eſt ludus ſeu remiſſio. Secundò, moderatio hîc maximè adhibenda; ideò tempus præfini; & memineris datum ad agendam pœnitentiam & laborem; ac nihil turpius etiam Ethnicis viſum eſt, quàm huic multum temporis tribuere, atque inertem vitam ducere. Tertiò, vitanda vt pauper Iesvs partem habeat in lucro, vel animæ in purgatorio. *Ludus.*

Adhæreat lingua mea faucibus meis ſi non meminero tui Iesv; *in principio lætitiæ meæ*. vel: *O Sapientia æterna, cuius deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, ecce, ego coram te ludã, abſit illudam tibi, & vulnerem te; & vt oblectem me, offendam te & iniuriam inferam pro donis tuis, & obliuiſcar tui in membris tuis, & animarũ, ſed ad gloriam tuam, animum Chriſtianè remittam, vt alacriùs tibi ſeruiam. Ex, te enim, & in te, & pro te ſunt omnia.* Oratio.

Pridie omnia diſpone, vt manè primũ Sacrũ deuotè, quod vltimum fortè erit, audire, & à Chriſto Domino benedictionẽ accipere poſſis In itinere, primò Itinerarium, & Litanias, & Pſalm. *Benedicite omnia opera*, &c. lege: deinde meditationem inſtitue, aut piam aliquam ſuſcipe cogitationem, tum colloquium pium; poſt hoc roſarium; neque examen particulare, aut generale omittendum. In *Itinerariũ*

 fine

ſine itineris,recita,*Te Deum laudamus*,&c.inuoca Angelos loci,ad quem peruenturus es , & ſi occaſio , templum ingreſſus,venēr.Sacramentum ſaluta.

In termino viæ ſic ora

Adoro te Sanctiſſima Trinitas vbique æquè præſentem , æquè prouidum Patrem,& credo tibi,& in te ſummè confido,& diligo te ex toto corde meo Ignoſce peccata mea , & da , vt in hoc loco ea humilitate prudentia ac charitate conuerſer,vt neminem abſentem aut præſentem lædam,ſed bonus Chriſti odor in eo ſim & ſanctificem nomen tuum.Quando introibo in domum tuã, & amodo dicetur requieſcam à laboribus meis?

De celebrãdo die quo ſtatum quis in Eccleſia ſuſcepit.

Ethnici & Chriſtiani diem natalem celebrare ſoliti , tu ob baptiſmi gratiam imitare,& ſi Religioſus , Sanctorum exemplo,ſolemnem habe diem quo egreſſus de terrâ Ægypti,item ſacerdotii.Qui matrimonio iuncti & alii,ſuum diem ſolemnem habeant.Die ergo tali conſidera defectus circa ſtatum admiſſos , & humiliter confitere , & deinde communica, aliorum preces ac ſacrificia poſtula ; gratias Deo pro beneficiis age , hoc nomine eleëmoſynam elargire ſaltem ſpiritualem, exemplo ſenis illius qui natali ſuo quo in religione renatus erat nihil petentibus negabat &c.

Recollectio menſtrua coram Deo & Chriſto Ieſu & Sanctis facienda, velut vltima foret, idq́ vltimo die menſis.

CONSIDERA 1. quem menſe ſuperiore profectum facere debueris tanto amore Dei & beneficiis N. præuentus. & feceris, temporis & mediorum habitâ tatione, & quid ex iis ſuperſit, ac 1. vide vti te geſſeris circa Deum, quomodo eum deberes ſemper habere & reuereri præſentem, & an nunc habeas magis in hâc & illâ occaſione, recreatione, & omni conuerſatione & ſubitâ occupatione. Contritionem excita & propone emendationem. Vide 2. vt te habeas in ſacro, in orationibus, & piis exercitiis deuotionis. An nunc melius. 3. Quomodo in profectus deſiderio & feruore, in reſignatione & maximè patientiâ profeceris amore eius qui immittit aduerſa æquanimiter ferendo. O IESV, &c. vt infrà pag. 1062. *Vide vt te geris circa Deum.*

Conſidera 2. Quomodo circa Superiores te habeas, an iis præſtes quæ debes, primò amorem & honorem. 2. promptam in iis Deum videndo, ſine repugnantiâ, excuſationibus, obedientiam. 3. Reſignationem ad omnia, & an ea ſis comparatione animi, vt baculus velis eſſe, vt nihil velis, niſi quod illi, vtpote Vicarii Dei. O IESV, vt inf. pag. 1062. *2. Circa Superiores.*

Conſidera 3. circa proximum quomodo verſeris, & maximè pauperem & defectuoſum, & tibi aduerſantem. N. an eum diligas ſincero & dulci corde, exteriùs vultu & ſigno id demonſtrando: & an amicabiliter omnes alloquaris, conſoleris, & eis compatiaris, & opera charitatis, quæ potes, vt Chriſto IESV, etiam vltro afferas, & colloquio pio proximum promoueas. 3. an bene de iis vbique, nunquam malè loquaris vt aranea, ſed apud alios excuſando, & bona illorum laudes, & imiteris mellificas apes. *3. Circa proximum.*

4 *Circa ſubditos.* 4. Quomodo te habeas circa familiam, ſubditos, 1. in ſpiritualibus eis prouidendo, & animo ægros curando. (Eorum catalogum, ſi ita res poſtulet, habe ante te, nam de iis redditurus es rationem, etiam ſingulis) 2. Curare etiam debes temporalia, eiſque proſpicere, maximè ægris. 3. Impedimenta ſalutis remouere, vt ſunt occaſio, ſocii, libri, imagines non probæ, maximè tamen otium, tempuſque iis diſtribuere.

5 *Circa ſeipſum.* 5. Inſpice teipſum, & 1. an inſtitutum tuum & regulas ſerues, deinde an ædifices alios in exterioribus, modeſto vultu, verbis, veſtitu, conuerſatione. An in eâ ſis humilis, amabilis, & talis vti eſſe debes coram Deo, vt ſcilicet eius gloriam ſpectare & vbique procurare queas. 2. vide quomodo in interioribus paſſionibus, tentationibus & nominatim in examine particulari profeceris, & maximè in ordinatâ & habituatâ vitâ, & conſtantiâ & humilitate ſincerâ. 3. In corporis curâ quâ vtaris temperantiâ in victu & veſtitu, habitatione & ornatu, ludo, ſtudio, ſeu exercitio; & rerum ſeu bonorum quibus vteris, habitâ ratione ſtatus tui, id eſt hominis peregrini ſuper terram. Annotapr opoſita.

EXERCITIVM.

Anni decem faciunt menſes 120. ſeptimanas 520. dies 3652. horas 87640.

O IESV, Creator & Redemptor, & finis meus, tibi credo & in te ſpero, & toto corde te diligo, & vehementer doleo ex amore tui quod offenderim te. Ecce tot anni lapſi ſunt N. ætatis meæ, & tot menſes N. tot dies N. tot horæ N. Quot ſuperſunt anni, menſes, dies, horæ? Tu ſcis. quid ex præteritis iam ſupereſt, aut hinc auſerrem ſi iam vocarer vt illi, noti mei N. Video, certè temporis & gratiarum omnium ſtricta reddenda ratio erit, & quomodo potero vel vnius horæ? Huius verò temporis vel horam unamſi ſanctus aut damnatus vel purgandus haberet, quomodo eâ vteretur? Video vt Sancti in breui expleuerint tempora multa, & in felici æternitate iam non meminerint preſſuræ. Damnatorum bona & vita tranſierunt velut

vmbra

vmbra, & in æternitate dirè illi cruciantur. Vtrum iam deinceps eligam? vtrum alteri ſuadeam? nouine finem creationis meæ? an nunc propior illi ſum? nónne vti viuo, ſic certò moriar? & verò ſic vt viuo vixiſſe optarem? Ecce ſic per gratiam tuam, ſic ex amore tui & tot beneficiis, ex N. nominatim præuentus ambulabo coram te, & potiùs millies moriar quàm te vel venialiter offendam, quàm non diligam te.

Ecce te in Superioribus ſic audiam N. ſic proximũ N. tuâ gratiâ diligam & illi præſtabo quod tibi. Ecce, Domine mi, gratiâ tuâ curioſitatem & ſuperbiam, paſſiones amoris, odii, & timoris, iræ & triſtitiæ refrænabo &c. Neque vltra ſeruiã illis: ſed ſic tuâ gratiâ eas moderabo N. & modeſtiâ ac patientiâ omnibus præire conabor, & maximè charitate, quia ſum diſcipulus tuus bone Iesv, *& filius tuus, idq; verbo, opere & veritate; ſic autẽ actiones meas dirigã ſic aduerſa tolerabo. Doleo vehementer de omnibus defectibus ex amore tui & vota N. ac deſideria N. mea renouo. Credo tibi, & in te ſpero, & tota corde te diligo. Amen.*

Adde hæc in fine totius Recollectionis. 2. Cor. 12 Ioan. 13. 1. Ioan. 3.

Singulis hebdomadis habes caput de ſui renouatione lib. 3. cap. 5, *Quid ſingulis hebdomadis.*
Singulis diebus mane ſemitam viæ, lib. 1. c. 13. p. 149. *Quid ſingulis diebus.*

CAPVT XXI.

De ſtatu Matrimonii.

Quæ cap. ſuperiore habes, omnibus ad vitam piè inſtituendam ſunt accommodata. Ne verò quid deſideres in hoc genere, ecce tibi propria exercitia cuique ſtatui. His *Documenta aliqua ſingularia* ſubnecto, & his de vitâ æternâ, ad quam vt nos perducat clementiſſimus Iesvs, eum humillimè rogo.

Meditatio de ſtatu Matrimonij.

Praelvdivm I. Conſtitue te coram Domino, & deinde roga, vt largiatur gratiam ad ritè obeundum munus tuum.

PVNCTVM I. Conſidera Primò ſeruum Dei paratum eſſe debere quouis in munere ei ſeruire, neque munus, neque ſtatum eligere niſi ex eius ſanctiſſimâ voluntate. Nouit ipſe qui varia membra in corpore noſtro creauit, varios ſtatus in Eccleſiâ ordinauit, quid nobis vtilius, quid ſuæ gloriæ magis accommodatum. Id vnum cura, & vocatione tuâ contentus viuas. 2. Matrimonium à Deo inſtitutum ad propagationem generis humani, ut plures animæ æternum Deo ſeruirent, & remedium eſſet incontinentiæ; hunc finem Deique voluntatem ac honorem ſemper ob oculos habe, & diſce quàm ſit noxium alio matrimonium inire exemplo, quàm Saræ, cuius ſeptem maritos dæmon interfecerat, eo quòd (vt Angelus) vt ſuæ libidini vacarent ſicut equus & mulus matrimonium inierant. 3. Conſidera id quod dicit ſapiens, pars, & ſors bona, mulier bona, in parte timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis; & vide primò quomodo oporteat te quam ille deſtinauit, amare, & conſidera quòd ſicut Adamo dormienti Euam dedit, ita tibi eam donatam attende, & gratias pro ea age. 4. Conſidera quomodo Raphaël Archangelus Tobiæ vxorem quæſierit, & dæmonem alligârit, & conſidera illud eſſe officium Angeli cuſtodis tui, & roga eum qui coniugis eſt vel erit, vt dirigere & ſuſcipere quæ tibi & coniugi ſalutaria dignetur. 5. Conſidera homines alios multâ cum pietate ac parentum conſilio vti Iſaac, ac precibus nuptias inire, alios per multa illicita: & hos facere perindè ac ſi quærant viam, per deuia, remedium per vulnera, benedictionem per maledictionem, priùs dæmoni ſe tradant vt Deo in matrimonio ſeruiant. Si autem ita egeris, cogita quid ſit remedii, quídue alteri ſuaderes, nempè eo ſtudioſiùs in coniugio dare pietati operam &c. tu ergo expia animum confeſſione, intentionem matrimonii ſeriò coram Deo ſæpè renoua; peccata eleëmoſynis ac piis operibus

Varii ſtatus ſunt.

Tob. 3. & 6

Eccli. 26.

Gen. 2.

Tob 8.

Angelus cuſtos ſedulò colendus

Cui ſimilis qui m alè nuptias init.

Quid remedii.

operibus redime,nè ſi impiè cœptum & ſine Deo, valdè fiat amarum matrimonium, & careat benedictione. 6.Quæ ſigna Deum te ad matrimonium vocaſſe habueris aliquando expende,ex parte corporis & ex parte animæ: quas inſpirationes poſt ſacram communionem & orationem, & gratias age Deo, & in tuo ſtatu lætus viue,cùm voluntas ſit Dei, fiduciamque omnem in eo colloca.

Hæccine vera,vt ſuprà pag.7.

PVNCTVM II. Conſidera Primò Sacramentum vt Apoſtolus ait,Magnam eſſe matrimonium, & ſignificare coniunctionē Chriſti & Eccleſiæ, Dei & animæ, naturæ diuinæ & humanæ; ac vide quomodò thorum poſſis ſeruare immaculatum & fidem coniugii, ſic vt Chriſtus Eccleſiæ ſuæ. Secundò. Aduerte Sacramentum hoc conferre gratiam ſi ſuſcipiatur à iuſto,vt coniuges onera matrimonii ferrę poſſint, eoque maiorem quo maiori accedunt ad illud pietate:itaque ſpem certam in Domino habe quidquid eueniat. 3.à Deo in paradiſo iuſtitutum, à Chriſto in B. Virgine & Ioſepho primùm,deindę in nuptiis Canæ Galileæ primo miraculo honoratum; & vide quomodo tu etiam honores ſtatum tuum caſtè & ſanctè exemplo Beatæ Virginis viuere debeas, vt aquam tribulationis in vinum conſolationis Chriſtus IESVS conuertat. Quartò, multa ſalutis impedimenta per matrimonium tolli,& ſolatia humanæ uitæ haberi ſi ritè ineatur & in eo viuatur,& gratias Deo age, quòd tam ſuauiter fragilitati noſtræ ſuccurrat. Quintò, Conſidera tanto ac tam ſancto amore Coniuges coniungi oportere, vt Apoſtolus dicat,Viri diligite vxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro eâ. & addit:viri debent diligere vxores ſuas, vt corpora ſua, adeò vt propter eas homo patrem & matrem deſerere debeat,eique adhærere; ac quàm turpe foret diſſidere ac contendere inſtar canum, & vinculum tam

Hebr.5.

Hebr.12.

Sacramenti matrimonij gratia.

Matrimonij bona.

Coloſſ.3.

Charitas in matrimonio neceſſaria.

arctæ ſocietatis diſrumpere, atque ita hîc infernum, propter ſummam amaritudinem quodammodo experiri. *Aſpira* vt ſup. pag. 8. *Hæccine ſ.rmâ.*

PVNCTVM III. Conſidera ſimiliter matrimoni incommoda: Primò vinculum eſſe indiſſolubile quo inuicem alligantur coniuges, & omnium bonorum ac malorum ineunt ſocietatem arctiſſimam, ideoque vt ſedulò videndum quocum ineatur, ita vbi initum, alter alterius onera portare debet, & ſic adimplere legem Chriſti. ſecundò, Attende oportere vt in bono inuicem placeant. Vt enim ait Apoſtolus, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori; & viciſſim vxor quomodo placeat viro: quantoperè autem cauendum, ne amor nimius eos perdat, diſce ex Adamo, quem Euæ amor, Samſone, quem Dalilæ, & Salomone, quem alienigenæ vxores ad idololatriam perduxerunt. Conſidera Tertiò, quòd neuter Coniugum corporis ſui poteſtatem habeat, vt Apoſtolus loquitur. ſed in mutuam coniuges, vt Chryſoſtomus, tranſire ſeruitutem, & hanc Dei voluntate ſuſceptam patienter tolera. Conſidera Quartò, & diligentiſſimè, improbi coniugis non tantùm morbos corporis, ſed etiam animi in alium tranſire, & alium improbum ferè certò alterum perdere, atque inde patet, quantò diligentiùs ad formam animæ quàm corporis attendere oporteat, & vitare vitioſam ne te contagione inficiat; quòd ſi talem ſis nactus, omni charitate iuuandam eſſe & tibi cauendum. Et verò velléſne cum leproſo, reo infamis ſupplicii, exhæredato contrahere? non exiſtimo, ita etiam vita, & multo magis eam quæ improba eſt. Commorari, ait Sapiens, leoni, & draconi placebit magis, quàm habitare cum muliere nequam; qui tenet eam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem: de viro improbo verò ait, ſicut leo in domo euertit domeſticos ſuos, &c. Verùm enim verò cùm ſint cogitationes mortalium timidæ, & incertæ

Incōmoda matrimonii

1. Cor. 7.

Eccli 25.
Eccli. 4.

proui-

prouidentiæ noſtræ, roga humiliter Dominum, vt vias tuas dirigat in beneplacito ſuo, & in ſtatu ad quem vocauit, gratiam neceſſariam largiatur.

Oratio pro Coniuge.

O Domine Deus meus, cuius prouidentiâ cuncta gubernantur, tu me elegiſti vt in matrimonio ſeruiam tibi, paratum cor meum eſt vt faciam voluntatem tuam, in quâ libens acquieſco, propter quam relinquo patrem & matrem, & adhæreo propter te coniugi meæ; verumtamen ad te faciem meam conuerto, ad te oculos meos dirigo, vt fiat honorabile coniugium & thorus noſter immaculatus ſcio enim, quia non eſt concupiſcenda coniux niſi propter voluntatem tuam, & cum timore tuo, non cum libidine debeat ea ſuſcipi. Adiuua ergo nos, & fac nos vnum tecum, vt amemus te & ſeruiamus tibi humero vno, & ambulemus ſine querela Equidem paratus ſum odiſſe patrem & matrem, & coniugem & filios, & omnia potiùs quàm te vel veniali offendere: paratus ſum mori potiùs, quàm vt exemplo, vel incuriâ meâ à te mei recedant, qui es vita noſtra. Fieri enim poteſt vt æternæ ſalutis hæredes per me ſint liberi & domeſtici, aut æternæ morti obnoxii; ſi quidem adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit nõ recedet ab eâ Adiuua me igitur ſalus noſtra. & conuerte obſecro tribulationẽ carnis in ſpiritus conſolationem, vt benedicamus nomini tuo, & benedicant tibi domeſtici noſtri: ſac vt ij timeant te, & inuicem omnes amemus. Etenim in pace factus eſt locus tuus, ô Princeps pacis, neque habitabit certè in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam, vt nolit obedire mandatis tuis; illi imprimis quod dignatus es toties commendare, dicens: Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Suſcipe hoc obſecro deſiderium meum, & concede vt neminem verbo aut exemplo à te auertam; ſed omni ſtudio in bono præeam: qui enim domeſticorum ſuorum curam non habet, infidelis eſt deterior;

Tob. 3. Prou. 22. Pſal. 71. Pſal. 100. Ioan. 15.

quid ergo ſi exemplo, ſi verbo ad mortem dicat; inuitet vt te contemnant, te ſpernant, & eheu bone IESV *per peccatum crucifigant! video crudelius nihil eſſe quàm ſic ſuis propinare mortis æternæ poculum; quàm ſic aperire hoſti portam, ſic templa tua inimicis, dæmoni, mundo, & carni tradere prophananda, & te repellere, nolle aut vereri admonere ne pereant; ſed ſollicitè quærere opes, & luxum indulgere. Auerte obſecro*

Prou. 30. *hoc à me, & fac Pater mi, vt toto corde te diligamus & ſeruiamus tibi, & primò quæramus regnum tuum, mendicitatē verò & diuitias ne dederis nobis, tribue tātùm victui noſtro neceſſaria: quòd ſi tamen & ea negare placuerit, ſcio, filii tui ſumus Pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis, tu noſti quid expediat noſq́; anxios eſſe vetas, & omnem ſollicitudinem in te proiicere, idq́; ſecurè facio, & offero tibi animā meam & corpus, & vitam meam, Coniugem & liberos meos, tua ſunt omnia, & tibi vni ea ſeruo, tibi viuo, non mihi, cui me dedico, & opera omnia mea & meorum, vt æternùm te laudent & glorificent in ſæcula ſæculorum. Amen.*

Praxis ſeu Regula pro Coniuge.

1. POSTQVAM quis ad Dei gloriam, quòd ita eum velle exiſtimet, præmiſſa generali, ſi ita videtur, confeſſione, & magnâ conſideratione, multaque cum oratione ſanctéque matrimonium iniit, vti Tobiam Angelus docuit, immò etiam concubitum differre (quod mirum non eſt, cùm etiam multi coniuges caſtitatem coluerint) tum ſciat ſe pariter iniiſſe omnium bonorum ſimul & malorum ſocietatem.

In familiā nonniſi bonos admittendos. Et primò efficiat vt familia ſit Deo accepta, improboſque excludat, & caueat quantùm poteſt ne Deus in eâ offendatur; tempus & opera ita diſtribuat vt nemo otioſus ſit.

Coloſſ. 3. Secundò, Quotidie omne quodcumque faciet in verbo, aut opere, omnia in nomine Domini IESV Chriſti facere ſtatuat & curet, vt ſacrum quotidie domeſtici, ſi fieri vllo modo poteſt, audiant; veſperi conſcientiam examinent, menſibus ſingulis vt minimùm confiteantur, ac communicent, neque aliâ lege admittantur aut retineantur.

Tertiò

Tertiò, Spectacula turpia vehementer euitare ſuos doceat, ſed magis libros impuros omnes & picturas eliminet, haſque & illos pios procuret, vt omnibus obuii ſint, & ſi ita res fert, aliquid legi in commune poterit ſtato ac commodo tempore, vt B. Elſearius facere conſueuerat. Huius & piorum Coniugum vitam legat & imitandam proponat. *Libri pij vbique obuij ſint.*

Quartò, Caput vxoris eſt vir, neque decet mulierem dominari in virum: hic tamen ſciat vir eam vt ſociam habendam, & honorem vt infirmiori vaſculo iuxta Apoſtolum impendat. Inſtruere etiam vxorem debet, nam vt Apoſtolus, ſi mulieres aliquid diſcere voluerint, domi viros ſuos interrogent. *Ephes. 5.* *Heb. 3.*

Quintò, cauenda imprimis contentio, & rixa, ſuſpiciones, & in vxore verboſitas ac proteruia: his enim matrimonii iugum fit intolerabile. Inuicem ſtudeant placere coniuges in bono, & bona communicent, nullaque de cauſa alienatio ſuſcipiatur à coniuge, aut propinquis eius.

Sextò, Habitus ſit moderatus iuxta illud Apoſtoli: mulieres in habitu ornato cum verecundiâ & ſobrietate, quod idem valet in viris; ſed illæ facile ſtolidè æmulantur pares, & importunè ornatum quærunt corporis; quod ipſum modeſtia & virtus animi longè magis exornant. *1. Tim. 2.* *Habitus ſit modeſtus.*

Septimò, Proles nata, Domino ſtatim magno affectu offerenda, & in templo quamprimùm fieri poteſt, deinde quotidie, vt ipſe de eâ diſponat ad maiorem ſuam gloriã, ſiue præmaturâ eam morte vocare, ſiue ad religionem placuerit; ingratus eſt Deo & hominibus, qui ſic dona accipit, eorum vt vſum donatori neget, ad momentũ vitæ cùm fœnore æternum recepturus; Liberi verò inſtituendi ſedulò ſtatim à primâ ætate, exemplo potiſſimùm pietatis, modeſtiæ, grauitatis, temperantiæ & manſuetudinis: pueri ſiquidem parentum indolem referunt, & mores vt ſpeculum exprimunt: aſſuefaciendi item piis exercitiis memoriaque inſcribenda ſanctis narrationibus, & principiis ſeu ſententiis ad piè vitam inſtituendam accommodatis & audiendum Sapientis monitum: ne des filio poteſtatem in iuuentute ſuâ, ſed curua ceruicem illius; nam filius qui relinquitur voluntati ſuæ, confundet matrem ſuam. Bona ita curet vt tamen præcipuam fiduciam in Deo ponat, cum eoque in pauperibus ea diuidat liberaliter, vt etiam in hac vitâ centuplum accipiat, quod veritas promiſit. *Puerorum educatio curanda.* *Eccli. 7. & 30.* *Prou. 29.*

Octauò, Mulier in minoribus familiam gubernet, & ſe irreprehenſibilem exhibeat modeſtâ ac piâ conuerſatione; nam quæ vana & vaga & curioſa oculis affectum & indolem

lem indicat,& inuitat ad crimen vel ſaltem aliis inuitare videtur: Caſta & pudica vt illa alium à marito vix nouit, vixque vlli nota eſt,& iuxta Sapientis monitum reddit viro bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ,quærit vltrò lanam & linum, & otium fugit, & manum inopi libenter aperit.

Prou.32.

Nonò, Menſibus ſingulis rationem accepti & expenſi ineas,& in illis quod pauperibus datum lucro adſcribat, Quotannis die anniuerſario nuptiarum tria faciat. 1. Confiteatur & communicet ſi, fieri poteſt cum totâ familiâ. 2. feriò cogitet deliberetque cū coniuge de meliùs eâ adminiſtrandâ. 3. omnia ſua Deo offerat in ſacrificio Miſſæ ad hoc procurato,& eleëmoſynis diſtributis. Sic Iob pro familiâ ſacrificium offerre conſueuerat,& eam expiare.

JACVLATORIÆ

Pſalm. 7. *DOmine Deus in te ſperaui, ſaluum me fac ex omnibus perſequentibus me,& libera me.*

Pſal. 54. *Iacta ſuper Dominum curam tuam,& ipſe te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iuſto.*

CAPVT

CAPVT XXII.

Meditatio de ſtatu Viduitatis.

PRAELVDIVM I. Conſidera te coram Domino ſtare, atque ab eo velut inuitari ad ſtatum perfectiorem.

PRAELVDIVM II. Roga vt eum vocantem audire poſſis, & dignè vocatione tuâ viuere.

PVNCTVM I. Conſidera primò, cùm vnuſquiſque debeat eligere ſtatum ex voluntate Dei, nihil optatius, quàm manifeſtè eam cognoſcere, vti obtingit in viduitate. *Deus ad viduitatis ſtatum trahit. Luc.19.*

Conſidera ſecundò, hæc verba: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & vxòrem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus; & cogita Deum iam probare fidelitatem tuam, an eum plus omnibus his diligas. Memor itaque eſto iudicii coniugis, ſic enim erit & tuum; forſitan hodie ei iungeris, quid tum feciſſe velles?

Conſidera tertiò, quæ ſigna habeas præterea vocationis huius, ſunt ea ſæpè ſterilitas, defectus comparis, quies in ſtatu, & deſiderium perfectionis, & attende ad illa Apoſtoli verba, quæ viro & mulieri applicari queunt: quæ ſub viro mulier eſt, viuente viro alligata eſt legi; ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, cui vult nubat; beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium; puto autem quòd & ego ſpiritum Dei habeam. *Eccli.36. Signa huius ſtatus. 1.Cor.7.*

Quid tu verò cenſes? Id verò de ætate prouectioribus maximè accipiendum eſt, aliis, ait idem, melius eſt nubere quàm vri. *Haccine vera*, vt ſup.pag.7. *1.Cor.7. 1.Timot.5*

PVNCTVM II. Conſidera primò, cur beatior ſit viduitatis ſtatus; nempe quia qui in illo ſunt, ſicut virgines ſoluti à coniugii ſeruitute, & liberè Deo

ſeruire poſſunt, atque ita vt illæ centeſimum, ſexageſimum hi referunt. O anima quærens Dominum attende in hoc ſtatu te iam quaſi mundi ſolutam legibus; non eſt enim cui placere ſtudeas; cui te precioſè ornes; ad conuiuia, ſpectacula non accedis in gratiam coniugis. Gaude quiſquis es igitur vt Annia Romana, quia iam neque coniugem bonum optas vt illi plus quàm tibi timeas, neque malum quæris vt perpetuò gemas. Denique cùm affectus in plures diuiſus fuerit, iam licet tibi in vnum Deum colligere, eumque toto corde amare: quid vtilius? ô quanta felicitas! quanta viduitatis dignitas! quam & Ethnici ſuſpexerunt & laudârunt.

Conſidera 2. quòd Dominus præcipuè viduarum (idem de viris) & pupillorum curam ſuſcipiat, his tutorem ſe præbeat & patronum; neque dicere poteſt is qui iterum nubit, ſe filiis ſubſidium quærere, cùm hoc pacto affectum diuidat, diſcordiæ ſemen iaciat; alios quærendo hæredes. Si liberos quidem non habet, quis ſterilitatem & orbitatem ſecuram fecit?

Ambroſ. de viduis.

Iudith. 14

Conſidera tertiò, exemplum Iudith, quæ electa ob vidualem caſtitatem vt liberaret populum, eò quòd, ait Scriptura, caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum alterum neſcieris, ideò manus Domini confortauit te, & ideò eris benedicta in æternum, ait Spiritus ſanctus: idem exemplum tibi vir aptare poteris quiſquis es.

Exemplar in hoc ſtatu B. Virgo

Conſidera quartò viduarum & viduorum omnium & virginum exemplar Beatam Virginem Mariam: & vide quomodo in viduitate permanſerit, ſummâ cùm ſanctimoniâ vixerit, cogita vt ſenſus ſuos ſeruârit, opus fecerit, tempus diſtribuerit, omnes ad pietatem opportunè impulerit exemplo & ſanctâ conuerſatione.

PVNCTVM III. Conſidera primò, quo pacto, qui in viduitate eſt, vitam iuxta Apoſtolum inſtituere debeat.

beat. Primò amorem omnem vniuerſum conuertere in Deum, familiam gubernare, irreprehenſibilem eſſe, modeſtum; tempus quod impendere ſolet vt coniugi placeret, impendere Chriſto, gaudia mundi euitare; nam quæ in deliciis viuit, viuens mortua eſt. *1. Tim. 5.*

Conſidera ſecundò, Annæ viduæ elogium attende, non deſcendebat, ait Euangeliſta, de templo, ieiuniis & orationibus ſeruiens Deo, die ac nocte. *Lucæ 2.* *Iudith. 3.*

Conſidera tertiò, Judithæ mores, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ præter Sabbata, & Neomeniam, & feſta domus Iſraël, & cilicio induebatur, & fecerat ſibi in ſupremo domus ſecretum cubiculum, in quo cum puellis clauſa morabatur. *Quales mores in hoc ſtatu requirantur.*

Conſidera quartò verba Apoſtoli etiam viris vtilia, quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet orationibus & obſecrationibus nocte & die: prohibet autem otioſas eſſe, circuire domos, verboſas eſſe. ſanè otium maximè vitandum, & conſortium periculoſum, atque auaritiæ cænum. abſit, ait Auguſtinus, de bono viduit. à viduis vt cupiditate capiantur diuitiarum pro cupidine nuptiarum; ſæpè namque experti ſumus in quibuſdam feminis repreſſa laſciuia, auaritiam excreuiſſe. *1. Tim. 5.* *Ibid.*

EXERCITIVM.

DOMINE *qui Rex noſter es, & Pater miſericordiarum, adiuua me ſolitarium, cuius præter te nullus eſt auxiliator alius, reſpice me de excelſo ſolio gloriæ tuæ: ad te enim leuaui oculos meos, tu ſpes mea vnica & præſidium meum, neque enim eſt quod reſpiciam ad adiutorium hominum; maledictus enim à te eſt homo qui confidit in homine, & ecce vocaſti coniugem meam, vt toto iam corde conuertar ad te: iuſtus es Domine & rectum iudicium tuum, tua enim erat, & gratias tibi magnas debeo quòd aliquamdiu, etiã*

meam

meam eſſe volueris; numeraueras dies eius qui præteriri non poterant ſed & meos, ſcio, dinumeraſti, ideoq; & ego exſpecto
1.Reg.1. *donec veniat immutatio mea, & recorderis mei; expectans exſpectabo te Domine, & in tempore tribulationis, ſcio, quia*
Iudith.14 *non deſeres me. Oſtende te obſecro in tempore tribulationis*
Eſther14. *meæ, & libera me in manu tuâ, & adiuua me, nullum aliud auxilium habentem niſi te Domine qui habes omnem ſcientiam. Tu ſcis neceſsitatem meam & propoſitum meum, quo deſidero in hoc ſtatu adhærere tibi toto corde; beatum enim me fore dixiſti, ſi ſic permanſerim, vt ſim ſanctus corpore & ſpiritu; concede obſecro vt ſolitudo mea conſortio tuo dulceſcat;*
Lucæ 2. *da mihi ne videri ab hominibus, amari velim, aut illorū conſortia tædio victus requiram, ſed vt oblectet me cum Annâ orationibus & obſecrationibus inſtare, familiam ſanctè gubernare, in ſecreto cum Iudith tibi viuere, & te amare toto corde, vt non ſit qui de me loquatur verbum malum. Semper igitur aliquid boni operis faciam, & prouidebo te in conſpectu meo ſemper, vt totum occupes cor meum, aperiam manū meam inopi, & frangam eſurienti panem meum, & cor meum*
Pſalm.9. *fiduciam habebit in te: tibi enim derelictus eſt pauper, & or-*
Matth.5. *phano tu eris adiutor, & beatos pronuntiaſti miſericordes,*
Dan.9. *quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Oſtende eam mibi, & exaudi orationem ſerui tui, qui non in iuſtificationibus ſuis proſternit preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis; attende & fac ne moreris propter temetipſum Deus meus, & vnica fiducia mea. Amen.*

Praxis ſeu regula pro Viduo.

1. DEliberatione præmiſſa, ac generali, ſi ita videtur confeſſione, ſtatum, ſi Domino ita viſum, hunc elige, & crebrò finem cur ad viduitatis ſtatum vocatus ſis, à Domino diligenter conſidera, nempe vt coniugis ſeruitute liberatus, liberè ei ſeruias, & toto corde, & omnem ſollicitudinem proiicias in eum.

Deliciæ vitandæ. 2. Pænitentiam diſcretè ama, conuiuia & delicias quoad potes, deuita; cùm Apoſtolus dicat: nam quæ in deliciis
2.Tim.5. viuit vidua, viuens mortua eſt.

3. Suade

Tertia, Suadet Apoſtolus viduitatem, & beatiores dicit ſi ſic permanſerint. Vide igitur an non expediat tibi initio ſaltem ad tempus caſtitatem, v.g. vouere confeſſarij viri pii & prudentis conſilio faciliùs concupiſcentia refrænatur, quæ nullâ expectatione ſuccenditur, vt Auguſtinus ait.

Quarta, quotannis die aliquo ſolenni, aut in anniuerſario mortis coniugis tuæ, plurimo affectu, præmiſſa confeſſione, & communione atque eleemoſynis propoſitum viduitatis renoua.

Otium vitandum.

Quinta, Vide ante omnia vt diligenter tempus diſtribuas, ſemper aliquid boni operis facito, vt Hieron. loquitur, vt diabolus te inueniat occupatam, & ſi diues ſis, opere tuo pauperes ſubleua Sanctorum exemplo Lectionem quotidie piam manè aſſume, & ſine intermiſſione ora, atque ita opera tua deuotione irriga, vt in domino poſſis delectari.

Luc. 21. 3. *Reg.* 17.

Sexta, Sæpè confitere, & communica, & in omnibus dubiis atque moleſtiis ad V. Sacramentum accede, & à Domino conſilium & auxilium expecta.

Septima, Eſto erga pauperes liberalis, & ſi aliud nõn potes, duo minuta cum viduà Euangelicâ, Domino tribue, & de modicâ farinâ & oleo, cum Sareptana vidua, primũ fac Heliæ panem paruulum, & conſequeris benedictionem à Domino, neque hydria farinæ deficiet, nec lecythus olei minuetur. Neminem ſi potes mœſtum à te dimitte.

Octaua, Si liberos habeas, educa in timore Domini; & quotidie illi offer, atque Angelo tuo cuſtodi, vt ipſe eos dirigat, illis ſeſe patrem exhibere dignetur. Tuum verò eſſe ſcias vigili oculo, peccati occaſionem omnem auertere; potiuſque cum Reginâ Blancâ B Ludouici matre, opta eos omnes tibi morte eripi, quàm te genuiſſe, aut educare quibus Deus offendatur, & Chriſtus Ieſus rurſus crucifigatur. Caue te contemni permittas, aut indulgentiâ liberos corrumpi: ſed authoritatem ſerua, & exemplo ac verbo ad virtutem adhortare.

IACVLATORIÆ.

Pſal. 122.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi mei ad te Domine Deus noſter.

Pſal. 118.

Tuus ſum ego, ſaluum me fac, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui.

Pſalm. 9.

Factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.

CAPVT XXIII.

Meditatio de ſtatu cœlibatus.

PRAELVDIVM I. Contemplare, ô anima, in cælo Virgines ſequentes Agnũ IESVM quocumque ierit.

PRAELVDIVM II. Ora Deum vt te dignetur, ſi eſt pro eius maiori gloriâ, ad hunc ſtatum vocare, aut ſi in eo es, conſeruare.

Quis ſtatus & qua cauſa eligendus.

PVNCTVM I. Conſidera Primò omnem vitæ ſtatum ordinari, atque eligi debere velut viam cuique commodiorem ad vitam æternam. Illum autem procul dubio talem eſſe, qui adiumenta plura, pauciora habeat impedimenta. Secundò, quam commoditatem præbeat Deo ſeruiendi ſtatus cœlibatus, maximè Virginitatis, & reperies primò retribuere libertatem. Nam qui matrimonio iuncti ſunt, ſui corporis poteſtatem non habent, ſed alterius alter. Sunt enim vt Apoſtolus ait, colligati, vt habitatione, menſâ, toro; ſic & mutuo mancupio & nexu, vti duo ma ncupia eidem catenæ alligata. neque enim vt Chryſoſtomus ait, ulla mancipiain cuiuſquam dominatu ſunt, vt vir & vxor. Cœlebs autem & virgo mente & corpore, liberi Deo ſeruire arbiratu ſuo poſſunt.

Seruitus matrimonij

Cœlibatus facit nos aptos ad orationem.

Secundò Tribuit facultatem ſine impedime nto orandi, & Deo placendi, Nam mulier innupta, & virgo cogitat ſolùm ea quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu; quæ nupta, cogitat quomodo placeat viro, & diuiſa eſt. Nam amor in maritos, vel vxores, & liberos, & voluptas etiamſi licita, mentem nihilominus occupat, diſtrahi t, deprim it, eneruat, ſicut omnis iracundia me ntem ſe uiuſta, ſiue iniuſta excæcat.

Tribulatio carnis in coniugio.

Tertiò, Liberat à tribulatione carnis, quam coniugati habent iuxta Apoſtolum; multis item curis, & malis quorum ſocietatem init vterque coniux; vti ſunt:

Pau-

Paupertas,ſterilitas, zelotypia, diſſenſiones, liberorum educatio, eorum rebellio, mores improbi, mors ſæpè infamis,diſcordiæ,quæ effugere cum toro, domo, menſæ coniuncta ſint, neutri licet. Accedit, morbos animi & corporis communes ferè coniugibus eſſe, qui ſæpè alterum ab ipſis nuptiis invadant, & vtrumque perpetuò miſerum faciant, neq; hoc tantùm, ſed quotannis vxor & cum eâ ob amorem maritus,ferè mortis certum periculum adire debet, ſi fructum matrimonii capere, id eſt prolem edere cupiat. *Aſpira*,vt ſup.pag.8,*Haccine firmâ fide*,&c.

PVNCTVM II. Conſidera ſtatum Virginitatis valdè ſublimem, imò Angelicum à Chriſto Domino vocari.ſic enim ait:qui non nubunt, neque nubentur, erunt ſicut Angeli Dei, ideoque hos libenter cum virginibus verſari, quemadmodum in fornace Babylonis tribus pueris ſe iunxit Angelus: unde Eccleſiaſticus:Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ.vſque adeò,vt etiam in Ethnicis valdè fuerit venerabilis,& in Veſtalibus.& Sibyllis dono prophetiæ admirabilis.*Haccine vera &c.*vt ſup.pag.7. *Virginitatis ſtatus ſublimis.* *Angelus in fornace caſtis adeſt.*

Conſidera ſecundò, per continentiam animam fieri Deo caſtam ſponſam. O quanta dignitas!deſpondi, ait Apoſtolus, vos vni viro virginem exhibere Chriſto. Tertiò, ſequi in cælo Agnum quocumque ierit, adeò vt nemo poſſit dicere Canticum,niſi Virgines electæ à Domino. Quartò, per ſtatum hunc hominem ſimilem eſſe Chriſto Domino, qui illum cùm eſſet æterna Sapientia,tum ſibi,tum B. Virgini matri,tum Apoſtolis, tum omnibus ſpecialiter dilectis,vt S.Ioanni,elegit velut nobiliſſimum, in quo ſemen gratiæ fructum centeſimum proferret. Quintò, neque elegit ſolùm, ſed per ſe conſilium dedit, dicens:Qui poteſt capere capiat: & per Apoſtolum,De Virginibus præceptum Domini nō habeo: conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino: Exiſtimo autem hoc bonum *Chriſtus hunc elegit ſibi ex dilectis ſuis.*

eſſe: & rurſum, qui matrimonio iungit virginem ſuam bene facit; ſed qui non iungit, melius facit. Beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecundùm meum conſilium. Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam. Sed attende in Euangelio quinque virgines fatuas, & quinque prudentes dici, & vide obſecro, vt inter has verâ charitate, & humilitate numereris.

1. Cor. 7. Cur ſit Conſilij.

Haccine vera, &c. vt ſup. pag. 7. *Confitebor*, &c. vt infrà pag. 1082.

PVNCTVM. III. Conſidera ſummam in hoc ſtatu iucunditatem. Primò, quia promiſit Dominus quod omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem, aut liberos, centuplum in hac vitâ conſequetur. Credis hoc & ſperas? certè nullis ita ac virginibus ſe familiarem Dominus oſtendit, vt patet in B. Ioanne Euangeliſta, B. Catharina Senenſi, & mille aliis, vt meritò Sponſa dicat: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, ſcilicet caſtitatis. Secundò, cùm coniuges fiant inter ſe duo in carne unâ; Virgines ſolas ſuas perferunt cruces: coniuges inſuper mutuas, quæ ex morbis corporis & animi, & infortuniis naſcuntur. Vnde Sapiens aiebat, amariorem morte mulierem, ſcilicet viro, ita & crebro mulier talem inuenit virum. è contrario caſtitas velut lilium inter ſpinas, ſpargit odorem ſuauiſſimum, Deumque & homines oblectat. Tertiò, Quia Virgini datur Manna abſconditum, & nomen melius à filiis, & filiabus nomen ſempiternum quod non pereat. & certè quis non videat, vt Hieronymus, multò meliùs non vxoris ſeruum eſſe, ſed Chriſti, nec carni ſeruire, ſed ſpiritui?

Hieron.

Haccine vera, &c. vt ſup. pag. 7.

PVNCTVM IV. Conſidera, Primò, neminem ad hunc ſtatum poſſe adſcendere, niſi à Domino vocatum. Vnuſquiſque enim donum ſuum habet ex Deo, neque omnes capiunt verbum hoc, ſed qui-

Non quiuis ſed vocatus hunc colere debet

quibus datum eſt: & diuiſiones, ait Apoſtolus, gratiarum ſunt; unus autem ſpiritus diuidens ſingulis provt vult.

Attende igitur quæ habueris vel habeas, quæ te ad hanc vitam inuitent, vel impellant, maximè inſpirationes, vt angelicè viuas. Caue obdurare cor, ſed confide in Deo, & inſta Orationi, vt per illam neruus femoris tui, ſeu concupiſcentiæ, vt in Iacobo ſignatum, marceſcat; deinde humilitatem cole cuſtodiâ caſtitatis, ſciens quod nemo poſſit eſſe continens niſi Deus det. Nam per humilitatis cuſtodiam ſeruanda eſt munditia caſtitatis. Tertiò, Obedientiam denique erga ſuperiores tuos. Nam vt D. Auguſtinus de Adamo loquens: Inobientia carnis rebellis promulgat inobedientiam ſpiritus. & alibi: Secretam ſuperbiam caſtigat ejus manifeſta luxuria: *Aſpira*, *&c.* & *Credo tibi*, *&c.* vt ſuprà pag. 7.

Orationi inſtandum pro continentiâ.

Humilitas cuſtos caſtitatis.

PVNCTVM V. Conſidera Primò, quod quemadmodum Virginitas eſt ſtatus valdè ſublimis, ita lapſus in eo ſit fœdus admodum, & grauis. Nónne enim æquum, ſi ſponſa Regis ſummi ei fidem frangat, & labatur in tepiditatem deteſtabilem, deſeratur à Domino, & in turpiſſima ſcelera prolabatur, vt ſit in exemplum: atque adeò ſicut de Nabuchodonoſore dicit Scriptura, quod cor feræ datum eſt ei: ita tales animæ præ ſuperbia fiunt beſtiæ in peccato obſtinatè excœcatæ, quodque deplorandum, vix unquam ſeriò conuertuntur: imò ab Angelico ſtatu velut in dæmonum pertinaciam deuoluuntur & impœnitentiam. Tales enim nullâ ſui aut ſtatus, aut ordinis commiſeratione tanguntur: imò potiùs quàm humiliter ſe aperiant Confeſſario, aut alteri, & periculo eripiantur, ſcandala contemnunt, & animarum plurimarum interitum, atque adeò quaſi ipſius Eccleſiæ, quinimo confeſſionibus, & com-

Lapſus eorũ fœdus.

& communionibus ſacrilegis cumulatis ſemper a anguſtiatæ, & afflictæ hîc dirè torquentur, & theſaurizant ſibi iram in die iræ. Quis non horreſcet, quis non contremiſcet? certiſſimum enim eſt, quòd omnis qui ſe exaltat, nolendo ei aperire peccatum ſuum qui periculum auertere poteſt, humiliabitur. Et vt Auguſtinus: Secreta illa ſuperbia manifeſtâ ſeriùs ocyùs luxuriâ caſtigabitur. Noli igitur altùm ſapere, ſed time, & ſummâ cautelâ cuſtodi cor tuum. Attende quomodo Sanctæ Virgines potiùs vitam amittere maluerint, quàm caſtitatis pati detrimentum, aliæ informes vt fierent, à Domino impetrârint (vt D. Brigitta) ne cui placerent. Vide ergo vt gemmam hanc, & margaritam diligentiſſimè cuſtodias, & oculos tuos, per quos mors velut per feneſtras intrare ſolet; & B.V. mores, habitum, inceſſum, &c. tibi finge & æmulare.

Auguſt.

Exercitium pro eo qui cœlibem vitam elegit.

Gratiarũ actio.

CONfiteor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Saluatôrem meum: confitebor nomini tuo magno dulciſſime* IESV, *quia elegiſti me verè indignum, vt eſſem ſanctus corpore, & ſpiritu, vt ea tantùm cogitem, quæ tua ſunt. Mulier ait Apoſtolus tuus: alligata eſt viro. & quæ nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Ideóq; viro contingit, cùm ſint duo in carne unâ. Ego verò quomodo placeam vni tibi, ſollicitus ſum & ero æternùm per gratiam tuam, nulli placere cupio videri, nulli opere vel ornatu placere. nulli diſplicere timeo, niſi uni tibi Agne immaculate. Quò mihi ab homine amari, & laudari? tuus ſum ego & tibi deſponſata eſt anima mea in ſanguine tuo ſequar te quocumque ieris & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi mei erunt ad te die ac nocte, neque aſpiciam unquam, aut inclinabo in creaturam vllam cor meum in æternum.*

Contemptus creaturæ.

Tu. ô bone IESV, *es vnicus amor meus, & deſiderium cordis & oculorum meorum! ô vtinam iam cor meum, & caro exultent in te Deo viuo! vtinam in ſilentio ac ſolitudine loquaris mihi*

quaris mihi ad cor, & conuertas me ad te: Dulcia enim faucibus meis eloquia tua ſuper mel & fau, ideoq; os meum, & labia mea dicant tibi; omnem ornatum & voluptatem ſæculi contemſi: Nam quæ in diliciis, & conuerſatione multâ eſt, vt Apoſtolus ait, viuens mortua eſt tibi ô vita noſtra. Dixiſti aliquando magni conſilij Angele de Angelico hoc ſtatu: Qui poteſt capere capiat, neque præceptum dediſti, ſed conſilium. O quantas igitur tibi gratias ago, quòd ad eum me vocare dignatus ſis, vt caperem ego viliſſimus & indigniſſimus ſeruus tuus, quod non capiunt omnes. Quid illud? Conſilium tuum, Angelicum ſtatum, fugam periculorum, conuiuiorum fabulationes, quæ non ſunt vt lex tua, ſed pro omnibus eſſes mihi tu ſpes mea, & gaudium meum, vnus mihi omnia in omnibus. Gratiarũ actio.

Conſerua hoc Deus quod operatus es in me, ne vnquam patiar cum fatuis virginibus extingui lampadem meam fiduciâ vanâ, aut periculosâ conuerſatione. Ecce enim venis ſponſe animæ meæ, & toties Deus cordis mei ſuſcepi miſericordiam tuam in medio templi tui cordis mei, tenuiſti manum dexterã meam, propinaſti mihi vinum, vt fugiam omne quòd inebriat, vinum germinans virgines, quod cùm bibero, non mordebit in fine vt coluber, neque etiam ſicut Regulus venena diffundet, vel nouiſſima illius erunt amara quaſi abſynthium. Vnde hoc mihi, vt horream ad quod trahit concupiſcentia mea niſi à te ſeminator caſti conſilij? Tu igitur ſuſcipe me, qui infinitâ dignatione vocaſti me, vt tuus totus eſſem. Tibi vni placere & adhærere volo, ne deſeras nec proiicias me. Te vnum videre cupio & amare, fac de me quod placeat tibi; reſpice quæſo in me, & ſequar magiſter dulciſſime, ſonet vox tua in auribus meis, & ſileat vniuerſa creatura coram te, O ſpes mea, amor meus, vita mea, Chriſte IESV, *pone te vt ſignaculum ſuper cor meum, vt ſignaculum ſuper brachium meum. tu ſcis enim vti ſpero, quia diligo te toto corde, totâ animâ, tota mente, & totis viribus meis, & nihil extra te: ſi tranſiero per aquas, ſis tu mecum, ne flumina operiant me: ſi ambulauero per ignem, eſto mihi refrigerium, vt ſim velut rubus incombuſtus, denique vnus ſis mihi omnia, Deus cordis mei & omnia.* Applicatio.

Praxis.

PRimò. Sit tibi velut in exemplū propoſita vita Mariæ, cuius vnius vita omnium eſt diſciplina. Corde erat humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, intenta operi, verecunda ſermone.

Secundò, Præuide manè quæ agenda, & patienda Deoque offer: tempuſque tuum ac occupationes ita diſtribue, vt ordinata omnia ſint, ſtabilemque vitam ducas, ac quietam, ſitque modus functionum tuarum facilis, & pius, nihil magis ad pacem, & quietem expedit.

Tertiò, Fuge quantū potes alterius ſexus conuerſationē

Quartò, Ante omnia humilitatem cuſtodi.

IACVLATORIÆ.

Pſalm. 27. *DOminus adiutor & protector meus, in ipſo ſperavit cor meū, & adiutus ſum.*

Pſal. 17. *Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum: Protector meus & cornu ſalutis meæ, & Suſceptor meus.*

Pſal. 29. *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.*

CAPVT XXIV.

Meditatio de ſtatu Religioſi.

PRAELVDIVM I. Conſtitue te coram Deo & curiâ eius, & audi inuitantem ad brauium.

II. Ora vt gratiam largiatur.

Finis noſter quis ſit.

PVNCTVM I. Conſidera finem vitæ eſſe hîc cordis munditiem, & perfectionem charitatis, & in altera æternam vitam, Deique viſionem, & ad hanc perfectionem omnino oportere te contendere, nónne enim ad hoc veniſti? & nomen inter currentes ad brauium profeſſus es? Secundo, neque tamen id grauatè te facere oportet: hilarem enim datorem diligit Deus, vide vt magnas opes & honores, huius ſæculi filius lætus ſuſcipiat, & hoc tu tantum age vt brauium, id eſt, perfectionem conſequaris, & methodum ad eam hoc credis, & vnum quæris. Tertiò, Conſidera verò donum Religioſæ vocationis ſanctorum iudicio præſtantiſſimæ, &

Cum gaudio Deo ſeruiendum

quæ in eâ ad perfectionem habeas auxilia. Bernardus ea enumerat dicens: Religio eſt in quâ homo viuit purius, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, rem uneratur copioſius: hæc præſtat mihi & tibi Religio. Videamus obſecro, mi frater, vt grati Deo ſimus, Conſidera contraria his ſingulis eſſe in mundo, & tamen dictum omnibus: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cęleſtis perfectus. eſt Et illud: Ambula coram me, & eſto perfectus. Et appende quam beatus ſis qui ad perfectionem tot habes auxilia, quot alij, ad eandem tamen obſtricti, habent impedimenta? maxima autem ea ſunt voluntas propria, voluptas, & opes: de quibus triumphare tribus votis tibi Religioſo licet. Omitto ſæculi occupationes, quibus cum careas, vide an non pluſquam ſeculares proficere debeas in vera reſignatione, deuotione, & amore. *Aſpira*, vt ſu. p. 8. *Hæccine firmâ fide, &c.*

Bern.

Tot habẽtur in Religione auxilia quot, in ſęculo impedimenta.

PVNCTVM II. Conſidera, quid pro gratitudine requirat à te Dominus. Primò, nę cum vxore Loth reſpicias retrò (tantum abeſt vt reuertaris) atq; ineptus ſias regno Dei, triſteſque caſus apoſtatârum reuoluẽ quos noſti, & te faciam cautiorem. Cecidiſſe illos te teneat vt tu ſtes: ædificare cepiſſe, & non conſummaſſe, vt tu erudiaris. Quid verò tu? ideam inſpice & ſcopum quem ſæculo renuncians tibi propoſuiſti: O quantò illis melius erat viam perfectionis non agnouiſſe, & debiles, vel claudos intraſſe in regnum cælorum (ſi ſtatum ſpectes) quàm duas manus vel duos pedes habentes præ tepore deſcendiſſe in gehennam. Secundò, quanto feruore progredi debeas ob tot beneficia in religione accepta. Primò, ſiquidem non quid remiſſio omnium peccatorum, & quaſi alterum baptiſma tibi conceſſum Sanctorum iudicia. Deinde enumera ſi potes auxilia gratiæ plurima, vbi enim tot ſunt congregati in nomine IESV, ibi ipſe eſt fons

Gratitudo exigitur à Religioſo.

Caſus multorum.

Beneficia Religionis.

gratiarum in medio eorum. Quid vltra optare in hâc vitâ potes? Mortem deinde attende tranquillam & prædeſtinationis te habere certiſſimum argumentum. O quantum ſolatium, quantum ſalutis pignus! *Haccine vera &c* vt ſuprà pag. 7.

Greg. 1. regiſ. felicitas Religioſi.

PVNCTVM III. Conſidera vitæ ſpiritualis & religioſæ dignitatem, & animo tranquillo leua te ſupra te, & vide, quàm pulcrum extolli ſuper altitudinem terræ; nihil appetere aut timere in eâ, & in quodam rerum vertice ſtare, & ſic imitare Deum, apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio, nihil habere & omnia poſſidere; tuumque eſſe regnum cælorum, cùm ſcriptum ſit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Paupertatis exercitium.

Attende tamen an verè dicere queas, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, an verò te teneat vilis affectus, codexque aut quid tale tibi ſit laqueus & opprobrium. hoc ſanè nónne dignus tibi videtur qui reculis talibus retinetur poſtquam omnia reliquit? Caue etiam propriæ voluntatis eſſe ſeruus, nónne tuam vltrò Deo in holocauſtum obtuliſti, & tu rapinam in re tali N. etiam paruâ de eo non vereris? Conſidera ſecundò, Religioſorum vitam, Apoſtolicorum virorum eſſe imitationem, & vide obſecro quis tu ſis ad hoc munus vocatus. Imò ſtatus hic Chriſti eſt imitatio, amantiſſimè ſic inuitantis: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & veni & ſequere me. Et quis abnuere poteſt bone JESV? vt autem ſcias quomodo ſequaris, expende hæc verba, niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et iterum, qui non odit patrem & matrem, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Conſidera Tertiò, patres communiter religioſos inter martyres reputare, & templum Dei ac perpetuum ſacrificium nuncupare, quid poteſt eſſe præſtantius? *Magna eſt ſuper nos*, vt inſ. p. 1085.

Obedientiæ praxis.

Lucæ 18.

Lucæ 14.

PVN-

PVNCTVM IV. Conſidera hæc verba: Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, &c. quid vltrà ô anima ſperare poteſt, quàm ibi, quando pauebit totus orbis terrarum, ſecura ſedere & iudicare Angelos & Principes? Conſidera ſecundò, quantum fructum viuis aliquis religioſus ſtudioſus perfectionis facere poſſet, vt patet in S. Vincentio & Xauerio. Et tu domi foriſque agere quid poſſes: Et ſic ratiocinare, Dei agricultura ſum, tot gratiis irrigor, & centuplum referre fructum poſſum, & cur obſecro exiguum reddam Domino meo? *Haccine vera, &c.* vt ſup. p. 7. *Matth. 19.*

PVNCTVM V. Conſidera ſolam animi delectationem veram eſſe, & vt ait Bernardus, hoc ſolum eſſe verum gaudium quod non de creatura, ſed de creatore percipitur; & quantam materiam tu gaudii habeas ex votis & ſtatu tuo appende. Obedientiâ ſiquidem nactus es vt ſecurus viuas alio pro te rationem reddente, & vt Climachus, vitam ſine ſollicitudine ducas, & quaſi dormiendo iter facias. Paupertate verò quid ditius vt nihil habeas, & omnia poſſideas, omniaque etiam in centuplum adiiciantur tibi? Ex Caſtitate verò quàm ſincera voluptas promanat, ſi ignores, miſer es: vel ethnicorum potes id diſcere iudicio, qui hominum vitam ſimilem deorum futuram dicebant, ſi per illam deliciis abnegaſſent. Secundò, Conſidera quanta imprimis ex pace animi & mortificatione paſſionum Pax naſcatur. quanta ex oratione liquida conſolatio à Sanctis ſit percepta, & à te percipi poſſit. Vt ob hæc paradiſo ſimilem religionem ſancti Patres aſſerant. Quid ergo retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? *Vera delectatio in Deo ſolo.* *Bern. ſerm. de ingratit*

Exercitium,

MAgna eſt ſuper nos, magna valdè miſericordia tua Deus noſter, quos tam ineffabili ſpiritus tui virtute, tam inæſtimabili dono gratiæ tuæ eripuiſti à vanâ conuerſatione ſæculi huius, in quo eramus ſicut oues errantes, & vnde

hoc

hoc mihi, vt ego præ aliis exaudiã vocẽ tuã dicentis: Si vis perfectus, eſſe vade & vende omnia quæ habes, & veni & ſequere me unde hoc mihi vt inuenerim pretioſã margaritã & theſaurũ abſconditũ, & vendere potuerim agrũ vt emerẽ illũ, & de tot naufragis iuberes me ambulare ſuper aquas, & in monte hoc Thabor oſtenderes mihi gloriã tuã. Vnde hoc mihi, vt me præ aliis de mundo vocares de Aegypto in terram ſanctã, de Sodoma in montem Segor, de mari naufrego in portũ. Benedic anima mea domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, ſed redde Altiſſimo vota tua. Et verò cùm tibi donauero quidquid ſũ, Deus meus, quidquid poſſum, nónne illud ſicut ſtella ad ſolem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granũ ad aceruum; quod dico? omnia ſunt tanquam nihilum antè te, & velut momentum ſtateræ mundus vniuerſus, quid ergo retribuam tibi cui debeo pluſquam me?

Bernard. hom. Simile eſt regnum cælorum. Matth. 19. Bern. ep. 143. Iſaiæ. 40.

Abſit igitur vt de eo quod obtuli tibi holocauſto, quid detrahã, & affigar crepundiis N. de vllius rei defectu querar, aut perditione doleam, & arenâ obruar, qui vitaui grandia: tu enim cùm diues eſſes, propter me egenus factus es. Et ego pauper delicias quæram ſub ſpinoſo capite? vel hic carni blandiar vt ſpinis te coronem? præcipitium enim eius & periculum ſi amauero, ſcio peribo in eo ſi odero, parata eſt mihi certò multitudo dulcedinis tuæ: abſit vt de vllâ re hodie aut unquam querar, de humiliatione aut nouiſſimo loco: tu enim veniſti miniſtrare & non miniſtrari, & ego viliſſimus vermis ad hoc veni, vt tecum Rex regum recumbam in nouiſſimo, & audiam in æternum. Aſcende ſuperius. Fac igitur de me ſecundùm beneplacitum tuum, in tempore & in æternitate, & vt faciã tuâ gratiâ omnes voluntates tuas, tuus enim ſum ego, & omnia tua ſunt, te toto corde amo, & totâ animâ meâ.

Nunquid ergo carni & ſenſui vltrà ſeruiã, aut amore mei, & per inobedientiã inſipienter tibi repugnabo, & tuæ prouidentiæ, meamq; ſtultitiam tuæ ſapientiæ præferam? Non ita Rex meus, Deus meus. Ecce ego lutũ in manu figuli, cadauer & baculus ſequar te quocũq; ieris gratiâ tuâ. ne redeã miſer ex portu ad naufragium, unde vix nudus euaſerã; rurſus ignẽ

unde vix ſeminſtus exieram ex loco deliciarum, & atriis domus tuæ deſcendam in Aegyptum; & locum teterrimæ ſeruitutis & qui nutriebar in croceis, amplexer ſtercora, & cũ Eſau vendam primogenita ſcutella lentis, & perdam te omne & unicum bonum meum. Obſecro te reminiſcere miſerationis tuæ, quâ me emiſti ſanguine tuo, & paſcis corpore tuo. Et de Vr Chaldæorum cum Abrahamo me vocaſti in manu validâ, accende in me ignem quem veniſti mittere in terram, ignem amoris tui, quem merito voluiſti in me miſero vehementer accendi. Amen. Thren. 4.

CAPVT XXV.

Meditatio de perſeuerantia in propria vocatione.

COMPOSITIO LOCI. Intuere mundi machinam, & varias in cælo manſiones.

ORATIO. Pete à Deo perſeuerantiã in vocatione, in quam vocatus es.

PVNCTVM I. Conſidera Primò, vniuerſum, & creaturarum varietatem, & quantum differant inter ſe, quantum ſtella à ſtellâ in claritate, & ſic ratiocinare, omnino in corpore myſtico ſimilem eſſe diuinam ordinationem. Conſidera Secundò, quanta perturbatio naſceretur, ſi quæ Deus æternâ ſapientiâ ſubordinauit, perturbato ordine ima ſummis imponerentur, idem procul dubio futurum, ſi quiſque ſtatum ſuum exoſum habeat, alium verò æmuletur. Quid enim futurum, ſi in Repub. ſi in aulâ Regis omnes primi eſſe velint; ſi in naui Eccleſiæ omnes ad clauum ſedere, ſi cæleſtis Ieruſalem lapides omnes eodem loco collocari: quod in omnibus vides, hoc omnino in ſingulis vitioſum eſt.

PVNCTVM II. Conſidera Primo, Parabolam Matth. 25. vbi Dominus diuerſis ſeruis ſuis diuerſa largitur, alij quinque, alij duo talenta, alij vnum, vnicuiq; ſecundùm propriam virtutem. Viue igitur contentus

tuâ ſorte, & melius eſſe ſcias ſatagere per bona opera certam facere vocationem, quàm aliam, atque aliam æmulari. Conſidera Secundò, viatores omnes eſſe nos, & melius eſſe viam cœptam, Deo duce præeunte proſequi, quam breuiorem ſine duce, & incertam viam quęrere. Conſidera Tertiò, mundum hunc, velut theatrum eſſe, neque quærendum quam egeris perſonam, ſed quàm bene tuam egeris; quis neſcit eum qui ſeruum agit, ſi melius agat rege inſulſo & imperito, primam palmam referre? atque ita ſe habet res hæc, neque quid egerit quis, ſed quanta ex charitate, appendet Deus. Conſidera quartò, Nos in ſtadio currere, quis verò iſthic brauium rapit? certè non Rex aut Princeps, ſed qui velociùs curret.

2. Pet. 1.

PVNCTVM III. Conſidera, illa verba Apoſtoli 1. ad Corint. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. vides fruſtrà te conniti aliam facere diuiſionem, aliudque à Dei voluntate operari? Conſidera II. ea quæ ſequuntur, Vnicuique, ait, datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, & ſcito te nullam conſequuturum; niſi iuxta gratiam vocationis tuæ, non alienæ, viuas, neque eſt quòd murmures, hæc enim, ait, omnia operatur unus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult: & alibi, Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic. Conſidera Tertiò, illa Apoſtoli verba: ſicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, ſic ſe habet Eccleſia, & corpus ait, non eſt unum membrũ, ſed multa: ſi dixerit pes, quoniam non ſum manus, & auris, quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore, num ideò non eſt de corpore; non poteſt autem oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij: ſed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe neceſ-

1. Cor. 7.

1. Cor. 12.

ſari-

ſariora ſunt,& quæ putamus ignobiliora membra corporis eſſe,his honorem abundantiorem circundamus. Ex his collige perſeuerantiam in vocatione primâ, etſi humilior eſſet, quandoquidem à ſapientiâ æternâ inſpirata. Ideò Apoſtolus renuit baptizare, quia miſſus erat euangelizare. Conſidera quartò, etiam illa verba Apoſtoli, vnuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat: nam vt Epheſ. 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia,ſecundùm menſuram donationis Chriſti:ſi ergo virtutem,& vires maiores non habes, quàm vt decem tollas,cur viginti vis tollere & diſrumpi? cur qui virtute,& animi ſtaturâ puſillus es,veſtes (vt ſic loquar) id eſt, munus & ſtatum maiora & altiora te quæris? Conſidera quintò, illud Luc.9. nemo mittens manum ſuam ad aratrum,& reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei,&c. Ex quo diſce eum qui vocationem deſerit,ſæpè ineptum fieri regno Dei, id eſt ſæpè excludi ab illo: & ſanè melius eſt iuxta conſilium Domini claudum ac debilem ad vitam ingredi, quam duas manus,aut duos pedes habentem,id eſt, in perfectiori ſtatu conſtitutum propter ſua peccata in quibus perſeuerat, mitti in gehennam. Conſidera ſextò, Ideò multos in vocatione nutare,quòd bona ſua ignorent, aut non attendant,aliena verò præteritis multis malis & periculis intueantur: certum enim eſt,cuilibet ſtatui commoda & incommoda eſſe annexa; quemadmodum autem ineptè ſtrutionis pennas ſibi paſſer optaret,eique inuideret earum magnitudinem,non conſideratâ mole corporis,ſic faceret qui maiora, & altiora ſe quæreret.

1.Cor.4. *1.Cor.7.* *Luc.9.* *Matth.18*

ORATIO.

O *Sapientia æterna Deus meus, quàm incertæ prouidentiæ noſtræ: neſcimus quo miſeri curſum tendere, quam viam ingredi nos oporteat. Tu ſolus noſti & vide, quâ viâ inter innumera auia ad te peruenire queam, tu attingis à fine ad finē fortiter*

fortiter;diſpone obſecro te ſuauiter per viſcera infinitæ miſericordiæ tuæ,vt perſeueranter ambulem viam quam oſtendiſti mihi; & perueniam ad te, ad quem deſiderat anima mea,ſicut ceruus ad fontes aquarum; ne ſit mihi curæ quà ducas,neque enim viam quæro,ſed te ducem meum,finem meũ: video hunc illumue ſublimi incedere tramite, ſed conſpicor eum velut hominẽ mori,& ſicut vnum de principibus cadere: video aliũ in infimis conſiſtere, & cùm fruſtrà iaciatur rete antè oculos pennatorũ;eheu miſer! per terrã ambulans etſi nõ
Sap.9. *cadat præceps,induitur laqueis venatorum. Aliùs medium tenet,neq; rectam tamen viam,quia corpus eius aggrauat animam,*
Habac 2. *& deprimit ſenſum multa cogitantem. Sed video alios felici tramite te ducem ſequi,ſuper cuſtodiam ſuam ſtare, & figere gradum ſuper munitionem ſuam in ordine ſuo,currere in ſtadio,& præuertere multos,& rapere brauium, quod nõ eſt aliud niſi tu Deus meus Quid enim mihi eſt in cælo;& à te quid vel in ſuper terram,niſi te Domine ad quem feſſus de viâ anhelo,& amore æſtuans ſuſpiro ad fontem aquæ viuæ, ad quem ſitit die ac nocte anima mea ſed fiat ſanctiſſima voluntas tua ob quam in ſtatu meo conquieſco,& gratias ago,quia oſtendiſti mihi viam in quâ ambulem,& ſemitam mandatorum tuorum: Dirige quæſo greſſus meos,vt non moueantur veſtigia mea in æternum. Amen.*

Praxis.

PRima,Sit hæc crebro gratias agere pro vocatione, & illius ſigna etiam ſcripta habere in promptu; certum enim eſt vt S.P.N.Ignatius, hominem oportere maturâ deliberatione præmiſſa in ſtatu cœpto perſeuerare, ideò merito varii ordines atque inter illos Societas, eum non admittit,qui alium ordinem ingreſſus fuerit.

Secunda. Certò eſſe ſcias in omni ſtatu, commoda & incommoda,eaque ſæpè expende, & è ſublimiori grauiores eſſe lapſus: fatetur enim Auguſtinus,ſe meliores non inueniſſe, quàm qui in monaſtariis profecerunt; ſed nec peiores quàm qui defecerunt. Ideoq; in humili conſtitutus à Deo humiliter & perfectè illi ſeruias, & poteris paupercula anus,ob charitatem excellentem inter Apoſtolos in cælo cenſeri, & innumeris religioſis anteponi. Commoda & incommoda ſingulorum ſtatuum libro pro-

proſequutus eſt D. Rodericus Epiſcopus Zamorenſis in ſpeculo humanæ vitæ.

Tertia, Conare diligentiſſimè perfectionem in tuo ſtatu conſequi, quæ eſt in perfectâ charitate, neque æmulaberis facilè alienum inſtitutum.

Quarta, Propone tibi exemplar præcipui alicuius ac ſancti viri, qui in ſtatu tuo viam ad æternitatem decurrerit, & eum imitare, omneſque ſimiles in patronos adſciſce, Angelumque cuſtodem imprimis cole ducem viæ ac vitæ tuæ.

JACVLATORIÆ.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & pſallam tibi gloria mea. Pſal.107.

Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Pſal.72.

Tuus ſum ego, ſaluum me fac, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui. Pſal.118.

CAPVT XXVI.

Meditatio de præparatione ad mortem.

COnſidera, quòd huius ſcientiæ & vitæ noſtræ vltimus actus ſit mors. Itaque vt felix & ordinata tibi ſit, vide quomodo hactenus ad eã omnia direxeris, & diriges poſthac cogitationes omnes atque actiones, dieſque illius. Nõ poteſt enim malè mori, qui benè vixerit: bene autem & feliciter viuet, quicumque benè mori didicerit: bene autem mori nouerit, qui in omni vitâ mortis memor fuerit, & ad eam ſe comparauerit. Cùm igitur omnis ſcientia atque doctrina, omnis exercitatio, & dies, & horæ omnes eò referantur, vt nouiſſima beata ſit; de illa etiam tanquam triumphali, tanquam æternâ, tanquam columine, & termino peregrinationis noſtræ, à quà felicitas rerum omnium & æternitatis pendeat, diſſerendum eſt. Vide, ô mi frater, quanta cura huius tibi eſſe debeat.

Conſidera Secundò, quoties te eius meminiſſe oporteat, & attende vt Eccleſia initio Quadrageſimę moneat. Deinde quomodo omnis ortus Solis, & occaſus id præſtent; & rerum humanarum, herbarum, fruticũ, &c. Tertiò, quomodo Sancti huius rei magnam curam habuerint, adeò vt D. Damaſcenus dicat eâ de cauſsâ (non ſolùm ob cultum religioſum) oſſa Sanctorum ſolita circumferri. Tu itaque imitare, domi ſignum antè te ſtatue; vel etiam tibi viuo, vt S. Ioannes Eleëmoſynarius, vt viri principes, in templo ſepulcrum erige, illudque crebro adi, & conſidera; aut deniq; in cœmiterio, aut templo quaſi deſigna in omni loco, in quo te habitare continget. Etenim hæc habitatio & domus erit

& communionibus ſacrilegis cumulatis ſemper angu-ſtiatæ, & afflictæ hîc dirè torquentur, & theſaurizant ſibi iram in die iræ. Quis non horreſcet, quis non contremiſcet? certiſſimum enim eſt, quòd omnis qui ſe exaltat, nolendo ei aperire peccatum ſuum qui periculum auertere poteſt, humiliabitur. Et vt Auguſtinus: Secreta illa ſuperbia manifeſtâ ſeriùs ocyùs luxur iâ caſtigabitur. Noli igitur altùm ſapere, ſed time, & ſummâ cautelâ cuſtodi cor tuum. Attende quomodo Sanctæ Virgines potiùs vitam amittere maluerint, quàm caſtitatis pati detrimentum, aliæ informes vt fierent, à Domino impetrârint (vt D. Brigitta) ne cui placerent. Vide ergo vt gemmam hanc, & margaritam diligentiſſimè cuſtodias, & oculos tuos, per quos mors velut per feneſtras intrare ſolet; & B.V. mores, habitum, inceſſum, &c. tibi finge & æmulare.

Auguſt.

Exercitium pro eo qui cœlibem vitam elegit.

Confiteor tibi Domine Rex, & collaudabo te Deum Saluatôrem meum: confitebor nomini tuo magno dulciſſime IESV, *quia elegiſti me verè indignum, vt eſſem ſanctus corpore, & ſpiritu, vt ea tantùm cogitem, quæ tua ſunt. Mulier ait Apoſtolus tuus: alligata eſt viro. & quæ nupta eſt cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro. Idé*q; *viro contingit, cùm ſint duo in carne unâ. Ego verò quomodo placeam vni tibi, ſollicitus ſum & ero æternùm per gratiam tuam, nulli placere cupio videri, nulli opere vel ornatu placere. nulli diſplicere timeo, niſi uni tibi Agne immaculate. Quò mihi ab homine amari, & laudari? tuus ſum ego & tibi deſponſata eſt anima mea in ſanguine tuo ſequar te quocumque ieris & ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, ita oculi mei erunt ad te die ac nocte, neque aſpiciam unquam, aut inclinabo in creaturam vllam cor meum in æternum.*

Gratiarũ actio.

Contemptus creaturæ.

Tu. ô bone IESV, *es vnicus amor meus, & deſiderium cordis, & oculorum meorum! ô vtinam iam cor meum, & caro exultent in te* Deo *viuo! vtinam in ſilentio ac ſolitudine loquaris mihi*

quaris mihi

quaris mihi ad cor, & conuertas me ad te: Dulcia enim fauci-*bus meis eloquia tua ſuper mel & fau, ideoq́; os meum, & la-bia mea dicant tibi; omnem ornatum & voluptatem ſæculi contemſi:* Nam *quæ in diliciis, & conuerſatione multâ eſt, vt Apoſtolus ait, viuens mortua eſt tibi ô vita noſtra.* Dixiſti ali-*quando magni conſilij Angele de Angelico hoc ſtatu: Qui po-teſt capere capiat, neque præceptum dediſti, ſed conſilium.* O *quantas igitur tibi gratias ago, quòd ad eum me vocare dig-natus ſis, vt caperem ego viliſſimus & indigniſſimus ſeruus tuus, quod non capiunt omnes. Quid illud?* Conſilium *tuum, Angelicum ſtatum, fugam periculorum, conuiuiorum fabula-tiones, quæ non ſunt vt lex tua, ſed pro omnibus eſſes mihi tu ſpes mea, & gaudium meum, vnus mihi omnia in omnibus.* Gratiarũ actio.

Conſerua *hoc* Deus *quod operatus es in me, ne vnquam pa-tiar cum fatuis virginibus extingui lampadem meam fiduciâ vanâ, aut periculosâ conuerſatione. Ecce enim venis ſponſe animæ meæ, & toties* Deus *cordis mei ſuſcepi miſericordiam tuam in medio templi tui cordis mei, tenuiſti manum dexterã meam, propinaſti mihi vinum, vt fugiam omne quòd inebriat, vinum germinans virgines, quod cùm bibero, non mordebit in fine vt coluber, neque etiam ſicut Regulus venena diffun-det, vel nouiſſima illius erunt amara quaſi abſynthium.* Vnde *hoc mihi, vt horream ad quod trahit concupiſcentia mea niſi à te ſeminator caſti conſilij? Tu igitur ſuſcipe me, qui infini-tâ dignatione vocaſti me, vt tuus totus eſſem.* Tibi *vni placere & adhærere volo, ne deſeras nec proiicias me.* Te *vnum vide-re cupio & amare, fac de me quod placeat tibi; reſpice quæſo in me, & ſequar magiſter dulciſſime, ſonet vox tua in auri-bus meis, & ſileat vniuerſa creatura coram te,* O *ſpes mea, amor meus, vita mea, Chriſte* IESV, *pone te vt ſignaculum ſu-per cor meum, vt ſignaculum ſuper brachium meum. tu ſcis enim vti ſpero, quia diligo te toto corde, totâ animâ, tota mente, & totis viribus meis, & nihil extra te: ſi tranſiero per aquas, ſis tu mecum, ne flumina operiant me: ſi ambulauero per ignem, eſto mihi refrigerium, vt ſim velut rubus incom-buſtus, denique vnus ſis mihi omnia,* Deus *cordis mei & om-nia.* Applica-tio.

Praxis.

PRimò. Sit tibi velut in exemplũ propoſita vita Mariæ, cuius vnius vita omnium eſt diſciplina. Corde erat humilis, verbis grauis, animo prudens, loquendi parcior, legendi ſtudioſior, intenta operi, verecunda ſermone.

Secundò, Præuide manè quæ agenda, & patienda Deoque offer: tempuſque tuum ac occupationes ita diſtribue, vt ordinata omnia ſint, ſtabilemque vitam ducas, ac quietam, ſitque modus functionum tuarum facilis, & pius, nihil magis ad pacem, & quietem expedit.

Tertiò, Fuge quantũ potes alterius ſexus conuerſationẽ

Quartò, Ante omnia humilitatem cuſtodi.

IACVLATORIÆ.

Pſalm. 27. *DOminus adiutor & protector meus, in ipſo ſperavit cor meũ, & adiutus ſum.*

Pſal. 17. *Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum: Protector meus & cornu ſalutis meæ, & Suſceptor meus.*

Pſal. 29. *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.*

CAPVT XXIV.

Meditatio de ſtatu Religioſi.

PRAELVDIVM I. Conſtitue te coram Deo & curiâ eius, & audi inuitantem ad brauium.

II. Ora vt gratiam largiatur.

PVNCTVM I. Conſidera finem vitæ eſſe hîc cordis munditiem, & perfectionem charitatis, & in altera æternam vitam, Deique viſionem, & ad hanc perfectionem omnino oportere te contendere, nonne enim ad hoc veniſti? & nomen inter currentes ad brauium profeſſus es? Secundo, neque tamen id grauatè te facere oportet: hilarem enim datorem diligit Deus, vide vt magnas opes & honores, huius ſæculi filius lætus ſuſcipiat, & hoc tu tantum age vt brauium, id eſt, perfectionem conſequaris, & methodum ad eam hoc credis, & vnum quæris. Tertiò, Conſidera verò donum Religioſæ vocationis ſanctorum iudicio præſtantiſſimæ, &

Finis noſter quis ſit.

Cum gaudio Deo ſeruiendum

quæ

quæ in eâ ad perfectionem habeas auxilia. Bernardus ea enumerat dicens: Religio eſt in quâ homo viuit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, rem uneratur copioſius: hæc præſtat mihi & tibi Religio. Videamus obſecro, mi frater, vt grati Deo ſimus. Conſidera contraria his ſingulis eſſe in mundo, & tamen dictum omnibus: Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus. eſt Et illud: Ambula coram me, & eſto perfectus. Et appende quam beatus ſis qui ad perfectionem tot habes auxilia, quot alij, ad eandem tamen obſtricti, habent impedimenta? maxima autem ea ſunt voluntas propria, voluptas, & opes: de quibus triumphare tribus votis tibi Religioſo licet. Omitto ſæculi occupationes, quibus cum careas, vide an non pluſquam ſeculares proficere debeas in vera reſignatione, deuotione, & amore. *Aſpira*, vt ſu. p. 8. *Haccine firmâ fide, &c.*

Bern.

Tot habētur in Religione auxilia quot, in ſeculo impedimenta.

Pvnctvm II. Conſidera, quid pro gratitudine requirat à te Dominus. Primò, ne cum vxore Loth reſpicias retrò (tantum abeſt vt reuertaris) atq; ineptus ſias regno Dei, triſteſque caſus apoſtatârum reuolue quos noſti, & te faciant cautiorem. Cecidiſſe illos te teneat vt tu ſtes: ædificare cepiſſe, & non conſummaſſe, vt tu erudiaris. Quid verò tu? ideam inſpice & ſcopum quem ſæculo renuncians tibi propoſuiſti: O quanto illis melius erat viam perfectionis non agnouiſſe, & debiles, vel claudos intraſſe in regnum cælorum (ſi ſtatum ſpectes) quàm duas manus vel duos pedes habentes præ tepore deſcendiſſe in gehennam. Secundò, quanto feruore progredi debeas ob tot beneficia in religione accepta. Primò, ſiquidem non quid remiſſio omnium peccatorum, & quaſi alterum baptiſma tibi conceſſum Sanctorum iudicia. Deinde enumera ſi potes auxilia gratiæ plurima, vbi enim tot ſunt congregati in nomine Iesv, ibi ipſe eſt fons

Gratitudo exigitur à Religioſo.

Caſus multorum.

Beneficia Religionis.

gratiarum in medio eorum. Quid vltra optare in hâc vitâ potes? Mortem deinde attende tranquillam & prædeſtinationis te habere certiſſimum argumentum. O quantum ſolatium, quantum ſalutis pignus! *Haccine vera &c* vt ſuprà pag. 7.

Greg. I. regiſ. felicitas Religioſi.

PVNCTVM III. Conſidera vitæ ſpiritualis & religioſæ dignitatem, & animo tranquillo leua te ſupra te, & vide, quàm pulcrum extolli ſuper altitudinem terræ; nihil appetere aut timere in eâ, & in quodam rerum vertice ſtare, & ſic imitare Deum, apud quem non eſt tranſmutatio nec viciſſitudinis obumbratio, nihil habere & omnia poſſidere, tuumque eſſe regnum cælorum, cùm ſcriptum ſit: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.

Paupertatis exercitium.

Attende tamen an verè dicere queas, Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, an verò te teneat vilis affectus, codexque aut quid tale tibi ſit laqueus & opprobrium. hoc ſanè nónne dignus tibi videtur qui reculis talibus retinetur poſtquam omnia reliquit? Caue etiam propriæ voluntatis eſſe ſeruus, nónne tuam vltrò Deo in holocauſtum obtuliſti, & tu rapinam in re tali N. etiam paruâ de eo non vereris? Conſidera ſecundò, Religioſorum vitam, Apoſtolicorum virorum eſſe imitationem, & vide obſecro quis tu ſis ad hoc munus vocatus. Imò ſtatus hic Chriſti eſt imitatio, amantiſſimè ſic inuitantis: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & veni & ſequere me. Et quis abnuere poteſt bone IESV? vt autem ſcias quomodo ſequaris, expende hæc verba, niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et iterum, qui non odit patrem & matrem, inſuper & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Conſidera Tertiò, patres communiter religioſos inter martyres reputare, & templum Dei ac perpetuum ſacrificium nuncupare, quid poteſt eſſe præſtantius? *Magna eſt ſuper nos*, vt inf. p. 1085.

Obedientiæ praxis.

Lucæ 18.

Lucæ 14.

PVN-

PVNCTVM IV. Conſidera hæc verba: Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, &c. quid vltrà ô anima ſperare poteſt, quàm ibi, quando pauebit totus orbis terrarum, ſecura ſedere & iudicare Angelos & Principes? Conſidera ſecundò, quantum fructum viuis aliquis religioſus ſtudioſus perfectionis facere poſſet, vt patet in S. Vincentio & Xauerio. Et tu domi foriſque agere quid poſſes: Et ſic ratiocinare, Dei agricultura ſum, tot gratiis irrigor, & centuplum referre fructum poſſum, & cur obſecro exiguum reddam Domino meo? *Haccine vera, &c.* vt ſup. p. 7. *Matth. 19.*

PVNCTVM V. Conſidera ſolam animi delectationem veram eſſe, & vt ait Bernardus, hoc ſolum eſſe verum gaudium quod non de creatura, ſed de creatore percipitur; & quantam materiam tu gaudii habeas ex votis & ſtatu tuo appende. Obedientiâ ſiquidem nactus es vt ſecurus viuas alio pro te rationem reddente, & vt Climachus, vitam ſine ſollicitudine ducas, & quaſi dormiendo iter facias. Paupertate verò quid ditius vt nihil habeas, & omnia poſſideas, omniaque etiam in centuplum adiiciantur tibi? Ex Caſtitate verò quàm ſincera voluptas promanat, ſi ignores, miſer es: vel ethnicorum potes id diſcere iudicio, qui hominum vitam ſimilem deorum futuram dicebant, ſi per illam delicias abnegaſſent. Secundò, Conſidera quanta imprimis ex pace animi & mortificatione paſſionum Pax naſcatur. quanta ex oratione liquida conſolatio à Sanctis ſit percepta, & à te percipi poſſit. Vt ob hæc paradiſo ſimilem religionem ſancti Patres aſſerant. Quid ergo retribuemus Domino pro omnibus quæ retribuit nobis? *Vera delectatio in Deo ſolo.* *Bern. ſerm. de ingratit.*

Exercitium,

MAgna eſt ſuper nos, magna valdè miſericordia tua Deus noſter, quos tam ineffabili ſpiritus tui virtute, tam inæſtimabili dono gratiæ tuæ eripuiſti à vanâ conuerſatione ſæculi huius, in quo eramus ſicut oues errantes, & vnde

hoc mihi, vt ego præ aliis exaudiã vocẽ tuã dicentis: Si vis perfectus, eſſe vade & vende omnia quæ habes, & veni & ſequere me unde hoc mihi vt inuenerim pretioſã margaritã & theſaurũ abſconditũ, & vendere potuerim agrũ vt emerẽ illũ, & de tot naufragiis iuberes me ambulare ſuper aquas, & in monte hoc Thabor oſtenderes mihi gloriã tuã. Vnde hoc mihi, vt me præ aliis de mundo vocares de Aegypto in terram ſanctã, de Sodoma in montem Segor, de mari naufrego in portũ. Benedic anima mea domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, ſed redde Altiſſimo vota tua. Et verò cùm tibi donauero quidquid ſũ, Deus meus, quidquid poſſum, nónne illud ſicut ſtella ad ſolem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granũ ad aceruum; quod dico? omnia ſunt tanquam nihilum antè te, & velut momentum ſtateræ mundus vniuerſus, quid ergo retribuam tibi cui debeo pluſquam me?

Bernard. hom. Simile eſt regnum cælorum. Matth. 19

Bern. ep. 143. Iſaiæ 40.

Abſit igitur vt de eo quod obtuli tibi holocauſto, quid detrahã, & affigar crepundiis N. de vllius rei defectu querar, aut perditione doleam, & arenâ obruar, qui vitaui grandia: tu enim cùm diues eſſes, propter me egenus factus es. Et ego pauper delicias quæram ſub ſpinoſo capite? vel hic carni blandiar vt ſpinis te coronem? præcipitium enim eius & periculum ſi amauero, ſcio peribo in eo ſi odero, parata eſt mihi certò multitudo dulcedinis tuæ: abſit vt de vllâ re hodie aut unquam querar, de humiliatione aut nouiſſimo loco: tu enim veniſti miniſtrare & non miniſtrari, & ego viliſſimus vermis ad hoc veni, vt tecum Rex regum recumbam in nouiſſimo, & audiam in æternum. Aſcende ſuperius. Fac igitur de me ſecundùm beneplacitum tuum, in tempore & in æternitate, & vt faciã tuã gratiâ omnes voluntates tuas, tuus enim ſum ego, & omnia tua ſunt, te toto corde amo, & totâ animâ meâ.

Nunquid ergo carni & ſenſui vltrà ſeruiã, aut amore mei, & per inobedientiã inſipienter tibi repugnabo, & tuæ prouidentiæ, meamq; ſtultitiam tuæ ſapientiæ præferam? Non ita Rex meus, Deus meus. Ecce ego lutũ in manu figuli, cadauer & baculus ſequar te quocũq; ieris gratiâ tuâ. ne redeã miſer ex portu ad naufragium, unde vix nudus euaſerã; rurſus ignẽ unde

unde vix ſeminſtus exieram ex loco deliciarum, & atriis domus tuæ deſcendam in Aegyptum; & locum teterrimæ ſeruitutis & qui nutriebar in croceis, amplexer ſtercora, & cũ Eſau vendam primogenita ſcutella lentis, & perdam te omne & unicum bonum meum. Obſecro te reminiſcere miſerationis tuæ, quâ me emiſti ſanguine tuo, & paſcis corpore tuo. Et de Vr Chaldæorum cum Abrahamo me vocaſti in manu validâ, accende in me ignem quem veniſti mittere in terram, ignem amoris tui, quem merito voluiſti in me miſero vehementer accendi. Amen. Thren.4.

CAPVT XXV.

Meditatio de perſeuerantia in propria vocatione.

COMPOSITIO LOCI. Intuere mundi machinam, & varias in cælo manſiones.

ORATIO. Pete à Deo perſeuerantiã in vocatione, in quam vocatus es,

PVNCTVM I. Conſidera Primò, vniuerſum, & creaturarum varietatem, & quantum differant inter ſe, quantum ſtella à ſtellâ in claritate, & ſic ratiocinare, omnino in corpore myſtico ſimilem eſſe diuinam ordinationem. Conſidera Secundò, quanta perturbatio naſceretur, ſi quæ Deus æternâ ſapientiâ ſubordinauit, perturbato ordine ima ſummis imponerentur, idem procul dubio futurum, ſi quiſque ſtatum ſuum exoſum habeat, alium verò æmuletur. Quid enim futurum, ſi in Repub. ſi in aulâ Regis omnes primi eſſe velint; ſi in naui Eccleſiæ omnes ad clauum ſedere, ſi cæleſtis Ieruſalem lapides omnes eodem loco collocari: quod in omnibus vides, hoc omnino in ſingulis vitioſum eſt.

PVNCTVM II. Conſidera Primo, Parabolam Matth.25. vbi Dominus diuerſis ſeruis ſuis diuerſa largitur, alij quinque, alij duo talenta, alij vnum, vnicuiq; ſecundùm propriam virtutem. Viue igitur contentus

tuâ ſorte, & melius eſſe ſcias ſatagere per bona opera certam facere vocationem, quàm aliam, atque aliam æmulari. Conſidera Secundò, viatores omnes eſſe nos,
2.*Pet*.1. & melius eſſe viam cœptam, Deo duce præeunte proſequi, quam breuiorem ſine duce, & incertam viam quęrere. Conſidera Tertiò, mundum hunc, velut theatrum eſſe, neque quærendum quam egeris perſonam, ſed quàm bene tuam egeris; quis neſcit eum qui ſeruum agit, ſi melius agat rege inſulſo & imperito, primam palmam referre? atque ita ſe habet res hæc, neque quid egerit quis, ſed quanta ex charitate, appendet Deus. Conſidera quartò, Nos in ſtadio currere, quis verò iſthic brauium rapit? certè non Rex aut Princeps, ſed qui velociùs curret.

PVNCTVM III. Conſidera, illa verba Apoſtoli 1. ad Corint. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. vides fruſtrà te conniti aliam facere diuiſionem, aliudque à Dei voluntate operari? Conſidera II. ea quæ ſequuntur, Vnicuique, ait, datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, & ſcito te nullam conſequuturum; niſi iuxta gratiam vocationis tuæ, non alienæ, viuas, neque eſt quòd murmures, hæc enim, ait, omnia operatur unus atque idem
1.*Cor*.7. ſpiritus diuidens ſingulis prout vult: & alibi, Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic. Conſidera Tertiò, illa Apoſtoli verba: ſicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, ſic ſe habet Eccleſia, & corpus ait, non eſt unum membrũ, ſed multa: ſi dixerit pes, quoniam non ſum manus, &
1.*Cor*.12. auris, quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore, num ideò non eſt de corpore; non poteſt autem oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij: ſed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe neceſſari-

ſariora ſunt, & quæ putamus ignobiliora membra corporis eſſe, his honorem abundantiorem circundamus. Ex his collige perſeuerantiam in vocatione primâ, etſi humilior eſſet, quandoquidem à ſapientiâ æternâ inſpirata. Ideò Apoſtolus renuit baptizare, quia miſſus erat euangelizare. Conſidera quartò, etiam illa verba Apoſtoli, vnuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat: nam vt Epheſ. 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia, ſecundùm menſuram donationis Chriſti: ſi ergo virtutem, & vires maiores non habes, quàm vt decem tollas, cur viginti vis tollere & diſrumpi? cur qui virtute, & animi ſtaturâ puſillus es, veſtes (vt ſic loquar) id eſt, munus & ſtatum maiora & altiora te quæris? Conſidera quintò, illud Luc. 9. nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei, &c. Ex quo diſce eum qui vocationem deſerit, ſæpè ineptum fieri regno Dei, id eſt ſæpè excludi ab illo: & ſanè melius eſt iuxta conſilium Domini claudum ac debilem ad vitam ingredi, quam duas manus, aut duos pedes habentem, id eſt, in perfectiori ſtatu conſtitutum propter ſua peccata in quibus perſeuerat, mitti in gehennam. Conſidera ſextò, Ideò multos in vocatione nutare, quòd bona ſua ignorent, aut non attendant, aliena verò præteritis multis malis & periculis intueantur: certum enim eſt, cuilibet ſtatui commoda & incommoda eſſe annexa; quemadmodum autem ineptè ſtrutionis pennas ſibi paſſer optaret, eique inuideret earum magnitudinem, non conſideratâ mole corporis, ſic faceret qui maiora, & altiora ſe quæreret.

1. Cor. 4.

1. Cor. 7.

Luc. 9.

Matth. 18

ORATIO.

O Sapientia æterna Deus meus, quàm incertæ prouidentiæ noſtræ: neſcimus quo miſeri curſum tendere, quam viam ingredi nos oporteat. Tu ſolus noſti & vide, quâ viâ inter innumera auia ad te peruenire queam, tu attingis à fine ad finē

fortiter

proſequutus eſt D. Rodericus Epiſcopus Zamorenſis in ſpeculo humanæ vitæ.

Tertia, Conare diligentiſſimè perfectionem in tuo ſtatu conſequi, quæ eſt in perfectâ charitate, neque æmulaberis facilè alienum inſtitutum.

Quarta, Propone tibi exemplar præcipui alicuius ac ſancti viri, qui in ſtatu tuo viam ad æternitatem decurrerit, & eum imitare, omneſque ſimiles in patronos adſciſce, Angelumque cuſtodem imprimis cole ducem viæ ac vitæ tuæ.

JACVLATORIÆ.

PAratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & pſallam tibi gloria mea. Pſal. 107.

Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Pſal. 72.

Tuus ſum ego, ſaluum me fac, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui. Pſal. 118.

CAPVT XXVI.

Meditatio de præparatione ad mortem.

COnſidera, quòd huius ſcientiæ & vitæ noſtræ vltimus actus ſit mors. Itaque vt felix & ordinata tibi ſit, vide quomodo hactenus ad eã omnia direxeris, & diriges poſthac cogitationes omnes atque actiones, dieſque illius. Nõ poteſt enim malè mori, qui benè vixerit: bene autem & feliciter viuet, quicumque benè mori didicerit: bene autem mori nouerit, qui in omni vitâ mortis memor fuerit, & ad eam ſe comparauerit. Cùm igitur omnis ſcientia atque doctrina, omnis exercitatio, & dies, & horæ omnes eò referantur, vt nouiſſima beata ſit; de illa etiam tanquam triumphali, tanquam æternâ, tanquam columine, & termino peregrinationis noſtræ, à quà felicitas rerum omnium & æternitatis pendeat, diſſerendum eſt. Vide, ô mi frater, quanta cura huius tibi eſſe debeat.

Conſidera Secundò, quoties te eius meminiſſe oporteat, & attende vt Eccleſia initio Quadrageſimę moneat. Deinde quomodo omnis ortus Solis, & occaſus id præſtent; & rerum humanarum, herbarum, fruticũ, &c. Tertiò, quomodo Sancti huius rei magnam curam habuerint, adeò vt D. Damaſcenus dicat eâ de cauſsâ (non ſolùm ob cultum religioſum) oſſa Sanctorum ſolita circumferri. Tu itaque imitare, domi ſignum antè te ſtatue; vel etiam tibi viuo, vt S. Ioannes Eleëmoſynarius, vt viri principes, in templo ſepulcrum erige, illudque crebro adi, & conſidera; aut deniq; in cœmiterio, aut templo quaſi deſigna in omni loco, in quo te habitare continget. Etenim hæc habitatio & domus erit

vſque ad iudicij diem. Noui virum militarem, qui famulũ ad hoc habet conductum, vt quotidie mortis ſe memorem reddat; Tu etiã aliquod habeas memoriale in oratorio catalogum demortuorũ amicorum, & teſtamentum ſpirituale, in quo de anima tua, corpore & bonis diſponas. Item annorum & menſium vitæ tuæ tabulam, quoties menſis tranſierit, ſeu notam figuræ mortis transferendo: omni enim die & hora tibi impendet & inſidiatur. In Clarauallé eſſe fertur ſemper ſepulcrum apertum primo morituro, quod memoriæ mortis causâ quotidie viſitant Religioſi. In alio Ordine ſinguli habent in cubiculo ſarcophagum. In alio ſalutare ſe inuicem ſoliti erant, hoc pacto: *Frater debemus mori*; reſpondebat alter, *neſcimus quando*. Vides quam fuerit cordi viris ſanctis mortis perpetuę recordatio, & quam tibi eſſe debeat? *Aſpira*, vt ſup. 8. *Hæccine firma, &c.*

Conſidera rationẽ tibi reddendam poſt mortem & ancipitem aleam, ideoque quotidie aliquam ex notis prædeſtinationis acquirere ſtude, maximè illam miſericordiæ erga proximum: quia quâ menſurâ menſi fuerimus, eâdẽ remetietur nobis: & beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. De ea, prima quæſtio in iudicio inſtituetur; *O Pater miſericordiſſime*, vt infr. Meditari autẽ de ſingulis potes hoc pacto: Primò conſidera, an habeas eam, & quid impediat; Secundò, qualiter beatus aliquis ſe per eam ſecurum reddiderit; Tertiò, quo pacto ad eam deinceps incumbes.

Praxis. Primò; Cùm peregrinus ſis ſuper terram, tranſmittas opes hic perituras in patriam. ſit ibi theſaurus tuus, vbi fur non appropiat, neque tinea corrumpit: immò habe arculam in quam coniicias eleëmoſynas dierum: vt nulla dies abeat quin linea ducta ſuperſit, quin tuum in cælis theſaurum virtutibus adaugeas: has autem potiſſimùm exerce, quæ in morte ſunt neceſſariæ; Primò, fidei; Secundò, ſpei, Tertiò, charitas; Quartò, contritionis, patientiæ & mortificationis actus: quia impatientià infirmi plurimi tentantur. quæſo autem te, vt habitus prauos bonis euincas, diſcas tentationibus reſiſtere, ne, cum defecerint vires, ſuperent te, & in portu facias naufragium. Sic nòn ita pridem quidã ritè confeſſus, ſupremâ nocte reſpirare à morbo cœpit, & ſuſpirare cõſuetudine prauâ retractus, velut ſeruus è fuga, ad prę-terita flagitia, mox oppreſſus fuit: poſtridie, qui confeſſionem exceperat, mortuum audiens, ad ſacrificium pro eo offerendum conſurgit, ſed ad pedem altaris adſtitit vmbra, & vetuit, damnationem ſuam, & cauſſam illius, inueteratam peccandi conſuetudinem denuntiauit.

Lucæ 12.

Eleemoſyna commendata & diligentia.

Exemplum terribile.

Conſuetudo praua.

Quar-

Quartò, negotia ita ſuſcipe, vt breui moriturus. Itaq; ea gere, Epictetus ait; quemadmodũ in nauigatione, ſubducto nauigio, ſi aquarum exieris, obiter fortaſſis etiam cochleolam colliges, aut bulbum: animo autem in nauigium intento eſſe oportet, ac continenter ſollicito ne gubernator vocet: ac tum illa omnia relinquere, vt ne vinctus, tanquam oues, in nauim coniiciaris: ita in vita, ſi tibi vice cochleæ, aut bulbi, detur vxorcula & puer, nihil impediet; at ſi gubernator vocarit, curres ad nauem, relictis illis omnibus, neque reſpicies. Quòd ſi ſenex es, caue vnquã à naue recedas longius, ne, quando vocatus, deficias. *Epipſ. Enchir. c. 12.* *Negotia vti gerenda*

Quintò, quotidie cubitum iturus, quaſi ad mortẽ te para; & cogita, an verè ad eam ſis paratus, qualiter te in ea vixiſſe optabis. Quis enim ſcit, non ſolum quid ventura dies, ſed nox pariat? O quã horrendum eſt cogitare, ſubitò dormientem oppreſſum catharro, incidere in manus Dei viuentis, à ſomno ad iudicium, ad ſupplicium, ad mortem trahi ſempiternam! O quomodo fieri poteſt, bone Iesv, vt quis credat mille pericula ſibi & ſuis ab hoſte, qui in portis ſit, imminere famæ, vitæ, bonorum omnium, & ne ſemel de eo libeat cogitare! Quotidie manè: *Veſperi. mortis memoria eſt innouanda* *Nota.*

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſuprentum.

Quotidie lege preces aliquas, Litanias v. g. B. Virginis, pro felici morte & ſanctos Patronos cole.

Sextò, obſerua diligenter, vt aſſueſcas ad omnia ſubita, ceſpitationes, lapſus, fragores, excitare actus contritionis, fidei, ſpei, charitatis, verbo vno, v. g. *doleo credo, ſpero, diligo &c.* ſic enim tales affectus quos ex conſuetudine pia didiciſti, dilatare poteris, & quaſi in ictu oculi eoſdem repręſentare. Sic noui Religioſum, qui dicebat ſe, nòminando *Ieſus*, vel *Maria*, ad ſingulas litteras, actus nobiliſſimos virtutum exercere ſolitum. Vtinam hoc pacto milites inſtructi forent, & in omnibus periculis, timoris Domini clypeo eſſent tecti! ſanè ſic inſtrui omnino eos oporteret, & quidem diligentiſſimè, vt crebrò contritionem & intentionem rectam, aduerſus ſubitos mortis caſus innouarent. *Aſſueſce ad actum contritionis.* *Nota.* *Milites vt inſtruendi.*

Septimò, ſingulis ſaltẽ annis bis ita te diſpone, quaſi moriendum tibi foret, ad honorem mortis Chriſti Iesv, & vt à ſubitanea morte libereris. Suadet quidẽ Thomas à Kempis, vt ad ſingula ſolẽnia feſta id fiat: & ſanè vtiliter. Imò, & ſingulis ſaltem menſibus id conduceret, atque ita animũ colligere & renouare, rationes ſecum ſubducere: ſed ſolẽnius bis per annum. id fieri expediet, quaſi dictum tibi à Propheta eſſet, *Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non viues.* Ad hoc videtur accommodus dies Veneris ſanctus, vt cum *Renouatio ſui & mortis memoria inſignis* *Iſaiæ 32.* *Die Veneris ſancto quid faciendum.*

Christo moriamur: dies item omnium Sanctorũ & animarum,ob ritus,Eccleſię tũ vſurpari ſolitos,atq; his ita diſpones,vt ſi verè moriturus eſſes,& confeſſionem etiam generalem,ſi videtur,à poſteriore facies; eaq́; diligentiâ & curâ,ac ſi poſtrema futura eſſet. Atque ita etiã die Iouis ſancto,& die omnium Sanctorũ SS. Euchariſtiâ reficieris, die autem Iouis ſancto ac Veneris ad ſepulcrũ Domini;vel ad ſepulcra maiorum,in die animarum,ſi ſint eo loco,ſi non,ad aliorum,repræſenta tibi mortẽ tuã, anguſtias & exequias. Eleëmoſynas pro ſtatu largire ; & quæcunq; alteri debes, reſtitue: aut ſi res nõ ferat,iam ſaltẽ ſcripto annota. Deniq; tamquam ſi valedicendũ omnibus creaturis foret , talẽ animũ indue,& noua deſideria diuinę bonitati ſeruiendi. Neq; hoc tantũ,ſed quoad potes, habe omnia diſpoſita,teſtamẽtum,&c. O quàm ſalutare,cũ mors incerta ſit,& omni loco nos expectet,velut certâ die venturã opperiri,& omnibus locis & horis eandem exſpectare! Cùm autẽ dies Veneris ſanctus,deuotioni maximè ſit accommodatus;tũ maiori cũ affectu,tempore longiore,impẽde te pietatis ſtudio, & accende te ad amorem Domini ; & ſcripta recens propoſita, aut recognita,iterũ die Paſchæ relege. Si die vno atq; altero poſſes in ſeceſſu,aut domi tibi vacare , aut in domo aliquã Religiosâ;vtilius longè foret,vt ſic cum Chriſto morereris ac reſurgeres. ſi enim complantati facti ſimus ſimilitudini mortis eius,participes erimus reſurrectionis illius.

Debita ſoluenda, dandæ eleemoſynæ. *Nota.* *Rom. 6.*

Octauò,cogita ſæpè,ſaltẽ quot hebdomadis ſemel,quomodo diem mortis & agoniã illam peragere velis. Si enim ad nuptiarum diem,aut triumphalem te comparares,aduerte,iudicii ſubeundi hunc eſſe,illumq́ue, qui aut te in æternum beatum,aut infelicem faciet;quo ad nuptias Agni, aut ad carcerem inferni perpetuum eundum;quo in triumphũ, aut ad ſupplicium ducendus ſis;denique diem, qui de omnibus iudicat,propter quem ſunt omnes dies anni,luſtra,& vniuerſa vita & actiones noſtræ. Idcirco,de præparatione proxima ad eam pauca habe.

Crebro de die & actu mortis deliberandum. *Nota.*

Cùm ſubitò aliqui moriuntur,ſuadeo vehementer,vt ſtatim actũ contritionis,fidei,ſpei & amoris excitent;& ſi ex vulnere,condonent aduerſario. Vocẽt ſtatim confeſſarium, dicendo,ſe vehementer dolere,&, petere confeſſionem,vt ſic abſolui poſſint,etiamſi poſtea loqui nequeant: ſicut etiã cùm cœperunt grauiora ſcilicet confiteri,& periculum eſſe apparet,ſtatim abſolutio danda eſt,ne præoccupet mors; ſi ſpatium detur,perficienda erit confeſſio. In communi periculo belli , naufragii, ruinæ , ſimul confiteri clarè aliquod peccatum,v.g.mendacii poſſunt,& ſimul abſolui.

Quid in ſubita morte facto opus.

Propin-

Propinqua præparatio iſta eſſe poterit.

Cùm primùm in morbum incideris, recordare eum accipere de manu Domini, & gratias age; immò offer te ad maiora, & in manus eius te proiice. Neque fiduciam in medico colloca, ſed in Deo: vocari tamẽ is debet; ſed primo animi, ideſt, confeſſarius. ſi quod periculum, ſaltem ſimul vocentur; & medicum roga, vt liberrimè periculum indicet, liberè te curet: nam Deo grata iſta reſignatio, Vtinam medici ſe diſcipulos Chriſti oſtenderent, & eundem finem ſe cũ illo habere, qui ſolet per corporis morbos animã perſanare! vtinam tempeſtiuè ſemper etſi periculũ nullũ ſit, mouerent de anima curanda! tunc enim ex conſuetudine pia nõ terrerent vnquam infirmos, Stupenda verò res; agitur de æterna vitâ, & momentaneâ; pro hac omnia, & ardenter; pro illâ ſæpè vix aliquid, & cum morâ, libet adhibere, Neq; refert, an periculum ſit: cũ enim incerta ſint omnia, non deeſt vnquã. Saltẽ placandus Deus, qui ſæpè iratus morbos infligit, nec ſanat niſi anima perſanata. Præterea curandũ eſt vt ſimus in ſtatu gratiæ, vt mereri per ea, quæ patimur, poſſimus.

Morbum de manu Dei accipe.

Medicorũ munus.

Nota, medice.

Reconcilia te Deo vt mereri poſſis.

Oratiuncula breuis.

In manibus tuis ſortes meæ: ſiue viuimus ſiue morimur, tui, bone IESV, *ſumus. Fiat voluntas tua. Sana me, Domine, & ſanabor; ſaluum me fac & ſaluus ero. Tu enim mortificas & viuificas, non medicorum opera; tu deducis ad inferos, & reducis.* Pſal. 20. Rom. 14. Matth. 6. Ierem. 17. 1. Reg. 2.

O Pater æterne, tuum hoc eſt donum, & tua voluntas ſancta, beneplacens, & perfecta. Benedico te, & me reſigno ad omnia quæ tibi, ô Sapientia æterna, placuerint in tempore, & in æternitate, Vel dic cum ſancto Andrea:

O bona crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit: Vel.

Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ: ego lutum, tu figulus: fac de me vas in honorem, ad gloriam nominis tui; vre, ſeca, ſed parcas in æternum. Pſal. 56. Pſal. 115.

O Pater, ô medice animæ meæ, tu noſti quid expediat: omnia in vero iudicio feciſti, ex amore ſummo, & ſapientiâ æterna; tu quæſo mecum ſis in tribulatione vt in patientia poſſideam animã meam: ſi de manu tua bona ſuſcepimus, mala quare non ſuſtineamus momento vna pro gloria æterna? Si oportuit te pati, & ita intrare in gloriã tuam, nonne & me ſine murmure & querela oportet? cùm tot peccatis meis infernum promeritus ſim, cùm tanta mihi paraueris? cùm amore mei, ô immenſa bonitas & infinita charitas dignatus ſis mori! ALIA. Iob. 2.

Patientiæ ſit memor æger. Caueat æger ne queratur apud inuiſentes, ſed obedientiæ erga medicum, & eis qui curam ſui gerunt, patientiæ & humilitatis exempla relinquat, quibus animos ad imitationem inuitet, ac cum Tobia dicat, *Ipſe caſtigat nos propter iniquitates noſtras; & ipſe ſaluabit nos propter miſericordias ſuas*, ſi occurrat quòd ſolitis exercitiis vacare non poſſit, hunc verſiculum ruminet; *Deus bonorum noſtrorũ nõ eget, ac gratius illi nos facere voluntatem ſuam patiendo quàm noſtram operando.* Tob.13. Pſal.15.

Confeſſio eſt frequẽtanda. Secundò, diligens ſit in confeſſione facienda & excitanda contritione, (ſæpè enim peccata noſtra morbus expiat) & Indulgentias quas poteſt, promereatur. Moleſtias medicorum & medicinæ ſuſcipiat cum humilitate, ac toleret: ſi vena ſecanda, de ſanguinis Chriſti effuſione cogitet, & totũ ſeſe offerat illi: ſi mendicina ſumenda, & adſit Sacerdos eã benedici petat, ſi non, ipſe cruce ſignet, & non tam in medicina, quàm Dei auxilio confidat; ne arguatur vt Aſa, de quo Scriptura ait: *Nec in infirmitate ſuâ quæſiuit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt.* Et Sapientia idẽ monet dicens, *Neque herba, neq; malagma ſanauit eos, ſed tuos Domine ſermo, qui ſanat omnia*, itaque iaculatoria tali vti poteſt. *Sana me Domine, & ſanabor; ſaluum me fac, & ſaluus ero, quoniam laus mea tu es.* *Fidendum Deo non medicis.* 2.Paral.16 Sapiẽt.16 Ierem.17.

Querelis eſt abſtinendum. Tertiò, cùm viſitatur ab amicis, oſtendat ſe morbum de manu Dei accipere, querimoniis abſtineat, vt dixi, petat moriturus ab iis pro ſe opera aliqua ſatisfactioria, & maximè communionem & confeſſionem.

Examinanda conſcientia. Quartò, examen conſcietiæ poteſt bis in die facere, aut in horas ſingulas, ſi aſſueuit, imo etiam tum aſſueſcere & in breui explere tempora multa. Magnum ex hoc accipiet corporis animæque ſolatium.

Legi ſibi curet æger. Quintò, quotidie antè & poſt meridiem humiliter ſtato tempore legi ſibi aliquid petat à Domeſtico, ex vitis Patrum, ex Thoma à Kempis, vitis Sanctorum, de exercitiis eorum in morte & fortitudine, quæ proſequitur P. Buſæus tit. de ſtatu morientium: vel ex P. Aria, de tribulatione, de Paſſione Domini, maximè è S. Bernardo: vel pſalmos; vel meditationes de patientiâ, de Dei prouidentia, P. Binet de conſolatione infirmorum; & habeat horologium Paſſionis, maiuſculis ſcriptum, ad lectum, vt ſi poſſit ſingulis horis ſeſe colligat; ſeque Deo offerat.

Sextò, ſententias etiam in promptu habeat aliquot quas ruminet, quibus ſeſe conſoletur, maximè doloribus creſcentibus.

Iob.1. *Sicut Domino placuit, ita factũ eſt, ſit nomen Dñi benedictũ.*
Matth.6. *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terrâ.*

Perfectius eſt aduerſa tolerare patienter, quàm bonis operibus inſudare. Bonau.

Melior eſt patiens viro forti. Prou.16.

Hic vre, hic ſeca, hic nihil mihi parcas, vt in æternum parcas. Auguſt.

Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Luc.24.

Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi. Iob.37.

Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat. 1.Reg.3.

Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. 1.Mach.3.

Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium tuum. Pſal.118.

Quis mihi det, vt qui cupit affligere me dolore, ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me! Iob.6.

In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus. 2.Cor.6.

Domine, vim patior, reſponde pro me. Iſaiæ 38.

Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Matth.26

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Pſal.33.

Miſerere mei Domine, quoniã infirmus ſum; ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea: ſed tu Domine, vſquequo? Pſal.6.

Verumtamen Deo ſubiecta eſt anima mea; quoniam ab ipſo patientia mea. Pſal.61.

Septimò, vt propiùs ad mortem te præpares; Primò, de temporalibus maturè prudenterque diſpone, teſtamentum æquum & perſpicuum, concordiæ & non litium ſeminariũ conde, atq; in eo primò animæ tuæ rationem habe; aliena reſtitue, tranſmitte per manus pauperum, quæ potes in terram viuentiũ, vt ibi viuere & recipi poſſis in æterna tabernacula, etſi meliùs longè eſt largiri cũ frui iis potes. Siquidem illud eſt quaſi ſtomacho pleno quod non adlubet edulium, aut non potes deuorare, amico proiicere, aut rapienda mox ab hoſte, potiùs permittere, vt amici nobis ſeruent, & hoc pro gratiâ illis imputare: vel aliena, cùm ampliùs poteſtati illius, qui verus dominus eſt, reſiſtere non potes, tandẽ illi permittere aut reſtituere, & quidẽ inuito animo. Vide an nõ rem exponat ſimile hoc. Pia legata, quę relinqui propterea poſſunt, ſunt, legare pauperi, alimenta Religioſis viris, ſtudioſis, dotem pauperibus, Eccleſiæ ornamenta & inſtaurationem, &c. Si eam tibi dignatus fuerit Dominus dare mentem, vt è terris excedens, hæredem eum relinquas, benè tecũ agetur; erit enim ſic tibi hęres, & tu illi, ac tu tibi etiam ipſi ſimiliter, ſi, cùm in cælo perpetuò laudaturum Dominum te ſperes, hic, vbi ſæpiùs offendiſti eum & inhonoraſti perituris bonis, laudatorẽ diuinæ bonitatis tibi ſufficias; & ſi propugnatorẽ regni eius, ac zelatorem honoris illius,

Teſtamentum conde.

Eleëmoſynę premittendæ.

Similia.

Legata pia.

Hæredem IESVM *quis faciat*

hoc mihi, vt ego præ aliis exaudiã vocẽ tuã dicentis: Si vis perfectus eſſe vade & vende omnia quæ habes, & veni & ſequere me unde hoc mihi vt inuenerim pretioſã margaritã & theſaurũ abſconditũ, & vendere potuerim agrũ vt emerẽ illũ, & de tot naufragiis iuberes me ambulare ſuper aquas, & in monte hoc Thabor oſtenderes mihi gloriã tuã. Vnde hoc mihi, vt me præ aliis de mundo vocares de Aegypto in terram ſanctã, de Sodoma in montem Segor, de mari naufrego in portũ. Benedic anima mea domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, ſed redde Altiſſimo vota tua. Et verò cùm tibi donauero quidquid ſũ, Deus meus, quidquid poſſum, nónne illud ſicut ſtella ad ſolem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granũ ad aceruum; quod dico? omnia ſunt tanquam nihilum antè te, & velut momentum ſtateræ mundus vniuerſus, quid ergo retribuam tibi cui debeo pluſquam me?

Bernard. hom. Simile eſt regnum cælorum. Matth. 19

Bern. ep. 143. Iſaiæ 40.

Abſit igitur vt de eo quod obtuli tibi holocauſto, quid detrahã, & affigar crepundiis N. de vllius rei defectu querar, aut perditione doleam, & arenâ obruar, qui vitaui grandia: tu enim cùm diues eſſes, propter me egenus factus es. Et ego pauper delicias quæram ſub ſpinoſo capite? vel hic carni blandiar vt ſpinis te coronem? præcipitium enim eius & periculum ſi amauero, ſcio peribo in eo ſi odero, parata eſt mihi certò multitudo dulcedinis tuæ: abſit vt de vllâ re hodie aut unquam querar, de humiliatione aut nouiſſimo loco: tu enim veniſti miniſtrare & non miniſtrari, & ego viliſſimus vermis ad hoc veni, vt tecum Rex regum recumbam in nouiſſimo, & audiam in æternum. Aſcende ſuperius. Fac igitur de me ſecundùm beneplacitum tuum, in tempore & in æternitate, & vt faciã tuâ gratiâ omnes voluntates tuas, tuus enim ſum ego, & omnia tua ſunt, te toto corde amo, & totâ animâ meâ.

Nunquid ergo carni & ſenſui vltrà ſeruiã, aut amore mei, & per inobedientiã inſipienter tibi repugnabo, & tuæ prouidentiæ; meamq́; ſtultitiam tuæ ſapientiæ præferam? Non ita Rex meus, Deus meus. Ecce ego lutũ in manu figuli, cadauer & baculus ſequar te quocũq; ieris gratiâ tuâ. ne redeã miſer ex portu ad naufragium, unde vix nudus euaſerã; rurſus ignẽ

unde

unde vix ſeminſtus exieram ex loco deliciarum, & atrijs domus tuæ deſcendam in Aegyptum; & locum teterrimæ ſeruitutis & qui nutriebar in croceis, amplexer ſtercora, & cũ Thren.4.
Eſau vendam primogeni'a ſcutella lentis, & perdam te omne & unicum bonum meum. Obſecro te reminiſcere miſerationis tuæ, quâ me emiſti ſanguine tuo, & paſcis corpore tuo. Et de Vr Chaldæorum cum Abrahamo me vocaſti in manu validâ, accende in me ignem quem veniſti mittere in terram, ignem amoris tui, quem merito voluiſti in me miſero vehementer accendi. Amen.

CAPVT XXV.

Meditatio de perſeuerantia in propria vocatione.

COMPOSITIO LOCI. Intuere mundi machinam, & varias in cælo manſiones.

ORATIO. Pete à Deo perſeuerantiã in vocatione, in quam vocatus es,

PVNCTVM I. Conſidera Primò, vniuerſum, & creaturarum varietatem, & quantum differant inter ſe, quantum ſtella à ſtellâ in claritate, & ſic ratiocinare, omnino in corpore myſtico ſimilem eſſe diuinam ordinationem. Conſidera Secundò, quanta perturbatio naſceretur, ſi quæ Deus æternâ ſapientiâ ſubordinauit, perturbato ordine ima ſummis imponerentur, idem procul dubio futurum, ſi quiſque ſtatum ſuum exoſum habeat, alium verò æmuletur. Quid enim futurum, ſi in Repub. ſi in aulâ Regis omnes primi eſſe velint; ſi in naui Eccleſiæ omnes ad clauum ſedere, ſi cæleſtis Ieruſalem lapides omnes eodem loco collocari: quod in omnibus vides, hoc omnino in ſingulis vitioſum eſt.

PVNCTVM II. Conſidera Primò, Parabolam Matth.25. vbi Dominus diuerſis ſeruis ſuis diuerſa largitur, alij quinque, alij duo talenta, alij vnum, vnicuiq; ſecundùm propriam virtutem. Viue igitur contentus

tuâ ſorte, & melius eſſe ſcias ſatagere per bona opera certam facere vocationem, quàm aliam, atque aliam æmulari. Conſidera Secundò, viatores omnes eſſe nos,
2. *Pet.* 1. & melius eſſe viam cœptam, Deo duce præeunte proſequi, quam breuiorem ſine duce, & incertam viam quęrere. Conſidera Tertiò, mundum hunc, velut theatrum eſſe, neque quærendum quam egeris perſonam, ſed quàm bene tuam egeris; quis neſcit eum qui ſeruum agit, ſi melius agat rege inſulſo & imperito, primam palmam referre? atque ita ſe habet res hæc, neque quid egerit quis, ſed quanta ex charitate, appendet Deus. Conſidera quartò, Nos in ſtadio currere, quis verò iſthic brauium rapit? certè non Rex aut Princeps, ſed qui velociùs curret.

PVNCTVM III. Conſidera, illa verba Apoſtoli 1. ad Corint. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. vides fruſtrà te conniti aliam facere diuiſionem, aliudque à Dei voluntate operari? Conſidera II. ea quæ ſequuntur, Vnicuique, ait, datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, & ſcito te nullam conſequuturum; niſi iuxta gratiam vocationis tuæ, non alienæ, viuas, neque eſt quòd murmures, hæc enim, ait, omnia operatur unus atque idem
1. *Cor.* 7. ſpiritus diuidens ſingulis prout vult: & alibi, Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius verò ſic. Conſidera Tertiò, illa Apoſtoli verba: ſicut enim corpus unum eſt, & membra habet multa, ſic ſe habet Eccleſia, & corpus ait, non eſt unum membrũ, ſed multa: ſi dixerit pes, quoniam non ſum manus, &
1. *Cor.* 12. auris, quoniam non ſum oculus, non ſum de corpore, num ideò non eſt de corpore; non poteſt autem oculus dicere manui, operâ tuâ non indigeo, aut iterum caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij: ſed multo magis quæ videntur membra corporis infirmiora eſſe neceſ-

ſari-

fariora ſunt,& quæ putamus ignobiliora membra corporis eſſe,his honorem abundantiorem circundamus. Ex his collige perſeuerantiam in vocatione primâ, etſi humilior eſſet, quandoquidem à ſapientiâ æternâ inſpirata. Ideò Apoſtolus renuit baptizare, quia miſſus erat euangelizare. Conſidera quartò, etiam illa verba Apoſtoli, vnuſquiſque in quâ vocatione vocatus eſt, in eâ permaneat: nam vt Epheſ. 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia,ſecundùm menſuram donationis Chriſti: ſi ergo virtutem,& vires maiores non habes, quàm vt decem tollas, cur viginti vis tollere & diſrumpi? cur qui virtute,& animi ſtaturâ puſillus es,veſtes (vt ſic loquar) id eſt, munus & ſtatum maiora & altiora te quæris? Conſidera quintò, illud Luc. 9. nemo mittens manum ſuam ad aratrum,& reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei,&c. Ex quo diſce eum qui vocationem deſerit,ſæpè ineptum fieri regno Dei, id eſt ſæpè excludi ab illo: & ſanè melius eſt iuxta conſilium Domini claudum ac debilem ad vitam ingredi, quam duas manus,aut duos pedes habentem,id eſt, in perfectiori ſtatu conſtitutum propter ſua peccata in quibus perſeuerat, mitti in gehennam. Conſidera ſextò, Ideò multos in vocatione nutare,quòd bona ſua ignorent, aut non attendant,aliena verò præteritis multis malis & periculis intueantur: certum enim eſt,cuilibet ſtatui commoda & incommoda eſſe annexa; quemadmodum autem ineptè ſtrutionis pennas ſibi paſſer optaret,eique inuideret earum magnitudinem,non conſideratâ mole corporis,ſic faceret qui maiora, & altiora ſe quæreret.

1.Cor.4. 1.Cor.7. Luc.9. Matth.18

ORATIO.

O Sapientia æterna Deus meus,quàm incertæ prouidentiæ noſtræ: neſcimus quo miſeri curſum tendere,quam viam ingredi nos oporteat. Tu ſolus noſti & vide, quâ viâ inter innumera auia ad te peruenire queam,tu attingis à fine ad finẽ

fortiter

proſequutus eſt D. Rodericus Epiſcopus Zamorenſis in ſpeculo humanæ vitæ.

Tertia, Conare diligentiſſimè perfectionem in tuo ſtatu conſequi, quæ eſt in perfectâ charitate, neque æmulaberis facilè alienum inſtitutum.

Quarta, Propone tibi exemplar præcipui alicuius ac ſancti viri, qui in ſtatu tuo viam ad æternitatem decurrerit, & eum imitare, omneſque ſimiles in patronos adſciſce, Angelumque cuſtodem imprimis cole ducem viæ ac vitæ tuæ.

JACVLATORIÆ.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & pſallam tibi gloria mea. Pſal. 107.

Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Pſal. 72.

Tuus ſum ego, ſaluum me fac, quoniam iuſtificationes tuas exquiſiui. Pſal. 118.

CAPVT XXVI.

Meditatio de præparatione ad mortem.

COnſidera, quòd huius ſcientiæ & vitæ noſtræ vltimus actus ſit mors. Itaque vt felix & ordinata tibi ſit, vide quomodo hactenus ad eã omnia direxeris, & diriges poſthac cogitationes omnes atque actiones, dieſque illius. Nõ poteſt enim malè mori, qui benè vixerit: bene autem & feliciter viuet, quicumque benè mori didicerit: bene autem mori nouerit, qui in omni vitâ mortis memor fuerit, & ad eam ſe comparauerit. Cùm igitur omnis ſcientia atque doctrina, omnis exercitatio, & dies, & horæ omnes eò referantur, vt nouiſſima beata ſit; de illa etiam tanquam triumphali, tanquam æternâ, tanquam columine, & termino peregrinationis noſtræ, à quà felicitas rerum omnium & æternitatis pendeat, diſſerendum eſt. Vide, ò mi frater, quanta cura huius tibi eſſe debeat.

Conſidera Secundò, quoties te eius meminiſſe oporteat, & attende vt Eccleſia initio Quadrageſimę moneat. Deinde quomodo omnis ortus Solis, & occaſus id præſtent; & rerum humanarum, herbarum, fruticũ, &c. Tertiò, quomodo Sancti huius rei magnam curam habuerint, adeò vt D. Damaſcenus dicat eâ de cauſsâ (non ſolùm ob cultum religioſum) oſſa Sanctorum ſolita circumferri. Tu itaque imitare, domi ſignum antè te ſtatue: vel etiam tibi viuo, vt S. Ioannes Eleëmoſynarius, vt viri principes, in templo ſepulcrum erige, illudque crebro adi, & conſidera; aut deniq; in cœmiterio, aut templo quaſi deſigna in omni loco, in quo te habitare continget. Etenim hæc habitatio & domus erit

vſque ad iudicij diem. Noui virum militarem, qui famulũ ad hoc habet conductum, vt quotidie mortis ſe memorem reddat; Tu etiã aliquod habeas memoriale in oratiorio catalogum demortuorũ amicorum, & teſtamentum ſpirituale, in quo de anima tua, corpore & bonis diſponas. Item annorum & menſiũ vitæ tuæ tabulam, quoties menſis tranſierit, ſeu notam figuræ mortis transferendo: omni enim die & hora tibi impendet & inſidiatur. In Claraualle eſſe fertur ſemper ſepulcrum apertum primo morituro, quod memoriæ mortis causâ quotidie viſitant Religioſi. In alio Ordine ſinguli habent in cubiculo ſarcophagum. In alio ſalutare ſe inuicem ſoliti erant, hoc pacto: *Frater debemus mori*; reſpondebat alter, *neſcimus quando*. Vides quam fuerit cordi viris ſanctis mortis perpetuę recordatio, & quam tibi eſſe debeat? *Aſpira*, vt ſup. 8; *Hæccine firmá, &c.*

Conſidera rationẽ tibi reddendam poſt mortem & ancipitem aleam, ideoq́ue quotidie aliquam ex notis prædeſtinationis acquirere ſtude, maximè illam miſericordiæ erga proximum: quia quâ menſurâ menſi fuerimus, eâdẽ remetietur nobis: & beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. De ea, prima quæſtio in iudicio inſtituetur; *O Pater miſericordiſſime*, vt infr. Meditari autẽ de ſingulis potes hoc pacto: Primò conſidera, an habeas eam, & quid impediat; Secundò, qualiter beatus aliquis ſe per eam ſecurum reddiderit; Tertiò, quo pacto ad eam deinceps incumbes.

Praxis. *Lucæ* 12. *Eleemoſyna commendata & diligentia.* Primò; Cùm peregrinus ſis ſuper terram, tranſmittas opes hic perituras in patriam, ſit ibi theſaurus tuus, vbi fur non appropiat, neque tinea corrumpit, immò habe arculam in quam coniicias eleëmoſynas dierum: vt nulla dies abeat quin linea ducta ſuperſit, quin tuum in cælis theſaurum virtutibus adaugeas: has autem potiſſimùm exerce, quæ in morte ſunt neceſſariæ; Primò, fidei; Secundò, ſpei, Tertiò, charitas; Quartò, contritionis, patientiæ & mortificationis actus: quia impatientiâ infirmi plurimi tentantur. quæſo autem te, vt habitus prauos bonis euincas, diſcas tentationibus reſiſtere, ne, cum defecerint vires, ſuperent te, & in portu facias naufragium. *Exemplum terribile.* Sic nõn ita pridem quidã ritè confeſſus, ſupremâ nocte reſpirare à morbo cœpit, & ſuſpirare cõſuetudine prauâ retractus, velut ſeruus è fuga, ad pręterita flagitia, mox oppreſſus fuit: poſtridie, qui confeſſionem exceperat, mortuum audiens, ad ſacrificium pro eo offerendum conſurgit, ſed ad pedem altaris adſtitit vmbra, & vetuit, damnationem ſuam, & cauſſam illius, inueteratam peccandi conſuetudinem denuntiauit. *Conſuetudo praua.*

Quar-

Quartò, negotia ita ſuſcipe, vt breui moriturus. Itaq; ea gere, Epictetus ait; quemadmodũ in nauigatione, ſubducto nauigio, ſi aquarum exieris, obiter fortaſſis etiam cochleolam colliges, aut bulbum: animo autem in nauigium intento eſſe oportet, ac continenter ſollicito ne gubernator vocet: ac tum illa omnia relinquere, vt ne vinctus, tanquam oues, in nauim coniiciaris: ita in vita, ſi tibi vice cochleæ, aut bulbi, detur vxorcula & puer, nihil impediet; at ſi gubernator vocarit, curres ad nauem, relictis illis omnibus, neque reſpicies. Quòd ſi ſenex es, caue vnquã à naue recedas longius, ne, quando vocatus, deficias.

Epipſ. Enchir. c. 12.

Negotia vti gerenda

Quintò, quotidie cubitum iturus, quaſi ad mortẽ te para; & cogita, an verè ad eam ſis paratus, qualiter te in ea vixiſſe optabis. Quis enim ſcit, non ſolum quid ventura dies, ſed nox pariat? O quã horrendum eſt cogitare, ſubitò dormientem oppreſſum catharro, incidere in manus Dei viuentis, à ſomno ad iudicium, ad ſupplicium, ad mortem trahi ſempiternam! O quomodo fieri poteſt, bone IESV, vt quis credat mille pericula ſibi & ſuis ab hoſte, qui in portis ſit, imminere famæ, vitæ, bonorum omnium, & ne ſemel de eo libeat cogitare! Quotidie manè:

Veſperi. mortis memoria eſt innouanda

Nota.

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſuprentum.

Quotidie lege preces aliquas, Litanias v. g. B. Virginis, pro felici morte. & ſanctos Patronos cole.

Sextò, obſerua diligenter, vt aſſueſcas ad omnia ſubita, ceſpitationes, lapſus, fragores, excitare actus contritionis, fidei, ſpei, charitatis, verbo vno, v. g. *doleo credo, ſpero, diligo &c.* ſic enim tales affectus quos ex conſuetudine pia didiciſti, dilatare poteris, & quaſi in ictu oculi eoſdem repręſentare. Sic noui Religioſum, qui dicebat ſe, nominando *Ieſus*, vel *Maria*, ad ſingulas litteras, actus nobiliſſimos virtutum exercere ſolitum. Vtinam hoc pacto milites inſtructi forent, & in omnibus periculis, timoris Domini clypeo eſſent tecti! ſanè ſic inſtrui omnino eos oporteret, & quidem diligentiſſimè, vt crebrò contritionem & intentionem rectam, aduerſus ſubitos mortis caſus innouarent.

Aſſueſce ad actum contritionis.

Nota.

Milites vt inſtruendi.

Septimò, ſingulis ſaltẽ annis bis ita te diſpone, quaſi moriendum tibi foret, ad honorem mortis Chriſti IESV, & vt à ſubitanea morte libereris. Suadet quidẽ Thomas à Kempis, vt ad ſingula ſolẽnia feſta id fiat: & ſanè vtiliter. Imò, & ſingulis ſaltem menſibus id conduceret, atque ita animũ colligere & renouare, rationes ſecum ſubducere: ſed ſolẽnius bis per annum. id fieri expediet, quaſi dictum tibi à Propheta eſſet, *Diſpone domui tuæ, quia morieris, & non viues.* Ad hoc videtur accommodus dies Veneris ſanctus, vt cum

Renouatio ſui & mortis memoria inſignis

Iſaiæ 32.

Die Veneris ſancto quid faciendum.

 Chriſto

Chriſto moriamur: dies item omnium Sanctorũ & animarum, ob ritus, Eccleſię tũ vſurpari ſolitos, atq; his ita diſpones, vt ſi verè moriturus eſſes, & confeſſionem etiam generalem, ſi videtur, à poſteriore facies; eaq́; diligentiâ & curâ, ac ſi poſtrema futura eſſet. Atque ita etiã die Iouis ſancto, & die omnium Sanctorũ SS. Euchariſtiâ reficieris, die autem Iouis ſancto ac Veneris ad ſepulcrũ Domini; vel ad ſepulcra maiorum, in die animarum, ſi ſint eo loco, ſi non, ad aliorum, repræſenta tibi mortẽ tuã, anguſtias & exequias. Eleëmoſynas pro ſtatu largire; & quæcunq; alteri debes, reſtitue: aut ſi res nõ ferat, iam ſaltẽ ſcripto annota. Deniq; tamquam ſi valedicendũ omnibus creaturis foret, talẽ animũ indue, & noua deſideria diuinę bonitati ſeruiendi. Neq; hoc tantũ, ſed quoad potes, habe omnia diſpoſita, teſtamẽtum, &c. O quàm ſalutare, cũ mors incerta ſit, & omni loco nos expectet, velut certâ die venturã opperiri, & omnibus locis & horis eandem exſpectare! Cùm autẽ dies Veneris ſanctus, deuotioni maximè ſit accommodatus; tũ maiori cũ affectu, tempore longiore, impẽde te pietatis ſtudio, & accende te ad amorem Domini; & ſcripta recens propoſita, aut recognita, iterũ die Paſchæ relege. Si die vno atq; altero poſſes in ſeceſſu, aut domi tibi vacare, aut in domo aliquâ Religioſâ; vtiliùs longè foret, vt ſic cum Chriſto morereris ac reſurgeres. ſi enim complantati facti ſimus ſimilitudini mortis eius, participes erimus reſurrectionis illius.

Debita ſoluenda, dandæ eleemoſynæ.

Nota.

Rom. 6.

Crebro de die & actu mortis deliberandum.

Nota.

Octauò, cogita ſæpè, ſaltẽ quot hebdomadis ſemel, quomodo diem mortis & agoniã illam peragere velis. Si enim ad nuptiarum diem, aut triumphalem te comparares, aduerte, iudicii ſubeundi hunc eſſe, illumq́ue, qui aut te in æternum beatum, aut infelicem faciet; quo ad nuptias Agni, aut ad carcerem inferni perpetuum eundum; quo in triumphũ, aut ad ſupplicium ducendus ſis; denique diem, qui de omnibus iudicat, propter quem ſunt omnes dies anni, luſtra, & vniuerſa vita & actiones noſtræ. Idcirco, de præparatione proxima ad eam pauca habe.

Quid in ſubita morte facto opus.

Cùm ſubitò aliqui moriuntur, ſuadeo vehementer, vt ſtatim actũ contritionis, fidei, ſpei & amoris excitent; & ſi ex vulnere, condonent aduerſario. Vocẽt ſtatim confeſſarium, dicendo, ſe vehementer dolere, &. petere confeſſionem, vt ſic abſolui poſſint, etiamſi poſtea loqui nequeant: ſicut etiã cùm cœperunt grauiora ſcilicet confiteri, & periculum eſſe apparet, ſtatim abſolutio danda eſt, ne præoccupet mors; ſi ſpatium detur, perficienda erit confeſſio. In communi periculo belli, naufragii, ruinæ, ſimul confiteri clarè aliquod peccatum, v.g. mendacii poſſunt, & ſimul abſolui.

Propin-

Propinqua præparatio iſta eſſe poterit.

Cùm primùm in morbum incideris, recordare eum accipere de manu Domini, & gratias age; immò offer te ad maiora, & in manus eius te proiice. Neque fiduciam in medico colloca, ſed in Deo: vocari tamẽ is debet; ſed primò animi, id eſt, confeſſarius. ſi quod periculum, ſaltem ſimul vocentur; & medicum roga, vt liberrimè periculum indicet, liberè te curet: nam Deo grata iſta reſignatio. Vtinam medici ſe diſcipulos Chriſti oſtenderent, & eundem finem ſe cũ illo habere, qui ſolet per corporis morbos animã perſanare! vtinam tempeſtiuè ſemper etſi periculũ nullũ ſit, mouerent de anima curanda! tunc enim ex conſuetudine pia nõ terrerent vnquam infirmos. Stupenda verò res; agitur de æterna vitâ, & momentaneâ; pro hac omnia, & ardenter; pro illâ ſæpè vix aliquid, & cum morâ, libet adhibere. Neq; refert, an periculum ſit: cũ enim incerta ſint omnia, non deeſt vnquã. Saltẽ placandus Deus, qui ſæpè iratus morbos infligit, nec ſanat niſi anima perſanata. Præterea curandũ eſt vt ſimus in ſtatu gratiæ, vt mereri per ea, quæ patimur, poſſimus. *Morbum de manu Dei accipe. Medicorũ munus. Nota, medice. Reconcilia te Deo vt mereri poſſis.*

Oratiuncula breuis.

In manibus tuis ſortes meæ: ſiue viuimus ſiue morimur, tui, bone IESV, *ſumus. Fiat voluntas tua. Sana me, Domine, & ſanabor; ſaluum me fac & ſaluus ero. Tu enim mortificas & viuificas, non medicorum opera; tu deducis ad inferos, & reducis.* Pſal. 20. Rom. 14. Matth. 6. Ierem. 17. 1. Reg. 2.

O Pater æterne, tuum hoc eſt donum, & tua voluntas ſancta, beneplacens, & perfecta. Benedico te, & me reſigno ad omnia quæ tibi, ô Sapientia æterna, placuerint in tempore, & in æternitate. Vel dic cum ſancto Andrea:

O bona crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata, ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit: Vel.

Paratum cor meum Deus, paratũ cor meum: ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ: ego lutum, tu figulus: fac de me vas in honorem, ad gloriam nominis tui; vre, ſeca, ſed parcas in æternum. Pſal. 56. Pſal. 115.

O Pater, ô medice animæ meæ, tu noſti quid expediat: omnia in vero iudicio feciſti, ex amore ſummo, & ſapientiâ æterna; tu quæſo mecum ſis in tribulatione vt in patientia poſſideam animã meam: ſi de manu tua bona ſuſcepimus, mala quare non ſuſtineamus momento vno pro gloria æterna: Si oportuit te pati, & ita intrare in gloriã tuam, nonne & me ſine murmure & querela oportet? cùm tot peccatis meis infernum promeritus ſim, cùm tanta mihi paraueris? cùm amore mei, ô immenſa bonitas & infinita charitas dignatus ſis mori! ALIA. Iob. 2.

Perfectius eſt aduerſa tolerare patienter, quàm bonis operibus inſudare. Bonau.

Melior eſt patiens viro forti. Prou.16.

Hic vre, hic ſeca, hic nihil mihi parcas, vt in æternum parcas. Auguſt.

Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam. Luc.24.

Peccaui, & verè deliqui, & vt eram dignus non recepi. Iob.37.

Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat. 1.Reg.3.

Sicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat. 1.Mach.3.

Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium tuum. Pſal.118.

Quis mihi det, vt qui cupit affligere me dolore, ipſe me conterat, ſoluat manum ſuam, & ſuccidat me! Iob.6.

In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus. 2.Cor.6.

Domine, vim patior, reſponde pro me. Iſaiæ 38.

Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Matth.26

Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Pſal.33.

Miſerere mei Domine, quoniã infirmus ſum; ſana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea: ſed tu Domine, vſquequo? Pſal.6.

Verumtamen Deo ſubiecta eſt anima mea; quoniam ab ipſo patientia mea. Pſal.61.

Septimò, vt propiùs ad mortem te præpares; Primò, de temporalibus maturè prudenterque diſpone, teſtamentum æquum & perſpicuum, concordiæ & non litium ſeminariũ conde, atq; in eo primò animæ tuæ rationem habe; aliena reſtitue, tranſmitte per manus pauperum, quæ potes in terram viuentiũ, vt ibi viuere & recipi poſſis in æterna tabernacula, etſi meliùs longè eſt largiri cũ frui iis potes. Siquidem illud eſt quaſi ſtomacho pleno quod non adlubet edulium, aut non potes deuorare, amico proiicere, aut rapienda mox ab hoſte, potiùs permittere, vt amici nobis ſeruent, & hoc pro gratiâ illis imputare: vel aliena, cùm ampliùs poteſtati illius, qui verus dominus eſt, reſiſtere non potes, tandẽ illi permittere aut reſtituere, & quidẽ inuito animo. Vide an nõ rem exponat ſimile hoc. Pia legata, quę relinqui propterea poſſunt, ſunt, legare pauperi, alimenta Religioſis viris, ſtudioſis, dotem pauperibus, Eccleſiæ ornamenta & inſtaurationem, &c. Si eam tibi dignatus fuerit Dominus dare mentem, vt è terris excedens, hæredem cum relinquas, benè tecũ agetur; erit enim ſic tibi hęres, & tu illi, ac tu tibi etiam ipſi ſimiliter, ſi, cùm in cælo perpetuò laudaturum Dominum te ſperes, hic, vbi ſæpiùs offendiſti eum & inhonoraſti perituris bonis, laudatorẽ diuinæ bonitatis tibi ſufficias; & ſi propugnatorẽ regni eius, ac zelatorem honoris illius,

Teſtamentum conde

Eleëmoſynę pręmittendæ.

Similia.

Legata pia.

Hæredem Iesvm *quis faciat*

Subſtitue in terra qui pro te Deũ laudet. illius, quidque propaget fidem apud infideles, & apud hæreticos, pro te in terra relinquere Dei gratia poſſis, erit vnde in æternum gaudeas. Fiet hoc per poſteros ſtirpis tuæ, quos ſi bonis auges, augere poſſes & veris bonis, & ad pia aliqua exercitia obligare, ſed eleëmoſynas, ſeu menſtruam communionem, vt hereditas nõſit profana, ſed ſacra. Vides legari & relinqui poſteris amplas hereditates, vt inſignia gerant gentilitia, vt nomen; vides inſtitutos ſacros Ordines militares, id eſt poſſeſſiones aliquas, eo fine nobilitati tributas, vt ad exercitia pietatis inuitarentur dulci eſca vtilitatis; cur non imitari potes in tua familiâ, & æmulari, vt ſic etiam pietatis ſtudium foueas in poſteris? Religioſus quid aget? plurima habet; quærat ille quos conuertat ad Dominum, quærat qui loco ſuo militent Deo, eoſque nõ tam inuitatione, quàm exemplo & oratione. Quem vel quos hoc modo nactus fuerit heredes, vt ſic loquar, iuuet quoad fieri poteſt, in ſpiritu; efficiatque vt ipſi eandem probent tibi, & ſibi in aliis iuuandis induſtriam.

Religioſi officium.

Inimicis lega. Octauò, legare etiam ſuadeo ſuo aduerſatio, atque ita oſtendere ſeſe filium Patris ſui cæleſtis, ad quem properat æger; quia plenitudo legis, dilectio eſt.

Rom. 13.

Officeis etiam prouidendum. Nonò, inter temporalia ſunt munia quæ geſſimus, de quibus videndum, vti & de bonis, vt iis relinquantur, qui idonei ſunt, quibuſque ſit ad ſalutem, futurum, non vitiorum aut improbitatis auxilium.

Item liberis. Decimò, de liberis eorumque educatione maior ſit cura, & quoad humanitus licet, prouide vt ſalui æternùm ſint.

Inimicos concilia. Vndecimò, animam ſincerè per confeſſionem etiam generalem, ſi ita videtur confeſſario, expurga tempeſtiuè. Si quos habes aduerſarios, concilia tibi; & à tuis etiam veniã pete ideoque per Canonem ſancitum, vt medicus tertiò nõ reuertatur ad eum, qui animæ ſuæ curam deſpicit.

Communio ſacra publicè petenda. Duodecimò, ſacram communionem etiã publicè poſtula, neque videndum quid homines dicant, ſed quid animæ tuæ expediat, domus tua ardet, & non vis publicè aquam adferri? corpus ægrum eſt, nec pudet medicum ſæpiùs te viſitare: anima ægra eſt, & veremur, ne accedat medicus & paſtor animarum noſtrarum, & ſalus & liberator noſter? At dicẽt te mori. Ad hoc natus es, & viuis. Aliud ſæpè in Principibus, à quibus ſalus publica penderet: verùm in priuatis nónne videtur eſſe hoc, erubeſcere Dominum confiteri, quem paulò pòſt optabis, vt te confiteatur coram curia ſua, & in die iudicij coram orbe terrarum?

Sacra Vnctio maturè potenda. Decimotertiò, ſacram Vnctionem poſtula, dũ adhuc vigent ſenſus, & reſponde, ſi potes, ad preces Eccleſiæ: ſaltẽ ad ſin-

ad ſingulas vnctiones contritionẽ excita; poſt eam gratias age,& proteſtationem ſequentem tibi legi cura. Obſerua autem,vt dixi, diligenter occaſiones,quas habes promerẽdi Indulgentias,ratione ſacrorum numiſmatũ, aut congregationis, ſiue Ordinis cui adſcriptus es. Magna certè imprudentia eas negligere; & quas breui oratione redimere poſſes,pœnas grauiſſimas malle experiri. Neq; ſolùm ipſe Indulgẽtias promerearis;ſed pete, vel cura peti ab aliquo, vt defuncto mox,ratione numiſmatũ,tibi applicent Indulgentias. Neque ſemel confeſſus omitte occaſionem iterum confitendi,non ex ſcrupulo,ſed deſiderio placendi Deo,& augendi gratiam. Imò quando copia eſt confeſſarij, etiam quotidie confiteri poſſes,& maximè ſub exitum vitæ. *Indulgentiis vtere.* *Confeſſio eſt frequẽtanda.*

Decimoquartò,obſerua,ſi Religioſus es,Primò,obediẽtiam in omnibus accuratè:gratiſſimum id Deo ſacrificium. Secundò nunquam querere de vllo; nihil particulare pete, nec admitte, ſed paupertatem exerce;reculas verò omnes Superiori reſigna tempeſtiuè. Tertiò,caue,quoad potes,ne denuderis;& hoc à Domino poſtula amore caſtitatis. Quartò,roga eos, qui te viſitant, vt pro te officia faciant, quæ prçſtate nequis:vt ſunt,meditari,cantare,ſalutare Ven. Sacramentum,officia humilia obire. Quintò, quotidie, ſi potes,confitere,& communica poſt generalem confeſſionem, & Litanias recita Sanctorum, vt eos vitæ comites & duces habeas. Sextò,pete,vt aliquid pii legant qui accedunt, maximè ex Euangelio, & de beata vita hoc modo tibi & iis conſules,& zelum exercebis. Septimò,à ſacerdote, vel Superiore,manè & veſperi pete benedictionem, quemadmodum etiam quoties potio ſumenda eſt. *Obedientiam exerce & paupertatem.* *Pete qui ſuppleant ægri munia.* *Nota.*

Decimoquintò,cura,vt in conſpectu tuo ſint piæ imagines,maximè Crucifixi,& ſæpè cor eleua in Deum. D. Auguſtinus ſeptẽ Pſalmos pœnitentiales deſcriptos habebat, & magna cum contritione recitabat,dicens: Non oportere Chriſtianum ſine pœnitentia mori. Poſt hæc,imo citiùs, excludunt aliqui à ſe vxorem,& liberos,vt ſe totos cum Deo iungant,vt ſęcularium omnem curam deponant. Quẽ enim, ait Augu. morbus vrget,& pæna terret, ad verã vix veniet ſatisfactionem;maximè,cùm filii,quos illicitè dilexit, ſint præſentes;& vxor,& mundus ad ſe vocet. Admitte verò tũ viros verè bonos,qui te ad mortem iuuent comparare: cõmitte iis animam tuam, qui non negligunt ſuam. Sanè laudabile omnino eſt:immò oportet hos non otioſè adeſſe,ſed dum tempus eſt mercatus,ſuauiter actibus virtutum,quoad res patitur,infirmum ditare & confirmare. Sanctos fingere potes lecto adſtare, imprimis B. Virginem ſolatiũ noſtrũ: *Pœnitentiam age cum B. Auguſtino. Secularia dimitte. Auguſt de pœn. diſt. 7 c. Nullus. Qui advocandi. Pete ab iis vt præeant in actibus virtutum.*

 & obſer-

Nota. Sancti circa lectum ſtatuendi. & obſerua diligenter, piamq; conſuetudinem, dum ſanus es, indue, quotidie dum incumbis, ſic Sanctos quaſi præſentes compellandi, & iis te commendandi.

Decimo ſextò, prouide, vt aliquis te ſæpiùs aquâ benedictâ adſpergat, & tibi pias iaculatorias in aurem pronuntiet, quibus refocilleris; etiamſi vitæ ſignum non dederis. Sæpè enim eiuſmodi rebus infirmi valdè recreantur, etiamſi id ſignificare nequeant. Exercendi verò potiſſimùm actus fidei, ſpei, & maximè charitatis & contritionis: ideoque Symbolum Apoſtolorum conuenit recitare, & pias aſpirationes & ſuſpiria ad Deum, maximè ex Pſalmis collecta, quæ amorem in Deum, fiduciam & contritionem ſpirent, vel ſimiles affectus: vtpote, *Credo, Domine, in te ſpero & diligo te ex toto corde meo, ex totâ animâ meâ, ex totâ mente meâ, ex totis viribus meis. O vtinam te numquam offendiſſem! ex te enim & in te & pro te ſunt omnia.* *Iaculatorias tibi curâ inclamari. Matth. 5. Contritionis vſus.*

Nota, vtile eſſe, dum quis ſanus eſt, quotidie dum incumbit, imaginari crucifixum ante ſe; & deoſculari Primò, pedes cum Magdalena, ex amariſſima & amoroſa contritione; Secundò, genua, quæ pro me flexit Rex regũ in incarnatione & paſſione, & fidei actum exercere; Tertiò, manus, quas aperuit, & impleuit nos benedictione; ac ſpem erigere, Quartò, cor ſeu latus, & amoris actus elicere toto corde, & proiicere ſe in manus eius, cũ plena reſignatione; votaque, ſi Religioſus es, renouare. Nota diligenter, quia hoc, etiamſi alia deſint, ſolum ad ſalutem ſufficit. *Exercitiũ pium deoſculari Chriſti vulnera.*

Præterea, aduerte valdè expedire quotidie dum incumbis, paciſci cum Domino, & proteſtari vt omnes reſpirationes ſint & amoris aſpirationes, & tui oblationes, fiant in vnione omnium meritorum Chriſti Domini; vti & petitiones eorum quæ ad ſalutem neceſſaria; & gratiarum actiones pro innumeris beneficiis, vt ſic in via incipias, quod perpetuò facturus es in patria. Deniq; cùm venerit tempus, propter quod omne datum eſt, vnde pendebit æternitas, ſtudeat vnire ſe Deo infirmus. & ad hoc, Crucifixum ſtringat, ſi poteſt, animo & brachiis, & candelam altera manu teneat, & corde dicat: *Diligo te, IESV, toto corde meo,* in eoque actu perſeueret *in finẽ & in æternum. Amen,* Sæpè autem repetat, *Ieſus Maria*, vt indulgentiã obtineat. *Proteſtatio pia. Hora mortis.*

De tentationibus in morbo occurrere ſolitis & remediis.

Prima eſt fidei: quæ cotemnenda, nullaque argumenta ad-

admittenda, ſed ad Deum oculi attollendi, dicendo magno cum amore: *Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Credo quod Eccleſia credit, prætereà age, ſed contemne.* Secunda, deſperationis, ſed confeſſione facta ſincerè, & contritione excitata, nihil eſt quòd anxii ſimus; plures pro nobis quàm contra nos, & cùm impoſſibile ſit hominem præterita omnia in memoriã reuocare, præſentes circumſtantias omnes ob diſtractiones atq; ignorantias attendere; futura verò minimè prouidere queat, diſce hoc vnum requiri, vt bona fide, & ſincerè quæ ſalutis ſunt agas, & cætera diuinæ bonitati cõmitte. Superuacua anxietas nunquam prodeſt; tum quia magis perturbat, minuitque ſinit ea quæ ſalutis conſiderare; tum quia Dei iuſtitiæ fieri ſatis à nobis non poteſt vnquam, ſed confidere bonitati eius oportet; tum deniq; quòd poſtquam omnia fecerimus, æquè inutiles ſerui ſimus, idq; ſolùm habituri, oportere nos in bona fide, & morali diligentia acquieſcere. Secundò, cogita Angelũ Cuſtodẽ, ſanctos Patronos quaſi adſtantes, ante omnes B. Virginẽ ſolatium noſtrum, certoque loco, ſicut lectulum Salomonis ſepteaginta fortes ambiunt, eoſque inuoca; Tertiò, vel maximè Dominum præſentem, & ſæpè eiuſmodi iaculatoriis vtere, quæ fiduciã prouocent: vt ſũt, *Anxietas inutilis.* *Scrupulos contemne.*

In te Domine ſperaui, nam confundar in æternum.

Etiamſi occideris me, Domine IESV, *in te ſperabo.* Pſal. 30.

Recordare, Domine, quanto pretio emeris me, tuus ego ſum, ſaluum me fac.

O IESV, *ſpes mea & refugium, ſuſceptor meus, & liberator meus, etiamſi conſiſtant aduerſũ me caſtra, non timebit cor meum: ſi conſurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.* Pſalm. 26.

Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam. Pſalm. 72.

In te confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus. Pſalm. 26.

Alia eſt tentatio præſumptionũ & illuſionum, quibus reſponde cum Propheta: *Ego autem mendicus ſum & pauper* [quaſi dicat, Nõ ſum ex iis quibus iſta debentur] *Dominus ſollicitus eſt mei; videbo Dominũ in terra viuentiũ, & id ſufficit mihi.* Præſumptio verò, ſi cogites, quòd neſciat homo, amore an odio dignus ſit, Dei gratia reprimi poteſt. Deus bone, cum iuſtitiæ noſtræ ſint vt pannus menſtruatæ, cùm de peccato propitiato iubeamur à Spiritu ſancto non eſſe ſine metu, cùm agatur de æternitate, cũ nihil ex nobis quaſi ex nobis poſſimus, ac proinde quaſi furtum & rapina ſit, ſibi præfidere; quis iamiam ad iudicem trahendus, peculatus aut maieſtatis læſæ crimine ſe *Tentatio præſumptionis.* Pſal. 39. *Eccli. 5.* *Remedium illius.*

obſtrin-

obſtringet,& Dei iudicis ſui gloriam rapiet ſibi,de qua dixit, Gloriam meam alteri non dabo.dic igitur cum Propheta:

Pſal.113. *Non nobis,Domine,non nobis,ſed nomini tuo da gloriam.*
Omnia in nobis operatus es,Domine.
Luc.17. *Cùm omnia feceritis,dicite Quia ſerui inutiles ſumus.*
Pſal.8. *Domine,quid eſt homo,quòd memor es eius,& filius hominis, quia reputas eum?*

Vtile amplecti Chriſtum Dominum, ſtringere illum amoroſis amplexibus,& ſic in manus eius commendare ſpiritum ſuum.

Exercitium ſeu proteſtatio moribundi crebro vſurpanda, vtilis etiam in communione.

O Pater miſericordiſſime,Deus meus, ecce ego creatura tua,redempta ſanguine vnigeniti Filij tui ad te venio creatorem meum, ob quem creatus ſum, ob quem vixi & viuo, propter quem & in quo mori cupio:venio ad te,ad quem millies ſuſpiraui: ad te venio,quies mea,ſpes mea, amor meus & deſiderium oculorum meorum,
Pſal. 119. *Hei mihi quia incolatus meus prolongatus fuit, multum incola fuit anima mea!*
2.Tim. 4. *Vtinam cum Apoſtolo dicere poſſem:Bonum certamen certaui,curſum conſummaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddes mihi iuſte iudex,O pater miſericordiarum,quamuis ſim minimus diſcipulorum tuorum,& indignus vocari filius;venio tamen magna cum fiducia & me proiicio in amplexus & brachia ſuauiſſimæ prouidentiæ & miſericordiæ tuæ, & quantum poſſum doleo quòd te aliquando dereliquerim fontem aquæ viuæ,à te receſſerim vita mea, tui oblitus fuerim, qui omni momento quaſi omnium oblitus eſſes, numquam oblitus es mei.O vtinam nunquam te offendiſſem Deus meus,Deus cordis mei,& omnia! Suſcipe hoc ab intimo cordis mei ardens votum ac deſiderium meum;dum tempus eſt miſerendi reſpice ad illud, & miſerere mei.Scis enim,Domine,vti ſpero,quia amo te plus quàm me & ſuper omnia,quæ ſunt,& eſſe poſſunt.Scio cui credidi; ſcio quia potens es depoſitum cordis mei ſeruare,ſcio quia cor contri-*
2.Tim.1. *tum & humiliatum non deſpicies, neque vmquam proiicies me: paratum enim cor meum Deus,paratum cor meum, facere voluntatem tuam. Etiam ſcio quòd diligentem te diligis, & ad eum venies,& accipies ad te ipſum.O felix hora! quando liberabor de corpore mortis huius?quando veniam ad te, quando venies, & conſolaberis me?*

Gratiarũ actio. *Priuſquam autem abeam,& ampliùs nõ ero,cupio diuinæ bonitati tuæ in hac lacrymarum valle toto corde incipere offerre ſacrificium laudis,vt deinde oſtendas mihi ſalutare tuum.Gratias igitur ago tibi infinities, quòd ab æterno dignatus fueris de me*

amanter

amanter cogitare,& in tempore creare ad imaginẽ tuã;&,quando venit plenitudo temporis, redimere me ſanguine vnigeniti filii tui,toties mihi parcere,& de tenebris peccati toties me reuocare in admirabile lumẽ tuum.Quid verò ô Domine Iesv,*pro laborioſâ vitâ & acerbiſſimâ morte tuâ,& quod toties me paſcere dignatus es corpore & ſanguine tuo;quid tibi inquam retribuam,ſponſe & deliciæ animæ meæ ? abyſſus nihili mei & miſeriarum mearum inuocat abyſſũ bonitatis & immenſæ caritatis tuæ,in voce quinque cataractarum & vulnerum tuorum:in his enim tota ſpes, & fiducia mea:propter hæc , & oceanum miſericordiarum tuarum, etiamſi occideris me , in te ſperabo , & ſcio, ô caritas immenſa, Deus meus non confundes faciem meam,ſed adorabo ad templum ſanctum tuum,& confitebor nomini tuo.* Spei actus.

Quis mihi tribuat,vt cum omni affectu cæleſtis curiæ, omniũ Angelorum,& Sanctorum, & ſanctiſſimæ Matris tuæ te pro hoc arctiſſimè amplecti poſſem; vt omnium eorum & omnium creaturarum vocibus te laudem atque glorificem?Accipe,Domine,cor meum in holocauſtum,quod iam totum tibi præſto : oculos meos, vt te ſolum videant,& in te omnia;aures meas , vt non audiant vocem alieni;linguam meam,& labia mea,vt cantent tibi,gloria mea;manus meas,vt amplectantur te;pedes meos , vt gradiar ad te:omnia denique membra & oſſa mea dicant:Domine,quis ſimilis tibi?Benedicat anima mea Domino , & omnia quæ intra me ſunt,nomini ſancto eius:benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius.Abnego omnia terrena hæc,quia in te vno omnia habeo,abnego me,quia tuus ſum ego, & viuo ego iam non ego;viuis autem in me Chriſte Iesv, *& diligo te ex toto corde meo,ex totâ animâ meâ,ex totâ mente mea,ex totis viribus meis.Pone ergo me iuxta te,& cuiuſuis manus pugnet contra me: & ſi fortè contingeret vi morbi,aut hoſtis fallacia , aliena ab his me cogitare,vel loqui,ea reuoco & abrenuntio, & conteſtor coram te,Deus meus,& te,ô Beatiſſima mater mea, & virgo Maria,& vobis,Angeli mei, quia in fide Romana Catholica viuere volo & mori:& in Deo ac Domino meo ſolo confido & meritis eius , & amo illum ſuper omnia toto corde, totâ anima mea , & vſque ad extremum ſpiritum amare volo. Quidquid contra hæc tã ſanctè, tantaq; voluntate concepta mihi hoſtis ſuggeſſerit, nullum cupio eſſe in tribunali tuo,ô Deus,atque omnino abominor,execror , & abiuro,hocq; teſtamentum in die iudicii ſolum volo validũ eſſe, quod paratus ſum ſanguine meo ſignare,pro quo,& pro te , ô Deus meus , millies mori opto,vt tibi viuam,cui omnia viuunt ; tibi moriar,dulciſſime* Iesv,*qui amore mei dignatus es mori.*

Charitatis actus. Oblatio ſui. Abnegatio ſui. Proteſtatio.

Sen-

Sententiæ, quibus fidei, ſpei & charitatis actus exercere poteſt infirmus, & ſanus.

FIDEI ET FIDVCIÆ ACTVS.

Iob.19. *Scio enim quòd Redemptor meus viuit, & in nouiſſimo di de terra ſurrecturus ſum. Et rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. & adde huic & ſequentibus: O vtinam te nunquã offendiſſem!*

Marci.9. *Credo tibi Domine, & in te ſpero, & toto corde diligo.*

Iſaiæ 54. *Noli timere, quia non confunderis, neq; erubeſces, non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſcêris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis ampliùs.*

Ierem.29. *Ego ſcio cogitationes, quas ego cogito ſuper vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis: vt dem vobis finem & patientiam, & inuocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & ego exaudiam vos: quæretis me, & inuenietis.*

Ezech.33. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat.*

Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

Iſaiæ 50. *Iuxtà eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus meus, auxiliator meus, qui eſt quis condemnet me?*

Ioan.5. *Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

ACTVS SPEI.

Sap.3. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget eos tormentum mortis.*

Ioan.11. *Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum.*

Iſaiæ 35. *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate. Dicite puſillanimis: Confortamini, & nolite timere.*

Rom.5. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.*

4.Reg.6. *Noli timere; plures enim nobiſcum ſunt, quàm cum illis.*

Pſalm.90. *Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.*

Ibid. *Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.*

Pſalm.22. *Et ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.*

Inuoca

Inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me Pſal. 49.

Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius, vt eruat à morte animas eorum. Pſal. 32.

Iuxta eſt Dominus his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Pſal. 33.

Multæ tribulationes iuſtorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Ibidem.

In Deo ſalutare meum, & gloria mea: Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt. Pſal. 61.

Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quoniam nullus ſperauit in Domino & confuſus eſt. Eccli. 2.

Noli timere, ego ſum primus & nouiſſimus, & viuus, & fui mortuus. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Apoc. 1.

Non eritis vos qui dimicabitis, ſed tantummodò confidenter ſtate, & videbitis auxilium Dei ſuper vos: credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis. 1. Par. 20.

ACTVS CHARITATIS.

Quid enim mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram? defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Pſalm. 72.

Clamaui ad te, Domine, dixi: Tu es ſpes mea, portio mea in terra viuentium. Pſal. 141.

Pars mea Dominus, dixit anima mea, propterea expectabo eũ. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum Thren. 3.

Tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domum Dei. In voce exultationis & confeſſionis ſonus epulantis. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? ſpera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; ſalutare vultus mei, & Deus meus. Pſal. 41.

Conuertere anima mea in requiem tuam; quia Dominus benefecit tibi, quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapſu. Placebo Domino in regione viuorũ. Pſal. 114.

Non moriar, ſed viuam, & narrabo opera Domini. Pſal. 117.

Siue viuimus, Domino viuimus; ſiue morimur, Domino morimur: ſiue ergo viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Rom. 14.

Saluatorem expectamus Dominum noſtrum IESVM *Chriſtum qui reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ.* Phil 3.

Ecce Deus ſaluator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Iſaiæ 12.

Ecce

Matth.28 *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi.*

Exod.23. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in via, & introducat in locum quem paraui tibi.*

Pſal.41. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus.*

Apoc.21. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quia prima abierunt.*

Pſal 30. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!*

Pſal.83. *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.*

Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuũ. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Sap.12. *Quàm bonus & ſuauis eſt Domine ſpiritus tuus!*

Sap.11. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti: parcis autem omnibus, quoniam tua ſunt Domine qui amas animas.*

Matth.11 *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Ioan.3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.*

Ierem.31 *In charitate perpetua dilexi te, attraxi te miſerans.*

Abacuc.3 *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo* IESV *meo. Dominus Deus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorũ, & ſuper excelſa mea deducet me uictor in pſalmis canentem.*

Gal.2. *Viuo ego iam non ego: viuit verò in me Chriſtus Quod autem viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.*

CAPVT XXVII.

Contemplatio de Vitâ æternâ, fine ac termino vitæ noſtræ.

PRAELVDIVM I. Contemplare cælum apertum, vt ſuprà in imagine de æternitate vel gaudio virtutis expreſſum habes.

II. Roga Dominum, vt viam tuam ſic dirigat, vt ad vitam peruenire poſſis ac creationis tuæ terminum, & illum æternùm amare.

PVNCTVM. I. Conſidera cælum apertum, & in terrâ ſimul

ſimul deſpice ſtudia omnium hominum, velut ex editiſſimo monte, & vide, quæſo, quorſum tot labores ſuſcipiantur, tam longa ſtudia totque pericula adeantur. Videbis aliquos ex iis quaſi ſpecioſâ viâ tendere gradatim ad honores, etiam ad regna ſuſpirare: tum conuerte ad cælum apertum oculos, & vide, & ſi vis audi Dominum dicentem, Veni tu & poſſide regnum tibi paratum à conſtitutione mundi, quod quotidie tibi aduenire poſtulas. Quale autem id regnum, attende. Primò, quàm frequens populo, in quo ſinguli vt Reges, vt iubilantes & triumphantes. Numquid (ait Iob) eſt numerus militum eius? Aſpice & obambula Angelorum choros, & totidem ab alterâ parte Sanctorum, neque hos vt ciues tantùm intuere, ſed ſingulos vt Reges prudentiſſimos & ſapientiſſimos & potentiſſimos eſſe certò ſcias, & latiſſimè dominari. Vnde dicitur Rex regum Chriſtus IESVS, ipſeque promittit tibi dicens: Qui vicerit, poſſidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. & rurſum; Qui vicerit dabo ei ſedere mecum in throno meo, ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius: tu credis hæc, & piger es?

Matt. 25.

Iob. 25.

Apoc. 3. 21

Secundò, vide quanta bona regni illius. poteſtas ibi ſummà: omnia enim quæ volunt Beati, verbo vno faciunt ac habent. vincenti, ait Dominus, ac cuſtodienti vſque ad finem opera eius, dabit Dominus poteſtatem ſuper gentes. Deinde quantæ illic opes, deliciæ, diuitiæ! Et hæc ibi omnia pura, ſincera, ſine vllâ miſeriarum commixtione: hîc verò, quanta mala omnibus permixta bonis! Ne diadema reſpicias (ait Chryſoſtomus) ſed curarum tempeſtatem: neque purpuram intuere; ſed animam, ipſâ purpurâ magís nigreſcentem. non ita corona caput circumdat, ſicut animam ſollicitudo. Jam vide quanto nihilominus ſtudio per fas & nefas terrarum regna petantur, & tu etiam regno cælorum vim facito, & cum violentis rapias illud. Ac præ-

Apoc. 2.

Regnum vobis eſt promiſſum

Hom. 66. ad pop. Antioch

Matth. 1.

Matth.1. pone illud omnibus, & primùm quære, perque pau-
Matth.6. pertatem ſperne omnem mundi gloriam & vanitatem. *Exerce hic fidem*, vt ſup. vel *Aſpira*, vt ſuprà. *Hæccine firmâ fide. &c.*

PVNCTVM II. Conſidera Primò, Quantâ in hoc orbe homines cupiditate ſoliti aurum congregare, & tamen numquam dicere, Sufficit: tu verò aſpice in ciui-
Tob 13. tate Dei tui quantæ tibi paratæ ſint opes. Portæ Ieruſa-
Apoc.21. lem ciuitatis tibi promiſſæ ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius. Et erit, ait Apoſtolus, ſtructura eius ex lapide iaſpide, ipſa verò ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo, & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata, & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis, & plateæ ciuitatis aurum mundum, & hæc tibi parata ſunt & oblata. Si vera hæc credis, eia, vbi es auare, & conquiſitor huius ſæculi? cur eligis terram mortuorum pro terrâ viuentium? terræ fruſtum pro ciuitate Ieruſalem; *Credo Domine*, vt ſup. p. 7.

Conſidera Secundò, quomodo Dominus Deus, vt animum auocaret humanum ab opibus coaceruandis, comparauerit regnum cælorum theſauro abſcondito in agro; quem qui inuenit homo, abſcondit, per humili-
Theſaurus eſt nobis promiſſus. tatem ſcilicet, & præ gaudio illius vadit, & emit agrum illum. Theſaurus autem ille eſt diuinitas, & abyſſus omnium bonorum parata vt eâ perpetuò fruaris. Rurſum id comparauit margaritæ, quam vt quis emere valeat, neceſſe habet omnia diuendere. Si igitur in vnâ margaritâ, in vno theſauro omnia habeas in æternum parata bona, & hoc verè credis, cur, quæſo, Chriſtiane, turbaris erga plurima, cùm vnum ſit neceſſarium? cur momentaneas opes æternis & præparatis præponis? *Exerce hic fidẽ*, vt ſ. vel *Aſpira*, vt ſ. p. 8. *Hæccine firmâ fide.*

PVNCTVM III. Conſidera alios tendere incredibili inſaniâ & cupiditate ad voluptatem, & pro eâ honores, opes, Deum repudiare; tu verò aſpice qualem habeas

beas tibi paratum in cælo paradiſum, & quæ in eo parauit Pater miſer cordiarum, & Deus totius conſolationis ſolatia, & liquidiſſimas voluptates, de quibus Pſalmiſta: Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. verba expende. Cibabit illos Dominus pane vitæ & intellectus, & aquâ ſapientiæ ſalutaris potabit illos. Conſidera ibi nuptialem & regalem verè cænam tam opiparè paratam, adeò vt Iſaias dicat: Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt eum. Appende in ſtaterâ iuſtâ & non mendaci momentanea mundi ſolatia, & æterna; & intra in gaudium Domini tui. Vt meliùs autem intelligas bonorum cæleſtium magnitudinem, collige te & expende, quæ ſit longitudo, latitudo, altitudo, profunditas eorum. Longitudo: erunt enim æterna, erunt ſecuriſſima & immutabilia bona, numquam totâ æternitate quidquam aut tempore aut vſu tædio iis detrahetur. Latitudo verò tanta eſt, vt omnem omnino complectatur felicitatem, quam intellectus concipere, aut voluntas poteſt deſiderare. Intellectus enim replebitur Deo summo bono: iuxta illud: hæc etenim eſt vita æterna, vt cognoſcât te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM Chriſtũ. Cùm igitur obiectũ ſit nobiliſſimum, & clariſſimè videatur, & in eo ſint bona omnino omnia, & ardentiſſimè ametur; ſummũ omnino gaudiũ eſſe oportet. Voluntas certè gaudio implebitur & ſatietate incomparabili, vt nihil vltrà deſiderare poſſit; ſed erit plena Deo quaſi deificata. Memoria verò plena erit bonis omnibus, ex recordatione Dei, quem vnũ cogitabit, & ex recordatione beneficiorũ illius. Imò ex hac viſione ſimilis erit Deo anima: memoriâ enim cum lumine gloriæ quaſi ſimilis Patri, ſe ab æterno ex vi luminis cognoſcẽti; verbo intellectus ſeu viſione, Filio ſeu Verbo Patris; voluntate & amore anima Spiritui ſancto aſſimilatur. Nec ſolũ hæ potẽtiæ implebuntur gloriâ Dei, ſed inſu-

Voluptas in cælo quanta. *Pſal. 35.* *Iſaiæ 64.* *Magnitudo cæleſtiũ bonorum quomodo ſciatur.* *Longitudo* *Latitudo* *Ioan. 17.* *Anima ſimilitudinẽ habet SS. Trinitatis.*

per accedent perfectiſſima ſenſuum omnium oblectamenta. Iuſti omnes fulgebunt ſicut ſol, & videbunt ciuitatis ſanctæ Jeruſalem ſplendorē: audient perpetuū illius Alleluia, & ſuauiſſimam ſymphoniam, audient laudes Dei perpetuas, & ſuas, iuxta illud: Euge ſerue bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, intra in gaudium Domini tui: guſtabunt verò, & videbunt quàm ſuauis ſit Dominus, & panem Angelorum omne delectamentum in ſe habentem comedent in regno Dei: odorabuntur thymiama ſuauiſſimum; & quòd ad tactum attinet, nullâ aſperitate ille offendetur, ſed ſuauiſſimè, abſque turpitudine afficietur. Sublimitas verò gaudiorum cæleſtium quanta ſit, attende ſedulò; nullum certè creatum iis comparari poteſt; gaudent enim beati de Deo, eiuſque bonis; Primò, intrinſecis, potentiâ, ſapientiâ, bonitate, liberalitate, dulcedine ac pulcritudine eius; Secundò, extrinſecis, id eſt de gloriâ, quæ illi prouenit ex dignitate humanitatis Chriſti, ex B. Virginis perfectione, ex Eccleſiæ triumphantis ſplendore, ex fortitudine & victoriâ militantis, denique ex pulcritudine vniuerſi. De his bonis Dei ſui gaudet anima magis quàm ſi ſua eſſent; amat enim illum plusquam ſe totis viribus ſuis. Poſtremò vide quæ ſit profunditas theſauri cæleſtis, & abyſſi bonitatis; infinita planè eſt, atque ita ex ea, totâ & longiſſimâ æternitate ſemper nouâ Beatis gaudia dimanabunt. Hæccine vera ſunt, & vt talia apprehendo? & ſic viuo, ſic omnia præ iis deſpicio? Excita in te affectum amoris, & gaudium vt ſuprà, vel vt infrà pag. 1111. O JESV O IESV, &c.

Matth. 25.

Altitudo gaudiorum

Anima gaudet de bonis Dei vt ſuis.

Profunditas gaudiorum.

PVNCTVM IV. Conſidera Primò, non vnum regnum cælorum te in cælo habiturum, ſed totidem quot ſunt ſanctæ ac beatæ animæ; etenim illæ ſunt verè cæli, & ſedes Dei præſtantiſſimæ; ita verò de illarum felicitate ac tuâ ipſius ob charitatem perfectam lætaberis. Aſpice igitur agmina Angelorum & Sanctorum,

rum, gratulare illis de numero & tibi, zeloque animarum ſuccenſus, attende quomodo cum Angelo tuo Cuſtode eumdem augere ſtudeas & ſtudebis. Secundò conſidera, quos illic notos & patronos iam habeas: contemplare, vt intentis oculis luctantem in mari ipſi in portu apertis vlnis expectent, inuitent, & celeuſma cantare incipiant.

PVNCTVM V. Conſidera quanta ſit corporum beatorum futura excellentia: fulgebunt enim iuſti ſicut ſol in regno Patris eorum, eruntque abſque rugâ, & abſque maculâ. erunt impatibilia, neque eſurient, neque ſitient ampliùs: erunt agilia, & ſicut ſcintillæ in paradiſo Dei ſui diſcurrent: erunt ſubtilia, & ſicut Angeli Dei. Poſt hæc expende quàm æquum ſit exiſtimare Patrem cæleſtem filiis & electis ſuis immenſa bona in patriâ præparaſſe; cùm in hoc mundo tanta tribuere reis, exulibus & blaſphemis dignatus ſit. Deinde Dei Filii infinitam charitatem, qui precio tanto redimere nobis ea voluerit, & Spiritum ſanctum de cælo mittere. Obſtupeſce ad hæc, ô anima mea, ſuſpira ad illum, & dilige eum ex toto corde tuo; & ſic ratiocinare: Veráne hæc gaudia ſunt, & ego torpeo? Falsáne mundi, & ego ea ambio? Quid me facere pro æternis oporteret, ſi ea crederem, ſi ſperarem, ſi amarem? fidem excita viuam & amorem. *Matth. 13. Epheſ. 5. Corporis beatitudo qua.*

ORATIO.

O IESVS, ô IESV, ô IESV, *quàm dilecta tabernacula tua, quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria tua: ſitiuit anima mea ad te Deum fontem viuum: quando veniam? quando amabo te toto corde, & videbo, & apparebo ante faciem tuã? ecce defecit in ſalutare tuũ, & anhelat ad te anima mea: ecce enim cucurri in viã mandatorũ tuorum, & laboraui annis tot N. in vineâ tuâ, Deus meus; etſi quod vehementer doleo, non vti* Pſalm. 41.

 debui,

deb. i. Attamen iam, ſiue aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, O requies mea, quando requieſcam in te? ô gaudium meum, quando abſterges omnē lacrymen ab oculis meis? O fons aquæ vitæ, quando inebriabor ab vbertate tuâ? O quàm magna eſt multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te! etiamſi liceret vna horâ tantùm eam guſtare, libenter deberē omnia mundi gaudia ſæculis plurimis abnegare. Quid verò iā ago, quando & æterna ſunt, & regni tui Deus meus non erit finis gaudij nullus terminus, & dabis mihi menſuram bonam & confertam & coagitatem, in ſinum meum, & intrare in abyſſum bonitatis tuæ, & charitatis tuæ?

Aug. l. 22. de Ciuit. Dei. *Ibi tota virtus erit videre ô anima mea quod amas; & ſumma felicitas amare quod vides; & ibi beata vita in ſuo fonte bibitur, vbi veritatis viſio clariſſimè aperitur.* Aug. ſup. Ioannem in Homi'. *Ego ſum paſtor bonus.* *Ibi hymnidici Angelorum chori, ibi ſocietas ciuium ſupernorum, ibi dulcis ſolemnitas à peregrinationis huius labore redeuntium, ibi feſtiuitas ſine fine æternitas ſine labe, ſerenitas ſine nube. Ibi quidquid amabitur, aderit; nec deſiderabitur quod non aderit, Omne quod ibi erit, & quod eſt, bonum erit, & tu ſumme Deus ſummum bonum eris mihi & omnibus omnino beatiſſimus. Ibi vacabimus & videbimus, videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus Eſſe, quod erit in fine ſine fine. Quod* Aug. l. 22. de ciu. Die. Bern. in ſ. *enim, ô Deus, præparaſti diligentibus te, fide non capitur, ſpe non attingitur, charitate non apprehenditur, deſideria et vota transgreditur, acquiri poteſt, æſtimari non poteſt. O verè felix & glorioſa ſocietas! ô ſanctum conuiuium, ô deſiderabiles epulæ! vbi nimirum anxietas nulla, nullum poterit eſſe faſtidiū, quin ſatietas ſumma, & ſummum inerit deſiderium.*

O beata regio paradiſi! ô beata regio deliciarum! ad quam ſuſpiro de valle lacrymarum: vbi ſapientia ſine ignorantia, memoria ſine obliuione intellectus ſine errore ratio ſine obſcuritate fulgebit: vbi homo videbit Deū ad voluntatem, habebit ad Hugo Vict. de Anima c. 4. l. 1. *voluptatem, fruetur ad iucunditatem: in æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit. Quæ ergo nos tangit veſania, vitiorum ſitire abſynthiū, huius mundi ſequi naufragium, vitæ labentis pati infortuniū, impiæ tyrannidis ferre dominium,*

miniuen,

minium, & non magis conuolare ad Sanctorum felicitatem, ad Angelorum ſocietatem? Ibi vacabimus, & videbimus quam dulcis ſit Dominus, & quàm magna multitudo dulcedinis eius. O beata viſio, videre Deum in ſeipſo, videre in nobis, & nos in eo, felici iucunditate, & iucundiâ felicitate!

O vita vita vitalis vita ſempiterna, & ſempiternè beata, vbi gaudiũ ſine mœrore, requies ſine tremore, dignitas ſine tremore, opes ſine amiſſione, ſanitas ſine languore abundantia ſine defectione, vita ſine morte perpetuitas ſine corruptione beatitudo ſine calamitate! O bone IESV, adiutor meus, protector meus, & ſpes mea, in domo Patris tui manſiones multæ ſunt, & abiiſti parare mihi locũ; nunquid igitur, poſtquã deſertum peregrinationis huius peragrauero, dabis peruenire in regnũ tuũ: & facies vt permaneã in te, ô vitis vera, & bibam vinum nouum in regno Patris tui? Aduena ſum & peregrinus; ſed memento quia apprehendiſti me ab extremis terræ, & à longinquis vocaſti me. Vtinam, vtinam cùm feſſus de viâ & vitâ hac venero ad te, audire merear, Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te: ne timeas, quia ego tecum ſum; ne declines quia ego Deus tuus: quando hoc erit? quando reſpicies me? & oſculo pacis oſculaberis; quando audiam illud: Veni, veni, coronaberis, & amaberis in æternum? l.4.c.4. Ioan.14. Iſaiæ.41. Iſaiæ 43.

Quando dices mihi: Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus; ego dilexi te, ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me Saluator. Tunc ſitibundus & anhelus veniam ad te fontem aquarum viuentium, & ſi ero potabis me; famelicus & ſatiabis me, ô panis vitæ, non eſurient, neq; ſitient, & non percutiet ſeruos tuos æſtus & ſol quia miſerator eorum reges eos, & ad fontes aquarum potabis eos, lugens veniam, & abſterges lacrymam ab oculis meis; pauper ero, et dabis mihi diadema ſpeciei miſer ero, et teipſo beabis me; nudus, & indues veſtimentis lætitiæ; deſolatus, et cõſolaberis me: & iã nõ erit amplius luctus, neq dolor, ſed triſtitia mea vertetur in gaudium, et videbo te, et deliciis affluã, et mirabitur, et dilatabitur cor meũ, & ſciã quia tu tu es Dominus, ſuper quo nõ cõfundẽtur qui expectãt eũ. Expecto Domine, & expeto vt Iſaiæ 49.

ponas deſertũ noſtrum in delicias, & ſolitudinem eius quaſi hortum tuum Ego enim agricultura tua ſum, ager tuus, ager primitiarii habens irriguũ ſuperius gratiæ tuæ, imò ſitus ſecus decurſus aquarũ, quando toties venis ad me fons æternæ vitæ, vt flumina de ventere meo fluant aquarũ viuentiũ. Vtinam manducans te viuam ſaltem ex nunc propter te & ſaturer de te, & expleas deſideriũ meum! Id vero eſt videre te, & ſatiari de te, & comedere panem in regno tuo, & vt vbi tu es, illic ſit & indigniſſimus miniſter tuus. Credo credo videre te, amantiſſime IESV, & bona tua in terrâ viuentium, & obliuiſci omnis preſſuræ vitæ huius: gaudium enim & lætitia inuenientur in ea, gratiarum actio, & vox laudis, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, In te, Domine ſperaui, te amaui, & amo, ad te ſuſpiro ô bonitas, ô charitas, fac, quæſo, miſericordiam cum ſeruulo tuo, vt non confundar in æternum. Amen.

Praxis ad amorem cæleſtis patriæ concipiendum.

QVæcumque in hoc mundo bona vides, alia ac infinitè meliora te habiturum Dei benignitate confide. Secundò, quæcumque mala, iis omnibus te æternùm cariturum, Tertiò, ſi quæ tibi eripiantur, æterno theſauro per patientiam ſcias concludi, ſi quæ verò abneges, aut ex Dei amore largiaris, ea non ſolùm conſeruare tibi perſuadere debes, ſi te fidelem profitearis, ſed centuplum tibi reddendum à Domino Deo tuo.

IACVLATORIÆ.

1.Cor.2. *OCulus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt eum.*

2.Tim.4. *Repoſita eſt mihi corona iuſtitię, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, non ſolùm autem mihi, ſed & his qui diligunt aduentum eius.*

Pſal.26. *Credo videre bona Domini in terra viuentium.*

Iob.19. *Rurſum circumdabor pelle meâ, & in carne meâ videbo Deũ Saluatorem meum.*

Breuia ſed vtiliſſima Sanctorum documenta hunc in locum reiecta habe & fruere.

CVm anima quædam ab auctore lucis illuminata, propriam fragilitatem & miſeriam, ignorantiam ſcilicet & propriam ad malum naturã recognoſceret, aliquãtulumque Dei magnitudinem, ſapientiam, (inquam) potentiam, bonitatem, cæteraſque ipſius præſtantiæ partes ſuſpiceret; vidit quàm dignum & neceſſarium eſſet, vt idem perfectè coleretur & ſanctè. Dignum, quia cùm Pater vniuerſorum & Dominus ſit omniaque vt ſuum ipſius nomen collaudent, & ad ſuam referantur gloriam; fuerit, congruũ & æquum eſt, vt ſeruus Dominum ſuum obſeruans, ei ſeruiat, & obſequio pateat. Neceſſariũ, quia cùm ipſe Deus, rationale anima, ſpiritu & corpore compoſitum, hac conditione condiderit, vt, ſi voluntariè vſque ad mortem fidelem ſibi præſtiterit ſeruiturẽ, ad vitam perueniat ſempiternam; aliter felicitatem illam omni bonorum aggregatione cumulatam conſequi nequit: perpaucos autem hoc adimplere, ſicque perpaucos ſaluari, quòd ferè omnes quærant quæ ſua ſunt, non quæ Dei. Vidit præterea breues dies hominis eſſe, incertam horam punctumq́; quo id momentaneum promerendi tempus finiatur; in inferno verò nullã eſſe redemptionem, ſed unumquemque in futura vita, immutabili & ineuitabili ſententiâ, præmia pœnáſue, prout in hoc ſuo viuendi genere ſit emeritus, iuſtâ conſequi retributione. Vidit etiam multos multa dicere, & diuerſimodè multifariamque prædicare ac loqui de virtutibus quibus Deus fideli ſeruitute colatur; rationalis autem creaturæ capacitatem modicam, intellectum hebetem, memoriam debilem, vt nequeat vel multa percipere, vel percepta fideliter continere, ac idcirco, licet multi ſtudeant ſemper addiſcere, quàm pauciſſimos tamen integritatis perfectionem attingere, Deo vt dignũ & neceſſariũ eſſet, deſeruire, ſed ferè omnes curis anxios; mentis agitationibus fluctuantes, extremo ſemper in periculo degere. Videns igitur hæc omnia anima illa, ſpiritu coram Domino exurgens, ardenti deſiderio, ac vehementi affectu, ab ipſius maieſtate efflagitauit vt ſuccinctè & breuibus præcepta aliqua tradere vellet, quibus vita noſtra ſanctè inſtrui ac perfici poſſet, quæque vi ſententiarum, prædicationum veritatẽ & vniuerſas complecterentur ſcripturas, quorũ obſeruatione, & ipſe debitâ ſeruitute coleretur, & ex hac breui mor-

Dignus Deus vt ei ſeruiatur.

Neceſſariũ

Vita incerta & mors.

Quæris compendiũ viæ ad perfectionem? Ecce.

mortali ac miſerâ vitâ,ad eã ad quã creauerat,felicitatem perueniremus. Deus itaque qui & ſancta deſideria inſpirat & eadẽ ſuſcepta irrita nõ eſſe permittit,ſtatim huic animę in mẽtis exceſſu conſtitutæ affuit, hæc dicens: Dilecta mea,placent mirum in modum huiuſcemodi deſideria tua, & adeò placent,vt eis longè magis cupiam ipſe ſatisfacere,quàm ipſa ſibi cupiant ſatisfieri.Ingens namque meum optatum eſt,ea in vobis(volentibus vobis) beneficia conferre,quæ ſaluti veſtræ vtilia,commoda & neceſſaria ſint, atque ideò tuum adimplere deſiderium & te voti compotem efficere paratiſſimus ſum. Quare attende & diligenter obſerua quæ tibi ipſe ineffabilis & nunquam fallẽs veritas dicturus ſum,quoniam tuæ annuens petitioni breuiter proponam,quid ſit,quod ſummam perfectionem omneſque contineat virtutes,ac ſimul Scripturarũ volumina, & multiplices complectatur prædicationes, vt ſi tuam ibi faciem ſpeculata fueris,& te ad illud compoſueris, ac ſeruandum formaueris,quidquid patet & latet in diuinis ſermonibus,adimpletura ſis,& ſempiternâ lætitiâ, & perpetuâ pace fruitura.Scias igitur ſeruorum meorum ſalutem perfectionemque hoc vno conſtare,vt meam ſolius faciant voluntatem,atque eam ſummo ſemper ſtudio adimplere nitantur,vt mihi vni obſequi,me vnum obſeruare, me vnũ attendere,omnibus vitæ ſuæ contendant momentis; quantoque diligentiùs in id incumbant,tanto perfectioni propiùs accedere,quoniam mihi qui ſum ſumma perfectio, magis preſſiuſque,adhærent.copulantur,iunguntur. Vt autem planiùs hanc(licet ineffabilem)breuibus tamen traditam veritatem intelligas;reſpice in faciem Chriſti mei,in quo mihi benè complacui. Ipſe namque exinanitus ſeruili forma aſſumptâ, factuſq; in ſimilitudinem carnis peccati eſt,vt vos cæcâ caligine obrutos,& à via veritatis auerſos, ſuę lucis ſplendore illuminans,ad rectum iter & verbo cõuerteret & exemplo.Obediẽs fuit vſque ad mortem, ſic ſuâ perſeueranti obedientiâ vos edocens,ſalutem veſtram ex faciendæ ſolius voluntatis meæ ſtabili inſtituto pendere:nam ſi quis diligenti ſtudio & conſideratione,ipſius tũ vitam,tum doctrinam meditari velit,perſpiciet procul dubio,mortalium integritatem perfectionemque in nullâ re alia conſtare,quam in iugi,perpetua ac fideli meæ voluntatis obſeruatione.quod idem dux veſter toties atteſtando repetit.Ait enim,Non omnis qui dicit mihi,Domine, Domine,intrabit in regnum cælorum, ſed omnis qui fecerit voluntatem Patris mei.Et attende quòd non fruſtra repetit

Compendium perfectionis quod ſit.

Perfectio in quo conſiſtat.

Exemplũ Chriſti Ieſu.

Reſignatio filij Dei.

tit bis, Domine, Domine, quoniam, cùm omnis tranſitoria conditio ad duo vniuerſalia genera reducatur, religioſum ſcilicet & ſæculare, ſignificare vult, neminem, cuiuſcumq; conditionis ſit, æternæ vitæ gloriam conſecuturum, licet omnem mihi extrinſecus honorem exhibeat, niſi meam fecerit voluntatem. Item alio loco: Non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me Patris. Et iterum: Meus cibus eſt vt faciam voluntatem eius qui miſit me. Item, Non mea voluntas ſed tua fiat. Et, Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Si vis ergo Saluatoris tui exemplum imitatura, meam facere voluntatem, quam conſtat eſſe bonum tuum, neceſſe eſt vt tuam omnibus in rebus prorſus cõtemnas facere voluntatem, illamque abneges, & extinguas: quoniam quantò magis morieris in te, tantò magis viues in me: & quò purgatius eiicies quod tuum eſt, eò abundantiùs ipſe reponã quod meum eſt. Poſtquam illa anima hæc veritatis ſaluberrima documenta percepit, tota lætabunda dixit: Pater & Deus meus, placent ſummopere, & pluſquam explicare queam, quæ ſeruulæ tuæ narrare dignatus es, & quàm magnas poſſum benignæ maieſtati tuæ gratias ago: quoniam quantum meã rudi intelligentiã conſequi poſſum, non aliter eſt, quàm mihi per Saluatoris exemplum præclarè ac lucidè demonſtraſti. Cùm enim tu ſummum & omne bonum ſis, non volens iniquitatem, ſed iuſtitiam tantùm & honeſtatem, quidquid faciendum eſt, perago, ſi tuam voluntatem adimpleo; & eam impleo, ſi meam propter te abnego, quã tu minimè violare vis; quoniam nihil idcirco liberam tradidiſti, vt ego ſponte eam tibi ſubigendo, & tuã ſolius facere ſemper intendendo gratior tibi fiam, & maiora apud te mea ſint merita. Volo igitur, ac vehementer deſidero id adimplere quod præcipis: ſed non planè ſcio, quibus rebus tua contineatur voluntas, quóue tibi fidei obſequio mancipari queam: ſi arrogans non ſum, & mea temeritas tua non abutitur lenitate, ſupplex obſecro, vt iuxta petitionem meam, id quoque me paucis doceas. At Dominus: Si paucis & collectim ſcire deſideras voluntatem meam, vt eam integrè valeas adimplere, hæc mea voluntas eſt, vt ſummè & ſemper ames me, ſicut præcepto mandaui vobis, vt toto corde, totâ animâ, & omnibus viribus veſtris diligatis me: huiuſque præcepti obſeruatione tua perfectio continetur: quoniam finis præcepti charitas eſt, & plenitudo legis eſt dilectio. Anima ad hęc: Teneo voluntatem tuam, & perfectionẽ meã in ſummo tui amore collocatam eſſe, ipſaq; te (vt par eſt) ſummo amore ac vehemẽtiſſimâ dilectione proſequi vel-

Quæſit volunas Dei.

lem

lem; ſed quonam pacto id efficere poſſim aut debeã, ſatis mihi compertum non eſt. Quocirca orans expeto vt me hac quoq; in parte breuibus inſtruas. Tunc Deus. Audi igitur, & ad ea quæ dicã, tota mentis attentione inuigila. Si me perfectè amare vis, te tria hæc facere neceſſe eſt. Primò, vt voluntatem tuam ab omni amore affectuq́; terreni & carnali prorſus amoueas, ſegreges, mundifices, ita vt in iſtâ vitâ nihil tranſitorium, nihil caducũ, nihil temporale ames, niſi propter me, nec (quod magis & maximũ eſt) ames me propter me, aut te propter te, aut proximũ propter te, ſed ames me propter me, te propter me, & proximũ propter me. Quoniã diuinus amor terreni affectus, aut alterius cuiuſuis amoris conſortium pati nõ poteſt. Vnde quanttũ eũ terrenarũ rerũ contagione infeceris, tantũ & in mei amore peccabis, & de tuâ perfectione deperdes. Mentẽ quippe, vt munda & ſancta ſit, omnia quę corpus ſentit, faſtidire neceſſe eſt. Effice igitur, ne quidquã ex his quæ à bonitate mea veſtros in vſus profecta ſunt, te à me amando impediat, ſed omnia adiuuent, accendant, inflamment. Quoniã vobis illa creando conceſſi, vt bonitatis meæ largitatẽ latiùs ex ipſis dignoſcentes, me abundantiore quoque amore proſequemini. Perſtes igitur appetitu lumbiſque ſuccincta, ac vigilanti cuſtodiâ te ſemper obſeruans, terrenis concupiſcentiis, quas vndecumque tibi mortalis vitæ miſeria & corrupta ſuggerit natura, alacriter reſiſte, vt cũ Propheta meo dicere poſſis: Qui perfecit pedes meos, id eſt, affectus, qui animæ pedes ſunt, tamquam ceruorum, ad fugiendum canes, id eſt laqueos concupiſcentiæ terrenarũ rerum, ſuper excelſa ſtatuens me, id eſt, in contemplatione. Cum hoc primum impleueris, ad ſecundum, quod etiã altioris perfectionis eſt, peruenire poteris, vt omnes cogitationes, actus & opera tua dirigas ad meum ſolummodo honorem & gloriam, ſemperq́ue ſolius meæ laudis ſtudioſiſſima, des operam precibus, verbis & exemplis, & quomodo poſſis, vt non tu tantùm ſic, ſed alii omnes tecum pariter, & eodem modo affecti ſint, vtq́ue vniuerſi me vnũ norint, ament, colant, hocq́ue mihi magis placet quàm primum, quoniam magis implet voluntatem meam. Tertium, quod reliquum eſt, ſi aſſecuta fueris, tibi nihil deceſſe, teq́ue conſummatam integritatem conſecutam, ſcito. Illud autem hoc eſt, vt ſummo deſiderio quæras, nitaris & ſtudeas ad hanc peruenire mentis diſpoſitionem, vt mihi ita coniuncta ſis, tuaq́ue meæ (quæ perfectiſſima eſt) ita ſimilis ſit conformiſq́ue voluntas, vt nolis non ſolùm malum

Quid ſit amare Deum.

Intentis pura.

Conformitas cum voluntate diuina.

ſed

ſed & bonum quod ipſe nolim; vtque, eueniat quidquid velit, & vndecumq;velit, in iſtius vitæ miſeriâ, ſiue ſpiritualibus,ſiue temporalibus in rebus minimè frangatur pax tua,turbeturue quies mentis tuæ;ſed inconcuſſa fide ſemper teneas me Deum tuum omnipotentem magis amare te,quàm tu te ipſam,meq;tui diligentiſſimam habere curam,& multò diligentiorem quàm tu.Quantò magis ſi te mihi commiſeris dederiſque, tantò magis te adiuuans,tibi ſemper adero,& tu ipſa clariùscognoſces, ac vberiùs ſenties circa te dulciſſimam charitatem meam. Ad hanc autẽ perfectionem perueniri non poteſt niſi per ſtabilem, conſtantem ac abſolutam propriæ voluntatis abnegationem: quam qui præſtare negligit,ſimul hanc excellentiſſimam perfectionem negligit; qui verò libens præſtat,ſimul integerrimam voluntatem meã,integerrimè exequitur, mihique ſummè placet, & me ſecum habet: quoniam mihi gratius ac iucundius nihil eſt, quàm per gratiam vobiſcum agere,& in vobis habitare,meæque ſunt deliciæ cum filiis hominum eſſe,& vt volentes ipſi(nolo enim liberi ius arbitrii violare) à me in me,per gratiam transformentur; vt ſint vnum mecum participatione perfectionis meæ, præcipueque pacis ac tranquillitatis meæ. Vt autem planiùs intelligas quam ardenti deſiderio cupiam vobiſcum eſſe; vtque magis accendaris ad ſubigendam mihi copulandamque meæ voluntatem tuam,vide & altâ mente conſidera, voluiſſe me, vt Vnigenitus meus incarnaretur, vtque mea diuinitas maieſtatis dignitate ſepoſita, veſtræ copularetur humanitati, vt tanto amoris ac charitatis exemplo, tantâ ineffabilis dilectionis demonſtratione vos ad pariter coniungendam meæ voluntatem veſtram,vnique mihi iugiter adhærendum prouocarem, allicerem, traherem. Voluiſſe præterea vt ille ipſe dilectus filius meus tam horrendam, immanem crudelemque crucis mortẽ ſubiret, vt ſuis tormentis veſtrum peccatum tolleret.Peccatum,inquã, quod inter me & vos diuiſionẽ fecerat,& meam à vobis ita faciem auerterat,vt nullo vos pacto poſſem reſpicere. Paraſſe inſuper menſam maximi & parum agniti Sacramenti corporis ipſius & ſanguinis, vt in cibum ſumentes transformemini,nutreminique in me, ac ſicut panis & vinum,quibus veſcimini in ſubſtantiam tranſeunt corporalem, ita & vos manducantes ipſum qui mecum vnum eſt,ſub panis & vini ſpecie,in ſubſtantiam ſpiritualem & in meipſum conuertamini & hoc illud eſt quod Auguſtino ſeruo meo his verbis dixi: Cibus ſum grandiũ,creſce & manducabis,nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me. Cùm audiſ-

Abnegatio ſui neceſſaria.

Cur Verbũ ſit incarnatum.

SS.Eucharistiæ bona

ſet

ſcit anima illa quænam eſſet Dei voluntas, & quemadmodum in eam implendam neceſſaria etiam erat perfecta charitas, perfectamq; charitatē propriæ voluntatis abnegatione conſtare, dixit: Significaſti mihi Domine Deus meus voluntatem tuam, ſignificaſti Domine quòd ſi perfectè amauero te, nihil terrenum aut mortale, nec etiam meipſam amabo propter me: ſed quidquid amabo, ſecundùm te & propter te amabo. Dixiſti vt ſummo ſemper ſtudio tuam ſolius laudem, honorem & gloriā velim perquirere, ſimulque operam dare, vt alii quoque idem nitantur facere: & vt quæcumque aduerſa mihi in hac miſerâ adueniant vitâ, ea compoſitâ mente & æquo animo ac lætanti tolerare contendam. Nunc quoniam hæc per propriæ voluntatis abnegationem efficienda ſunt, doce, quæſo, quonam pacto ad hanc peruenire abnegationem, ac tantam virtutem comparare & aſſequi queam: vt enim per tuæ doctrinæ lumen video, tantum in te viuo, quantum in me morior. Deus autem qui ſancta numquam fruſtratur, deſideria, ſic intulit: Perfectâ tui abnegatione tuū omne bonum conſtare certum eſt, quoniam te tantum meâ gratiâ repleo, quantum te tuâ voluntate euacuas: & perfectionem tuam efficit participatio diuina bonitatis meæ per gratiam, ſine quâ humana creatura (quantum ad virtutem & dignitatem ſuam) nihil eſt. Ad hanc igitur ſi peruenire vis, tibi eſt in ſumma humilitate perſtandū, & ex verâ atque intimâ miſeriæ & inopiæ tuæ cognitione id vnum iugiter vehementerque affectandum, vt mihi ſoli pareas, meamque ſolius voluntatem obſerues. Quò autem id præſtare queas, neceſſe eſt vt per mentis conceptum & animi exiſtimationem tibi habitaculum circū vndique concameratum ex ſolius meæ voluntatis materia conſtruas, teque eo concludas & ſemper inhabites, vt quocumque eas, numquam egrediaris; quocumque proſpicias, numquam extrà aſpicias, ſed tuos mentis & corporis ſenſus mea ſemper circumſtet voluntas, nec quidquam aliud loquaris, cogites aut efficias, niſi quod mihi placet, & meæ eſſe voluntatis credas, ſicq; te quidquid agendum erit ſanctus Spiritus edocebit. Aliâ etiam viâ ad propriæ voluntatis abnegationem perueniri poteſt, ſi adſunt qui te ſecundùm me inſtruant regantque, his propriam ſubiiciendo voluntatem, te totam ac tua omnia his committendo, his parendo, & eorum ſemper ſequendo conſilia, quoniam qui fideles & prudentes ſeruos meos audit, me audit. Sed ad hæc volo vt certâ fide, altâ mente, ac frequenti conſideratione mediteris me Deum tuum glorioſiſſimum, qui te ad beatitudinem

Abnegatio amplectenda.

Conformitas cum voluntate Dei quomodo acquiratur.

Alius modus abnegandi per obedientiā.

tudinem perfruendam creaui, æternum eſſe, ſummum, omnipotentem, vobiſque omnia quæ mihi placita ſunt facere, nec eſſe qui vel tantillum meæ poſſit reſiſtere voluntati, nec quidquam ſine eâdem voluntate meâ vobis accidere, nihil prorſus niſi me permittente prouenire, vt per Prophetam vobis enuntiaui, non eſſe malũ in ciuitate quód non ipſe fecerim, id eſt, permiſerim. Mediteris pariter me Deum tuum ſummæ eſſe ſapientiæ, perfectiſſimæ cognitionis & intelligentiæ, omnia certâ ratione vidẽtis & acutiſſimè penetrantis, vt ad cælum, terram, mundum totum & vniuerſa gubernãda, nullâ poſſim ratione falli, nullo errore turbari. quòd ſi non ita eſſet, nec Deus eſſem, nec ſapientiſſimus Et vt tantillùm præcipias vim huius ſummæ ſapientiæ meæ, ſcias de malo culpæ & pœnæ me longè maius bonum, quàm ſit malum, elicere. Tertiò, velim cõſideres me eundem Deum tuum non minùs ſummè bonum eſſe, & vi amoris beneuolentiæque & hac de causâ non poſſe, non niſi quæ bona ſunt, vtilia & ſalubria tibi & aliis velle, non poſſe à me aliquid malum provenire, nihil odiſſe, & hominem vt meâ bonitate creaui, ita per me ſemper inæſtimabili dilectione proſequi. His verò per fidem mente ac meditatione collectis cognoſces tribulationes, tentationes, difficultates, honores, infirmitates, & aduerſa omnia ob nullam aliam cauſam, me gubernante prouenire, niſi vtilitatis & ſalutis veſtræ gratia; vt per ea quæ videntur vobis mala à prauitate corrigamini, & ad virtutem, qua itur ad verum & ſummum bonum vobis incognitum perducamini. Cognoſces præterea hoc fidei lumine perluſtrata me Deum tuum magis poſſe, ſcire, velle bonum tuum quã tu, teq; id nec poſſe, nec ſcire, nec velle abſque gratia mea. Id igitur cùm ita ſit, danda tibi ſummo ſtudio opera eſt, vt voluntatem tuam diuinæ voluntati meæ prorſus ſubiicias, quoniam ſic placidâ ſemper mente quieſces, & me ſẽper tecum habebis (factus eſt enim in pace locus meus) nec erit tibi ſcandalũ peccati, hoc eſt offendiculum aliquod ad peccatũ, nec per impatientiam, nec aliquo quouis modo: nam pax multa diligentibus nomen meum, & non eſt illis ſcandalum: tantum etenim amant legem meam, id eſt, meã voluntatem, meaque lex eſt quâ cuncta reguntur, tantumque mihi per ipſam copulati ſunt, & in ipſius delectantur obſeruatione, vt eueniat quidquid velit, & vndecumque velit cuiuſcumque generis & æſtimationis ſit, nulla re præterquàm culpa qua mihi fiat iniuria perturbari queãt. Proſpiciunt namque claro & purgatiſſimo mentis oculo à me ſummo vniuerſi gubernatore, mirifica ſapientia, charitate & ordine cuncta adminiſtrante non niſi bona poſſe pro-

Nihil fit ſine voluntate Dei & cognitione.

Deus omnia ad ſalutem ordinat,

Deus melius nobis vult quàm nos ipſi.

Pax reſignati.

Omnia Deo bona tribuit & mala accipit de manu eius.

prouenire, meque ſibi ac rebus ſuis meliùs vtiliuſque proſpicere quàm ipſimet per ſe ſciant, poſſint ac velint, ſicque omnibus in rebus quæ eueniant, quaſque ſuſtineant (vtut ſint) me auctorem & non proximum firmo conſiderantes propoſito, quadam inuicta & inexpugnabili patientia ita roborantur, vt non ſolùm æquo animo, ſed libenti ac gaudenti ſuſtineant, deguſtantes in omnibus, ſiue intrinſecùs ſiue extrinſecùs accidant, meæ ineffabilis dulcedinem charitatis: quod eſt ſentire de me in bonitate, in omnibus (inquam) tribulationibus difficultatibuſque attendere, credere & læto animo gratoque meditari me diſponere omnia ſuauiter, & ex profundo meę dilectionis fonte cuncta prouenire.

Propriæ voluntatis malitia.

Atque huius vltimæ conſiderationis compoſitioniſque ſanctiſſimæ maximum bonum nil aliud corrumpit, impedit & perdit, quàm propria voluntas veſtra & amor veſtri; quæ ſi tollerentur à vobis, tolleretur & infernus vobis; tũ ille qui maledictis æterno mentis & corporis tormento paratus eſt, tum ille quem in mortali vita multiplici agitatione animi ac vario curarum æſtu, imò ſuſtinetis errore. Igitur ſi viuere cupis, & in hoc labenti ſæculo per gratiam, & in ſtabili ſempiternoque per gloriam fac moriaris, temetipſam abnegans & propriam voluntatem deponens. Beati enim mortui qui in Domino moriuntur, & beati pauperes ſpiritu, quoniam tales me vident in peregrinatione per mutuũ amorem, viſuri deinde in patria per gloriam & honorem Amen.

Docu

Documenta, ſeu conſilia ſaluberrima, in quibus ſe exercere debet, qui vult euadere laqueos diaboli, è tractatu S. Vincentij de vitâ ſpiritali deprompta.

QVi vult ſurgere atque euadere laqueos atque tentationes Antichriſti, ſeu diaboli finales, debet habere in proprio ſentimento ſui, duo. Primò, quòd ſentiat de ſeipſo, ſicut de vno corpore mortuo, pleno vermibus, & malè olenti, & ſicut de vno cadauere, quod dedignatur videre & intueri, imò ſuper quod claudit nares, propter eius peſſimum odorem & fœtorem, & à quo auertit faciem, vt non videat talem & tantam abominationem. Sic oportet, chariſſime, facere ſemper mihi, & tibi, ſed plus mihi, quia tota vita me fœtida eſt, totus fœtidus ſum, & corpus meum, & anima mea, & omnia quæ intra me ſunt, fæce & putredine peccatorum & iniquatatum fœtidiſſima & abominabiliſſima ſunt, & quod deterius eſt, quotidie hunc fœtorem in me ſentio recentiùs & anguſtiùs reuocari. Et debet talem fœtorem de ſeipsâ ſentire fidelis anima cum maxima verecundia coram Deo, ſicut coram illo, qui omnia videt, & ſcit, ſicut ſi eſſet corã diſtricto iudicio, & dolere maximè de offenſa Dei, & perditione gratiæ animæ, in qua erat, quando redempta fuit pretioſiſſimo Chriſti ſanguine, & abluta per Baptiſmum. Et ſicut ſibi & Deo fœtere ſe credit & ſentit, ſic etiam credat & ſentiat: quòd non ſolùm coram Angelis, & ſanctis animabus, ſed etiam coram omnibus hominibus viuentibus ſit abominabilis & fœtidus, & quia facta & dicta ſua non ſolùm homines videre & audire dedignantur, ſed quòd nares ſuas claudant, & auertant facies ſuas, ne ipſum videant, & tamquam fœtidum cadauer de medio eorum expellat & ſit ab eis alienatus & ſeparatus & proiectus, ſicut pluſquam leproſus vſquequo veniat & reueniat ad ſeipſum. Et ſi quis de eo iuſtitiam faceret, & de corpore ſuo ſentiat quod iuſtum eſt, & ita credat etiamſi ſibi oculi eruerentur, naſus truncaretur, manus abſcinderentur, & aures, & os, & ſic de aliis ſenſibus corporalibus & membris, quia cum his omnibus Deum offendit & creatorem. Item quòd deſpici deſideret, & contemni, & quòd omnia vituperia, verecundias, diffamationes, iniurias, blaſphemias, & cætera aduerſa, ſummo cum gaudio & lætitia recipiat & patienter ferat. Et oportet

Quid de te ſentire debeas, vide.

Qualis debeas velle æſtimari.

Humilitas & patientia perfecta.

Diffidentia ſui. tet quòd diffidas de teipſo totaliter, & de omnibus bonis tuis,& de tota vita tua, & conuertas te totum, & reclines ſuper brachia IESV Chriſti pauperrimi & viliſſimi, & improperati,deſpecti,& mortui propter te, vſquequo tu ſis mortuus in omnibus ſentimentis tuis humanis, & IESVS Chriſtus crucifixus viuat in corde tuo, & in tua anima.& totus transformatus & transfiguratus, cordialiter ſit in te: vt nunquam videas,nec ſentias,nec audias,niſi ipſum ſolũ ſtantem in cruce propter te,mortuũ & ſuſpenſum,ad exẽplum Virginis Mariæ,mortuus in mundo,& viuens in fide & quòd in illa fide viuat tota anima tua vſque ad reſurrectionem,in qua Dominus immittet gaudium ſpirituale,& donum Sancti Spiritus in anima tua,& in illis perſonis, in quibus debet renouari ſtatus Apoſtolorum, & Eccleſiæ ſanctæ Dei, exercens te in ſanctis orationibus ſiue ſacris meditationibus & affectionibus ad obtinenda dona virtutum,& gratiam Dei. Sed debes præcipuè ſeptiformi affectu exerceri ad Dominum,ſcilicet amore ardentiſſimò, timore ſummo, honore debito, zelo conſtantiſſimo, & illis debet adiungi gratiarum actio, & vox laudis,omnimodæ obedientiæ promptitudo, & ſuauitatis diuinæ pro poſſe deguſtatio. Et ideò continuè debes iſta ſeptem deuotè petere à Deo,vtpote dicendo: Bone IESV, fac vt totis medullis amem te, ſummè timeam,reuerear,& pro omni honore tuo fortiſſimè zelari,ità quòd omne tuum opprobriũ, tanquam tuæ gloriæ zelotypus vehementiſſimè exhorreſcam,& potiſſimè, ſi in me,aut à me, vel pro me facta tibi ſint opprobria vlla. Deinde da etiam vt te Dominum,tanquam tua creatura humiliter adorem & recognoſcam, & de omnibus beneficiis à te mihi impenſis, gratias ſemper agam,& hoc cum ſumma gratitudine cordis. Da etiam vt in omnibus ſemper te benedicam,laudem & magnificem, & hoc cum ſummo iubilo & tripudio cordis,& tibi in omnibus obtemperans,& obediens, ſẽper reficiar dulciſſima tua & ineffabili ſuauitate,cum ſãctis tuis Angelis & Apoſtolis tuæ menſæ aſſiſtens,licet omnino indignus & ingratus. Qui cum Patre, &c. Debet etiam circa ſeipſum exerceri alio ſeptiformi affectu. Primò, ſcilicet quòd totus de ſuis vitiis & defectibus confundatur. Secundò, vt peccata ſua tanquã offenſiua,& ſui ipſius maculatiua acutiſſimo & acerbiſſimo dolore plangat & deploret. Tertiò,humiliatione ſui,& cõculcatione,cũ cõtemptu,vt ſcilicet totis viribus ſe ſicut rem viliſſimã & fœtidiſſimam ſpernat,& contemni appetat,vt dictum eſt. Quartò, rigore ſeueriſſimo, vt ſcilicet corpus ſuum aſperrimè macerari appetat, tamquam

Christus crucifixus ſemper ſit in corde.

Septiformis affectus in Deum.

Septiformis affectus erga noſipſos.

quam peccato fœtidum, imò tamquam latrina, & ſentina, & tumulus omnium fœditatum. Quintò, ira implacabili contra omnia vitia ſua, & contra radices & inclinationes vitiorum ſuorum. Sextò, vigore peruigili & ſtrenuo, vt ſcilicet omnes ſenſus, actus, potentias ſuas, ſemper cum quadam viriliſſima ſtrenuitate, in omne bonum teneat peruigiles & attentos. Septimò, diſcretione perfectæ modeſtiæ ſeu moderantiæ, vt ſcilicet in omnibus diſtrictiſſime ſeruet menſuram & modum, videlicet inter nimium & non ſatis, vt ſcilicet nihil ſit in eo ſuperfluum, nihil diminutum aut defectiuum, nec pluſquam debet, aut minus quàm deceat. Debet etiam circa proximum ſe exercere alio ſeptiformi affectu. Primò, ſcilicet per piam compaſſionem, vt ſcilicet ita ſentiat aliorũ mala & incommoda, ſicut ſua. Secundò, per dulcem congratulationem, vt ſcilicet de aliorum bonis lætetur ſicut de ſuis. Tertiò, per tranquillam ſupportationem, & condonationem, vt ſcilicet moleſtias & iniurias ab aliis illatas patienter toleret, & ex corde indulgeat & condonet. Quartò, per benignam affabilitatem, vt ſcilicet ſit ad omnes benignus, & omnibus bonum affectet, & optet, & talem ſe exhibeat in geſtibus ſuis & verbis. Quintò, per reuerentiam humilem, ſcilicet, vt omnes ſibi præferat, & omnes reuereatur, & omnibus ex corde ſe ſubdat, tamquam dominis ſuis. Sextò, per concordiam vnanimem, vt ſcilicet quantum in ſe eſt, & quantum ſecundum Deum poteſt eſſe, vnum ſentiat cum omnibus: & ita ſentiat ſe eſſe omnes, & illos ſe, & omnium rectum velle, pro ſuo reputet, & è contrà. Septimò, per Chriſtiformem ſui pro omnibus oblationem, ſcilicet, vt ad inſtar Chriſti pro omnium ſalute ſit paratus, & ſolicitus ponere vitam ſuam, & die noctuque orare & laborare, quòd omnes in Chriſto inuiſcerentur, & Chriſtus in eis. Sed tamen, ne ex hoc credatur, quin vitia hominum ſint pro toto poſſe cauenda & fugienda, ſciendum, quòd quandocumque ex ſocietate malorum hominum, vel imperfectorem, periculum imminet vel occaſio retrahens vel impediens à perfectione, vel feruore prædictarũ virtutũ, debes à talibus, ſicut à ſerpentibus, vel draconibus elongari. Non enim eſt carbo ita ignitus, quin in aqua frigeſcat aut tepeſcat: ſic è contrà, vix eſt carbo ita frigidus, quin aceruo carbonum ardentiũ accendatur. Aliàs vbi periculũ huiuſmodi non imminet, ex mera ſimplicitate debes aliorũ nõ videre defectus; aut ſi videas, per cõpaſſionẽ ſupportate vt tua. Vt autem vtiliter ad temporalia, & æterna te habeas perfectè, ſcito, quod temporalia

Septiformis affectus circa Proximũ.

Conſortũ malũ ſugei.

Quomodo ſe anima ad temporalia habere debet.

poralia debes aſpicere ſub quadruplici ſēſu. Primò, ſcilicet vt tāquam peregrinus & abuena ſentias omnia vt extranea & aliena, in tantū, vt tua veſtis tuo ſit ſenſui ita extranea, ac ſi eſſet in India. Secundò, vt in tuo vſu abundantiam timeas, vt venenum, & vt mare ſubmergens. Tertiò, vt in tuo vſu omnem inopiam & egeſtatē ſentias, quia ipſa eſt ſcala per quam aſcenditur ad cæleſtes diuitias & æternas.

Paupertatis & pauperum amor.

Quartò vt ſocietatem, contubernium & apparatum diuitum & magnatum fugiens, non ex contemptu tantum de ſocietate pauperum glorieris, & in memoria, & adſpectu, atque conuerſatione pauperum & deſpectorum totus læteris, quaſi expreſſa imagine Chriſti, & eis quaſi Regibus cum ſumma alacritate, & iucunditate, & reuerentia aſſocieris.

Documenta ad perfectionem ex Diui Bernardi Formulâ honeſtæ vitæ.

Contemptus rerum humanarum. Reſignatio

SI plenè vis aſſequi quod intendis, duo ſunt tibi neceſſaria; Primum eſt, vt ſubtrahas te ab omnibus tranſitoriis rebus, & terrenis, vt nihil de eis cures, ac ſi non eſſent. Secundū, vt ita te des Deo, vt nihil dicas vel facias niſi quod credideris firmiter placere Deo. Primum autem aſſequeris hoc modo. Omnibus modis, quibus potes, te vilifica, te nihil reputādo eſſe, ſed credas omnes homines eſſe bonos & meliores te, magiſque placere Deo: quæcumque audis, vel vides in Religioſis perſonis, puta bona intentione dici vel fieri, etiamſi contraria videantur: nam humana ſuſpicio facilè fallitur. Nulli diſpliceas, nihil vnquam de te loquaris quod laudem importet, quantumcumque ſit familiaris ille cum quo loqueris: imò plus labora cælare virtutes, quàm vitia. De nullo prorſus ſiniſtrè loquaris [quantumcumque ſit verum vel manifeſtum] niſi in confeſſione, & hoc, vbi nō potes aliter manifeſtare peccatum tuum. Libentiùs accōmoda aurem tuam, cùm aliquis laudatur, quàm cùm vituperatur. Cùm loqueris, verba tua ſite rara, vera, pōderoſa, & de Deo: ſi ſæcularis loquitur tecum, & vana proponit, quàm citiùs potes ſuccide ſermonem, & transferas te ad ea quæ Dei ſunt. Quidquid contingat tibi, vel alii, quantumcumque coniuncto, non cures, & ſi eſt aduerſum, non triſteris; ſi eſt proſperum, non læteris, ſed totum nihil puta, & lauda Deum. Sollicitudinem adhibe, quantum maximè potes,

Laus propria fugienda. Detractio.

Sermo qualis ſit oportet.

potes, vt vtilitati tuæ ſedulus intendas. Fuge locutoria quantum potes: melius eſt enim ſilere, quàm loqui. Poſt Completorium non loquaris, quouſque finita ſit Miſſa ſequentis diei, niſi cauſa maxima interuenerit. *Reſignatio* Cùm vides aliquid quod tibi diſplicet, vide ſi hoc eſt in te, & abſcinde; ſi verò uides aliquid quod tibi placet, vide ſi hoc eſt in te, & tene, ſi non eſt, adſume: & ſic erunt tibi omnia in ſpeculo. *Ex obviis quid colligendum.* De nulla re murmures cum aliquo, niſi credideris prodeſſe, quantumcumque ſit graue quod habes. Numquam pertinaciter aliquid affirmes, vel neges, ſed ſint tuæ affirmationes & negationes, dubitationis ſale conditæ. A cachinnis ſemper abſtineas; rideas verò raro, & cùm paucis prœſtes os tuum. Breuiter in omnibus dictis tuis ſic te habeas, vt ſint ita; quæ dubia, dimittantur. Secundum aſſequèris hoc modo: orationibus cum magna deuotione intendas, & eas dicere labora horis debitis, & quod offers in oratione reminiſcaris in corde, & vt ea quæ legis, confirmes, diligenter recogita & eorum imagineris ſtatum in quorum memoria hæc dixeris. *Orationi inſtandum.* Iſta tria ſemper in mente habeas: Quid fuiſti, quid es, quid eris. Quid fuiſti, quia ſperma fœtidum; quia vas ſtercorum; quid eris, quia eſca vermium. *Humilitatis exercitium.* Similiter imagineris eorum pœnas, qui ſunt in inferno, & quòd numquam finientur, & pro quàm modica delectione tanta mala patiuntur. Similiter imagineris gloriam Paradiſi, & quòd numquam finietur, & quàm breuiter & citò acquiritur: & quantus luctus & dolor poterit eſſe illis, qui pro parua re tantam gloriam amiſerint. Cùm habes aliquid quod tibi diſplicet, vel times habere, cogita quòd ſi tu eſſes in inferno, & illud, & quidquid nolles haberes: & cum habeas aliquid quod tibi placet, vel optas habere, cogita quòd ſi tu eſſes in Paradiſo, haberes illud & quidquid velles: ſi autẽ in inferno eſſes, nec illud, nec aliud, quod velles haberes. *In aduerſis quid cogitandum.* Quandocumque eſt feſtum alicuius Sancti, cogita de illo quanta ſuſtinuit propter Deum, quia breuia; & qualia adeptus eſt, quia æterna. Similiter cogita quia tranſeunt bonorum tormenta, malorum gaudia. hi cum iſtis tormentis adepti ſunt gloriam æternam, & iſti ex indebitis gaudiis æternam pœnam. Quandocumq; te vincit acedia, accipias hoc ſcriptum & imagineris hæc omnia diligenter: & cogita de tempore quod ſic perdis, quod illi qui in inferno ſunt, darent totum mundum (ſi haberent) pro eo. *Hoc ſcriptum legendum crebrò.* Cùm habes aliquas tribulationes; cogita quòd illi qui ſunt in paradiſo, carent eis: ſimiliter cùm habes aliquas conſolationes, cogita illos de inferno carere eis. Omni die

Examen. cùm vadis cubitum examina diligenter quid cogitaſti, & quid dixiſti in die, & quomodo vtile tempus, & ſpatium quod datum eſt ad acquirendam vitam æternam, diſpenſaſti: & ſi benè tranſiuiſti, lauda Deum, ſi malè, vel negligenter, lugeas, & ſequenti die non differas confiteri. Si aliquod cogitaſti, dixiſti, vel feciſti, quod tuam conſcientiam multum remordeat, non comedas antequam confitearis. Iſtud in fine pono, vt imagineris duas ciuitates, vnam plenam omnibus tormentis, quæ eſt infernus; alteram plenam omni conſolatione, quæ eſt paradiſus; & ad vnam illarum oportet te currere. Vide quid te poſſit trahere ad malum, vel impedire à bono: credo, quòd nihil inuenies. Certus ſum, quòd, ſi benè ſeruaueris ea, quæ ſunt hic, Spiritus ſanctus habitabit in te, & perfectè docebit te facere omnia. Ergo bene ſerues iſta, & nihil negligas, & lege ea in ſeptimana bis, ſcilicet in die Mercurij, & in die Sabbati, & vt inueneris te feciſſe quod ſcriptum eſt, lauda Deum, qui eſt pius & miſericors in ſæcula ſæculorum Amen.

Duæ ciuitates ad quas homines tendunt.

Epiſtola cohortatoria Sancti Thomæ ad quemdam, in quâ proponit idoneum modum ſalubriter acquirendi ſcientiam, ſiue humanam, ſiue diuinam.

QVIA quæſiſti à me, in Chriſto mihi chariſſime, qualiter te ſtudere oporteat in theſauro ſcientiæ acquirendo: tale à me tibi ſuper hoc traditur conſilium, vt per riuuolos non ſtatim in mare eligas introire, quia per faciliora ad difficiliora oportet deuenire. Hæc eſt ergo monitio mea, & inſtructio tua. Tardiloquum te eſſe iubeo, & tardè ad locutorium adſcendentem: conſcientiæ puritatē amplectere, orationi vacare non deſinas: cellam frequenter diligas, ſi vis in cellam vinariam introduci. Omnibus te amabilem exhibe, nihil quære penitus de factis aliorū, nemini te multum familiarem oſtendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, & ſubtractionis à ſtudio materiā ſubminiſtrat. De verbis & factis ſæculariū nullatenus te intromittas. Diſcurſus ſuper omnia fugias. Sanctorum & bonorum imitari veſtigia non omittas: non reſpicias à quo audias, ſed quidquid boni dicatur memoriæ recommenda. Ea quæ agis & audis, fac vt intelligas; de dubiis te certifi-

Cuſtodia oris, &c.

ces

ces; & quidquid poteris in armariolo mentis reponere, ſatage, ſicut cupiens vias implere. Altiora te ne quæſieris. Illa ſequens veſtigia, frondes & fructus in vineam Domini Sabaoth vtiles, quamdiu vitam vixeris, proferes ac produces. Hæc ſi ſectatus fueris, ad id attingere poteris, quod affectas.



EPILOGVS OPERIS ET ORATIO AD B. VIRGINEM MARIAM.

EMenſus ſum, ô ſtella maris, Beatiſſima Mater, hanc triplicem Viam, nõ meis viribus; ſed tuo vnius poſt Deũ præſidio, te prælucente quaſi ad portũ appuli, ſed ſtylo, non vitâ; non facti ſpatio, ſed voto ac deſiderio. Hoc verò ne inane ſit, ne, cùm aliis prædicauero, ac viam oſtendero, ipſe reprobus efficiar, obſecro te, vt efficiat per te Chriſtus IESVS, via vitę, & veritas, & vita: non ſolùm autem in me, ſed in omnibus qui hęc legerint, & oculos ad te ſuos exules filii Euę leuarint. Et verò quò eos leuare, quò ſe poſſunt conuertere tempeſtate iactati, niſi ad te, quæ es portus omnium in te ſperãtium? quo luctantes cum contrariis tentationũ ventis in nocte triſtitiæ, niſi ad te, quę es ſtella matutina & aurora conſurgens? quò peregrini & aduenę, niſi ad te, ô ianua cęli? vt per te in terram promiſſionis, in patriam, ad quam vocati ſumus cæleſtẽ perueniant, & hauriant ſalutẽ à Domino. Accipe, precor, hęc vota mea, & omniũ qui ad te ſuſpirant, accipe quod Dominus hic per me operari dignatus eſt; tibi enim ea accepta fero atque offero, vt per VIAM iſtam & veritatẽ quotquot ambulamus, perueniamus ad VITAM ÆTERNAM IESVM Chriſtum filium tuum. Amen.

FINIS.

Quibus ante orationem, meditationem, lectionem piam, & in illis & poſteà fructuoſè vti potes, quoties in illis ad virtutis alicuius amorem, vel vitii deteſtationem moneri vel moueri te ſenties.

Oratio præparatoria, cuiuis orationi longiori, vel meditationi Communis.

O Rex regum, & Domine dominantium, qui vbique es, & contēplaris in omni loco bonos & malos, & ſcrutaris cor & renes; ecce fide viua & fiducia magna (dixiſti enim: quidquid petieritis, fiet vobis) accedo ad thronum gloriæ tuæ, vt reus ad Iudicē, filius pauper & prodigus ad Patrem, & qua poſſum charitate ad te quem diligit anima mea: vt vni tibi placeam, & vitam seriò corrigam, maximè defectum illum N. vt offeram tibi ſacrificiū laudis ex toto corde meo, & cum omni deſiderio omnis creaturæ, quæ fuit, eſt, eritque & eſſe poteſt, etiāſi infiniti mundi potentia tua crearentur: idque in vnione amoris & meritorum Chriſti Iesv, & B. Virginis, & Sanctorum omnium.

Præſentia Dei.

Actus fidei ſpei & charitatis.

Propoſitū vitæ nouæ Scilicet quem examine particulari perſequeris.

Exercitium fidei & virtutum aliarum in oratione.

HÆccine vera ſunt? Hæccine viua fide credo? & quaſi crederem, ſic viuo piè, & vt ſtatui ordinatè? ſic cogito, loquor, & operor velut ambulans coram te? ſic honorē, opes, & vitæ huius blandimenta, vt tu & ſancti fecerunt, contemno; & aduerſa hæc, & illa, atque aſpera tolero? & omnes, maximè inimicos ſincerè, & opere diligo; & vtor hoc vitæ, ſeu mercatus tempore? Cùm impendeat etiam fortè hac hora mihi à momēto æternitas? ita N. ardentiſſimè deſidero pro maiori tua gloria. Et ſi quidem vires me volentem deficiant, nónne tu adſtas mihi, & in te ſpero, ô infinita bonitas, hic mihi præſentiſſima! Credo Domine, adiuua incredulitatem meam, ſpero in te ſolo, & ſcio, non confundar, & te ſolùm quæro. Extra te enim vanitas vanitatū, & omnia vanitas. Et ſicut amore tui ſuper omnia doleo, quod offenderim te vllo pacto; & nominatim hoc defectu N. ita toto corde amo te ſuper omnia. Et an aliquid N. vltrà me ſeparare poterit à te, ô Iesv, ô vita, ô amabiliſſima charitas? ô omne bonū Deus meus, Deus cordis mei & omnia! Vtinam te diligam ſuper omnia, te vnum quærā, nec dimittam in æternum. Amen.

Actus fidei ſpei, amoris

Actus contritionis.

Abnegatio ſui.

Aliud exercitium in oratione

Actus fidei CRedo tibi, o æterna veritas, quæ mihi iudicia tua aperire dignata es; credo, ô maieſtas infinita, te hic & in *Præſentia Dei.* corde meo, & vbique eſſe per eſſentiam, præſentiam & potentiam: in te ergo ego & omnia, vt in mari ſpongia, & *Reſignatio.* tu in omnibus, & nobis es omnia, & circa nos omnia. velut lumen, aër, nebula, ignis; & in me omnia, & in omnibus o- *Actus charitatis.* peraris propter me, & in corde meo velut throno & tẽplo tuo requieſcis; quare in te ſolo confido, & ſpero deſiderata obtinere N. quia toties, ô veritas, dare per filium tuum poſtulata promiſiſti, ideoque & omnia tibi committo, ac diligo te ex toto corde meo, & omnes propter te, & deſidero pro innumeris beneficiis N. & vitæ myſteriis N. & *Oblatio ſui.* peccatis meis, quæ deteſtor, & quia digniſſimus es, offerre tibi omni affectu poſſibili hoc ſacrificium cordis mei, & bonæ voluntatis N. vltimum fortè coram curiâ tuâ, & cum eâ, & pro omni creaturâ tuâ. Da mihi, benigniſſime IESV, à te vocato ad hoc gratiam, & ſuſcipe in vnione omnium meritorum tuorum me, & omnia mea, & hoc propoſitum meum N. Amen.

Aliud per aſpirationes.

Aſpirationes viæ purgatiuæ. *Pſal. 37.* Hæccine firma fide credo? & hoc à me poſtulat bonitas tua? certè ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, Deus, viuifica me, & deduc in ſemitam mandatorum tuorum.

Actus timoris Domini. O Pater amantiſſime, peccaui in cœlum & coram te, *nempe non ſequendo virtutem illam* N. & iam non ſum dignus vocari filius tuus: ſed doleo ex amore tui: itaque fac me, benigniſſime IESV, ſicut vnum ex mercenariis tuis. Et quæ *Lucæ 15.* merces mea? tu es, bone IESV, & verè magna nimis.

Contritionis. Ampliùs laua me bone IESV, ab hæc N. iniquitate meâ, *Pſal, 118.* *nempe contraria virtuti præpoſitæ*, & à peccato meo munda *Pſalm. 50.* me, qui ſic dilexiſti me, & lauiſti me in ſanguine tuo.

Deteſtatio peccati. Sana me, Domine, & ſanabor: ſaluum me fac, ô IESV, & ſaluus ero, & dum inueniri potes, quæram te in toto corde *Iſaiæ 55.* meo, vtinam inueniam te.

Actus fiduciæ in Deum: Quæ vtilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in corruptionem? igitur nè elongeris à me, Deus meus in auxilium meum reſpice.

Pſal. 29. Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias *Pſal. 70.* me, Deus ſalutaris meus.

Pſal. 26. Eheu ſapientia æterna! quam mendaces filii hominum *Contemptus ſæculi.* in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum! abrenuntio illi N. & omni quod retrahit à te, & adhæreo tibi Deus meus, *Sola enim vanitas retrahit à virtute.*

Auerte

Auerte oculos meos,ò veritas,ne videant vanitatem,& deprædentur,& rapiant animam meam,& non ſit qui eripiat,ad te enim,ad te leuaui oculos;meos. *Cuſtodia cordis.*

O quàm doleo & quàm amarum eſt ſic dereliquiſſe te,ò dulcedo ineffabilis,*ſcilicet per peccatum virtuti propoſitæ contrarium*,Domine Deus meus,omne bonum,qui ſic viuens, & moriens,dulcedinem tuam in filios demonſtraſti. *Contritio.*

Quid reſpondebo tibi ſic monitus, & toties doctus à te, N.o ſapientia æterna,o Iudex ſupreme, cùm ſcrutaberis cor meũ in lucernis,& veneris iudicare ſæculum per ignẽ? *Actus timoris.*

O via vitæ,o lux mea,quis mihi tribuat vt ambulem dú te lumen habeo,& tenebræ me non comprehendant, & iuxta præſens monitum N. curram in viam mandatorum tuorum?vt comprehendam te ſicut comprehenſus ſum? Aſpirationes viæ illuminatiuæ

O omne bonum, quando ſatiabis me gratia & charitate tua,& cognoſcam te quòd tu ſis mihi omnia,quodque verè extra te,& fumus,& vmbra,& vanitas & nihil ſint omnia. *Propoſitũ pium obedientiæ.*

O Sapientia æterna,ergo non credam tibi,o veritas, ſic amantiſſimè loquenti ad me? vt ſequar te N, quocunque ieris,o lux mea, illuminatio mea, & ſalus mea?credo, credo,adiuua incredulitatem meam. *Contemptus ſæculi. Actus fidei & imitationis* Iesv.

O Domine,quid mihi,qui nihil ſum & nihilo peius,quid mihi eſt in cœlo,& à te quid volui ſuper terram,quo minus ſequar te? Tu enim pars hæreditatis meæ, & calicis mei; quid Domine? Deus meus es, verè Deus cordis mei & omnia. *Pſal.26. Pſal.72. Actus ſpei. & amoris.*

Magiſter bone Iesv bone, doce me facere voluntatem tuam,quia Deus meus es tu,& cum in manibus tuis ſortes meæ,mors & vita ſempiterna,ò Iesv eſto mihi Iesvs. *Pſal.142. Actus ſpei.*

Orere,obſecro,mihi ſol iuſtitiæ, & inclinentur hæ vmbræ vanitatis meæ vt ne atomus quidem ſeparet me à te omni bono, aut obumbret mihi. O lux mundi, iam hiems tranſiit,imber abiit,& receſſit,fac ò ſol iuſtitiæ, vt appareant flores virtutum in terra noſtra, & tu maximè flos campi,& lilium conuallium in medio cordis mei. *Contritio perfecta. Deſideriũ virtutum.*

O quam ſuauis eſt,Domine,ſpiritus tuus,& quàm dulcia faucibus meis hæc eloquia tua ſuper mel & fauum! *Suauitas legis Dei.*

O quàm multa pax diligentibus legem tuam princeps pacis!da mihi obſecro ſequi ſic veſtigia N,pedum tuorũ quos millies exoſculor & cum Magdalena lauo lacrymis meis. *Pax eiuſdẽ & imitatio Chriſti. Imitatio Sanctorum*

O vtinam velut ſancti tui currebant in viam mandatorum,ſic ego ad te ò meum brauium,& ſuauiſſimos amplexus tuos:quando hoc erit?

O charitas Deus meus Chriſte Iesv, quis mihi tribuat,

Adſpiratio viæ vnitiuæ. vt perfectè amem te vnū ſicut deſiderat anima tua,& ego nihil deſiderem extra te,& oderim me.

Actus amoris, In qua quies animæ. O ſpes mea,& ſola requies mea,& centrum,& portus, & omnia,quando ſuſtolles me ſuper altitudinem terræ, & requieſcet cor meum in te? vt guſtem & videā quàm ſuauis ſis diligentibus te.

Pſal.33. O hoſpes dulciſſime animæ meæ,ô theſaure abſcondite,quando te inueniam;quando te videbo & amplectar,vt vbi eſt theſaurus meus,ibi ſit totum cor meum,vnum tecū?

Amicitiæ. Dei ſuauitas. Prou.8. O Iesv,ſi deliciæ tuæ ſint eſſe cum filiis hominum,obſecro te,ſint etiam tuæ eſſe mecum:paratum enim cor meū amare te,paratum cor meum, tu ſcis facere omnes voluntates tuas.

Reſignatio, Pſal 56. Vnio cum Deo. Patribus meis conglutinatus es,Domine,fac obſecro me vnum tecum,ſicut tu & Pater vnum eſtis:da vnum velle,vnum nolle tecum,& ſufficit mihi.

Deut.10. Obediētia perfecta. Quis mihi det vt faciam omnes voluntates tuas, & guſtē quàm ſuauis ſis,Domine,& amareſcat omne quod tu nō es.

Actus ſpei, Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ,Domine, quàm abſcondiſti timentibus te?quanta ergo , quanta diligentibus te ? verum quid quæro multa ? vnum eſt neceſſarium , vnum bonum,o omne bonum quod tu es.

Actus gratitudinis & rectæ intentionis Cur iam viuo,& cui viuo,o vita mea,ſi non vti cupis ſic N. viuo,& ſoli tibi,qui pro me mortuus es, & crucifixus? & tot benedictionibus me præuenis.

Aſpiratio ad Deum. Eheu,quid videmus hic miſeri?N.vana omnia extra te: te verò te per ſpeculum in ænigmate,o quādo dabitur facie ad faciem.& ſatiabis me cum vultu tuo!

Actus charitatis. Feciſti me,Domine,ad te:& cur?vt amem te;& inquietum eſt cor noſtrū,donec,requieſcat in te,ideò ſuper omnia diligo te propter te,ex toto corde meo,& ex totâ anima mea,ex tota mente mea,ex totis viribus meis,in æternum,in æternum. Amen.

Oratio poſt orationem longiorem.

Gratiarū actio. Diffidentia ſui. Propoſitorum iteratio. DOmine Deus meus, qui cuſtodis pactum, & miſericordiam ſeruis tuis, gratias tibi ago,quia dignatus es audire deprecationem meam;exaudi,quæſo,eam propter gloriam nominis tui, & da mihi gratiā (ſine qua nihil poſſumus) vt voluntatē tuam,quàm cognoui , & defectus meos N.de quibus vehementer doleo, emendare ac pia deſideria iſta N.perficere poſſum,vt magnificetur nomen tuū vſque in ſempiternum Suſcipe illa,obſecro, & opera mea in vnione meritorum filii tui,& omnium Sanctorum tuorū: diſpone

diſpone de me viliſſimâ creaturâ tua ſecundùm beneplacitum tuum. Reſigno me, & reiició totum in te, omniaque accepto à paterna manu tua, ac toto corde te diligere & tibi ſeruire deſidero, Amen. *Oblatio ſui*

Nota quoties N. ponitur indicari, ſecundùm ſubiectam materiam oportunum ibi eſſe, aut beneficia Dei, aut vitæ Chriſti myſteria, aut defectus tuos, aut pia deſideria, aut illa quibus indebitè adhæres, conſiderare.

Oratio pro executione bonorum deſideriorū tum in oratione, tum inter legendum praxes, aut hiſtorias ſacras, aut exempla alicuius virtutis iteranda crebrò & attentè.

DIgnatus es, amātiſſime magiſter IESV, in ſudore vultus tui, exemplo & ſanguine tuo ſignare doctrinam iſtam N. ſis benedictus in æternum. Dignatus es has praxes faciles (mandata enim tua grauia non ſunt) mihi proponere, vt ſequar tua tuorumque veſtigia. Itaque cùm poſſim per te, propter te volo vt placeam tibi, dolens de omnibus peccatis meis: ſis benedictus in æternum. Viſitaſti terram & inebriaſti eam imbre & rore gratiæ tuæ, da obſecro incrementum ſemini ſancto tuo, vt ſis à me benedictus toto affectu in æternum. Si enim hæc ſciente me, gratia tua in me vacua ſit, quid erit quod moriens, quod in iudicio, tibi, & charitati, & immenſæ bonitati tuæ, vel ad tot exempla reſpondeā? Da igitur velle & perficere, & amare te amantiſſime IESV, & viuere tibi ô vita noſtra in æternum, in æternum. Amen. Amen.

Alia breuior.

HAnc doctrinam N. & occaſionē eius ab æterno mihi deſtinaſti ex ſummo amore ô IESV, vt ea vterer. Credo tibi o Sapientia æterna, ſuadenti, & ſequi te cupio in te vno ſperans, cum nihil poſſim ſine te. Et nónne tot dona, tot promiſſa, & ſuper omnia charitas tua à me id impetrabit? Cupio gratia tua facere vt alteri ſuaderem N. vt in morte, & iudicio, ac æternitate, & tu, & omnes Sancti, & ego me feciſſe optabo.

Alia

HÆc ſcio, & fateor gratia tua, ſi volo, faciendo beatus eſſe poſſum hic & æternùm. Volo igitur, credo in te, in te ſpero, & toto corde te diligo.

Exer-

Exercitium Complectens Meditandi modum, varioſque affectus, & virtutum Præcipuarum actus.

O Deus, qui præſentiſſimus & intimus hic mihi & omni creaturæ es: ecce ego adſto coram te & curiâ tuâ, reus & inops à virtutibus N. N. *quas merito à me exigis: ve umtamen vti ſpero & cupio, toto corde amo te: Ignoſce obſecro amanter dolenti quod minus quàm debeo, amârim, quodq; tot gratijs ac donis tuis (pro quibus tibi cum omnibus Angelis, & Sanctis tuis, ac creaturis humillimè grätias ago) tot de perfectione, & virtute hac* N. *mandatis ac conſilijs non reſponderim. Da mihi bone* Iesu *iam id facere: credo enim & ſcio hoc à ſola tua gratia, vti & omne donum, non ab induſtria noſtra manare: Verè enim dixiſti: Sine me nihil poteſtis facere. Da igitur & indue me hoc affectu, & virtute* N. *ex alto: hanc enim mihi etiam ipſa ratio, & vtilitas ſic* N. *ſuadet, imò & ſapientum mundi facta* N. *& dicta, atq; adeò in natura rerum velut imagine & ſimilitudine eam depingis: Mors inſtans ſtimulat, & iudiciũ irreuocabile, & æternitas interminabilis. Exemplo ſuo & doctrina ſic ad eam nos prouocant Sancti, & pax quæ exſuperat omnem ſenſum, & gaudium in Spiritu ſancto, ſed inſuper ô amantiſſime* Iesu, *ad eam nos inuitas potentiſſimo exemplo tuo* N. *& Scripturâ tua* N. *ô æterna Veritas hortaris. Huic, & Eccleſiæ cum certa fide credam paratus eam vita & ſanguine ex amore tuo etiam hac hora obſignare, qui fieri poteſt, vt perinde ac ſi nec mea foret tepidus permaneas? Deus bone quomodo ſaltē innumera beneficia, non me compellent? Quomodò non ſuper omnia bonitas tua, Deus meus? Vtinam ego ſaltem, cùm totus ferè mundus in maligno poſitus, vitæ & paſſioni tuæ, ô Chriſte* Iesu, *iniurius ſit, tibi vita Sancta ſolatio forem, ego quem tot benedictionibus dulcedinis immerentem præuenis: Deus bone hæccine ſcio & credo, & ſpero, & te amo ac torpeo? O Domine adauge nobis fidem, ſpem, & ſuper omnia tui amorē. Diligo quidē te toto corde meo, ſed multo ardentiùs deſidero & affectu omnis creaturæ quantũ licet, quantũ poſſum: Proximũ verò amo non verbo, ſed opere, & ſincerè, vt meipſum propter te, maximè alienos à me, quibus omnia ex nunc dimitto ſicut tu omne debitũ dimiſiſti mihi, & te in eis agnoſco, cupioq; tibi in eis omnia facere, quos & omnes, maximè quibus debeo, & vti debeo, commendo infinitæ bonitati tuæ ſimul & animas defunctorũ. Vnum autē peto à te Domine & requiro, ſuſcipe me totũ, & da mihi te ipſũ & præſentiam tuā ſimul & prouidentiā in his* N. N. *& in omnibus ſemper agnoſcere & laudare, illiq; non*

alteri

Præſentia Dei.
Humiliatio ſui.
Actus Contritionis & Amoris petitio.
Diffidentia ſui & Confidentia in Deo.
Virtutem ſuadet.
Ratio.
Sapiētes.
Natura rerum.
Mors.
Iudiciũ.
Æternitas.
Exempla Sanctorũ.
Pax animæ.
Gaudium de virtute.
Chriſti exemplũ & Scripturæ adhortatio.
Actus fidei.
Actus Martyrii.

alteri præterita NN. præſentia NN. & futura NN. ſeu bona ſeu mala iuxta legem tuam tribuere: ac proinde de nullo queri vel dolere. Da ſtare inter aduerſa NN. ſecurum & abſque terrore: quorſum enim timeo cum in pondere, numero, & menſura, à te Deo meo, Patre, medico, & duce optimo ac præſentiſſimo pro æterna ſapientia & bonitate ſint ordinata. Da ſtare in te erectũ; neq; ſpe creaturę inniti, quàm doleam ſe ſubtrahere; abnegaui enim, & abnego omnẽ, & omnia propter te quæ ſperare poteſt homo aut optare. Da mihi vt neq; gaudio trahar aut exemplo, vel reſpectu hominum ad vlla munda bona incliner. Habeo enim hic ea omnia in te fonte omnis boni, & vera (cùm illa picta ſint & falſa) & ſincera (cùm illa felle & veneno mixta) & vltra parata, cùm illæ ægrè acquirantur, nec momento ſecurè & abſque amaritudine poſſideantur. Habeo ea quidem in te vbique, at maximè in Ven. Euchariſtia ad quam velut fontem aquæ viuæ ſitiuit & ſitit anima mea. Da mihi de tam præclaro calice bibere, & illo inebriari ab vbertate domus tuæ, & cibo Angelorum ſatiari: ſic enim ſpe plenus obtinendæ gratiæ tuæ, & ſalutis meæ quàm ſupplex per vitam & mortem Chriſti Ieſu peto (dixiſti enim, petite & accipietis) ambulabo coram te corde tranquillo & perfecto, nihilque ſperans aut timens ſic N. ſemper de te cogitabo, ſic loquar N. tecum vel de te crebro, amanter & pie ſic actiones NN. ad te dirigam, & operabor hoc velut vltimo die immò hora ſalutem meam: donec, donec aſpiret illa: quando hoc erit? donec, donec aſpiret illa dies, & inclinentur vmbræ, donec quod ardenter exopto & ſincerè, vti noſti, deſidero, te videam, te perfectè amem, & complectar te vnum: ſim tecum & liqueſcam in te, donec ſis mihi omnia in omnibus, Deus cordis mei & omnia. Amen.

Aliud exercitium in oratione fidei.

O Veritas, ô bonitas, credo tibi hic & vbique mihi præſentiſſimæ, & hæc N. & quæcumq; ſcripta facta & dicta ſunt ad meã eſſe inſtructionẽ, & certiſſimè profiteor corã curia tua, neq; eſſe, quod excuſem niſi credam illa, & opere id oſtendã per gratiam tuã. Tu potentiſſimus & ſapientiſſimus, & optimus, & ego non credã tibi, & hæc N. teſtimonia voluntatis tuæ non amplectar? verè credibilia mihi & amabilia facta ſunt nimis ſiue rationẽ N. & ſapiẽtes N. ſiue rerũ naturã inſpiciã & audiam. Vtinã te audiſſẽ ſemper, ô omne bonum, & numquã te offendiſſem. Vtinã vita mea te honoraſſẽ, & ex patientia mea oſtendiſſẽ fidem meã! Verùm ex nunc in æternũ credam & diligã te opere & veritate N. fac de me quod tibi viſũ in æternum: ego gratia tua cùm ſciuero voluntatem tuam, faciam ex intimo tui amore

& que-

Admiratio. Beneficia Dei. Inuitant ad virtutem. Zelus & Compaſſio erga Chriſtũ. Actus amoris, Dei. Proximi. Inimici. In proximo agnoſcere Chriſtum. Oratio pro proximo. Communicatio cum Deo. Omnia accipere de manu Dei ac de nullo queri. Animi aduerſa præparatio. Spei & omnium affectuũ in Deum cõuerſio. Contemptus rerũ humanarum.

Applicatio ad S. Communionem, Ordinatio actionum, Dei mandata credibilia. Reſignatio. Humiliatio ſui.

& quæcumque reuelaſti pro ſalute mea; amplectar, & omnes voluntates tuas, ô vita mea & omne bonum meum. Amen.

Exercitium Spei.

Tu ſcis Deus meus, tu ſcis quòd nõ ſumus ſufficientes aliquid facere ex nobis vti hoc N. tanquam ex nobis. Itaque ego puluis & cinis ad te confugio, vti per te, & patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeam, & in te ſperans non confundar. Tunè enim, ô bonitas, ſic N. me vocas & repellere poteris? ſic inuitas & trahis ad te, & deficere ſines in via? In te Domine ſperans, ſcio non infirmabor in æternum, etſi inueniam in membris meis legem repugnantẽ legi mentis meæ, neque dignus ſim gratiâ tua. Sed qui dediſti mihi corpus & ſanguinem tuum in precium; & te hodie paratus es dare in pignus ſalutis, & qui tot beneficiis N. præueniſti me, & petere toties iuſſiſti & dare promiſiſti, ô bonitas! ô veritas! dabis vtique mihi quod petam, vt toto corde ſperem in te: & quamuis occideres me, ô ſpes & vita mea, in te ſperabo, etſi conſurgerent in me caſtra mundi huius & vanitatis, & reclamarent, portio mihi tamen erit, ſic cuſtodire legem tuam, & te ſequi: quo enim ibimus à te bone IESV, *nónne verba vitæ æternæ habes?*

Beneficia Dei & pro miſſa ſpem excitant.

Exercitium Charitatis.

O charitas Deus meus, da mihi intellectum & diſcam mandata tua, ſiue per epiſtolam, ſiue per creaturam loquaris ad cor meũ. Quidquid enim ad ſalutem diſco, tu præſentiſſimus mihi, me ex infinito amore doces: O ſalus mea & medicina animæ meæ. Et quanto, quanto id amore doces me, qui nihilum ſum ante te! túne bonorum meorum eges, vt tam ſpontaneo amore tot me bonis & charitate tuâ præuenias? Sic enim pater æterne dilexiſti mundum, vt filium tuum vnigenitum dares. Sic tu benigniſſime IESV *fili Dei, vt pro me in mortem dederis precioſam animam tuam, & grauia mihi queant eſſe mandata & conſilia tua? Diligam ergo hæc N. & te Deus fortitudo mea, ô quàm tibi adhærere mihi bonum eſt! Quid ergo me ſeparare poterit à charitate tua? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an perſecutio? an gladius? fortis enim vt mors dilectio tua, & aquæ multæ ſpero non poterunt extinguere charitatem, id eſt ignem quem veniſti mittere in terram, & vis vehementer accendi.*

Deus nos docet ex amore. Magnitudo amoris Dei. Rom. 8. Reſigna-. Cant. 8.

FINIS

INDEX RERVM.

A.

ABNEGATIO ſui. *Ejus neceßitas*. 1009. 1119. *ad eam quomodo perueniatur*. 1100. P. 1009.

Acedia. *M*. 265. *Signa*, 267 *Damna & pericula*, 16. *Remedia*, 266. P 267.

Ægrotus. *Quid ei faciendum*, 1096. *Tentationibus quomodo occurrendum*, 110. *Quomodo iuuandus*, 945.

Æternitas *Quid* 592. *Mala malis bona bonis*, 594. P. 3 99.

Affectus *ſeptiformes, erga Deum, ſeipſum, proximum*, 1124.

Ambitio. *Ejus mala*, 33 *Stultitia*, 329. 344. *Bona quæ*, 530. *Mortificanda*, 305.

Amor. *Affectus ejus & exercitium*, 708. *Quid* 925. *Quotuplex ë. origo ë.*

Amicitia *Quid & quotuplex*. 426 *Vera quæ ë. Cauenda qua*, 437 *Vtilitas*, 431. *Præſtantia*, 432.

Amicus *Quis eligendus, vitanduſue*, 429. P. 435.

Amor carnalis, *Ejus ſigna*. 402.

Amor creaturæ. *Ejus incommoda*, 315. *Ab eo rettahentia*, 316.

Amor Dei. *Quid*, 536. 1118, *M*. 925. *Gradus amoris Dei*, 936 P. 935.

Amor inimicorum. *M*. 946. P. 957.

Amor proprius. *Ejus mala*, 118. *Mortificandus*, 303.

Amor proximi. *M*. 937. *Signa ë*. P. 944.

Angelus Cuſtos. *Ejus cultus commendatur*, 132.

Angelica ſalutatio. *Ad pulſum Angelicæ ſalutationis quid agendum*, 1055.

Aſpiratio. *Variæ ſecundùm tres Vias*, 972, Epilog.

Auaritia. *M*. 368. *Stultitia*, 370. 1010. *Moderanda*, 358.

B.

BEATITVDO. M. 1106. *Voluptas cœleſtis quanta*, 1109. *Eius dimenſiones* ë P. *ad amorem beatitudinis concipiendum.* 1114.
Beneficia Dei. *Quot & quanta*, 638. *In iis quid conſiderandum*, 184 P. 644.
Bona temporalia. *Quomodo ſe anima erga ea habere debeat*, 1126. *Vide Diuitiæ.*

C.

COELIBATVS. M. 1076. *Commoda* ë.
Captiuus. *Quomodo iuuandi.* 945.
Caſtitas. M. 396. *Signa*, 398. *Effectus*, 397. *Priuilegia* ë.
Charitas. *Charitatis actus*, 1105. *Vide* Amor.
Cilicium. *Quando noxium*, 94.
Cogitatio. *Eius vis.* 500. *Quæ quando cogitanda*, 210.
Cognitio ſui. *Eius vtilitas*, 212 P. 249.
Colloquium. *Quale eſſe debeat*, 1054. *Quid in eo cauendum*, 1055.
Comedere. *Quomodo comendum*, 1053.
Communio *frequens ſuadetur*, 805. P. *Variæ præparatoriæ ad eam* 813.
Concio. *Quomodo audienda.* 1050.
Concionator. *Qualis eſſe debeat*, 463. 475. P. 474.
Confeſſio Sacramentalis. *Eius vtilitas*, 80. 83. *Incitamenta* ë *Facilitas*, 89. *Quoties confitendum.* 88. P. ë. *Confeſſio generalis*, 62. *Eius neceſſitas* 63. *Noxia quando & quibus*, 63. 65. P. 67. *Confeſſionis libertas commendatur à Con. Trid.* 86. *Fouenda à Superioribus Religionum maximè mulierum*, 87. *Poſt confeſſ. General proſita*, 77. P *pro confeſſ. gener per præcepta Decalogi*, 67 *& ſeq.*
Confeſſarius. *Qualis eſſe debeat*, 87. *qualis Confeſſarius talis pœnitens*, 90. *Eius dignitas*, 89. *Pericula*, 90. *Cauenda cũ fœminis*, 94. 87. *Præparatio*, 94. *quando mutandus*, 86. P. 90. *Conſideratio* P, 207.

Conſortium malum *fugiendum*,1125.
Conſultor. *Conſultoris munus*,39.
Conſuetudo. *Eius vis*,596. *Exemplo probatur*,1092.
Contemplatio. *Dialogus de contemplatione*,958 *quid*,960. *Gradus ad eam, & viæ*,961. *Media*, 964. 967. *Materia ſeu ſubiectum* 965. *Cauenda*, 969. *Signa contemplatiui*, 963.
Contritio. *Eam exercendi modus*,678. *quid*,53. *Eius vtilitas ë Facilitas*,61. P. ë,
Cōuerſatio. *Pericula*,408 *Religioſi qualis eſſe debeat*,409. 1055. *Monita S. P. Ignatij*,413.
Correptio *quomodo facīēda*,217.221. *Præpoſtera mala*,217
Creatura *Earum conſideratio*,571.
Curioſitas. *M*. 121. *Mala* ,312. *Actus*, 321. *Signa domitæ curioſitatis*,322.

D.

DELIBERATIO. *Eius modus* , 158. *quæ deliberanda*. 166. P. 168.
Detractio. *Eius mala*,429. *Imago*,436.
Deus. *Communicatio cum Deo*, 570. *Ei ſeruiendum & quare?* 1115. *qua methodo*,1116.
Diffidentia ſui. *M*.550. P.556.
Diſciplina. *quando noxia*,94.
Diſputatio. *quomodo diſputandum*,467.
Diſtractio. *Cauſæ & remedia*,734.
Diuitiæ. *M* 16. *Diuitiarum mala*,369. *Bona*. 362. *Tres claſſes vtentium bonis*, 383. *Animæ nihil proſunt*. 997. F. 389. P. *Bona temporalia*.
Dolor *duplex*,53. *Medicina peccati ë*,

E.

ECCLESIA *propugnanda*. 287. *Etiā ab uno*,288. *Eius perſecutiones*,286 P. *Iuuandi Eccleſiam laborantē*.29.
Eccleſiaſticus. *Mali Eccleſiæ noxij*,286.
Educatio *quanti faciēda*,444. *quid pueris inſtillandū*.445
Eleemoſyna *M*.104. P. 113. *Liberis inculcanda, e. quomodo facienda ë. Eius vtilitas*,106.109. 110.
Euchariſtia, *Frequenter ſalutanda, & quomodo*;1054.

Examen conſcientiæ generale, 1046. *Eius neceßitas*, 187. *Partes*, 186. *Gratiarum actio* ë. *Agenda poſt examen generale*, 1046. *P.* 192. *Particulare quid*, 192. 1049. *Ordo*. 193.
Excuſatio *noxia*, 424.
Exercitia S. P. Ignatij *obita in carcere cum fructu*, 946.
Exercitia ſpiritualia. *Quid in iis ſeruandum*, 208, *Non mutanda*, 209. *Diarium S. Bonauentura*, 210.

F.

FAMILIA. *Paterfamilias qualis eſſe debeat*, 440. *Ad examen Conſcientiæ exhortanda*, 192. *P. ad familiam ritè inſtituendam*. 443.
Famulus. *Quales conducendi*, 439. 539.
Feruor *quomodo renouandus*, 160. *P.* 184.
Fides *quid*, 18. *Donum Dei*, 19. *vna*, 20. *Eius ſanctitas*, 25. *Antiquitas*, 22. 25. *Miracula*, 22. 24. *Fidei actus*, 1104. *P.* 26. *Nota* 1017.
Fiducia in Deum. *M*, 550. 1011. *P.* 565.
Finis hominis *quis ſit*, 12. *Conſiderandus*, 3. *Media*, 13, *P.* 16

G.

GRATIARVM actio. *Pro quibus reddenda*, 180. *P.* 183.
Gratitudo. *Eius exercitium*. 694.
Gula. *Eius ſigna*, 102. *Mala* 97. 103. *Pœna*. 99. *Rarò in Religione perſeuerant*, 98.

H.

HÆRESIS. *Eius varietas*, 18. *Origo* 20.
Hęretici nõ *mißi*, 22. *Pace carent*, 23. *Libertate carnis innituntur*, 24. *Quomodo cum iis diſputandum*. 25.
Homo. *In homine quæ conſideranda*, 219. *Miſeria*, 338. 550. *Quid de ſe quiſque ſentire debeat*, 1123.
Honor *quid ſit*. 327 *Vanitas*, 328. *Fugiendus*, 305. *Incommoda*, 329. 986 *Quis ambiendus*, 330.
Hora. *Horaria recollectio*, 210. *Diſtributæ per Sanctorũ cultum*,

tum, 609. *Paſſio Chriſti per horas diſtributa*, 895.
Horæ Canonicæ. *Quomodo legendæ*, 141. *Myſteria reſpondentia*, & *Lectio priuata*, 136.
Humilitas. *M.* 338. *Gradus* 347. *Signa*, 348. 553. *P.* 343.
Hypocryta. *Eius ſtultitia*, 84. *Confuſio*, 85. *Malitia*, 86.

I.

IEIVNIVM. 6. 97. 99. P. 102.
Imago. *Earum vſus commendatur*, 498.
Imitatio Chriſti. *Eius vtilitas*, 629. *In quo ſita*, 630. *M.* 751. *Neceſſitas*, 752. *P.* 760. 635.
Imitatio Sanctorum. *Quomodo inſtituenda*, 602. *P.* 608.
Immodeſtia. *Eius turpitudo*, 405. *Incommoda*, 406.
Impatientia. *Eius mala*, 223. 226.
Imperfectio. *Imperfectionum Alphabetum*, 345.
Inconſtantia. *Eius incommoda*, 487. *Remedia* 49.
Indulgentiæ. *Indulgentiæ commendantur*, 119.
Ingratitudo *deteſtanda*, 179.
Intentio pura *quid*, 898. *Eius gradus*. 901. *Neceſſitas*. 899. *Signa puræ intentionis* 901. *Meditationes quatuor*, 901. & *ſeqq. Quomodo vitietur*, 900. *P.* 910.
Iudicium temerarium. *M de contemnendis hominum iudiciis*, 232. *Cauendum*, 216, *Noxium*. 261.
Iudicium vniuerſale. *Signa*, 584. *forma*. 585. *Sententia* 587. *F. pro memoria eius excitanda*, 590.

L.

LAVS. *Quid ſit*, 327. *Propria fugienda*, 1126.
Lectio *laſciua damnatur*, 404.
Litaniæ. *Quomodo audiendæ*, 1055.
Luxuria. *Punitio eius* 399.

M

MAGISTRATVS. *Qualis eligendus*, 100.
MARII. *M. de eius imitatione*, 1024. *P. eam tolendi*, &

Matrimonium.M. De ſtatu matrimonij.1063. Eius bona, 1065 Incommoda, 1066. 1067. quomodo ineundum, 1068 quomodo obeundum ë.P.1082.1068.

Medicus, Eorum præcipuum erga ægros munus, 1095.

Meditatio. Quid ſit.501. Eius materia, 504. 508. Ordo, 507 Scopus ë Perſeuerantia.508. Infructuoſam quæ reddant, 498. A meditatione quid agendum 510.726 Loci vnde deſumitur 509, Nonus modus meditandi, 972.P. 512.

Militia, Ducum & militum qualitas, 300,

Minimorum cura.208, Minima mala vitanda, 244. Grauitas ë. Periculum ë.

Miſſa vtilitas eius, 896.P. Ad Miſſam ſe præparandi, 831. 873 P in Miſsâ ſe colligendi, 836 P. Sacrum audiendi, 872 874.1050 in Miſsâ quæ conſideranda, 834.

Monitio præcepti quando ſit, 421. Odioſa ë Neglectæ periculum, 423.

Monitor. Eius neceſsitas, 420. qualis eſſe debeat, 427, Neglecti mala 420.P.427.

Mors quæ in ea conſiderandæ, 578. M de præparatione ad mortem, 1091. qualis in ſubitâ morte eſſe debeat, 1094. quid moribundo faciendum, 1092 P. pro memoria mortis. 580.

Mortificatio.M.306 quid ſit & quotuplex, 302. Eius neceſsitas ë. quæ mortificanda; 303. Commoda 306. 308. P.310.

Mulier Colloquia cum ea fugienda, 402.

Mundus. Pericula eius & fallacia, 160.167.

N.

NATIVITAS Domini, 517.
Nobilitas vera quæ. 327.

O.

OBEDIENTIA.M.349. Conditiones, 353. Perfectionis compendium, 971. Eius neceſsitas, 350 Commoda, 351.354 P. Obedientiæ exercenda, 357.

Occaſio diligenter captanda, 325, Neglecta mala, 199.

Opus.

Opus: *In actionibus quid cogitandum*, 1058. *quid ſeruandū*, 207. *Earum ordo*. 209 *Actio vt ſit meritoria quid requiratur*, 900. *Diarium ſeu actionum ordinatio*, 1010. 1042.

Oratio. M. 121. *Eius neceßitas*, 276. *Efficacia*, 280. *Præſtantia*, 182. *Partes*, 505. *Modi* 105. *Attentio*, 118. *Aßiduitas*. 125. *Scopus*, 132. *Comes*, 128. *Neglectus*, 276. *Oratio præparatoria, eiusq; vtilitas*, 4. *Affectiua quæ, & quid*, 968.

P.

Paſsio. *Quid ſit & quotuplex*. 311. *Paßiones quomodo ſuperandæ*. 312. *Indomitarum incommoda*, 313. *& contra*, 314. *Remedia*, 314. 317.

Paſſio Chriſti. *Memoriæ paßionis vtilitas*, 895. *Per horas diei diſtributio ē Peregrinatio cum Chriſto patiente*, 876. P. *in paßione ſe exercendi*, 894.

Patientia. M. *de patientiâ in malis propriis*, 223. P. 230. M. *de patientiâ in malis alienis*, 215. P. 221. *Patientiæ laus*, 224

Pauper *Pauperes quomodo habendi*, 114. *Quibus & quo ordine benefaciendum*, 386.

Paupertas. M. 371. *Duplex ē Gradus*. 377. P. 376.

Pax animi. *Quid* 979. *Quomodo acquiratur*, 131. 1008. M. 611. *in quo ſita*, 705. P. 618.

Peccator. *Eius ſtultitia*, 81 *Ingratitudo*. 85.

Peccata capitalia. *Eorum remedia*, 26.

Peccatum. *Eius ſeruitus*, 252. *à peccato deterrentia*, 254.

Peccatum veniale. *Eius grauitas*, 243. *Damna* 244. *Punitio*. 245. P. 247.

Perfectio. *Quid* 749. *In quo ſita*, 279. 745. 1116. *Quomodo quærenda*, 170. *Conſeruanda ē. Eius deſiderium*, 262. *Excitamēta ē*. 16. 274. 272. *Perfectionis typus Chriſtus*, 1116. *Documenta perfectionis*, 1126. M. 790. *Methodus perfectionis*, 778. *Gradus*, 760. *Hypotypoſis viri perfecti*, 764. P. 176. 274. 794.

Perfectio Dei. 64). *Meditandi de eâ duplex modus*, 964.

Periculum. M. *de periculis vitæ humanæ*, 276. P. 278

Perſeuerantia. M. *de perſeuerantia in vocatione*, 1087. P. 1090.

Pictor. *Obſcœni quid peccent*, 403.

Pœna. *Pœnarum diuerſitas*, 193. P. 295.

Pœnitens. *Pœnitentes non alliciendi* 87. *Sponte accedentes enixius iuuandi* ë. *Quid in pœnitentibus curandum*, 95. *Pauperes benignè excipiendi*, 92. *Confeſſario oblato vtatur*, 87.

Pœnitentia. *Eius partes*, 52. *Qualis imponenda*, 94.

Præſentia Dei. M. 914. *Deus vbique quomodo?* 914. *Eius effectus*. 917. P. 922. *Incitamenta*, 917.

Proficere, *Profectus ſigna*, 802.

Propoſita bona. *Propoſitorum bonorum ſyllabus*. 77.

Prudentia, 575.

Pudor *Pudoris mali damna*. 81. *Remedia*, 83.

Pugna ſpiritualis. *Pugnæ ſpiritualis arma*, 256.

Purgatorium. *Pœna ſenſus*, 292. *Damni* ë.

R.

RECOLLECTIO. *Circa Deum, ſuperiores, proximum, ſubditos, ſeipſum*, 1061. *Horaria*, 1050

Religio. *Sine ratione ruina proxima*, 448,

Religioſus. M. *de ſtatu Religioſi*, 1082.

Renouatio ſpiritus. M. 795. P. 800.

Reſignatio. *Eius neceßitas*, 980 *Reſignati pax* 1121.

Roſarium. *Quomodo legendum*. 1035. *Roſarium Bloſii* ë.

S.

SACERDOS. M. 816. *Eius dignitas*, 817. *Puritas*, 825. *Indeuotio reprehenditur*, 896.

Salus. *Salutis ſigna ſeu notæ*, 1016.

Sanctus. *Sancti colendi & quomodo*, 1054.

Sapientia. *Sapientia ſumma*, 214. *Eius Theſaurus vt acquiratur*, 1128.

Satis factio. *Satisfactionis opera quæ*, 96.

Scrupulus. *Scrupulorum remedia*, 64.

Scrupuloſus: *Exercitium pro ſcrupuloſis*, 1011.

Senſus. *Senſuum cuſtodia*, 323.

Sermo. *Qualis eſſe debeat.* 1126. *Pius ſerendus,* 408. *Fouendus* & *quomodo.* 410.

Solitudo. *Solitudo duplex,* 446. *Eius neceßitas,* 447. *Vtilitas* 449. *Finis.* 455. *P. ad eius amorem excitandum,* 453.

Somnus. *Ante ſomnum quid agendum.* 131.

Spiritus *Spirituum notæ.* 160. 41. P. 38.

Spes. *Spes actus,* 1104.

Status vitæ. *Electionis neceſſitas.* 30. *Eligendi modus,* 31. *In eo perſeuerandum,* 30. P. 38.

Studium. *Studendi modus,* 1052. *Quantâ diligentiâ Religioſis ſtudio incumbendũ,* 463. *Rectæ intentionis in eis neceſsitas & ſigna.* 462. *Negligentia in ſtudiis unde,* 463. *Studendi,* 465.

Superbia. 335. *Quid ē. Origo,* 336. *Gradus,* 347. *Remedium,* 336. *Signum reprobationis,* 337. *Punitio ē.*

Superior. *Quantum poßit.* 438.

T.

TEMPVS. *Eius breuitas, incertitudo, precium,* 415. *Vacuum quomodo impendendum,* 416. 1055.

Tentatio. *Eius diuiſio & expugnatio* 248. *Superiori aperienda,* 252. 258. *Superatæ fructus,* 16. *Remedia,* 261. *In tentatione quid faciendum,* 1056.

Tepiditas *noxia & Deo odioſa,* 172.

Tribulatio *via ad cælum,* 225. *In eâ quid cogitandũ,* 1127.

V.

VANA gloria. *Eam ſuperandi modus.* 345.

Virtus. M. 559. *Quid* 56.. *Eius honor quantus.* 614. *Eius notæ.* 1016. P. 565. *M. de virtute acquirenda,* 200.

Viſus. *Mortificandus,* 342.

Vita. *Vita humana fugax,* 270. *incerta,* 27.

Vita Chriſti, *continens* 91. *meditationes, quas quomodo Eccleſia per annum diſtribuat, ſeu potius Euangelia, perſpicuè intelliges ex Indice Concionatorum,* 763.

Vitium. *Quid?* 562. *Vitiorum remedia,* 194, *M. de vitio ex-*
V1.*pando,* 199. P. 565.
io cum Deo. *Quæ Deo gratiſſima,* 670.
Vocatio. *Vocationi parendum.* 272. *Agendæ gratiæ,* 284.
Voluptas. *M.* 300. *Animus interdum relaxandus,* 393. *In Deo quærenda,* 329.
Voluptas carnalis. *Turpis & fœda.* 620. *Amara,* 621. *Fallax,* 622.
Voluptas ſpiritualis. *M.* 620: *Eius præſtantia,* 622. P. 626.
Voluntas Dei. *Quæ ſit,* 1117. *Nil ſine voluntate Dei fit.* 1120.
Voluntas propria. *Quæ, & qui eius effectus,* 304. *mortificanda & quomodo ibid. M. de conformitate voluntatis propriæ cum diuinâ,* 978. *Conformitas cum voluntate Dei vt acquiratur,* 1120. *P. ad acquirendam conformitatem voluntatis propriæ cum diuinâ,* 1008.
Vrbanitas. *Quæ laudanda,* 405.

Z.

ZELVS animarum. *M.* 297. *Excitamenta ib. P.* 299.

INDEX LOCORVM.

Vnde conciones peti poſſunt ſingulis Dominicis & Feſtis, & materia meditationi iuxta Euangelia, nã quiſque meditans ſibi concionator eſt. Nota verò primum numerum ſignare paginam, & locũ textus petendi è vitâ Chriſti, hoc pacto Dominicâ I. Aduentus. Vide Vitã Chriſti, pag. 784. Quæ compendio ſic videbis citata. V. V. Chriſti, pag. 784. idq; diuerſo charactere.

D*ominica I. Aduentus*, Vide Vitam Chriſti, pag. 784. Erunt ſigna, &c. De extremo iudicio, l. 2. c. 42. p. 584. Item de examine conſcientiæ, l. 2. c. 4. p. 186.

Dominica II. V. V. Chriſti, p. 775. Quæ vidiſtis & audiſtis, &c. De officio boni paſtoris, l. 2. c. 32. p. 467. & c. 17. p. 297. Pauperes Euangelizantur, &c. De humilitate & paupertate, l. 2. c. 23. p. 371, & c. 21. p. 338. Arundinẽ vento, &c. De conſtantiâ, l. 2. c. 34. pag. 486.

Dominica III. V. V. Chriſti, p. 768. Miſerunt, &c. Tu quis es! De temerario mundi iudicio, l. 2. c. 8. p. 231. Confeſſus eſt, &c. De fugâ honoris, l. 2. c. 20. p. 326. & c. 21. p. 335. De deſerto, de ſtatu religioſo, quo deſeritur ſæculum. l. 3. c. 24. p. 1082. Ego vox clamantis, &c. De officio concionatorum, l. 2. c. 32. p. 467. Cuius non ſum dignus, &c. De humilitate, lib. 2. c. 20. p. 326. & c. 21. p. 338. & c. 61. p. 717.

Dominica IV. V. V. Chriſti, p. 768. Factum eſt verbum, &c. De ſolutudine, l. 2. c. 30. p. 446. Prædicans baptiſmum, &c. De pœnitentiâ, lib. 1. cap. 5. pag. 52. & cap. 9. pag. 96. Omnis mons, &c. De humilitate, lib. 2. cap. 20. pag. 336. & c. 21. p. 338, & c. 37. p. 532.

Erunt

Erunt praua in directa,&c. De viâ virtutis facili l.2 c.39.p.559.& c.4.200.& c.45.p.611. & c.46.p. 620.& l.3.c.2.p.751.

Dominica infra Octauam Natiuitatis. Mirantes ſuper his, &c. De meditatione operum & beneficiorum Dei, l.2.c.48.p.638.& cap.49. p.647.& c.35.p.668.& c.35.p.498.& reſurrectionem, &c. De regeneratione ſpirituali,l.1.c.6.p.62.& c.7.p.80.& lib. 3. c. 5. p.759.& c.21.p.1063.Et in ſignum cui,&c.De imitatione Chriſti,l,3.c.2.p.751.& l.2.c.47. p.629.& c.57.p.689. Jeiuniis,& obſecrationibus,& c,l.1.c.9. p.96.& c.11.p.121.

Dominica I.poſt Epiphan. V.V,Chriſti,p.767. Aſcendentibus illis,&c. De feſto colendo, l.3.c.10. p.876. Ecce pater tuus & ego.&c.De curâ filiorum,l.2.c, 29.p.438. Neſciebatis quia in his quæ patris, &c. De ſtatu vitæ deligendo,l.1.3.p.30. Erat ſubditus illis , &c. De obedientiâ, l.2.c.22.p.349.Et mater eius conſeruabat, &c. De meditandis Dei operibus, l.2.35.p.498.& c.48.p.638.&c.49.p.647.& c.62. p.726.

Dominica II.poſt Epiphaniam. V.V.Chriſti,p.769. Vocatus eſt JESVS,&c.de vitandâ gulâ, l.1.c.9. p.99.& ſeq.& p.102. De ſtatu matrimonii,l.3.c.21.p.1063. Vinum nō habent , &c. De inuocando Deo in neceſſitate,l.2.c.10.p.248.& c.38.p.550.& c.50.p.656. Quodcumque dixerit,&c. De obedientiâ,l.2. c. 22, p.349.& c.61.p.721. Omnis homo , &c. De mundi fallaciis l.2.c.24. p.390.& l.1.c.10.p.166.

Dominica III.poſt Epiphaniam. V.V.Chriſti,p.772. Vide nemini dixeris,&c.Domine non ſum,&c. De humilitate,l.2.c.21.p.338.De ſacrâ Communione, l.3.c. 6.p.805.& c.8 p.842.& c.9.p. 854. Oſtende te ſacerdoti,&c.De confeſſione & cultu ſacerdotis,l.1.c. 6.p.62.& c.7.p.80.& c 8.p.89.& l.3.c.7.p.816.Illic erit fletus, &c. De æternitate,l.2.c.43.p.593.

Dominica IV. poſt Epiph. V. V. Chriſti.p. 770. Motus magnus, &c. De tribulationibus & tentationibus, l.2.c.10. p.248.& c.6.p.214.& c.7.p.223. Quid timidi eſtis,&c. De fiducia, l.2. c. 38.p. 550.& c.37. p.526.& p. 542. & c. 56. p.684. Venti & mare obediunt ei, &c. De obedientiâ,l.2.c.22.p.349.& c.61. p.721.

Dominica V. poſt Epiph. V. V. Chriſti,p. 774. Dum autem dormirent,&c. De ignauiâ hominis & vigilantiâ diaboli,l.2.c.11.p.262.& l.2.c.26.p.414.& c.1. l.2.p.162.& ſeq. Vis imus,&c. De zelo animarum, l. 2.c.16.p.297. Sinite vtraque,&c. De tolerandis malis,l 3.c.15.p.946. Colligite zizania, &c. De extremo iudicio malorum,l.2. c.42.p. 584.

Dominica VI poſt Epiph. V.V.Chriſti,p.773. Simile,&c. grano ſynapis. De paſſione Chriſti,l.3.c.10.p. 876. De fide,l.1.c.2.p.18. Simile eſt fermento, &c. De Communione, vbi corpore Chriſti fermentamur, l.3.c.6.p.805.& c.8.& 9. De vitâ exemplari, l. 2. c. 25.p.404 & ſequentibus,& c.28.p. 428.

Dominica Septima. V.V.Chriſti,p.781. Illi autem abierunt,&c. Item exiit primo manè, &c. De maturâ conuerſione,l.1.c.4.p.43.& c.3.p.30. Quid hîc ſtatis,&c. De otio,l.2.c.11.p.262.& c.26.p.414. Redde illis mercedem de æternâ beatitudine, l. 3. c.27.pag. 1106.& l.2.c.46.p. 620. Multi enim ſunt vocati, &c. De notis ſalutis,l.3.c.18.p. 1016.

Dominica Sexageſima. V.V.Chriſti,p.774. Qui habet aures audiendi,&c. De lectione piâ,l. 2. c. 33. p. 477. Quod ſupra petram, &c. De conſuetudine peccati, l.2.cap.10. p. 252. & ſequentibus. Quod autem in ſpinas,&c. de moderandâ cupiditate bonorum, & eorum vſu,l. 2.c.23.p.358.& ſequentibus,& cap.24. p.390. Aliud ſexageſimum, de Viduitate,l.3.cap.21. p.1071.

Dominica Quinquageſima, V.V.Chriſti,p.782. De paſſio-

ne Domini,lib.3.c.10.p.876.& lib.2.c.54.pag.672. Ipſe verò multò magis, &c. De conſtantiâ in difficultatibus, libr. 2. cap. 10. pag. 248. & cap. 34 p.486.

Dominica primâ Quadrageſimæ. V.V.Chriſti,p.768.Ductus eſt,&c. De tentationibus,l.3.c.10.pag. 248. Et cùm ieiunaſſet,&c.lib. 1.c.9.p.96. Non de ſolo pane,&c.l.2.c.33.p.477.Hæc omnia tibi dabo,&c. De fallaciâ mundi,l.2.c.1.p.161.& ſequentibus. Oſtēdit ei omnia regna mundi. De ſuperbiâ,l.2.c.21.p.335. De moderandâ cupiditate bonorū. 358.& c.61. p. 718.

Dominica ſecunda Quadrageſimæ. V.V.Chriſti,p.776.Duxit eos in montem excelſum ſeorſum.De ſtatu Religioſo,l.3.c.24.p.1082.De ſolitudinis bono,l.2.c.30, p.446.De viâ virtutis,l.2.c.4.p.200.& l.2.c.39.pag. 559.& c.45.p.611.& c.46.p.620.& lib.3.c.2.p.731. & toto.c.3.& 4.Bonum eſt nos,&c. De amore cæleſtium,l.1.c.1.p.3.& lib.3.c.27.p.1106.Hic eſt filius meus,&c.De imitatione Chriſti,l.3.c.2.c.47.p. 629. & c.57.p.689.& l.3.c.2.p.751.& l 2.c.22. p.349.

Dominica tertiâ Quadrageſimæ. V.V.Chriſti,p.774. Ipſū erat mutum.De Confeſſione,l.1.c.6.p.62.Item ,de gratiarum actione,l.2.c.58.p.694. Ipſe autem vt vidit,&c. De præſentiâ Dei,l.3.c.12.p.914. Omne regnum in ſe,&c.De pace ſeruāda.l.2.c.7.p.223.& l.3. c.14.p.937.& toto capite 15.& c.17.p.978.Qui non eſt mecum,&c.De hæreticis,l.1.c.2.p.22.& ſeqq.

Dominica quartâ Lætare, V.V.Chriſti.p.775.De pace animi,l.3.c.17.p.978.& l.2.c.45.p.611.De gaudiis ex virtute,c.46.p.620.De purâ intentione,ex quâ magna & ſolida lætitia.l.3.c.1.p.898.Vnde ememus panes,&c.De elemoſynâ,l.1. c.10. p. 104. De Dei erga nos curâ l.3.c.17.p.980.& l.2.c.38.p.550.Cùm cognouiſſet,&c.De fugâ honoris,l.c.20.p.326.& c.21. p.335.& ſequentibus.

Domi-

Dominica Paſſionis, V.V.Chriſti, p.777. De peccato,l.2. c.9.p,243.& l.1.c.7.p.81.& 86.& l.2.c.10.p.252. & ſequentibus. Nónne benedicimus, &c. De detractione,judiciis temerariis,l 2.c.28.p.429.& ſeq.& p 436,& l.2.c.8. De contemnendis hominum judiciis, p. 231.Qui ex Deo eſt,verba Dei audit,&c. De lectione piâ,l,2.c.33. p. 477. De inſpirationibus Dei audiendis. Ibidem. Quis ex vobis, &c. De monitore eligendo,l.2.c.27.p.419. JESVS autem abſcondit,&c. De fugâ vindictæ,l.3.c.15.p.946.

Dominica Palmarum. V.V Chriſti,p.783. Chriſtus inſidens aſinæ commendat modeſtiam.l.2.c.25.p. 404. De imitatione Chriſti,l.2,c.47.p. 629. & c.57. p. 689.& l.3.c.2 p. 751. Dicite quia Dominus,&c. De miſericordiæ operibus,l. 1.c.10.p.104.& l.3.c.14.p. 937. Venit Rex tuus,&c. De humilitate & paupertate,l.2.c.20.p.326. & c. 21.p.338. & c. 23.p. 371. & c.61.p.718.& ſeq.

Dominica Paſchæ V.V.Chriſti,p.787. Emerunt aromata, De oratione,lib.1.cap.11.pag.115. & lib.2. cap, 35.pag.498.& cap.50.pag.656.& cap.62.pag.726. De aromate virtutum, lib.2. cap. 39. pag. 559. De liberalitate, lib.1.cap.10.pag 104.& lib. 2. cap. 23. pag.383. Et valde mane,&c.lib.2. c. 14. De feruore Sanctorum,pag.280.& lib.2.cap.11.pag.262.& c. 44.p.602.& l.2.c.61.p.725. & l.3.c.4.p.790.Quis reuoluet,&c, De fortitudine animi & fiducia,lib.2. cap.7.pag.223.&c.10.p.248.&c 34.p.486.& lib.2. c 38 p.550.

Dominica in Albis.V.V.Chriſti, p.788. Cùm eſſet ſerò, &c. De ſpe non deponenda, lib. 2.cap. 34.p.486. & c.37.p.526.& cap.38.p.550.&c.56.p.684. Pax vobis,lib.2.cap.45.pag.611.& c.46 p 620.& l.3.cap 17. p.978.Gauiſi ſunt, &c. De gaudio ſpirituali.lib. 2, cap.46.pag. 620. & cap. 59. pag 701. Quorum remiſeritis,&c. De confeſſione.l.1.c.6.p.62. & c.7.p.

&c.8.p.89. Non credam,&c. De fide,l.1.c.2.p. 18. & l.2.c.52.p.663.

Dominica poſt Paſcha. V.V. Chriſti,p,777. Ego ſum Paſtor,&c. De officio concionatorum,l.2.c.32.p.467. Bonus paſtor,&c. De zelo animarum.l.2.c.17. pag. 297,&c.61.p.715.&l.3.c.14.p.937. De amore Dei, l.3.c.13,p.925. Oues ſequuntur paſtorem, &c. De Chriſto imitando,l.2.c.47.p.629,&c.57.p.689. & l.3.c.2.p.751.

Dominica III. poſt Paſcha. V.V.Chriſti,p.787. Modicum & jam,&c. De breuitate vitæ,l.2.c.12. pag. 270. De morte,l.2.c.41.p.577. De æternitate,l.2.c.43.p.593. Quia plorabitis,&c. De patientiâ,l.2.c.7. p.223. & c.6.p.214. Cognouit autem IESVS,l.3.c.12.pag.914. Gaudium veſtrum,& c.l.2.c.45.p.611.&c.46.p.620. & c.59.p.701. Mundus autem gaudebit,&c. De falſis mundi gaudiis,l.2.c.12.p.270.& cap.13.p.276.& c.24.p.390.& l.2.c.1.p.160.& ſeq.

Dominica IV. poſt Paſcha. V.V.Chriſti.p.786. Nemo ex vobis interrogat me quò vadis. De curioſitate bonâ & malâ,l.2.c.19.p.321. Expedit vobis.&c. De amicitiâ falsâ & verâ,l.2.c.28.p.428.& c.60.p.708.& c.61.p.715.& l.3 c.13.p.925. Arguet mũdũ de peccato,&c.l.2.c.4.p.199.& c.9.p.243 Quia non crediderunt,&c. De fide l.1.c.2.p.18.& l.2.c.52.p. 663.

Dominica V poſt Paſcha. V.V.Chriſti,p.787. Si quid petieritis,&c. De oratione,l.1.c.11.p.115.& c.12.p.133. & l.2.c.37.p.523. De confidentia in Deum, l.2.cap. 38.p.550.& c.56.p.984. Pater amat vos,&c. De amore Dei,l.3.c.13.p.925.& l.2. c. 37. p.523. & c. 60.p.708. Nunc ſcimus,quia,&c. De Dei præſentiâ, lib.3.c.12.p.914.

Dominica VI. poſt Paſcha. V.V.Chriſti,p.786. Hæc locutus ſum vobis, &c. De præmeditatione malorum, l.2.c.5.p.203.&c.6.p.214.&c.7.p.227.&c.61.p.723. Sed venit hora,&c. De perſecutione Eccleſiæ,lib.2, c,15.p.286.

Do-

Dominica Pentecoſtes. V. V. Chriſti, p. 785. Qui diligit me. De amore, l. 2. c. 37. p. 528. & cap. 60. pag. 708. & l. 3. c. 13. p. 925. Pacem relinquo vobis, lib. 2. cap. 45. p 611. & cap. 46 pag. 620. & lib. 3. cap. 17. pag. 978. Et lib. 2. cap. 1. pag. 160. & ſeq. Non turbetur cor veſtrum. lib. 2. cap. 6. pag, 214. & c. 7. pag. 223. & cap. 8. p. 231. & c. 10. p. 248. & lib. 2. cap. 17. p. 678. Venio princeps mundi, &c. De inſidiis diaboli, l. 2. c. 10. p. 248. & c. 13. p. 276. & c. 1. p. 169 & ſeq.

Dominica I. poſt Pentecoſten, Eſtote miſericordes, lib. 1. cap. 10. c pag. 104. & lib. 2. cap 61. p. 715. & lib. 3. c. 3. p. 764. & cap. 14. pag. 937. Nolite iudicare, &c. De temerariis iudiciis, l. 2. cap. 8. pag. 231. & l. 2. cap. 28. p. 429. & ſeqq. Dimittite, &c. De iniuriis condonandis, lib. 3. cap. 15 pag. 946. Date & dabitur vobis, & c. l. 1. cap. 10. p. 104. Hypocrita eiice, &c. De hypocriſi & correptione, l. 1. cap. 7. p. 85. & ſeq. & l. 2. c. 27. p. 419.

Dominica II. poſt Pent. V. V. Chriſti, p. 779. Homo quidam, &c. De luxu, l. 2. cap, 24. p 390. & c. 61. p. 718. & cœperunt omnes, &c. De faſtidio cibi cæleſtis, &c. l. 2. cap. 11. pag. 262. & cap. 34. pag. 486. Villam emi, &c. De ambitione, l. 2. c. 20. pag. 326, & cap. 21. p. 335. Iuga boum, &c. De auaritiâ, l. 2. c. 23. p. 368. & ſeq. Vxorẽ duxi. De matrimonio, l. 3. c. 21. p. 1063. De caſtitate, l. 2. c. 24 p. 306. & l. 3. c. 23. p. 1079.

Dominica III. poſt Pent. V. V. Chriſti, p. 780. Hic peccatores recipit, &c. De zelo animarum, l. 2. cap. 17. p. 297, Gaudium erit in cælo, &c. De pœnitentiâ, l. 1. c. 4. p. 43. & ſeq. & c. 5. p. 52. & c. 9. p. 96. & l. 2. cap. 59. p. 701.

Dominica IV. poſt Pent. Cùm turbæ irruerent, &c. De feruore, lib. 2. cap. 2. p. 168. & cap. 14. p. 280. cap. 44. p. 602. & cap. 61. p. 725. In verbo tuo, &c. De fiducia, l. 2 cap. 38. pag. 550. & c. 56 p. 684. Exi à me, quia &c. De contemptu ſui, l. 2. c. 19. p. 318. & c. 21. p. 338.

Relictis omnibus, &c. De abnegatione ſui, & mūdi, l.2.c.18.p.302.& c.19.p.311.& c 23.p.358.& ſeq.c. 61.p 718.

Dominica V.poſt Pent. V.V.Chriſti, p. 772. Niſi abundauerit,&c. De hypocriſi,l.1.cap.7. p.85.& ſeq.& de perfectione,l.3.c.1.p.745.& c 2.p.761.& c.4.p.790. Qui iraſcitur, &c. De ira & charitate fraternâ, l.2.c. 61.p.715.& l.3.c.14.p.937.& c.15.p. 946. & l.2.c. 7.p.223.& ſeq.

Dominica VI.poſt Pent. V.V.Chriſti.p.775. Cùm turba multa,& c.De operibus miſericordiæ,l.1.c.10.p. 104 & l.2.c.54.p.672.& c.61.p.715 & l.3.c 14.p.937 Iā triduò ſuſtinent me,& c. De perſeuerantiâ, l. 2. c.34. p.486. Non habent quod manducent, &c. De ieiunio.l.1 c.9.p.96.

Dominica VII poſt Pēt. V.V Chriſti,p.772. Attēdite,&c. De hæreticis,l.1.c.2.p.18.&.ſeq.& hypocriſi.l.1 c 7. p.85. & ſeq. Mala arbor malos, &c De mortificatione, l. 2 c.18.p.302. & c.19.p. 311.Omnis arbor,quę non facit,&c.De pœnâ peccati,l.2.c.9.p.243 & c 10. p. 252 & ſeq & l.2.c.41.p.577.& c. 43.p. 593.Non omnis qui,&c.De operibus bonis.l.1.c.13.p.145 & l. 2.c.5.p.203.& c.22.p.349.& cap.14.p. 280.& l.3.c. 1.p.745 & c.4.p.790.& c.27.p.106.

Dominica VIII. V.V.Chriſti.p.780. Homo quidā, &c. De diuitiis,l.2.c.23.p.358 & ſeq.&c.61.p.718. Redde rationem,&c.De examine ſui.l.1.c.6.p. 62 & ſeq. & l.2.c.4.p.186.& c.12.p.270. Ait autē villicus,&c. De deliberat.vitæ,l 1.c.3.p.30.& l 2.c.1.p.158.Quia filij hujus ſæculi, &c. De prudentiâ filiorum ſæculi, l.2.c.40.p.568.& c.11.p.262.c.14.p.280. Facite vobis amicos,&c. De eleemoſynâ,l.1.c.10.p.104.

Dominica IX. Videns ciuitatem,fleuit,&c. De deflendis peccatis,l.1.c.4.p.43.& c 5.p. 52. & l.2.c.55.p.678. Veniēt dies in te,&c. De dilatione cōuerſionis, l.1.c. 4.p.43,& l.2.c.12.p.270.& c, 13. p. 276. & c.41.p. 577.

577. Scriptum eſt quia domus,&c. De orando in tẽplo,l 1.c. 11. p.115.& c.12.p.133.& l.3.c.9.p. 865.

Dominica X.V.V.Chriſti,p.781. Dixit JESVS ad quoſdam,&c. De ſuperbiâ & amore ſui,l.2.c.21,p.335.&c. 19.p.311. De cõfidentiâ in Deũ,l.2.c.38.p.550. Percutiebat,&c. De contritione,l.1.c.5.p.52.& c.6.p.63. & c 7 p.80.& l. 2.c.55.p.678. Omnis qui ſe exaltat, &c l.2.c.21.p.335.& c.37.p.532.& c.61.p.717.

Dominica XI. Apprehendens eum, &c. De conuerſatione noxiâ fugiendâ,l.2.c.25.p.408 & c.28.p.428. Suſpiciens in cœlũ ingemuit, &c. De peccatoris ſtatu,l.1.c.7.p 81.& ſeq & l.2.c.10.p.252.& ſeq.& l.2. c 9.p.243. Admirabantur, dicentes, &c. De admiratione & de fide,l.2.c. 53.p.668.& l.1.c.2.p.18.& l.2 c.52 p.663.

Dominica XII.V.V.Chriſti,p.778. Et ecce quidã legiſperitus, &c. De doctrinâ iungendâ cũ pietate, l.2 c. 31.p.458. Diliges Dominum,&c.l.2.c.37.p.528.& c. 60.p.708.& l.3 c.13.p.925. Et proximum tuum,&c De charitate proximi,l.2.c.61.p. 715 & l.3. c. 14. p. 937.& c.15.p.946. Videns eum,miſericordiâ, l. 1.c. 10.p.104.& l.2.c.54.p.672.& l.3.c.14.p.937.

Dominica XIII.V.V.Chriſti.p.777. occurrerũt & leuauerũt.&c. De diligẽtiâ ſpirituali.l.2.c.11.p.262.&c.14 p.280.& c.44.p.602.& c.61 p.725. Ite oſtendite,&c De cõfeſſione,l 1.c.6.p.62.& c.7. p.80. Regreſſus eſt &c. De gratitudine,l.2.c.3.p.179.& c.58.p 694. Surge,vade,&c. De fide,l.1.c.2.p.18.& l.1.c..52. p 663.

Dominica XIV.V.V.Chriſti,p. 792. Non poteſtis Deo, &c. De auaritiâ,l.2.c.23.p.368. Ne ſolliciti ſitis,&c. De confidentiâ in Deum,l.2.c.38.p.550.& l.3.c. 17. p.978. Quærite primum, &c. De beatitudine, l.1.c.1. p.3.& l.3.c.27.p.1106.

Dominica XV.V.V.Chriſti,p.773. Ecce defunctus, &c. De mortis memoriâ,l.2.c.12.p.270.& c.13.pag.276 & c.41.p.577. Et hæc vidua erat, &c. De viduitate.

l. 3.c.22.p.1071. Adoleſcens tibi dico, &c. De Dei vocatione l. 1.c.3.p.30.& c.4.p.43.

Dominica XVI.poſt Pent. V.V.Chriſti,p.779.Et ipſi obſeruabant eum,&c. De inuidiâ & reprehenſione,l.2. c. 27. p.419. Cùm inuitatus fueris, De. ambitione,l.2.c.20 p.326.Omnis qui ſe exaltat, &c. De humilitate,l.2.c.37.p.532. & cap.21.p.335.& cap.61. p.717.

Dominica XVII.poſt Pent. V.V.Chriſti,p. 784. Quod eſt mandatum magnum in lege, &c. De perfectionis ſtudio lib.3.c.1.p.745.& c.4.p.790.Vide Dominicam 12.

Dominica XVIII poſt Pent. V.V.Chriſti, p.770. Offerebant ei paralyticum, &c. De curâ proximorum,l.1: c.10.p.104.& l.3. c.16. p. 937. Videns IESVS fidem &c.De fide & fiduciâ,l. 2.c.38.p.550.& l,2.c.52.p. 663.& c.56.p.684.& l.1.c.2.p.18. Vt quid cogitatis, &c. De Dei præſentiâ,l. 3.c.12.p.914. Videntes autem turbæ,timuerunt &c. De timore Domini & admiratione,l.2.c.13.p.279.& c.53.p. 668.

Dominica XIX.poſt Pent. V.V.Chriſti,p.783. Illi autem neglexerunt,&c.De ingratudine & negligentiâ,l. 2. c.4.p.186.& l.2.c.3.p.179.& c.58.p.694.& c.11.p. 262. Alius in villam ſuam, &c. De centemptu rerum humanarum,l.2.c.63.p.358.& ſeq.& c.24.p.390.& c.61.p. 718. Reliqui tenuerunt ſeruos,&c.De perſecutoribus Eccleſiæ,l.2.c.15.p.286.Quoſcumque inueneris,&c.De zelo animarum,l.2.c. 17. pag. 297. Mittite eum in tenebras,& c.l. 2.c.41. p. 577.& c. 43.p.593.Multi ſunt vocati,& c.l.1.c.3.p.30.& l. 3. c. 18. De notis ſalutis, p. 1016.

Dominica XX.poſt Pent. V.V. Chriſti, p. 770. Cùm audiſſet,quia,&c.De occaſione boni captandâ,l.2. c. 4. p.199,& c.19.p.325.Rogabat vt deſcenderet,&c.De curâ familiæ,lib. 2.c.29.p.438.Incipiebat enim mori,&c. De maturâ conuerſione, l.c. 4.p. 43. & lib.2.

c.12

c. 12.p. 107. & c. 13.p.276.Niſi ſigna & prodigia, &c De curioſitate,l.2.c.18. p. 321. & c.19. p. 312.

Dominica XXI.poſt Pent.V. V.Chriſti,p.777.Simile eſt, &c.Qui voluit rationem ponere, &c. De examine conſcientiæ,l. 2.c.4.p. 186. De conſideratione agendorum,c.5.p .203. & l. 3. c. 20.p. 1042.Oblatus eſt ei vnus qui &c. De ſatisfactione, l.1.c.9. p. 96. & c. 10.p.104.Juſſit eum Dominus venumdari, &c. De miſeria peccatorum,l. 2.c.10.p.252.& ſeq.& l.2.c.9. p.243.Sic & pater meus,&c.De charitate, l.3.c. 15. pag.946.& c.14.p.937.& l.2.c,61.p.715.

Dominica XXII.poſt Pent.V.V.Chriſti,p.784. Magiſter ſcimus quia verax es,&c.De veracitate & hypocriſi, l.1.cap.7.p. 84.Non enim reſpicis perſonam hominum,&c.De contemnendis hominum iudiciis, l. 2. c.8.p.231.Reddite quæ ſunt Cæſaris, &c. De Obedientiâ,l.2.c.22.p.349.& c.61.p.721.

Dominica XXIII.poſt Pent. V.V.Chriſti,p.771.Filia mea modò defuncta eſt,&c. De morte,l.2.c.12.p.270.& c.13.p.276.& cap.41.p.577.Si tetigero tantum fimbriam,&c.De communione,l.3.c.6.p.805.& cap. 8. p.842.& c.9.p.854.De fide & fiducia,l.2.c. 38. pag. 550.& c.50.p.656.& c.56.p.684.& l.1.c.2. p. 18. & l.2.c.37.p.523.Et deridebant eum,&c. De mundi ludibriis circa pia,l.2.cap.1.pag.160.& ſeq.& l.2.c. 8.p.231.

Dominica XXIV.Surgent Pſeudoprophetæ, &c. De hæreticis & fidei conſtantiâ,l.1.c.2.p. 18. & l. 2. c. 34. pag.486.Videbunt filium hominis,&c. De iudicio, l.2.c.42.p.584.

IN *feſto S. Andreæ.* Vide Vitã Chriſti, p. 769. Faciã vos fieri, &c. De zelo animarum, l. 2. c. 17. p. 297. Continuò relictis retibus, &c. De obedientiâ promptâ, & abnegatione ſui, l. 2. c. 19. p. 311. & ſeq. & c. 22. p. 349.

S. Nicolai. Vni dedit quinque talenta, &c. De beneficiis Dei variis, l. 2. c. 48. p. 638. Poſt multum verò temporis, &c. De tempore ſeruando, l. 2. c. 26. p. 414. Qui vnum acceperat abiens, &c. De acediâ, l. 2. c. 11. p. 262 Quia ſuper pauca, &c. De amore cæleſti, l. 3. c. 27. p. 1106. & l. 2. c. 43. p. 593.

S. Thomæ. Thomas non erat cum eis, &c. Conuerſatio cum bonis quærenda, l. 2. c. 25. p. 408. & ſeq. & l. 2. c. 28. p. 428. Vidimus Dominum, &c. De gaudio ſpirituali, l. 2. c. 46. p. 620. & c. 59. p. 701. Infer digitum tuum huc, &c. De paſſionis memoriâ, l. 3. c. 10. pag. 876. Beati, qui non viderunt. De fide, l. 1. c. 2. p. 18. & l. 2. c. 52. p. 663.

In Natiuitate Domini. V. V. Chriſti, p. 766. Exiit edictũ De obedientiâ, l. 2. c. 22. p. 349. Ecce euangelizo, &c. De natiuitate Domini, l. 2. c. 36. p. 517. Inuenietis infantem, &c. De paupertate & imitatione Chriſti, l. 2. c. 23. p. 371. & c. 47. p. 629. & l. 3. c. 3. p. 766. Et in terra pax hominibus, &c. De pace, l. 2. c. 45. p. 611. & c. 49. p. 620. & l. 3. c. 17. p. 978.

In feſto ſãcti Stephani. V. V. Chriſti, p. 784. Et ex illis occidetis, &c. De perſecutionibus Eccleſiæ, l. 1. c. 15. p. 286. De tolerandis malis, l. 2. c. 6. p. 214. & c. 7. p. 223 & c. 61. p. 723. Quoties volui congregare, &c. De Dei prouidentiâ, l. 3. c. 17. p. 979. & ſeq. Ecce relinquetur domus, &c. De maturâ conuerſione, l. 1. c. 4. p. 43. & ſeq. & c. 5. p. 52.

S. Ioannes Euãg. Dixit IESVS Petro, ſequere me. De imitatione Chriſti, l. 2. c. 47. p. 629. & c. 57. p. 689. & l. 3. c. 2. p. 75. Quid ad te? de curioſitate, l. 2. c. 19. p. 321. Exiit ſermo

ſermo iſte,&c. De mortis medit,l.2.c.12.p.270.& c. 41.p.577.
SS Innocentium. V.V. Chriſti. p 767. Angelus Domini apparuit,&c. De pace animi,l.3.c.17.p.978. & l.2,c. 45.p.611. Iratus eſt valdè,&c. de ambit.l.2.c 20,p.326
Circumciſionis Domini. V.V.Chriſti,p. 766. De circũciſione ſpirituali,l.2,c.8.p.302.& c.19.p.311. De notis ſalutis,l.3.c.18.p.1016.
Epiphania Domini. V.V.Chriſti,p. 766. Vidimus ſtellã, &c. De obediendo vocationi diuinæ,l.1.cap.3.p.30. Audiens Herodes Rex, turbatus eſt, &c. De ambitione,l.2.c.20.p. 326 Et reſponſo accepto, &c. De emendatione vitæ,l.1.c.4.p.43.&ſeq.& c.5.p.52,& l.2.c.4.p.199.
In feſto cõuerſionis S. Pauli. Ecce nos reliquimus,&c. De perfectione;& paſſionibus domandi,l. 2 c. 19 p.311. & l.3.c 1 p.745 & ſeq Omnis qui reliquerit. &c. De ſtatu Religioſo,l.3.c.24.p. 1082 Cẽtuplum accipiet, &c. De gaudio ſpiritus,l.2.c.45.p.611.& c.46.p. 60. & c.59.p.701. De gaudio æterno,l.3.c.27.p.1106. Omnis qui, &c. propter nomen meum, &c. De intentione purâ,l.3.c.11.p,898.
Purificationis. V.V.Chriſti,p. 797. Sicut ſcriptum eſt in lege,&c De obedientia,l.2.c.22.p.349. Tulerunt IESVM vt ſiſterent.&c. De familiâ ordinandâ, l. 2.c.29. p.438. Homo iſte iuſtus & timoratus,&c. De timore Domini,l.2.c.13.p.276. Nunc dimittis ſervum,&c. De morte,l.2.c.41.p.577.
In Catedrâ S. Petri. Vide feſta SS. Petri & Pauli.
S. Mathæi. Abſcondiſti hæc à ſapiẽtibus,&c De prudẽtia ſeculi,l.2.c.40,p.568. Venite ad me omnes, &c. De pœnitentiâ,l.1.c.4.p.43.& c.5.p.52. De Communione,l.3.c.8.p.842.& c.9.p.854. Diſcite à me,quia, &c. l.1.c.21.p.338. Et invenietis requiẽ,&c. De pace,l.2.cap.45.pag.611.& c.46.pag.620.& l.3.ca.17. pag.978.

Annuntiationis. V.V.Chriſti,p,765.Miſſus eſt ad Virginem,&c.De caſtitate,l.2.c.24.p. 396.& l.3.c.23.p. 1076.Et de Imitatione B,Virginis, l 3. cap.19. pag. 1024. Cogitabat qualis eſſet, &c. De deliberatione & notis ſpirituum,l. 2.c.1 p 15 8.& ſeq. Quomodo fiet, &c. De perſeuerantiâ in propoſitis, l,2.c.34, p.486.

Feria 2.Paſcha. V,V.Chriſti.p.788,Vir propheta potēs in opere & ſermone. De Concionatoris officio, l. 2. c.32.p.467. Nonne hæc oportuit, &c. De patientiâ, l.2.c.6.p.214.& c.7.p,223. & 61.p 723.Et de imitatione Chriſti,l.2 c.47.p. 629 & c.57.p.689.& l.3.c, 3.p.751.& toto capite tertio: Aperti ſunt oculi, &c. De effectu Communionis, l. 3, c. 6 p.805. & c.8.p. 842.& c.9.p.854.Et ſurgentes eâdem horâ. De feruore Sanctorum, l.2.c,14.p. 280.& c 44.p.602.& c. 61.p.725.

SS.Philippi & Iacobi. V.V.Chriſti.p.785.Non turbetur cor veſtrum de paſſionibus domandis, & pace animi,l.2.c.19.p,311.& l.3.c.17.p. 978.De fiduciâ & c.rat.l.2.c.38.p.550.c.37.p.523.& c 46.p.720. &l.1.c, 11.p.115.& c.12.p.33.Ego sũ via,&c.De imitatione Chriſti,l.2.c.47,p.629, & 57. p. 689, & l, 3,c. 2 p. 751.

Inuentionis S.Crucis. V.V,Chriſti,p.769, Niſi quis renatus fuerit.&c. De renouatione mentis & confeſſione,l.1.c5.p.52. & c.6 p.62. & c.7 p. 80. &l.3 c.5. 795 & c.20.p.1042.Et ſicut Moyſes, &c. De cruce & eâ ferendâ,l 3.c.10.p.876.& l.2 c.6.p.214.& ſeq.

Aſcenſionis Domini. V,V. Chriſti, p. 789. Exprobrauit incredulitatem,&c.De correptione, l 2.c. 27.p.419. Qui crediderit,&c De fide,l. 1.c.2.p.18. & l.2.c.37. 325.& c. 52.p.663.Illi autem profecti prædicauerunt &c. De zelo animarum,l.2.c.17.p.297.& c.32.p.467.

Feria 2.Pentecoſtes. Qui malè agit, &c. De peccati horrore,l.2.c.9.p.243. & ſeq. Sic Deus dilexit, &c. De

Sacro audiendo, vbi iterum dat nobis filium, l. 3. capite quod eſt ante decimum, p 864.

Feſto Corporis Chriſti. De cõmunione, l. 3. c. 6. p. 806. & c. 8. p. 842. & c. 9. p. 854. Et de præparatione ad Sacrum pro Sacerdote, l. 3. c. 7.

In Natiuitate S. Ioannis Bapt. V. V. Chriſti, p. 766. Et loquebatur, benedicens Deum, &c. De gratitudine, l. 2. c. 3. p. 179. & c. 58. p. 694. De educatione liberorũ, l. 2. c. 29. p. 438. & De matrimonio, l. 3 c. 21. p. 1063.

In feſto SS. Petri & Pauli. V. V. Chriſti, p. 776. Tu es Chriſtus Filius. &c. De fide, l. 1. c. 2. p. 18. & l. 2. c. 37. p. 523 & c. 52. p. 663. Quẽ dicunt homines, &c. Vos autem, &c. De monitore deligendo, l. 2. c. 27. p. 419. Portæ inferi non præualebunt, &c. De Eccleſiâ, l. 2. c. 15. p. 206. Quodcunque ligaueris, &c. De confeſſione, l. 1. capite 6. pag. 62. & capite 7. pag. 80. & capite 8. p. 89.

In viſitatione B. Virginis. V. V. Chriſti, p 763. Exurgens Maria abiit, &c. De imitatione B. Virginis, l. 3. c. 19. p. 1024. De charitate proximi, l. 2. c. 61. p. 715, & l. 3. c. 14. p. 937.

In fecto S. Mariæ Magdalenæ. V. V. Chriſti, p. 773. Stãs retrò pedes eius lacrymis, &c. De contritione, l. 1. c. 5. p. 52. l. 2. c. 55. p. 678. Remittuntur ei peccata, &c. De amore Dei, l. 3. c. 13. p. 925. & l. 2. c. 9. p. 242. & ſeq. & ca. 10. pag. 352. & l. 2. cap. 37. pag, 523. & c. 60. pag. 708.

S. Iacobi. V. V. Chriſti, p. 782, Dic vt ſedeant, &c. De ambitione, l. 2. c. 20. p. 326, Neſcitis quid petatis, &c. De petitione, & reſignatione, l. 1. c. 11. p. 115. l. 2. c. 50. pag. 656. & cap. 61, p. 716. Poteſtis bibere calicem, &c. De imitatione Chriſti, l. 2. c. 47. p. 629. & l. 3. c. 2. p. 751.

Sancti Laurentii. V. V. Chriſti, p. 783. Niſi granum frumenti, &c. De mortificatione, l. 2. c. 18. p. 302. & c. 4. p 199. Qui amat animam ſuam, &c. De paſſionibus doman-

domandis,l.2.c.19.p.311.Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.De imitatione Chriſti,l.2.c.47.p.629.& c.57.p.689.& l.3.c.2.p.751.

Aſſumptionis B.Virginis, V.V.Chriſti,p.778.Sedēs ſecus pedes Domini, &c. De contemplatione & meditatione,l.2.c.35.p.498.& c.62. p. 726. & l. 3.c. 16.p.958.Martha,Martha,ſollicita es,&c.De pace animi,l.3.c.17.p.978.

S.Bartholomæi. Erat pernoctans in oratione,&c.De perſeuerantiâ & oratione,l.1.c.11.p.115.& c.12.p.133.& l.2.c. 24.p.486.& c.50. p. 656. Et multitudo copioſa,&c.De feruore,l.2.c.14.p.280.& c.61.p. 725. Omnis turba quærebat,&c. De communione,l.3.c.6.p.805.& c.8.p.842. & c.9.p. 854.

S.Matthæi, V.V.Chriſti,pag.771.Et ſurgens ſecutus eſt eum,&c.De Chriſto ſequendo,l.1.c.3.p.30.l.2.c.47 p.629.& l.3.c.2.p.751.Quare cum publicanis & peccatoribus,&c.De iudicio temerario,l.2.c.8.p.231.De zelo animarum,l.2.c.17.p.297.

S.Michaelis, V.V.Chriſti, p.776. De colendo Angelo Cuſtode,l.1.c.11.p. 132. Quicumque ergo humiliauerit,&c. De humilitate,l.2.c.21. p. 335. & c. 37. p. 532.& c.61.p.717. Qui autem ſcandalizauerit, &c. De conuerſatione,l.2.c.25.p.404. Si manus tua vel pes tuus,&c. De mortificatione,l.2.c.18.p.302. & c. 19.p.311.& c.4.p.199.

SS.Simon & Iudæ. V.V.Chriſti,p.786. Hæc mādo vobis,vt diligatis inuicem,&c.De charitate proximi, l.2.c.61.p.715.& l.3.c.14.p.937.& c.15.p.946. Si de mundo fuiſſetis, &c. De ponendo affectu terrenorum,l.2.c.23.p.358.& ſeq.& c.61.p.718.Si me perſecuti ſunt,&c. De patientiâ.l. 2.c.6.p.214. & cap. 7. p.223.

Omnium Sanctorum, V. V.Chriſti, p. 771. Beati pauperes &c.l.2.c.23.p.371.Beati qui eſuriunt,&c. De deſiderio perfectionis,l.2.c.2.p.168.& l.3.c.1.p.745.&

c.4.p.790 Beati miſericordes, &c. l.1. c.10.p.104.& l.3.c. 14. p.937. Beati qui lugent, &c. Conſolatio animæ afflictæ l.3.c.17 p.1015.De notis ſalutis,l.3.c 18 p.1016.De gloria Sanctorum,l.3.c.27.p.1106.

S.Martini,V.V.Chriſti,p.779.Vt qui ingrediuntur, lumen,&c.De modeſtiâ,l.2,c.25.p.404.& c.28.p.428. Si oculus tuus ſimplex, &c.De intentione rectâ, l.3. c. 11.p.898. De benignitate in pauperes,l.1. cap.10. p.104.

S Catharinæ.V.V.Chriſti,p.785.Simile &c.Decem virginibus,&c.De caſtitate,l.2.c.24.p.396.& l.3.c.23.p. 1076. Moram autem,&c. Dormitauerunt, &c. De accediâ,l.2.c.11.p.262. Vigilate itaque quia neſcitis &c. De præparatione ad mortem,l.3.c.26.p.1091. & l.2.c.12.p.270.& c.13.p.276.& c.41.p.577.

HActenus habes quæ Euangelia Feſtis & Dominicis, quæ item materiæ iiſdem aßignari poßint iuxta Eccleſiæ ritum. Nunc quia eadem, & inſuper alia complura in ferijs & alijs diebus ab Eccleſiâ leguntur, ideo quæ, & quibus id fieri præcipiat, hic tibi declarabitur.

Feria IV.4. temp.Aduent. Euangelium eſt idem quod in Annuutiatione. *In Aduent. Decemb.*

Feria VI. 4.temp. Aduent.idem quod in Viſitatione.

Sabb.4.temp. Aduent.V.V.Chriſti,768.

In vigiliâ Nativ.Dom.V.V.Chriſti,p.765. *Ianu.*

Infra Octauam Natiuitatis Domini. De Paſtoribus. V.V.Chriſti,p.766. *Febr. S.Hebr. Martij 19*

In feſto S.Agathæ,idem quod Domin.8.poſt Pent.

In feſto S. Joſephi, idem quod in vigiliâ Natiuitatis Domini.

Feria V.poſt Cineres,idem quod Domin.3.poſt Epiph. *Quadrageſimæ tempore.*

Feria III.poſt Dominicam I.Quadrag.idem quod Dominic.9.poſt.Pent.

Feria

Feria VI.poſt Dominicam I. Quadrag.V.V.Chriſti, p. 771.

Sabb.4.temp.Quadrageſ.idem quod Dominic.2. Quadrag.

Feria V.poſt Dominicam II.Quadrag. V. V. Chriſti, p.781.

Sabb.poſt Dominicam II. Quadrageſimæ, V.V.Chriſti,p.780.

Feria VI.Ante Dominic.Lætare,V.V.Chriſti, p. 769.

Feria V.poſt IV.Domin.Quadrag.idem quod Dominic.15.poſt Pent.

Feria V.poſt Dominicam Paſſionis,idem quod in feſto S.Mariæ Magdalenæ.

Feria III.& IV.Maioris hebdomadæ idem quod Dominic.in Palmis.

Paſchæ. tempore. Sabb.ſancto idem quòd in die Paſchæ.

Feria 3.poſt Paſcha.Idem quod in Aſcenſione,

Feria 4.poſt Paſcha idem quod in feſto S. Joannis Euangeliſtæ.V.V.Chriſti,p.787.

Feria 5.poſt Paſcha,V.V.Chriſti,p.787.

Feria 6.poſt Paſcha Idem quod in feſto S.Thomæ vel SS.Trinitatis.

25.Aprilis Sabb.in albis quod in die Paſchatis.

In feſto S.Marci idem quod in vigilia S.Andreæ,V.V.

6.Maij. Chriſti,p.796.

In Litaniis.V.V.Chriſti,p.778.

In feſto I.Ioannis.ante portam Latinam idem quod in feſto S.Iacobi.

11.Iunij. In feſto S.Barnabæ idē quod in feſto Simonis & Iudæ.

Pentecoſtali tempore. In vigiliâ Pent.idem quod in die Pent.

Feria IV.4 temporum Pent.idem quod in feſto corporis Chriſti.

Feria VI.poſt Pent.idem quod Domin. 18. poſt Pent.

28.Iunij. In vigilia SS.Petri & Pauli,p.789.& idem quod in feſto S. Ioannis Euang.

30.Iunij. In commemoratione S. Pauli idem quod in vigiliâ S. An-

Andreæ, V. V. Chriſti, p.769. 29.Iulij.
In feſto S.Marthæ idem quod in aſſumptione. 6. *Auguſt.*
Transfigurationis Dom. idem quod Dom. 2. Quadrag. 21.*Sep.*
In vigiliâ & feſto S.Matthæi: V.V. Chriſti, p. 778. & idem quod Dominica 3. poſt Epiph. 4.Oct.
In feſto S.Franciſci: V.V. Chriſti, p.778. 18.*Octob.*
In feſto S.Lucæ idem quod in vigiliâ S.Andreæ: V.V. Chriſti, p.769. 17.*Nouem*
In feſto S.Gregorii Thaumaturgi idem quod Dom.9. poſt Pent.

Communia de Sanctis, &c.

In vigiliâ vnius Apoſtoli idem quod in feſto S. Simonis & Iudæ.
De martyribus idem quod 3. Dominica poſt Paſcha, & V.V.Chriſti. p.786.
De pluribus Martyribus idem quod in vigilia S.Andreæ. V.V. Chriſti, p.796.
De Confeſſore Pontifice, V.V.Chriſti, 785.
De Virgine & Martyre, De virgine tantum, de Sancta non virgine, & in communi Virginum, idem quod Dom. 6. poſt Epiph.
In dedicatione temoli, V.V.Chriſti, p. 782.
Pro infirmis idem quod Dom. 3. poſt Epiph.
Pro defunctis idem quod in feſto corporis Chriſti.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS Dei gratiâ Hiſpaniarum Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ &c. Sereniſſimus Belgarum Princeps, diplomate ſuo ſanxit, nequis citra HIERONYMI VERDVSSII Typoghraphi Antuerpienſis voluntatem, VIAM VITAE ÆTERNAE *à R. P. Antonio Sucquet, Soc.* IESV, *in Prouincia Flandro Belgica Prouinciali edita*, vllo modo in Belgio imprimat, aut alibi locorū eam in forma & methodo impreſſā, in haſce Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémue exponat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione illatorum exemplarium, & alia graui pœnâ multabitur, vti latius patet in litteris datis Bruxellæ. 14. Feb. 1664.

Signat.

Loyens.

Digitized by Google

50

Digitized by Google

Digitized by Google